Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONLE VITT. EMANUELE ROMA
240
P
31
Vol. 36

BNCR
SS.
262
(093)
B 922

Digitized by Google

Digitized by Google

BENEDICTI XIV.

PONT. OPT. MAX.

OPERA OMNIA

ET

BULLARII ROMANI

CONTINUATIO

CONTINUATIONIS BULLARII

TOMUS VII.

Digitized by Google

AM
Digitized by Google

BULLARII ROMANI

CONTINUATIO

SUMMORUM PONTIFICUM

BENEDICTI XIV. CLEMENTIS XIII. CLEMENTIS XIV.
PII VI. PII VII. LEONIS XII. PII VIII.

CONSTITUTIONES, LITTERAS IN FORMA BREVIS,
EPISTOLAS AD PRINCIPES VIROS, ET ALIOS,
ATQUE ALLOCUTIONES COMPLECTENS.

TOMUS SEPTIMUS

PARS I.

PII VII.

CONTINENS PONTIFICATUM

AB ANNO PRIMO USQUE AD ANNUM XV.

ALBER ET GHETTUS SOC.

PRATI
IN TYPOGRAPHIA ALDINA
MDCCCL.

Digitized by Google

55.262(033) B922 | 36

Digitized by Google

PIUS VII.

BULLARIUM

Digitized by Google

Digitized by Google

PIUS VII.

ANNO PRIMO

I.

Dat. die 21. Martii 1800. Anno I.

Allocutio habita Venetiis in monasterio s. Georgii Majoris super ejus electione ad pontificatum.

Venerabiles fratres.

Exordium. §. 1. Ad supremum Ecclesiae regimen imperscrutabili Dei judicio suffragiis vestris vocati, non sine magna animi Nostri perturbatione pontificatum suscepimus. Nam si semper, etiam secundis Ecclesiae temporibus, magnum opus episcopatus fuit; quid adversis, quid turbulentissimis, quid impeditissimis, eum futurum esse, putandum est?

Perturbationes passae in suscipiendo supremi pontificatus munere. §. 2. Quae autem Nostra sunt tempora? Exhorrescimus animo, cum officia supremi pontificatus perpendimus, et simul temporum Nostrorum difficultatem consideramus. Quae praestare debeat pontifex ad catholici gregis custodiam, salutemque, videmus; qua ratione autem praestare ea possit in tanta hominum licentia, in tanta jurium omnium cum humanorum, tum divinorum conculcatione, in tanto sacerdotii contemptu, atque in hac Ecclesiae captivitate, non videmus. Haec animum Nostrum perturbant, haec agitant, haec Nos diu noctuque defixos in tanti muneris cogitatione quietos esse non sinunt.

Laudes praedecessoris. §. 3. Vos vero his temporibus Nos ad supremum Ecclesiae regimen delegistis? Nosque eos esse putastis, qui possemus Petri naviculam tot saevientibus ubique tempestatibus regere, onusque hoc *angelicis etiam humeris formidandum* Nostris viribus sustinere? At quorum ex numero Nos delegistis? nempe ex eo, in quo vix inveniebatur ullus, qui iisdem hisce temporibus, ob admirabilem firmitatem suam in praestanda Ecclesiae fide, non fortissimus haberetur, qui fortunarum rapinam, carcerem, exilia, mortis pericula, acerbissima quaeque perpessus, *spectaculum mundo, angelis, et hominibus factus pro Christo*, non modo tanto honore dignissimus, verum etiam multo magis Nobis idoneus esset, qui tanto oneri magna cum Ecclesiae gloria, atque securitate succederet.

§. 4. Quae fuerunt igitur judicia vestra? Habebatis viros sapientissimos, quibus in tantis procellarum periculis Ecclesiam committeretis; cur eam insipienti committere voluistis? Habebatis sanctissimos; cur peccatorem delegistis? An ne tenuitas Nostra, quae explorata omnibus est, ita vestram perspicientiam latuit, ut in re tam manifesta vos uni nihil videretis? An spiritus ille mentium illustrator, qui ostendit quos elegit, abfuit a vobis, dum de Nobis deliberaretis? Non ita profecto fuit, venerabiles fratres, fidenter dicimus, neque id ad Nostram, verum ad Dei gloriam dicimus. Adfuit, adfuit Deus sanctissimis mentibus vestris; Nosque ii fuimus uni, qui a vobis potissimum eramus omnino deligendi. Cur? Quia licet oculis vestris minime tales videremur; Dei tamen oculis omnium maxime videbamur infirmi. Nimirum iis semper consiliis in Ecclesia sua regenda, ad for- *Judicium electorum.*

Digitized by Google

tium superbiam confundendam, utitur Deus. Quo vero infirmiora ea sunt, quae adhibet; eo magis apparet, Ecclesiam in coelis (quod Chrysostomus docet) radices habere, Deumque esse, qui eam ubique tuetur.

Ratio electionis.

§. 5. Repetite, quaeso, memoria quae fuerint prima illa Ecclesiae nascentis exordia. Si igitur primis illis temporibus piscator Petrus, paucique apostoli e Galilaeae obscuritate in hominum lucem ad propagandam Ecclesiam vocati, duce Deo, tanta facere potuerunt, ut in omnem terram exierit sonus eorum; mirum quidem, verum minime novum videri debet, si Nos etiam ex hac insula, quae nobis ex longa procellarum jactatione Ecclesiae orbitati consulere quaerentibus admirabili quadam Dei providentia, et Augusti Caesaris beneficio (a quo nihil est, quod ad Ecclesiae defensionem amplitudinemque Nos non speremus) perfugium praebuit; ex monasterio ejus ordinis, cujus sanctissimis legibus Nos instituti fuimus, ad Ecclesiam regendam vocaremur, ut, quo tenuiores sumus, eo clarius ostenderemus, non a Nobis, sed a Deo eam gubernari.

Deprecatio.

§. 6. Reget igitur Ecclesiam suam Deus. Quid Nos? Tanti ne ergo rectoris tutela securi, infirmitatis Nostrae conscii, uni ejus providentiae acquiescentes nulla christiani gregis sollicitudine laborabimus? immo vero eo acrius laborabimus, quo Nos infirmiores esse cognoscimus, atque ita Ecclesiae operam navabimus, perinde quasi a Dei providentia nihil Nobis sperandum, nihil expectandum cognosceremus. Verum solis ne viribus Nostris tantam rem, tam gravem, tam periculosam administrabimus? At quomodo, soli poterimus tantam sollicitudinem, tantam curarum molem sustinere, nisi vos, venerabiles fratres, praesto eritis Nobis auxilio vestro?

Requisitio auxilii ab electoribus.

§. 7. Quam infelix sit rei christianae conditio, intelligitis. Quam multis praesidiis in tanta morum corruptela christianus grex ad salutem indigeat, videtis. Vos igitur, quorum plerique aetate, sapientia universi Nobis praestatis, adeste, per viscera D. N. J. Christi rogamus vos, adeste Nobis consiliis vestris: quid evellendum, quid plantandum, quid eruendum, quid aedificandum sit, Nobis ostendite; onus, quod humeris Nostris imposuistis, vestris viribus allevate. Sanctissime vobis pollicemur, operam, consilia, auxilia vestra nullo unquam tempore Nobis non gratissima esse futura.

Exempla praebenda ad gloriam, et incrementum rei Christianae.

§. 8. Satis ne hoc? Satis quidem ad auxilium Nostrum: ad Ecclesiae autem gloriam, ad rei christianae incrementum non satis. Ecclesia, venerabiles fratres, indiget Nostris exemplis. Magnum profecto vulnus postremis hisce annis sacerdotium accepit. Quanta cum ejus gloria, non commemorabimus. Nullis umquam fortasse antea temporibus tantis athletarum constantissimorum triumphis Ecclesia fuit nobilitata. Quorum ne vestros repetam, admirabiles illos in primis habemus sanctissimi parentis, ac decessoris Nostri, cujus gloriam laborum pro Christo exantlatorum magnitudo immortalem fecit. Quae fuit illa fides! quae firmitas! quae constantia! in tuenda Ecclesiae causa non solum, verum etiam in morte propter eam tantis in periculis, aerumnis, doloribus oppetenda! quorum meminisse non possumus, quin simul ad omnem virtutem, patientiam, longanimitatem inflammemur.

Item et supra.

§. 9. Hanc autem plagam tam gravem, tam acerbam putabimusne sine magnis divinae providentiae consiliis a Deo in Ecclesiam fuisse permissam? Expertus ille fidem, et perseverantiam sacerdotii, illud etiam quaerit a Nobis, ut ostendamus orbi terrarum universo, magnos Nos in hac tribulatione Nostra proventus effecisse; ita ut ab omnibus intelligatur, non in opibus, quibus spoliati fuimus, non in pompa, quae odia in Nos, et criminationes peperit inimicorum, non in caeteris omnibus, quae magis propria profanorum hominum sunt, quam imitatorum Christi: verum in divitiarum contemptu, in humilitate, ac modestia; in patientia, ac charitate, in omni denique munere sacerdotii imaginem auctoris Nostri repraesentari, veramque Ecclesiae amplitudinem contineri.

Conclusio.

§. 10. Sed jam finis sit. Venerabiles fratres, quod infirmitati nostrae tantum judicio vestro tribueritis, quid debeamus vobis, videmus: quod debemus, freti divini numinis auxiliis, consiliisque vestris, omni studio ac fide reddere ac praestare conabimur. Rogemus igitur Deum, ut adsit inceptis nostris, ac virtute sua efficiat, ut quo clarior omnibus est haec Nostra imbecillitas; eo manifestius in Ecclesiae regimine ejus admiranda divinitas elucescat.

Dat. die 8. maji 1800. Anno I.

II.

Gratiae, et privilegia concessa conclavistis postremi conclavis.

Pius PP. VII.

Urbis.

Motu proprio etc. Nos volentes dilectos filios conclavistas, qui conclavi, in quo divina favente clementia ad summi apostolatus apicem assumpti fuimus, Nobis, et venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus uti familiares, et continui commensales inservientes interfuerunt, quique ea de causa labores, vigilias, et incommoda plura subierunt, habita ratione obsequiorum hujusmodi favoribus gratiis, et privilegiis pro cujusque meritis exornare, ipsos conclavistas

Receptio in familiares.

in veros, indubitatos, et non fictos familiares, et continuos commensales Nostros, ac eos, qui ex illis clerici existunt, seu militiae clericali adscribi desiderant, quosque tres

In notarios.

praefatae Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales singulatim in quolibet ordine antiquiores gradu, nobilitate, et aliis meritis dignos tali dignitate judicaverint in Nostros, et Sedis apostolicae notarios, sine tamen praejudicio

Creatio in comites, milites, et nobiles.

dilectorum filiorum de numero participantium notariorum recipimus, et tam illos, quam alios conclavistas singulos, qui singulatim ab iisdem tribus cardinalibus digni tali honore reputati fuerint, sacri palatii, et aulae Lateranensis comites, et milites, et tam illos, quam omnes etiam quoscumque alios conclavistas indistincte, qui nobiles non sunt, nobiles, quique urbis, vel alicujus alterius ex civitatibus temporali dominio eidem Sanctae Romanae Ecclesiae mediate, vel immediate subjectis cives esse voluerint, singulos in ea ipsa civitate, quam singillatim quisque eorum elegerit, et ad quam ab eisdem tribus cardi-

Electio civilitatis.

nalibus se admitti petierit, veros cives ad instar, et sine ulla prorsus differentia inter eos, et singulos alios veros originarios, et antiquis-

Etiam pro haeredibus.

simos etiam nobiles, et participantes cives ipsius urbis, vel civitatis, itaut ipsum jus civilitatis ad quoscumque illorum haeredes eodem modo transeat, creamus, constituimus, et deputamus, ac nobilitatis, et civilitatis titulo, honore, et insigniis decoramus, aliorumque familiarum, et continuorum commensalium Nobis actu in palatio Nostro apostolico inservientium, ac in illius tinello comedentium, et bibentium, ac Nostrorum, et Sedis praefatae notariorum palatii, et aulae praedictorum comitum, militum, et nobilium ac civium hujusmodi originariorum numero, et consortio favorabiliter aggregamus, et pro veris et indubitatis, et non fictis familiaribus, continuis commensalibus, ac notariis Nostris comitibus, nobilibus, militibus, et civibus deinceps haberi volumus, et reputari mandamus, eisque, ut in quibuscumque impetrationibus, concessionibus, et literis tam gratiam, quam justitiam separatim, seu utramque mixtim concernentibus se familiares, continuos commensales, Nostrosque comites, milites, nobiles, et cives etiam originarios, nominare possint, nec propterea impetrationes, concessiones, et literae hujusmodi subreptionis vitio subjaceant, sed validae, et efficaces existant, ac ex nunc deinceps in perpetuum omnibus, et quibuscumque, ac prorsus similibus antelationibus, praerogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, decretis, declarationibus, mandatis, suspensionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, indultis, ac juribus, quibus alii Nostri familiares tempore dictae assumptionis Nostrae ad summi apostolatus apicem, ac quibus alii ejusdem Sedis notarii etiam de numero participantium existentes, etiamsi habitum, et rocchettum notariorum ipsius Sedis non deferant, palatiique, et aulae praefatorum comites, milites, nobiles etiam originarii, ac antiquissimi civis ejusdem urbis, vel civitatis, quam, ut praefertur, elegerint, quippe ex utroque parente vere nobili, et cive originario, et antiquissimo procreati de jure, statuto, consuetudine, vel alias ex aliquo speciali privilegio, seu alias quomodolibet etiam quoad assecutionem quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum etiam per quascumque literas, seu constitutiones apostolicas pro tempore

Exemptio ab habitatione in civitate.

editas utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum ubique locorum in judicio, et extra, sine tamen eorumdem notariorum de numero participantium praejudicio, uti, frui, potiri, et gaudere libere, et licite valeant realiter, et integre in omnibus, et per omnia, etiamsi in ur-

Digitized by Google

be, et civitate hujusmodi non habitaverint, perinde, ac si de vere nobili genere, et ex utroque parente nobili originario, ac antiquissimo cive procreati forent, et hujusmodi praerogativae, privilegia, exemptiones, gratiae, favores, concessiones, indulta, et jura, quae pro aliis nobilibus, et civibus originariis emanarunt, et quae ratione nobilitatis, et civilitatis naturalis, et originariae aliis competunt pro eisdem conclavistis in specie emanassent, seu emanarent, et eis naturaliter de jure, statuto, consuetudine, fundatione, vel alias competerent auctoritate, et tenore similibus indulgemus.

A gabellis, et decimis, aliisque oneribus exceptis decimis impositis in subsidium expeditionis contra turcas.

Ac conclavistas praefatos a solutione, et exactione quarumcumque decimarum: non tamen decimarum, subsidiorum, ac onerum in subsidium expeditionis contra turcas, et orthodoxae fidei hostes impositarum, et impositorum, et cujuscumque pedagii, subsidii, gabellae, et cujuscumque oneris ordinarii, et extraordinarii ubique locorum, et ex quacumque quantumvis urgentissima, et in causa excogitabili, et occasione etiam ad instantiam imperatoris, regum, et rerumpublicarum, et aliorum quorumcumque principum impositorum, et imponendorum, pro tempore ex nunc, prout ex tunc, et e contra, et postquam casus hujusmodi impositionis, et solutionis evenerit, liberamus, et eximimus, liberosque et exemptos fore, et esse decernimus, districtius inhibentes dilectis filiis nunc, et pro tempore existentibus ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae camerario, thesaurario, praesidentibus, clericis, ac quibuscumque aliis officialibus camerae Nostrae apostolicae, ac exactoribus decimarum, praeterquam decimarum subsidiorum, et onerum in subsidium expeditionis contra turcas, et orthodoxae fidei hostes, ut praefertur, impositarum, et impositorum, nec non cujuscumque pedagii, subsidii, gabellae, et aliorum, ut praefertur, impositorum onerum hujusmodi, ac aliis personis, cujuscumque ecclesiasticae, vel saecularis dignitatis, status, gradus, ordinis, et conditionis existentibus, ne eos ad aliquam solutionem cogere, seu compellere, aut super praemissis, eorumque usu, possessione, vel quasi directe, vel indirecte quovis quaesito colore vel ingenio molestare, vel alias quomodolibet impedire quoquo modo praesumant, nec non eisdem conclavistis, quod bona quaecumque ad ipsos, et eorum quemlibet spectantia, et per eos etiam ratione quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum cum cura, et sine cura saecularium, et quorumvis ordinum, et militiarum, atque hospitalium quorumcumque regularium, necnon canonicatuum, et praebendarum, ac dignitatum quorumlibet per eos alias obtentorum, et obtinendorum, aut alias quomodolibet, et quovis quaesito colore, vel ingenio, seu eorum industria, legitime tamen et alias licite acquisita, et acquirenda, etiam in dicta urbe, ejusque districtu, ac ubique existentia spoliis minime subjaceant, sed conclavistae praefati, etiam si religioni alicujus militiae, non tamen sancti Joannis Hierosolymitani adscripti, et in ea expresse professi fuerint, de illis in favorem quarumcumque personarum de jure tamen capacium etiamsi curiales esse desierint, et in quocumque loco quantumvis remoto, etiam extra eorum propriam residentiam eos decedere contigerit, testari, vel alias disponere, iisque ab intestato decedentibus legitimi eorum haeredes quicumque succedere libere, et licite valeant, simili modo concedimus, et indulgemus, praecipientes, et mandantes eisdem praefatae Sanctae Romanae Ecclesiae camerario, thesaurario, praesidentibus, clericis, et quibusvis aliis spoliorum hujusmodi collectoribus, et subcollectoribus, ac militiarum, non tamen dicti sancti Joannis Hierosolymitani praedictarum receptoribus officialibus, aut prioribus, et quibusvis aliis personis, tam saecularibus quam regularibus, etiam cujusvis militiae, et cujusvis gradus, status, ordinis, et praeeminentiae, etiamsi speciali nota digni existant, ne in hujusmodi bonis, manus apponant, neque haeredes praefatorum conclavistarum desuper molestare audeant, seu praesumant: ac etiam decernentes donationes etiam per viam testamenti, et codicillorum per ipsos conclavistas de eorum bonis hujusmodi faciendas semper, et perpetuo validas, et efficaces fore.

Exemptio a spoliis cum facultatibus testandi, exceptis equitibus s. Joannis Hierosolymitani

Facultas concessa etiam equitibus cujuscumque militiae retinendi pensiones ad summam ducatorum 100

Ac cum eisdem conclavistis etiam in militia sancti Joannis Hierosolymitani, et in quavis alia militia expresse professis quod ratione quarumcumque pensionum annuarum eis, et eorum cuilibet super quorumvis beneficiorum ecclesiasticorum, et etiam mensarum episcopalium, archiepiscopalium, abbatialium, necnon dignitatum quarumcumque, ac monasteriorum etiam per ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardi-

nales ad praesens obtentorum, et in posterum quomodolibet obtinendorum fructibus etc. ac etiam distributionibus quotidianis, non tamen ultra summam ducentorum ducatorum auri de camera pro quolibet eorum nunc, et pro tempore reservatarum, et assignatarum, ac reservandarum, et assignandarum habitum, et tonsuram clericalem gestare; et in illis dummodo alias ipsi habitum decentem, et honestum, ac per milites, praefatos gestari solitum deferant, incedere minime debeant, nec ad id a quoquam desuper cogi, seu compelli, minusque aliquas sententias, censuras, nec etiam privationis, seu cessationis ipsarum pensionum poenas occasione praemissorum incurrere possint, sed easdem pensiones usque ad praefatam summam ducentorum ducatorum hujusmodi ascendentes, et reservatas, et in posterum reservandas, ut praefertur, etiamsi matrimonium quoad milites alicujus militiae, videlicet cum militia compatibile jam contraxerint, vel post hac contrahere voluerint cum unica, et virgine tantum recipere, et quoad vixerint, et quilibet eorum respective vixerit retinere libere, et licite valeant, de speciali dono gratiae dispensamus: et insuper conclavistis praefatis, et eorum singulis, ut quicumque loci ordinarii, vel canonici metropolitanarum, vel cathedralium seu duarum insignium urbis collegiatarum ecclesiarum, aut personae aliae quaecumque ecclesiasticae in dignitate ecclesiastica constitutae tam in Romana curia, quam extra eam ad id per eos, et eorum singulis eligendi, et eligendae quascumque pensiones annuas eis, et eorum singulis super quibuscumque fructibus etc. juribus, obventionibus, et emolumentis universis, certis, et incertis, quarumcumque mensarum episcopalium, archiepiscopalium, et abbatialium, ac etiam distributionibus quotidianis etiam ratione servitii, et mercedis dignitatum, canonicatuum, et praebendarum, caeterorumque aliorum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum cum cura, et sine cura saecularium, et quorumvis ordinum regularium, non tamen per Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales obtentorum reservatas, seu reservandas, seu fructus etc. hujusmodi beneficiorum reservatos, seu reservandos, etiamsi semel, vel pluries translati, seu translatae fuerint usque ad summam centum ducatorum auri de camera similium in toto, vel in parte, ac in una, seu pluribus vicibus, ac etiam in mortis articulo cassare, et extinguere, ac postquam cassatae, et extinctae fuerint alias similes pensiones annuas, seu fructus etc. hujusmodi usque ad summam praefatam centum ducatorum uni, vel pluribus aliis personis ecclesiasticis, vel etiam clericali charactere tunc temporis nondum insignitis, cum clausula tamen ex tunc, prout postquam dicto charactere rite insigniti fuerint, seu alias pensionum, seu fructuum hujusmodi capacibus per eosdem conclavistas, et illorum singulos nominandos, etiam quaecumque, quotcumque, et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus, et expectantibus similiter eis quoad vixerint, vel eorum procuratoribus legitimis, eisdem modo, et forma quibus eisdem conclavistis reservatae, seu reservati erant, etiam absque beneficia hujusmodi obtinentium consensu integre persolvendas, et per eos propria auctoritate percipiendas, exigendas, et levandas, aut percipiendos, exigendos, et levandos reservare, constituere, concedere, et assignare possint, itaut praefati translatarii in quasi possessione pensiones, seu fructus etc. hujusmodi exigendi, in qua ipsi conclavistae tempore translationis per eos vigore praesentium faciendae existebant, in omnibus, et per omnia subrogati esse censeantur, concedimus, et indulgemus, etiamsi similem gratiam a Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris, alias forsan obtinuerint, seu quilibet eorum obtinuerit, tam vigore aliorum privilegiorum conclavistarum, quam ex quocumque alio indulto, et privilegio, quorum effectum per hanc novam gratiam, et concessionem impedire volumus, sed cumulative concessam, et concessas esse volumus, itaut quilibet eorum cumulative, et ampliative praefatis facultatibus praesentibus, et praeteritis privilegiis hac in re concessis uti, frui, et potiri possint. Decernentes novas reservationes, constitutiones, concessiones, assignationes, et translationes pensionum, ac fructuum etc. hujusmodi, ut praefertur, faciendas ex nunc, prout postquam factae fuerint plenam roboris firmitatem obtinere, ipsaque beneficia super quorum fructibus etc. aliisque hujusmodi reservatae fuerint obtinentes ad illas persolvendas efficaciter obligatos fore. Necnon conclavistis prae-

Absque necessitate deferendi habitum, et tonsuram clericalem.

Facultas transferendi pensiones usque ad summam 100 ducatorum.

Ampliatio in non clericos.

Cumulativa similium gratiarum.

fatis, qui s. Joannis Hierosolymitani, seu cujusvis alterius militiae seu religionis regularis etiam expresse professi sunt, ut etiamsi ab eorum conventu absentes existant, dummodo tamen quinquennalem, seu aliam debitam residentiam in conventu fecerint, et consueta servitia praestiterint quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, ac quarumvis pensionum, et commendarum eorum militiae, seu religionis capaces existant perinde ac si in eadem militia, seu religione antianitatem de justitia consecuti fuissent, similiter indulgemus. Praeterea eosdem conclavistas si qui eorum defectum natalium patiantur ex quocumque damnato, et illicito coitu, etiamsi ex nobilibus parentibus, et vilibus foeminis procreati existant, etiamsi alias legitimati existant, legitimamus, omnemque ab illis geniturae hujusmodi maculam, sive notam abstergimus, et abolemus, ac legitimis natalibus restituimus, et cum eorum singulis, ut in quibuscumque bonis paternis, et maternis, ac aliorum consanguineorum, seu cognatorum, vel aliorum quorumcumque, sine tamen praejudicio venientium ab intestato, vel fideicommisso, seu aliis de jure valida dispositione, et praeterquam in bonis ecclesiasticis, et ab ecclesia provenientibus succedere, et illa donationis, vel alio quovis titulo consequi, et habere, ac ad aequales portiones cum legitimis succedere eos ad omnia jura, legitimas successiones ex testamento, vel ab intestato, haereditates, legata, libertates, restituendo, realiter, et cum effectu, ac ad dignitates, honores, et quaecumque alia officia saecularia, publica, vel privata, etiam assumi, illaque gerere, et exercere in omnibus, et per omnia, ac si de legitimo matrimonio procreati forent, ac eodem defectu non obstante, si aliud canonicum eis non obsistat impedimentum, ut clericali charactere, qui illo nondum insigniti sunt insigniri, ac ad omnes etiam sacros, et presbyteratus ordines si nondum ad illos promoti sint promoveri, ac postmodum charactere, et ordinibus hujusmodi, ac illorum privilegiis uti, ac in eisdem ordinibus etiam in altaris ministerio ministrare, et quaecumque, et qualiacumque cum cura, et sine cura beneficia ecclesiastica, etiamsi personatus, administrationes, et officia etiam curata, et electiva in cathedralibus, et metropolitanis, vel collegiatis ecclesiis seu si parochiales ecclesiae, vel earum perpetuae vicariae, ac canonicatus, et praebendae, ac dignitates non tamen majores post pontificalem in cathedralibus, aut principales in collegiatis ecclesiis hujusmodi fuerint si eis alias canonice conferantur, aut ipsi eligantur, praesententur, vel alias assumantur ad illa, et instituantur in eisdem recipere, et dummodo plura simul non sint, quam quae a concilio Tridentino permittuntur quoad vixerint retinere libere, et licite valeant similiter dispensamus: ac omnes, et quoscumque defectus si qui forsan sint in omnibus, et quibuscumque provisionibus, ac permutationibus beneficiorum quorumcumque eorumdem conclavistarum tam ob multiplicitatem titulorum, ac ob incursionem quarumcumque censurarum etiam irregularitatis, et similiter in expeditionibus literarum apostolicarum super illis, quam alias ex quavis causa provenientes quoad praeteritum tantum, ac sine praejudicio juris alicui quaesiti, et dummodo non intercesserit simoniae labes, nec aliqua lis desuper pendeat sanamus, ac provisiones hujusmodi vigore praesentium in utroque foro perinde ac si novas provisiones obtinuissent revalidamus, et quatenus opus sit, omnibus, et singulis eorum de omnibus, et singulis dignitatibus, et aliis cum cura, et sine cura beneficiis ecclesiasticis quomodolibet qualificatis, et nuncupatis etiam cujusvis ordinis regularibus per eos respective obtentis de novo etiam respective providemus, ac omnes, et singulas pensiones eis, et eorum singulis super quorumvis beneficiorum ecclesiasticorum quomodolibet qualificatorum, et nuncupatorum etiam alicujus ordinis regularium fructibus etc. ac etiam distributionibus quotidianis respective reservatas similiter de novo reservamus, ipsisque conclavistis, eorumque singulis quoscumque fructus etc. ecclesiasticos occasione quarumcumque dignitatum, canonicatuum, et praebendarum, aliorumque ecclesiasticorum quorumcumque, ac quarumcumque pensionum annuarum ipsis, et eorum cuilibet respective collatorum, et reservatarum tam ex antedictis, quam ex aliis defectibus, et occasionibus etiam ratione omissionis recitationis horarum canonicarum, vel eorum non promotionis ad omnes etiam sacros, et presbyteratus ordines, vel non susceptionis gradus doctoratus indebite perceptos cujus-

Concessio antianitatis equitibus.

Legitimatio spuriorum.

Habilitatio ad successiones, honores, ordines, et beneficia.

Sanatio defectuum provisionum.

Remissio fructuum male perceptorum.

cumque quantitatis fuerint gratiose remittimus, et condonamus, ac cum eis super inhabilitate, et irregularitate per eos propterea quomodolibet contracta, vel etiam ex eo, quod censuris hujusmodi legati missas, et alia divina officia, dummodo tamen non in contemptum clavium celebraverint, aut alias in divinis se immiscuerint; quodque illa, et praemissis eisdem non obstantibus ad omnes etiam sacros, et presbyteratus ordines alias rite, et dummodo nullum aliud alicui eorum obstet canonicum impedimentum, promoveri, et in illis, et in susceptis per eos alias rite ordinibus etiam in altaris ministerio ministrare libere, et licite valeant dispensamus, quodque omnes, et quaecumque gratiae, provisiones, commendae, et quaevis aliae literae apostolicae provisionum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum hujusmodi, prout Nostris familiaribus continuis commensalibus eisdem conclavistis, et eorum cuilibet gratis dentur, concedantur, et expediantur ac etiam literae ipsae in forma Brevis tam de capienda possessione nomine dictae camerae apostolicae, quam alias ut illis super provisionibus quorumvis beneficiorum ecclesiasticorum dari poterunt similiter gratis dentur, concedantur, et expediantur, ac dari, concedi, et expediri omnino debeant etiam praecipimus, et mandamus, ac eisdem conclavistis, et eorum cuilibet, ut alia similia, vel dissimilia indulta, privilegia facultates, et gratias hactenus eis, et eorum cuilibet per Nos, et Romanos pontifices praedecessores Nostros, et Sedem praefatam concessa in suo robore, et firmitate cum praesentibus stare; ac illorum omnium, et singulorum tenores perinde ac si de verbo ad verbum inserti forent praesentibus haberi volumus pro expressis, quam in posterum concedenda specialia, vel generalia, quibus per praesentes, ac praesentibus per illa minime in aliquo praejudicare intendimus, ita ut quotcumque, et qualiacumque fuerint unum alteri derogare non censeantur, sed eos, et eorum quemlibet illis simul, ac cum praesentibus praedictis cumulative, vel singulariter, prout eisdem conclavistis, et eorum cuilibet magis expediens videbitur, frui, et gaudere posse decernimus, dummodo tamen praesentibus non adversentur similiter concedimus, et indulgemus. Postremo eosdem conclavistas, eorumque aliquem ad praesentem motum proprium, seu literas super praesentibus si videbitur conficiendas in dicta camera insinuandum, aut admitti, et registrari petendum minime teneri, nec illum, seu illas etiamsi motus proprius, et literae hujusmodi intra legitimum tempus insinuatus, admissus, et registratus non fuerit, seu illae insinuatae, admissae, seu registratae non fuerint propterea minus validum, seu validas censeri, sed suos plenarios effectus sortiri debere, ac motum proprium, et literas hujusmodi, et in eis contenta quaecumque sub quibusvis revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, decretis, et constitutionibus apostolicis similium gratiarum revocatoriis, vel quae eas limitarent, vel moderarentur, quae a Nobis, et a dicta Sede pro tempore, et ex quibusvis causis etiam urgentissimis, etiam in favorem fidei, ac divini cultus augumentum etiam consistorialiter, vel alia quavis auctoritate hactenus, vel in posterum emanaverint minime comprehensum, et comprehensas esse, sed quoties illae emanabunt toties eum, et eas in pristinum statum restitutum, repositum, et plenarie reintegratum, et restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, seu restituendum, reponendum, et plenarie reintegrandum, et restituendas, reponendas, et plenarie reintegrandas esse censeri. Et insuper cum dilectus filius Alexander de Turre presbyter Romanus, et basilicae s. Mariae Transtyberim pariter nuncupat. de urbe canonicus, subcollector generalis quindenniorum tamquam dd. conclavistarum procurator in praemissis sedulam pro eis operam navaverit, propterea, et aliorum meritorum suorum et obsequiorum Nobis, et dictae Sedi impensorum intuitu, volentes ipsum specialibus, favoribus, et gratiis prosequi, eidem Alexandro, licet ipse in conclavi praedicto non intervenerit, nihilominus omnibus, et singulis supradictis gratiis, privilegiis, et facultatibus immunitatibus, libertatibus, honoribus, praerogativis, praeeminentiis, indultis, exemptionibus, caeterisque praemissis, tanquam conclavista frui, et gaudere libere, et licite possit, et valeat perinde ac si conclavi hujusmodi vere, et realiter interfuisset, constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque supradictis, et aliis contrariis nequaquam obstantibus motu, scientia, et auctoritate similibus de speciali gratia indulgemus; sicque per quoscumque ju-

Absolutio ab irregularitate.

Expeditio literarum apostolicarum gratis.

Confirmatio aliorum similium, vel dissimilium privilegiorum.

Exemptio ab insinuatione in camera.

Comprehensio procuratoris in privilegiis.

dices, etiam commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, et eorum cuilibet in

Clausula sublata, et decretum irritans.

quavis instantia aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, irritumque etc. attentari. Et insuper dilecto filio Nostro Henrico Benedicto Mariae Clementi episcopo Tusculano, et sancti Laurentii in Damaso nuncupati commendatario praedictae S. R. E. cardinali duci Eboracensi nuncupato ejusdem S. R. E. vice-cancellario et literarum apostolicarum summatori, ac dilectis filiis camerae apostolicae ministris loco secretariorum apostolicorum suppressorum, praesidenti plumbi, aliisque officialibus ad quos literarum praefatarum desuper conficiendarum expeditio per viam secretam quomodolibet spectat, et pertinet sub poena indignationis Nostrae motu simili, et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine paribus etiam mandamus, ut praefatas literas super praedictis omnibus, et singulis, tam conjunctim quam separatim pro singulis, quibus concessa fuerunt, ac seorsim, et separatim cum omnibus, et quibuscumque derogationibus, decretis, et clausulis in eis concessis gratis, etiam quoad compositionem in dataria Nostra, et per eamdem viam secretam

Expeditio gratiosa, et per viam secretam derogationes.

absque alio mandato expediant, et expediri faciant insuper omnia, et singula privilegia, gratias, et concessiones eisdem conclavistis, et eorum cuilibet a diversis summis Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris hucusque concessa, motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus confirmamus, et approbamus, ac de novo liberalissime concedimus. Non obstantibus praemissis, ac de certo eorumdem notariorum numero, etiam si ad illum non sit deventum, ac Nostra, et cancellariae apostolicae regula de praestando consensu in pensionibus, et fel. rec. Pii pp. IV. de similibus, et dissimilibus gratiis in dicta camera infra tres menses praesentandis, et registrandis, ac Pii V. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum contra illegitimos necnon Pictaviensis concilii, ac Nostris, et cancellariae praefatae regulis, etiam in crastinum dictae assumptionis Nostrae ad summi apostolatus apicem editis, et in praedicta cancellaria publicatis, ac etiam in universalibus, et provincialibus conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus, ac ecclesiarum, monasteriorum, ordinum etiam sancti Joannis Hierosolymitani, ac etiam urbis Romae, ac aliarum civitatum, oppidorum, et terrarum camerae praedictae, et quarumvis universitatum etiam juramento etc. roboratis statutis, et consuetudinibus, stabilimentis, usibus, naturis, decretis, et novis reformationibus etiam legibus tam pontificiis, quam imperialibus, regiis, et ducalibus, et sacris canonibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis illis, eorumque superioribus, et personis, ac locis quibuscumque in genere, vel in specie, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis etiam vim contractus, et statuti perpetui continentibus, ac etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, et consistorialiter, ac alias in contrarium concessis, confirmatis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus etc. etiamsi de illis etc. eorumque tenores etc. illis alias etc. permansuris hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse motu pari derogamus; caeterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.

Concessum de speciali mandato sanctissimi
F. M. subdatarius.

Et cum absolutione a censuris ad effectum etc. Et quod obstantiae etiam beneficiales conclavistarum, et ab eis subrogatae hujusmodi, et dispensationes, ac indulta habeantur pro expressis, seu in toto, vel parte exprimi possint in literis, et in casibus regulae de insordescentibus, cum opportuna illius, necnon alterius regulae de non tollendo jure quaesito, derogatione, et quarumcumque aliarum constitutionum apostolicarum, et conciliorum etiam generalium, et statutorum, et stabilimentorum, usuum, naturarum, constitutionum synodalium, statutorum, et privilegiorum populi Romani, et Cluniacen., Cisterciem., s. Benedicti, s. Augustini, et aliorum ordinum, et militiarum, etiam s. Joannis Hierosolymitani, et ecclesiis, et monasteriis, civitatibus, et locis, et personis, et dominiis temporalibus, sub quibuscumque verborum formis, et cum quibusvis efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, et decretis, etiam consistorialibus, etiam contra alienigenas, et alias personas certis modis non qualificatas, aut

alias quomodolibet concessis, quorum tenores etc. latissime, ac de verbo ad verbum, prout ipsis conclavistis magis placuerit, exprimi possint, etiam cum suspensione quarumcumque gratiarum, indultorum, quibusvis ordinariis collatoribus conferendi beneficia ecclesiastica etiam reservata, ad eorum collationem etc. pertinentia, et in omnibus, aut certis expressis causis quomodolibet concessis latissime extendendis, itaut omnia tollantur; et quod sola praesentis motus proprii Nostri signatura sufficiat, et ubique fidem faciat in judicio, et extra, regula quacumque contraria non obstante: et quod praemissorum omnium, et singulorum indultorum, concessionum, gratiarum, et derogationum, major, et verior specificatio, et expressio fieri possit in literis, si videbitur, in quibus singulorum conclavistarum nomina, et cognomina, qualitates, ordines, gradus, dioecesis, patria, et caetera requisita exprimi, et describi, seu expressis, et descriptis haberi possint, inter eos sacrista, et magistri caeremoniarum cappellae Nostrae, necnon secretarius collegii eorumdem cardinalium, et caeteri alii in notula per ipsos magistros caeremoniarum facta, et descripta adnotati, et descripti, si alias ad pensiones, et beneficia hujusmodi habiles, et capaces fuerint, comprehendantur, et adnotentur simul, vel ad partem, etiam in una, non facta mentione de alia, vel aliis, prout videbitur expedien. Volumus autem, quod literarum super praesentibus conficiendarum, seu praesentis motus proprii Nostri transumptis impressis, et sigillo, ac manu alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, et etiam descriptis eadem fides tam in judicio quam extra illud adhibeatur, quae originalibus literis, seu praesenti motui proprio Nostro originali adhiberetur si forent exhibitae, vel ostensae, aut exhibitus, vel ostensus foret. Concessum F. M. subdatarius. Datum Venetiis ex monasterio sancti Georgii majoris sexto idus maji anno primo.

NOS

Joannes Franciscus miseratione divina episcopus Ostiensis, et Veliternensis sacri collegii decani Albani.

Franciscus tituli s. Laurentii in Lucina primus presbyter Carafa.

Antonius Maria s. Mariae in via Lata primus diaconus Doria Panphili S. R. E. cardinales ordinum capita, et in quolibet eorumdem ordinum antiquiores, judices ad infrascripta a Sanctissimo Domino Nostro

PIO
Divina providentia pp. VII.
specialiter deputati.

Viso motu proprio Sanctissimi Domini Nostri emanato. Datum Venetiis ex monasterio s. Georgii Majoris sexto idus maji anno ejus primo ad favorem conclavistarum, qui in conclavi suae assumptionis ad summi pontificatus apicem, eminentissimis dominis cardinalibus inservierunt, aliisque visis videndis, et consideratis considerandis, inhaerentes facultati nobis in dicto motu proprio tributae ..... judicamus et declaramus esse dignum nobilitate, titulo, honore, et insignibus Sanctissimi Domini Nostri familiarium, continuorumque commensalium actu in palatio apostolico inservientium, ac dignitate sanctae Sedis notariorum protonotariorum nuncupatorum, et palatii, aulaeque Lateranensis comitem, et militum, necnon nobilitate urbis ....
quam ipse petiit et elegit, omnibusque aliis et singulis gratiis, privilegiis, praerogativis, exemptionibus, immunitatibus, favoribus, indultis, facultatibus, et dignitatibus quibuscumque in supradicto motu proprio latius contentis, expressis, et specificatis, quae, et quas omnes, et omnia, et singula hic pro repetitis, ac de verbo ad verbum descriptis, et insertis haberi volumus et mandamus, illisque omnibus et singulis praemissis, praefatum ..... uti, frui, potiri, et gaudere debere juxta praedicti motus proprii continentiam, et tenorem, non solum hoc, sed et omni alio meliori modo. In quorum omnium et singulorum praemissorum fidem, et testimonium praesentes a nobis subscriptas, et sigillorum nostrorum impressione munitas, et roboratas dedimus.

Romae, ex aedibus nostrae solitae habitationis hac die........

Nomina autem ipsorum conclavistarum sunt haec, quae sequuntur.

Reverendissimus dominus fr. Joseph Bartholomaeus Menochio episcopus Hipponensis sacrarii apostolici pro-praefectus. Pro-sacrista.

Pro secretarius sacri collegii.

R. P. D. Hercules Consalvi Romanus, Sacrae Romanae Rothae auditor, e s. collegii pro-secretarius.

Caeremoniarum magister.

R. P. D. Joannes Dominicus Pacini Romanus, basilicae Lateranensis beneficiatus.

Conclavistae

Abbas Jacobus Braga presbyter Forocorneliensis.

Joseph Moriaga laicus Forocorneliensis. Nostri dum cardinalatus honore fungebamur.

Abbas Benedictus Albani presbyter Romanus.

Vincentius Boldrini laicus Romanus.

Joannis Francisci episcopi Ostiensis, et Veliternensis cardinalis Albani sacri collegii decani.

Angelus Cesarini Perusinus canon. theologus cathedralis ecclesiae Tusculanensis, et ejusdem seminarii rector.

Andreas Abbati presbyter.

Joseph Tomassetti laicus Romanus.

Henrici Benedicti Mariae Clementis episcopi Tusculani ducis Eboracensis.

Abbas Vincentius Giansanti presbyter Romanus.

Vincentius Serandrei laicus Romanus.

Leonardi episcopi Praenestinensis Antonelli.

Abbas Andreas Bruni presbyter Romanus.

Dominicus Matthaei laicus.

Aloysii episcopi Albanensis Valenti Gonzaga, venerabilium fratrum Nostrorum episcoporum S. R. E. cardinalium.

Abbas Michael Angelus Borsi presbyter.

Joannes Venturi laicus.

Francisci tituli s. Laurentii in Lucina Carafa.

Abbas Joseph Guerra presb. Ferrariensis.

Joseph Nicolai laicus Pistoriensis.

Marianus Gismondi laicus Romanus.

Francisci Xaverii tituli s. Praxedis, et ecclesiae sancti Martini ad Montes abbatis commendatarii De Zelada.

Abbas Thomas Luigini presbyter Auximanus.

Eduardus Borelli laicus Romanus.

Guidi tituli s. Mariae Transpontinae Calcagnini.

Abbas Benedictus Meoni presbyter Florentinus.

Bernardinus Gasperini laicus Romanus.

Bernardini tituli ss. Marcellini, et Petri Honorati.

Abbas Aloysius Tagliavini presbyter Bononiensis.

Joseph Fusaroli laicus Bononiensis.

Andreae tituli s. Pudentianae Joannetti.

R. P. Leopoldus de marchionibus Scatti de civitate Aquae Stabiellae in monte Ferrato ex-provincialis, et visitator generalis congregationis Barnabitarum.

Fr. Pompejus Sabbanini dioecesis Novariensis Barnabita.

Hyacinthi tituli s. Ceciliae Gerdil.

Joseph Villa canonicus collegiatae ecclesiae s. Agatae Vercellensis.

Joannes Scovazzo laicus Casalensis.

Eusebius Ansaldi laicus Vercellensis.

Caroli Josephi tituli s. Calixti de Martiniana.

Abbas Sebastianus Lazzarini presbyter Albanensis.

Aloysius Delfini laicus Ferrariensis.

Alexandri tituli s. Mariae in Ara-Coeli Matthaei.

Princeps de Croy canonicus ecclesiae metropolitanae Viennensis.

Aloysius Emiliani presbyter Romanus.

Joannes Baptista del Soldato laicus Romanus.

Francisci tituli s. Crucis in Hierusalem Herzan de Harras,

Abbas Franciscus Guglielmi canonicus s. Laurentii in Damaso.

Dominicus Montebugnoli laicus.

Joannis Andreae tituli s. Eusebii Archetti.

Abbas Joseph della Casa presbyter Romanus.

Carolus Beneggi laicus Mediolanensis.

Joseph tituli s. Petri in Vinculis Doria Pamphili.

Abbas Aloysius Vittori presbyter Caesenas.

Vincentius de Marchis laicus.

Caroli tituli s. Mariae de Pace Bellisomi.

Dominicus Spanelli laicus Romanus.

Aloysius Barberini laicus Venetus.

Caroli tituli s. Silvestri in Capite Livizzani.

Abbas Sebastianus Pascual Hispanus doctor, theologus, et thesaurarius collegialis ecclesiae de Talavera della Reina.

Emanuel Quadros laicus Hispanus.

Francisci Antonii tituli ss. XII. apostolorum de Lorenzana.

Digitized by Google

Alexander Buttaoni in Romana curia advocatus.
Augustinus Tombini laicus Romanus.
Ignatii tituli s. Mariae Angelorum Busca.
Abbas Nicolaus Bonomi presbyter Romanus.
Dionysius Frigo civitatis Æsij laicus.
Stephani tituli s. Clementis Borgia.
Abbas Franciscus Vadorini presbyter civitatis Volaterrae in Hetruria.
Jacobus Cottez laicus de Alsatia.
Joannis Baptistae tituli s. Honuphrii Caprara.
Abbas Dominicus Testa presbyter.
Joannes Baptista Calli laicus Mediolanensis.
Antonii tituli s. Joannis ante portam Latinam Dugnani.
Abbas Angelus de Angelis presbyter Sabinensis.
Michael Torraca laicus Romanus.
Hippolythi tituli sanctorum Nerei, et Achillei Vincenti Mareri.
Abbas Franciscus Pinto Poloni Romanus.
Amandus Ravaux laicus Belgicus.
Joannis Suffredi tituli ss. Trinitatis in Monte Pincio Maury.
Abbas Paulus Cateni presbyter.
Dominicus Gnassi laicus.
Joannis Baptistae tituli s. Laurentii in Panisperna Bussi de Pretis.
Abbas Innocentius Carletti presbyter Ferrariensis.
Franciscus Accarisi laicus Romanus.
Francisci Mariae tituli s. Mariae de Populo Pignattelli.
Abbas Joseph Brescianini presbyter Ferrariensis s. Theologiae professor.
Franciscus Viperari laicus.
Aurelii tituli Sanctorum Joannis, et Pauli Roverella.
Abbas Paulus Trevisan presbyter Venetus.
Petrus Giovannetti laicus Romanus.
Julii Mariae tituli s. Sabinae de Somalia presbyterorum S. R. E. cardinalium.
Abbas Joannes Bernasconi presbyter Romanus.
Ignatius Borsa laicus Romanus.
Antonii Mariae s. Mariae ad Martyres Doria Pamphilj.
Abbas Gregorius Berni Caesenas.
Petrus Branchini laicus Bononiensis.
Romualdi s. Nicolai in carcere Tulliano Braschi Honesti:
Abbas Dominicus Maria Marini presbyter.
Seraphinus Brescia laicus Vicentinus.
Philippi s. Eustachii Carandini.
Abbas Antonius Soldati presbyter de Crepsa.
Vincentius Sbacchi laicus.
Ludovici s. Agathae in Suburra Flangini.
Abbas Laurentius Sparziani Romanus.
Paschalis de Caprio Neapolitanus laicus.
Fabritii s. Angeli in Foro Piscium Ruffo.
Abbas Jacobus O-Connel presbyter Anglicanus.
Antonius Bencini laicus Florentinus.
Joannis s. Georgii in Velabro Rinuccini diaconorum S. R. E. cardinalium.
Abbas Franciscus Belli canonicus cathedralis ecclesiae Tusculanae. Confessarius.
Abbas Gregorius Speroni presbyter Romanus caeremoniarum magistri pro-secretarius.
Abbas Franciscus Tati presbyter lauretanus, ejusque basilicae beneficiatus choralis coadjutor in officio sacristae.
Abbas Joseph Evangelisti Romanus.
Joannes Piccioli Mediolanensis doctor phisicus regius delegatus.
Franciscus Porta Romanus.
Franciscus Nefi Florentinus in nosocomio s. Mariae Novae publicus professor, et lector.
Franciscus Melia Romanus. Dentista.
Franciscus Brinis Venetus. Barbitonsor.
Carolus Pansiera, et Jacobus Padovan, Veneti. Fabri.
Bartholomaeus Isò.
Dominicus Ricci.
Jacobus del Prà.
Joannes Baptista Vendetta.
Antonius Palani.
Eugenius Ridolfi.
Angelus Terenzi.
Dominicus Simonetti.
Petrus Paulus Bracci.
Vincentius dell'Oro.
Pacificus Marici.
Jacobus Spadoni.
Dominicus Azzaroni.
Joannes Bonaccina.
Joseph Chiaudano.
Franciscus Massino.

Digitized by Google

Cajetanus Cavalieri.
Franciscus Parentati.
Dominicus Colliva.
Antonius Ruggiani.
Carolus Dovo.
Jacobus Lazzari.
Antonius Giulj.
Cammillus Greppini.
Petrus Francescangeli.
Cajetanus Tofanelli.
Leonardus Lapasini.
Joseph del Carpio.
Joseph Tantussi.
Xaverius Mazzoleni.
Philippus Raffaelli.
Franciscus Bentoni.
Joseph Bembo.
Joannes Toma.
Cammillus Branchini.
Joannes Baptista Andrioli.
Valentinus Claudius Temi.
Dominicus de Sanctis.
Joannes Bencini.
Joannes Marangoni.
Franciscus Bozzoia.
Hilarius Palmieri.

Hercules Consalvi S. R. Rotae auditor, et sacri collegii pro-secretarius.

III.

Dat. die 3. maji 1800. Anno I.

Privilegia concessa dapiferis, qui in conclavi inservierunt.

Pius PP. VII.

Urbis

Motu proprio ec. Nos volentes dilectos filios Nostros, dum cardinalatus honore fungebamur, ac venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium dapiferos, qui conclavi, in quo divina favente clementia ad summi apostolatus apicem assumpti fuimus, inservierunt, quique ea de causa labores, vigilias, et incommoda plura subierunt, habita ratione obsequiorum hujusmodi favoribus, gratiis, et privilegiis pro cujuscumque meritis exornare, ac eosdem dapiferos, et eorum singulos motu proprio non ad ipsorum dapiferorum, vel alterius pro ipsis Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam; sed de mera liberalitate, certaque scientia nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine in veros indubitatos, et non fictos familiares continuos commensales Nostros, et eos, qui ex illis clerici existunt, seu militiae clericali adscribi desiderant, quosque tres ex praefatis cardinalibus, in quolibet ordine antiquiores gradu, nobilitate, et aliis meritis, dignos tali dignitate judicaverint in Nostros, et apostolicae Sedis notarios, sine tamen praejudicio dilectorum filiorum notariorum de numero participantium, tenore praesentium recipimus, et tam illos, quam alios dapiferos, singulos, qui sigillatim ab eisdem tribus cardinalibus, digni tali honore approbati fuerint, sacri palatii, et aulae Lateranensis comites et milites, ac tam illos, quam alios omnes quoscumque dapiferos indistincte, qui nobiles non sunt; nobiles quique urbis, vel cujusvis alterius ex civitatibus, temporali dominio dictae Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subjectis, cives esse voluerint singulos in ea ipsa civitate, quam sigillatim quisque eorum elegerit, et ad quam ab eisdem cardinalibus se admitti, petierit, veros cives ad instar, et nulla prorsus differentia, inter eos, et singulos alios veros, originarios, et antiquissimos, et nobiles participantes; cives ipsius urbis, vel civitatis; ita ut ipsum jus civilitatis ad quoscumque eorum haeredes eodem modo transeat creamus, constituimus, et deputamus, ac nobilitatis, et civilitatis titulo, et honore, et insigniis decoramus; aliorumque familiarium, continuorum commensalium, Nobis actu in palatio Nostro apostolico servientium, et in illius tinello comedentium, et bibentium, ac Nostrorum, et Sedis apostolicae notariorum, palatiique, et aulae praefatae comitum, militum, et nobilium, et civium hujusmodi originariorum numero, et consortio favorabiliter aggregamus, et pro veris, indubitatis, et non fictis familiaribus continuis commensalibus, ac notariis Nostris, comitibusque, militibus, nobilibusque, ac civibus deinceps haberi, et reputari volumus; et mandamus eisque in quibuscumque impetrationibus, ac concessionibus, et literis tam gratiam quam justitiam separatim, seu utramque mixtim concernentibus, se familiares, continuos commensales Nostros, et comites, milites, nobiles, ac ci-

Receptio in familiares.

In notarios.

Creatio in comites, milites, et nobiles.

Electio civilitatis.

Etiam pro haeredibus.

Digitized by Google

ves, et originarios nominari, nec propterea impetrationes, concessiones, et literae ipsae subreptionis vitio subjaceant, sed validae, et efficaces existant, ac ex nunc deinceps, et in perpetuum omnibus, et quibuscumque prorsus similibus antelationibus antelationum praerogativis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, decretis, et declarationibus, derogationibus, mandatis, suspensionibus, favoribus, gratiis, privilegiis, indultis, ac juribus, quibus alii Nostri familiares tempore dictae assumptionis Nostrae ad summi apostolatus apicem, ac quibus aliis ejusdem Sedis notarii etiam de numero participantium existentes, etiamsi habitum et rocchettum notariorum ipsius Sedis non deferant, palatiique, et aulae praedictae comites, milites, ac nobiles, originarii, et antiquissimi cives ejusdem urbis vel civitatis, quam ut praefertur elegerint, quicumque ex utroque parente, vere nobili, ac cive originario, et antiquissimo procreati de jure, statuto, consuetudine, vel alias ex aliquo speciali privilegio, seu alias etiam per quascumque literas, seu constitutiones apostolicas pro tempore editas utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum ubique locorum in judicio, et extra sine tamen eorumdem notariorum, de numero participantium praejudicio, uti frui, potiri, et gaudere licite valeant realiter et integre in omnibus, et per omnia, etiamsi in urbe, et civitate hujusmodi

Exemptio ab habitatione in civitate.

non habitaverint, perinde ac si de vero nobili genere ex utroque parente originario, et antiquissimo cive procreati forent et hujusmodi praerogativae, privilegia, exemptiones, gratiae, favores, concessiones, indulta, et jura, quae pro aliis nobilibus, et civibus originariis emanarunt, et quae ratione nobilitatis, et civilitatis naturalis, et originariae aliis competunt pro eisdem dapiferis in specie emanassent, seu emanarent, et eis naturaliter de jure, statuto, consuetudine, fundatione, vel alias competerent vigore praesentium indul-

A gabellis, et decimis, aliisque oneribus.

gemus; ac singulos dapiferos praefatos a solutione et exactione decimarum ecclesiasticarum, ubique locorum, et ex quacumque quantumvis urgentissima, et inexcogitabili causa et occasione, etiam ad instantiam imperatoris, regum, rerumpublicarum, et quorumcumque aliorum principum impositarum, et pro tempore imponendarum, non tamen decimarum, subsidiorum, et onerum impositorum in subsidium expeditionis contra turcas, et orthodoxae fidei hostes, liberamus, et eximimus, liberosque, et exemptos fore, et esse decernimus; nec non ipsis dapiferis, eorumque singulis, quoscumque fructus, et pro-

Remissio fructuum male perceptorum.

ventus ecclesiasticos, tam occasione pensionum annuarum ipsis, vel eorum alicui reservatarum, quam ratione omissionis, recitationis horarum canonicarum indebite perceptos, cujuscumque quantitatis fuerint, gratiose remittimus, et condonamus, ac cum eis super inhabilitate per eos propterea quomodolibet contracta, vel etiam ex eo quod censuris ligati, missas, et alia divina officia, non tamen in contemptum clavium celebraverint, aut alias in divinis se immiscuerint, ut illa, et eisdem praemissis non obstantibus ad omnes etiam sacros, et presbyteratus ordines, alias tamen, rite promoveri, et in illis etiam susceptis alias rite per eos ordinibus, etiam in altaris ministerio ministrare, etiam libere,

Legitimatio spuriorum.

et licite valeant, dispensamus, ac eosdem dapiferos, si qui eorum defectum natalium patiantur ex quocumque damnato, et illicito coitu, etiamsi ex nobilissimis parentibus, et vilibus foeminis forsan procreati sint, etiamsi legitimati alias existant, legitimamus, omnemque ab illis geniturae hujusmodi maculam sive notam abstergimus, et abolemus, ac legitimis natalibus restituimus, ac cum eorum singulis, ut in quibuscumque bonis paternis, et maternis, et aliorum consanguineorum, seu cognatorum, vel aliorum quorumcumque non tamen phaeudatalibus, et emphyteuticis, aut ecclesiasticis, vel ab ecclesia acquisitis, ac sine praejudicio venientium ab intestato, vel ex fideicommisso, seu alias de jure valida dispositione succedere, et illa donationis, seu alio quovis titulo consequi, et habere, ac ad aequales portiones cum legitimis succedere eos ad omnia jura legitima, et successiones ex testamento, vel ab intestato haereditates, legata, libertates restituendo, et reintegrando realiter, et cum effectu, necnon ad dignitates, honores, et quaecumque alia officia saecularia publica, vel privata etiam assumi, illaque gerere, et exercere in omnibus, et per omnia ac si de legitimo matrimonio procreati forent, ac eodem defectu non obstante, si aliud canonicum eis non obstet impedimen-

tum, ac clericali charactere, qui illo nondum insigniti sunt, insigniri, et ad omnes etiam sacros, et presbyteratus ordines, si ad illos nondum promoti sunt promoveri, et postmodum charactere, et ordinibus hujusmodi, illorumque privilegiis uti, ac in eisdem ordinibus etiam in altaris ministerio ministrare, ac quaecumque, ac qualiacumque cum cura, et sine cura beneficia ecclesiastica etiamsi personatus, administrationes, et officia, etiam curata, et electiva in cathedralibus, et metropolitanis, vel collegiatis ecclesiis, seu si parochiales ecclesiae, vel earum perpetuae vicariae, ac canonicatus, et praebendae, non tamen in cathedralibus, ac dignitates, non tamen in eisdem cathedralibus post pontificalem majores, nec principales in collegiatis ecclesiis, hujusmodi fuerunt, si sibi alias canonice conferantur, aut ipsi eligantur, praesententur, vel alias assumantur ad illa, et instituantur, in illis recipere, et dummodo plura simul non sint, quamque a concilio Tridentino permittuntur quoad vixerint retinere libere, ac licite valeant similiter dispensamus; quodque omnes et quaecumque gratiae, provisiones, commendae, ac praesentes, et quaevis aliae literae apostolicae, ac etiam in forma Brevis pro illis expediendae, gratis ubique expediantur, tam de capienda possessione nomine camerae apostolicae, quam in favorem literarum apostolicarum, ubi illis super provisionibus quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum dari poterunt, prout Nostris familiaribus, et continuis commensalibus, etiam gratis dantur, ac conceduntur, etiam dari, et concedi debeant praecipimus, et mandamus. Ac dapiferis praefatis, et eorum singulis, ut quicumque loci ordinarii, vel canonici metropolitanarum, aut aliarum insignium ecclesiarum, aut personae quaecumque ecclesiasticae in dignitate ecclesiastica constitutae tam in Romana curia, quam extra eam ad id per eos, et eorum singulos eligendi, seu eligendae quascumque pensiones annuas eis, eorumque singulis super fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, et emolumentis universis certis, et incertis, ac distributionibus quotidianis quarumcumque mensarum episcopalium, archiepiscopalium, et abbatialium, et dignitatum et canonicatuum, et praebendarum, caeterorumque beneficiorum ecclesiasticorum, non tamen per S. R. E. cardinales obtentorum, et in posterum obtinendorum, cum cura, et sine cura saecularium, aut quorumvis ordinum regularium, seu fructus, redditus, et proventus, aliaque emolumenta, et distributiones hujusmodi reservatas, seu reservatos, ac reservandas, seu reservandos, etiamsi alias semel, vel pluries translatae, seu translati fuerint usque ad summam centum ducatorum in toto, vel parte, ac etiam in mortis articulo cassare, et extinguere, ac postquam cassatae, et extinctae fuerint alias similes pensiones annuas, seu fructus, redditus, et proventus, et alia emolumenta, et distributiones hujusmodi usque ad summam praedictam uni, vel pluribus aliis personis ecclesiasticis per eosdem dapiferos, et eorum singulos nominandis quotcumque, quaecumque, et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus, et expectantibus alias tamen pensionum hujusmodi capacibus similiter eis quoad vixerint, vel earum procuratoribus legitimis eisdem modo, et forma, quibus eisdem dapiferis reservatae, seu reservati erant, etiam absque beneficia hujusmodi obtinentium consensu integre persolvendas, seu persolvendos, et per eos percipiendas, exigendas, levandas, ac percipiendos, exigendos, et levandos, reservare, constituere, et assignare valeant. Ipsique translatarii in possessionem dictas pensiones exigendi, in qua ipsi dapiferi tempore translationis per eos vigore praesentium faciendae existebant in omnibus, et per omnia subrogati esse censeantur, etiam concedimus, et indulgemus, etiamsi similem gratiam a praedecessoribus Nostris alias forsan obtinuerint, seu quilibet eorum obtinuerint, illius effectu cumulative eos gaudere, et potiri volumus; decernentes ipsas translationes, et novas reservationes, constitutiones, et assignationes pensionum, seu fructuum, reddituum, et proventuum, aliorumque hujusmodi plenam roboris firmitatem obtinere, ipsosque beneficia, super quorum fructibus, redditibus, et proventibus reservatae fuerint obtinentes ad illas persolvendas efficaciter obligatos fore, ac eisdem dapiferis, ut ratione quarumcumque pensionum eis, et eorum cuilibet, super quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, ut praefertur, vel alias quomodolibet qualificatis, non tamen ultra summam ducentorum ducatorum auri de camera pro quolibet nunc, et pro tempore reservatarum,

Habilitatio ad successiones, honores, ordines, et beneficia.

Expeditio literarum apostolicarum gratis.

Facultas transferendi pensiones usque ad summam centum ducatorum.

Cumulativa similium gratiarum.

Facultas retinendi pensiones ad summam bisccntum ducatorum.

Absque necessitate deferendi habitum, et tonsuram clericalem.

et reservandarum habitum et tonsuram clericales gestare, et in illis dummodo ipsi habitum decentem, et honestum deferant, incedere minime debeant, nec ad id a quoquam cogi, seu compelli, minusque aliquas sententias, aut censuras etiam privationis, seu cessationis ipsarum pensionum incurrere possint, ipsasque pensiones ad praefatam summam ducentorum ducatorum ascendentes; et reservatas, ut praefertur, etiamsi matrimonium contraxerint, cum unica tantum, et virgine recipere, et retinere: postremo quod bona quaecumque ad dictos dapiferos, et eorum quemlibet spectantia, et per eos etiam ratione quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, etiam canonicatuum et praebendarum, ac dignitatum quarumcumque per eos alias obtentorum, et obtinendorum, aut alias quomodolibet, et quovis quaesito colore, vel ingenio, seu eorum industria legitime tamen, et licite acquisita, et acquirenda etiam in urbe, ejusque districtu, et ubicumque existentia spoliis minime subjaceant, sed ipsi dapiferi etiamsi religioni alicujus militiae non tamen sancti Joannis Hierosolymitani, adscripti fuerint de illis in favorem quarumcumque personarum, de jure tamen capacium etiamsi curiales esse desierint, et in quocumque loco, quantumvis remoto eos decedere contigerit testari, et alias disponere, eisque ab intestato decedentibus, eorum haeredes quicumque succedere libere, et licite valeant simili modo concedimus, et indulgemus; praecipientes, et mandantes dilectis filiis nunc, et pro tempore existentibus S. R. E. camerario, thesaurario, praesidentibus clericis camerae Nostrae apostolicae, ac quibuscumque aliis spoliorum hujusmodi collectoribus, ac militiarum praefatarum officialibus, aut procuratoribus, ne in hujusmodi bonis manus apponant, neque haeredes dictorum dapiferorum desuper molestare audeant, seu praesumant, ac etiam decernentes donationes etiam per viam testamenti, et codicillorum per ipsos dapiferos de eorum bonis hujusmodi, servatis de jure servandis, faciendas, semper et perpetuo validas, et efficaces fore, nec eosdem dapiferos, eorumque aliquem ad literas super praesentibus conficiendas in dicta camera insinuandum, aut admitti, et registrari faciendum, teneri, nec illas, etiam si infra tempus legitimum insinuatae, admissae, seu registratae non fuerint propterea minus validas censeri, sed suos plenarios effectus sortiri debere, easdemque praesentes, et in eis contenta quaecumque sub quibusvis limitationibus, revocationibus, suspensionibus, modificationibus, decretis, constitutionibus apostolicis similium gratiarum revocatoriis, vel quae eas limitarent, aut moderarent, quae a Nobis, et dicta Sede pro tempore, et de quibusvis causis, etiam urgentissimis etiam in divini cultus augumentum, etiam concistorialiter, vel alias quavis auctoritate hactenus, vel imposterum emanaverint minime comprehendi, sed quoties illae emanabunt toties in pristinum statum repositas, et reintegratas esse, et censeri, sicque per quoscumque judices, etiam commissarios quavis auctoritate fungentes in quavis causa, et instantia sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate ubique judicari, et definiri debere, irritum quoque, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, et insuper dilectis filiis rescribendario, et computatori collegii scriptorum literarum apostolicarum; aliisque, ad quos earumdem literarum expeditio spectat, in virtute sanctae obedientiae, et sub poena indignationis Nostrae motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus mandamus, ut easdem praesentes, et forsan alias literas super praemissis omnibus, tam conjunctim, quam divisim, ac pro singulis quibuscumque derogationibus, decretis, et clausulis in eis contentis, gratis de mandato Nostro, ubique in omnibus officiis, etiam abbreviatorum, sollicitatorum, secretariorum, seu illorum suppressorum loco ministrorum camerae apostolicae plumbi, et regestri absque alia pecuniarum exactione, etiam per viam compositionis facienda omni contradictione, et dilatione cessantibus signent, expediant, et expediri faciant, non obstantibus eisdem praemissis, ac de certo notariorum numero, etiamsi ad illum non sit deventum, quibus alias per praesentes non intendimus derogare, ac regula Nostra de praestando consensu in pensionibus, ac fel. recordationis Pii pp. IV. praedecessoris Nostri de similibus, vel dissimilibus gratiis in camera apostolica, infra tres menses praesentandis, ac registrandis, ac recolendae memoriae s. Pii pp. V. etiam praedecessoris Nostri contra illegitimos, ac Picta-

Exemptio a spoliis cum facultatibus testandi, exceptis equitibus s. Joannis Hierosolymitani.

Exemptio ab insinuatione in camera.

Clausula sublata, et decretum irritans.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

viensis concilii, et aliis apostolicis, ac etiam in universalibus, provincialibusque conciliis editis, specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus monasteriorum, ecclesiarum, ordinum, ac etiam urbis Romae, et aliarum civitatum, et terrarum, aut camerae praefatae, ac quarumvis universitatum, etiam juramento, confirmatione, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stabilimentis, usibus, et naturis, decretis, ac etiam novis reformationibus, ac etiam legibus tam pontificiis, quam imperialibus, regiis, et ducalibus etiam sacris canonibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, ac personis, et locis quibuscumque in genere, vel in specie sub quibuscumque tenoribus, et formis ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis irritantibus, et aliis decretis etiam vim contractus, et statuti perpetui continentibus, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, ac etiam concistorialiter, ac alias forsan in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis, inter alia disponentibus, quod beneficia urbis, nonnisi personis certis modo, et forma qualificatis, et oriundis exceptis locis, ac trium ordinum militiarum expresse professis conferri, et commendari debeant; quibus omnibus etiamsi alias pro eorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret eorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse harum serie, motu pari derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque cum clausulis opportunis.

Derogationes.

Concessum de speciali mandato ss.

F. M. sub-datarius.

Et cum absolutione a censuris ad effectum ec. Et in casibus regulae de insordescentibus cum opportuna illius, nec non alterius regulae de non tollendo jure quaesito, aliisque necessariis, et opportunis derogationibus, quatenus opus sit, et quod indultorum, concessionum, gratiarum, derogationum, aliorumque praemissorum omnium, et singulorum major, et verior specificatio, et expressio fieri posset in literis, in quibus singulorum dapiferorum nomina, et cognomina, ordines, qualitates, gradus, dioeceses, patriae, et alia requisita exprimi, et describi, seu pro expressis, et descriptis haberi possint juxta notulam per ipsos, seu eorum deputatos confectam, simul, vel ad partem etiam in una non facta mentione de alia, vel aliis prout videbitur expedire et expediendi ec. Volumus autem, quod literarum super praesentibus conficiendarum transumptis etiam impressis, et sigillo, et manu alicujus personae, in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, et subscriptis eadem fides tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quae originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Volumus praeterea, quod sola praesentis motus proprii Nostri signatura sufficiat, et ubique fidem faciat in judicio, et extra illud regula quacumque contraria non obstante. Concessum F. M. subdatarius. Datum Venetiis ex monasterio s. Georgij Majoris sexto idus maji anno primo.

NOMINA

Eminentissimorum dd. cardinalium et dd. dapiferorum sunt haec quae sequuntur.

Gregorius Barnaba Chiaramonti monachus Cassinensis, nunc Pius pp. VII. Caesenatensis.

Franciscus Cappelletti canonicus cathedralis ecclesiae Reatinae.

EPISCOPI IV.

Joannes Franciscus episcopus Ostiensis, et Veliternensis S. R. E. cardinalis Albani sacri collegii decanus.

Annibal Smidt beneficiatus basilicae principis apostolorum.

Henricus Benedictus Maria Clemens episcopus Tusculanus S. R. E. cardinalis dux Eboracensis, ejusdem S. R. E. vice cancellarius.

Alexander Bernetti canonicus coadjutor metropolitanae ecclesiae Firmanae.

Leonardus episcopus Praenestinensis S. R. E. cardinalis Antonelli.

Marius ex baronibus Ancajani.

Aloysius episcopus Albanensis S. R. E. cardinalis Valenti Gonzaga.

Dominicus Giorgi Maricanae dioecesis.

PRESBITERI XXIII.

Franciscus tituli sancti Laurentii in Lucina Carafa.

Abbas d. Hesmivii de Auribeau, archidiaconus, et vicarius generalis Dignen.

Franciscus Xaverius tituli sanctae Praxedis, et ecclesiae sancti Martini ad Montes abbas commendatarius De Zelada.

Abbas Dominicus Piatti beneficiatus Paduanus.

Guidus tituli sanctae Mariae Transpontinae Calcagnini episcopus Auximan. et Cingulan.

Carolus presbyter Castellani della Motta.

Bernardinus tituli sanctorum Marcellini, et Petri Honorati episcopus Senogalliensis.

Bernardinus Falleri presbyter Venetus.

Andreas tituli sanctae Pudentianae Joannetti archiepiscopus Bononiensis.

Joachimus Reali eques Romanus.

Hyacinthus tituli sanctae Ceciliae Gerdil.

Marcus Antonius Sanfermo Carioni Pezzi Venetus.

Carolus Josephus tituli sancti Calixti de Martiniana episcopus Vercellensis.

Seraphinus Viviani presbyter Romanus.

Alexander tituli sanctae Mariae in Ara Coeli Matthaei archiepiscopus Ferrariensis.

Petrus Colozzi presbyter, et canonicus ecclesiae civitatis Castellanae.

Franciscus tituli sanctae Crucis in Hierusalem Herzan de Harras.

Carolus ex principibus Odescalchi.

Joannes Andreas tituli s. Eusebii Archetti.

Antonius Monti presbyter Asculanus.

Joseph tituli s. Petri in Vinculis Doria Pamphilj.

Philippus Alexander Evangelisti canonicus, et presbyter Romanus.

Carolus tituli sanctae Mariae de Pace Bellisomi.

Petrus comes Liberati della Torre.

Carolus tituli sancti Silvestri in Capite Livizzani.

Hieronymus comes Montani Firmanus.

Franciscus Antonius tituli sanctorum XII. Apostolorum de Lorenzana.

Emmanuel Cedillo presbyter Hispalensis.

Ignatius tituli sanctae Mariae Angelorum Busca.

Franciscus Baldi presbyter Bononiensis.

Stephanus tituli sancti Clementis Borgia.

Caesar Borgia eques Hierosolymitanus.

Antonius tituli sancti Joannis ante portam Latinam Dugnani.

Franciscus Fracassi, presbyter Venetus.

Hippolythus tituli sanctorum Nerei, et Achillei Vincenti Mareri.

Vincentius eques Brenciaglia.

Joannes Suffredus tituli sanctissimae Trinitatis in monte Pincio Maury.

Abbas Aloysius Maury de Vaulreas.

Joannes Baptista tituli sancti Laurentii in Panisperna Bussi de Pretis.

Cognominatus de Monce canonicus, et vicarius generalis Tholonensis.

Franciscus Maria tituli sanctae Mariae de Populo Pignattelli.

Aloysius Comes Piretti Ferrariensis.

Aurelius tituli sanctorum Joannis, et Pauli Roverella.

Ludovicus comes Gazzoli Interamnensis.

Julius Maria tituli sanctae Sabinae de Somalia.

Ignatius canonicus, et comes Nasalli.

DIACONI VI.

Antonius Maria s. Mariae ad Martyres Doria Pamphilj.

Antonius Canonicus Fantoni.

Romualdus sancti Nicolai in carcere Tulliano Braschi Honesti.

Stephanus Martinus de Morell de Mons vicarius Tholonensis.

Philippus sancti Eustachii Carandini.

Philippus Jappelli, canonicus Venetus.

Ludovicus sanctae Agathae in Suburra Flanghini.

Vincentius comes Anzidei Perusinus.

Fabritius sancti Angeli in Foro Piscium Ruffo.

Joannes Paulus Vergani.

Joannes sancti Georgii in Velabro Rinuccini.

Philippus Quojani presbyter Romanus.

Dat. die 12. maji 1800. Anno I.

IV.

Concessio erogandi fructus ecclesiae parochialis terrae Altidonae Firmanae dioecesis pro recuperatione argenteae suppellectilis ecclesiae metropolitanae Firmanae, et restaurationе domus missionum ejusdem civitatis.

Venerabili fratri archiepiscopo Firmano.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum et ratio concessionis.

§. 1. Exponi Nobis nuper humiliter fecisti tu, quod grassante bello universa inter civitates, et loca huic infortunio obnoxia dioecesis Firmana exempta haud remansit; ipse enim civitatis mons Pietatis pro pauperibus sublevandis provide institutus, direptus, atque expilatus extitit, ac metropolitana ecclesia argenteis vasis aliisque suppellectilibus spoliata, ac domus regularis congregationis missionis Firmana ad ruinam ferme reducta, et ad excipiendos inibi clericos ad sacros ordines promovendos, et ad cantum, ecclesiasticas caeremonias, aliaque spiritualia exercitia pro cleri utilitate necessaria omnino rite informandos impar omnino respective remanserunt. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, tu opus restaurationis praedictae domus regularis, pro qua non vulgares requiruntur expensae, aggredi, et perficere, simulque nonnulla sacra argentea suppellectilia ad metropolitanam ecclesiam praeferre spectantia, penes certas pias personas, quae illa ab iniquissimorum hominum voracitate mediante solutione realis earum pretii subtraxerunt modo remanent, promeritam eis hujusmodi pretii reintegrationem praebendo recuperare, ac demum monti Pietatis hujusmodi de aliquo subventionis auxilio, quo pauperes in hujusmodi temporum circumstantiis a foeneratorum angustiis opportunam communium calamitatum captantium occasionem redimantur providere intendas. Cumque parochialis ecclesia praepositura nuncupata oppidi seu loci d' Altidona Firmanae dioecesis non mediocribus dotata redditibus, ac centum, et quadraginta circiter parochianos enumerans, quod Nos habere volumus pro expresso; vacans modo ad praesens reperiatur, plurimum proinde cupis tu dictae parochialis ecclesiae, sicut praefertur, vacantis fructus in superius, sicut praefertur, expositos usus impendere, atque erogare, si ei ad id Nostrae, et Sedis apostolicae infrascripti indulti gratia suffragetur, ideo Nobis humiliter supplicari fecisti, quatenus tibi in praemissis opportune consulere de benignitate apostolica dignaremur.

Negocium explendum remittitur arbitrio, et conscientiae archiepiscopi Firmani salvis oneribus parochialibus ab illius ecclesiae administratore implendis.

§. 2. Nos igitur te specialis gratiae favore prosequi volentes, nec non a quibusvis suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, tibi, ut praefatae parochialis ecclesiae, sicut praefertur, vacantis occasione, provisione, et quavis alia dispositione per decennium proximum tantum suspensis remanentibus, et interim deputato per te eidem parochiali ecclesiae oeconomo, qui cum congrua mercedis assignatione ex fructibus, redditibus dictae parochialis ecclesiae a te arbitrio tui praeficiendo curam animarum dilectorum filiorum illius parochianorum in ea exerceat, et onera parochialia adimpleat, residuales illius fructus, redditus, et proventus, et non alias fideliter impendere et erogare valeas, apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus, irritumque decernimus et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Venetiis ex monasterio s. Georgii Majoris sub annulo piscatoris die decima secunda maji millesimo octingentesimo, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 12. maji 1800. Anno I.

V.

Enciclicae literae missae occasione electionis suae.

Venerabilibus fratribus.

Patriarchis, primatibus, archiepiscopis, et episcopis universis gratiam, et communionem Sedis apostolicae habentibus.

Digitized by

Pius PP. VII.

Venerabiles fratres
salutem, et apostolicam benedictionem.

Diu satis videmur apud vos tacuisse: nunc exactis duobus jam mensibus, iisque non cura, nec labore vacuis, ex quo hoc tantum oneris Nostrae imbecillitati Deus imposuit, cunctae ut Ecclesiae suae Nos praeficeret, obtemperandum Nobis est non tam consuetudini, quae vel ab ultimis temporibus invaluit, quam amori erga vos Nostro, quem necessitudine collegii dudum susceptum, nunc vero mirum in modum auctum, pleneque cumulatum sentimus, vos ut per has literas saltem adloquamur; quo nihil sit Nobis dulcius, nihil jucundius. Ad quod Nos etiam vehementer hortatur, et impellit officii illius, quod proprium Nobis, et praecipuum est, ratio illis consignata, et declarata verbis » confirma » fratres tuos ». Neque enim hoc miserrimo, ac turbulentissimo tempore minus quam umquam antea Satan » expetivit nos omnes, ut » cribaret sicut triticum. » Quamquam quis est tam hebes, tam averso a Nobis animo, qui intelligat, perindeque perspiciat, atque illa, quae oculis cernuntur, in his quoque difficultatibus, et asperitatibus rerum praestitisse Christum, quod esset professus, ut » oraret pro Petro, ne fides ejus deficeret (1)? » Obstupescent posteri certe sapientiam, magnitudinem animi, et constantiam Pii VI., cujus potestati Nos successimus; utinam vero etiam virtuti, quae nullo tempestatum impetu neque calamitatum concursu convelli, aut labefactari potuit. Nae is Martini illius, a quo Nostrae olim Sedi tanta accessit laus, primum in adfirmanda, ac defendenda veritate fidem, in perferendis deinde laboribus, et aerumnis parem fortitudinem Nobis retulit, civitate, et Sede sua crudelissime pulsus, imperio, honore, fortunis omnibus spoliatus, statim ut locum quietis et tranquillitatis aliquem videbatur nactus, demigrare alio compulsus, adfecta quamvis aetate, et valetudine esset, ut nec pedibus ingredi posset, in longinquam adeo terram abstractus, quum acerbioris praeterea exilii terror identidem ei proponeretur, quum, nisi alicujus fuisset ei pietas, et liberalitas opitulata, non habuisset quo se, et paucos, qui se assectarentur, aleret, quum ejus infirmitas, et solitudo quotidie tentaretur, nunquam tamen a se ipse discessit, non ulla fuit deceptus fraude, nullo perturbatus metu, nulla spe delinitus, nullis incommodis, nec periculis fractus; nullam ab eo ne literam quidem, aut vocem exprimere inimici potuerunt, quae non documento esset omnibus, Petrum » ad hoc usque tempus, et semper » in suis successoribus vivere, et judicium » exercere, quod nemini dubium, atque om» nibus adeo aetatibus apprime cognitum es» se (2), » auctor valde bonus in concilio Ephesino pronunciavit. Quanti vero faciendum illud est, et quo grati sensu animi memoria repetendum, quod eo fuit sane tempore Pio VI. mors a Deo donata (sic enim est dicendum potius quam vita erepta) quum nihil jam impedimento esset, quominus de successore illius declarando rite deliberaretur? Recordamini venerabiles fratres, quo eramus metu solliciti, et suspensi, quum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, et ipsi suis sedibus ejecti, complures in custodiam traditi, aliquot ad necem expetiti, permulti mare trajicere summa hyeme coacti, rebus nudati suis, egentesque omnes, magno plerique intervallo a se disjuncti, quum viis ab hoste obsessis, nec literae illos inter commeare, nec ipsi quo vellent, oportuissetque, adire permitterentur nunquam profecto videbantur convenire posse, ut Ecclesiae orbitati succurrerent more institutoque majorum, si quis casus Pium VI. perculisset, quem quotidie de vita dimicare audiebamus. Quis tum adflictis, ac perditis prope rebus humano solum consilio, atque ope nixus id sperare, quod singulari Dei benignitate evenit, fuisset ausus, non ante e vita Pium VI. excessurum, quam constituta ab ipso pontificiorum post se habendorum comitiorum ratione, cuncta fere pacata Italia, comparatis omnibus, cardinales frequentissimi Venetiis praesto essent futuri ad suffragium ferendum in carissimi in Christo filii Nostri Francisci Hungariae regis apostolici, et Bohemiae regis illustris, ac Romanorum imperatoris electi praesidio, ac tutela? Agnoscant vel ex his homines, frustra quemquam conari » Domum Dei » evertere, quae est ecclesia super Pe-

(1) Luc. 22.

(2) Actio 1. n. 11.

trum, veritate, non solum nomine petram, aedificatam, contra quam » portae inferi non praevalebunt (1), » fundata enim est super petram (2). » Nemo umquam religionis christianae hostis fuit, quin bellum eodem tempore nefarium cum Petri cathedra gesserit, qua stante, illa cadere, et labare nequeat: cujus pontificum » ordinatione, et successione, » uti denunciat aperte omnibus s. Irenaeus (3), » ea, quae est ab apostolis in Ecclesia tradi» tio, et veritatis praeconatio pervenit usque » ad nos, et est plenissima haec ostensio, » unam, et eamdem vivificatricem fidem es» se, quae in ecclesia ab apostolis, usque » nunc sit conservata, et tradita in veritate. » Hac prorsus via grassati etiam sunt, qui Nostra aetate nescio quam pestem, ac labem falsae philosophiae supponere contenderunt ei philosophiae (sic enim christianam doctrinam rectissime appellant Graeci praesertim patres) quam Dei filius aeterna ipsa sapientia e caelo detulit, atque hominibus impertivit. Atqui » scriptum est; » pulchre omnino in eos Pauli ista jactantur (4): » Perdam sapientiam, sa» pientium, et prudentiam prudentium repro» babo. Ubi sapiens, ubi scriba, ubi inquisi» tor hujus saeculi? Nonne stultam fecit Deus » sapientiam hujus mundi? » Quae sane eo libentius commemoramus, venerabiles fratres, quod inde animus mirum in modum recreetur, et erigatur, et inflammetur ad nullum defugiendum laborem, nullam dimicationem pro Christi Ecclesia, quam is Nobis, non solum non optantibus, sed ne cogitantibus quidem, quin multum reformidantibus, regendam, tuendam, ornandam, amplificandam tradidit, et commendavit: qui certe, » idoneos nos faciet ministros novi testamen» ti, uti sublimitas sit virtutis Dei, et non ex » nobis. » Quamobrem vestram nunc excito » in commotione sinceram mentem », venerabiles fratres, quos haec nimirum cura et sollicitudo pro sua quemque parte tangit, ut conspiretis Nobiscum, ut vestrum in id studium, diligentiam, operam conferatis. Quod Christus precatus a patre suo est nunquam ex animo effluat: » Pater sancte serva eos in no» mine tuo, ut sint unum sicut et nos . . . . » non pro eis (apostolis scilicet) rogo tantum » sed et pro eis, qui credituri sunt per ver» bum eorum in me, ut omnes unum sint, si» cut tu pater in me, et ego in te, ut et ipsi » in Nobis unum sint (5). Nostrum est maxi» me officium ejusmodi unitatem firmiter te» nere, et vindicare », ut Cyprianus admonet, (de unitate Ecclesiae) quam intuens, ac demirans » credat mundus, quia tu me misi» sti »; quod pergit orare Christus. Quamobrem Christi ipsius, qui Nobis adest, nec a Nostro umquam latere discedit, Nosque confirmat illis verbis » non turbetur cor vestrum, ne» que formidet; creditis in Deum, et in me » credite (6) », ejus auxilio inquam freti, communi studio, et alacritate ad communem salutem incumbamus. Urbes, oppida, agri, civitates, provinciae, regna, nationes per tot annos jam divexatae, adflictae, miserae, ac perditae solatium aliquod, et remedium efflagitant: quod non aliunde quidem est, quam a Christi doctrina quaerendum, sperandumque. Nae qui ab illa alieno adhuc sunt animo, eos possumus confidentia majore nunc Augustini vocibus lacessere (7): » dent exercitum talem, » quales doctrina Christi esse milites jussit, » dent tales provinciales, tales meritos, ta» les conjuges, tales parentes, tales filios, » tales dominos, tales servos, tales reges, » tales judices, denique debitorum ipsius fi» sci redditores, et exactores, quales esse » praecipit doctrina Christiana », quod cum efficere nequeant, » non dubitent eam confi» teri magnam, si obtemperetur, salutem es» se reipublicae ». Nostri ergo muneris et officii est, venerabiles fratres, hominibus, gentibus laborantibus succurrere, mala, quorum cogitatio lacrymas commovet, quaeque premunt, quaeque impendent, ab omnium cervicibus depellere: nam » dedit Christus » pastores, et doctores ad consummationem » sanctorum, in opus ministerii, in aedifica» tionem corporis Christi: donec occurramus » omnes in unitatem fidei, et agnitionis filii » Dei (8) ». A qua opera navanda si quid forte quemquam Nostrum deterreat, aut im-

(1) Matth. 16.
(2) Matth. 7.
(3) Adv. haeres. l. 3. cap. 3.
(4) Corinthior. l. 1. v. 19. 20.
(5) Joan. 17.
(6) Joann. 14.
(7) Lib. 83. Quaest.
(8) Ephes. 4. v. 12.

pediat, aut retardet, quo se flagitio ille, ac scelere adstringet! Vos itaque, venerabiles fratres, oramus primum omnium, et obsecramus, hortamur et monemus, atque adeo vobis mandamus, ut nihil vigilantiae, nihil diligentiae, nihil curae, nihil plane laboris praetermittatis, quo » depositum custodiatis » doctrinae Christi, ad quod perdendum nostis, quanta conjuratio, et a quibus facta sit. Ne quem ante in clerum adsciscatis, ne cui omnino » dispensationem » credatis » mysteriorum Dei », ne quem confessiones audire, aut conciones habere patiamini, ne cui curationem, aut munus quodcumque deferatis, quam sedulo expendatis, et excutiatis, lenteque » probetis spiritus, utrum ex Deo sint ». Quandoquidem utinam non usu didicerimus, quam haec aetas magnam » pseudo-apostolorum » copiam effuderit, » qui sunt operarii subdoli » transfigurantes se in apostolos Christi, » a quibus, nisi prospiciamus, nae, » sicut » serpens Hevam seduxit astutia sua, ita » corrumpentur sensus fidelium, et excident » a simplicitate, quae est in Christo (1) ». Atque » universo quidem gregi, in quo vos » Spiritus Sanctus posuit episcopos attendere » vos oportet, sed omnium maxime paterni amoris benevolentiaeque vestrae vigilantiam, studium, industriam, operam pueri sibi, et adolescentes deposcunt: quos cum exemplo suo Nobis, tum oratione Christus tam vehementer commendavit (2), quorum in teneris animis inficiendis et corrumpendis omnes contenderunt nervos, qui res privatas, et publicas evertere divina, et humana jura omnia permiscere sunt moliti, spem in eo maximam nefaria cogitata perficiendi collocantes. Neque hos enim fugit, mollis cerae instar illos esse, qui tractari facile, et in quamlibet partem flecti, et fingi possint: quam vero formam semel susceperint, eam, quum aetate progressi obduruerint, pertinacissime retinent, aliamque respuunt; ex quo tritum illud omnium sermone e divinis literis proverbium: » Adolescens juxta viam suam, etiam » cum senuerit, non recedet ab ea (3) ». Nolite ergo committere venerabiles fratres » ut filii hujus seculi prudentiores, quam filii lucis in generatione sua sint ». Quibus viris regendi in seminariis, et collegiis tradantur pueri, et adolescentes, quibus disciplinis imbuantur, qui deligantur in lycaeis magistri, quae scholae habeantur; etiam atque etiam considerate, pervestigate sedulo, odoramini, lustrate omnia: excludite, arcete » rapaces lupos, non parcentes » innocentium agnorum gregi, ac, si quo forte irrepserint, eos inde extrudite, exterminate protinus » secundum potestatem, quam dedit vobis Dominus in aedificationem (4) ». Quae sane potestas vel in ea, quae capitalior sit, excindenda peste, librorum scilicet, ut a Nobis tota expromatur, postulat ipsa etiam Ecclesiae salus, reipublicae, principum, mortalium omnium, quam vita Nostra multo cariorem, et potiorem habere debemus. Quo de argumento copiose apud vos, et accurate egit fel. rec. praedecessor Noster Clemens XIII. in suis apostolicis literis in forma Brevis ad vos die 25. nov. ann. 1766. datis. Neque illos modo libros extorquendos de hominum manibus, delendos penitus, et comburendos dicimus, quibus aperte doctrina Christi oppugnatur; sed etiam, ac multo magis omnium sunt mentes, atque oculi ab iis prohibendi, qui occultius illud, atque ex insidiis faciunt. Ad quos internoscendos » tra- » ctatu longo, ut Cyprianus inquit (de unit. » Eccles.) » et argumentis opus non est: pro- » batio est ad fidem facilis compendio veri- » tatis: loquitur Dominus ad Petrum . . . pa- » sce oves meas ». Id pabuli ergo genus oves Christi salutare sibi ducere, id amplecti, eo se alere debent, quo Petri illas vox, et auctoritas immiserit: unde vero haec avocet, ac deterreat, id noxium plane, ac pestiferum existimare, ab eo vehementissime abhorrere, nec ulla capi specie, pervertique illecebra. Qui non ita se morigeros praebeant, in ovibus Christi certe numerandi non sunt. Qua in causa, venerabiles fratres, non possumus connivere, nec tacere, nec remissius agere: nisi enim haec tanta cogitandi, loquendi, scribendi, legendique licentia coerceatur et reprimatur, hoc malo, quo tandiu afflictamur, relevati tantisper videbimur sapientissimorum, et fortissimorum regum, et ducum consilio, et copiis: ast, ejus stirpe, et semi-

(1) 2. Cor. 11.
(2) Matth. 19, Marc. 10., Luc. 18.
(3) Prov. 22.
(4) 2. Cor. 13.

ne non sublato, et extincto, (perhorresco equidem dicere, verum est dicendum) serpet illud latius, et roborabitur, orbemque terrarum totum complectetur, nec ei posthac delendo, aut propulsando militum legiones, excubiae, vigiliae, munitiones urbium, propugnacula imperiorum sufficient. Quem Nostrum, venerabiles fratres, non moveat et excitet quod Ezechielem vatem Deus Nobis edicit (1). « Fili hominis, speculatorem dedi » te domui Israel: et audies de ore meo ver» bum, et annuntiabis eis ex me. Si dicen» te me ad impium: morte morieris, non an» nuntiaveris ei .... ipse impius in iniqui» tate sua morietur: sanguinem autem ejus » de manu tua requiram ». Haec me sententia, fateor, dies, noctesque exstimulat, ac pungit, nec patietur, umquam in meo fungendo munere inertem esse, ac timidum; vobisque me non modo adjutorem, et fautorem semper, sed principem, ac ducem fore polliceor ac spondeo. Atqui est aliud praeterea » depositum custodiendum » Nobis, venerabiles fratres, magnaque animi firmitudine et constantia tuendum, sanctissimarum scilicet Ecclesiae legum, quibus disciplinam suam ipsa, penes quam nimirum unam ejusmodi sit potestas, constituit, quibus profecto pietas, virtusque floret, quibus Christi sponsa » terribilis est, ut castrorum acies ordinata » quarum pleraeque etiam, velut quaedam fundamenta sunt ferendis fidei jacta ponderibus, ut s. Zosimi praedecessoris Nostri verbis utamur (2). Nihil est, quod civitatum principibus, ac regibus majori fructui, gloriaeque esse possit, quam, si, ut sapientissimus fortissimusque alter praedecessor Noster s. Felix Zenoni imperatori perscribebat, » Ecclesiam catholicam .... sinant uti legi» bus suis, nec libertati ejus quemquam per» mittant obsistere.... Certum est enim, hoc » rebus suis esse salutare, ut cum de cau» sis Dei agatur, juxta ipsius constitutum, » regiam voluntatem sacerdotibus Christi stu» deant subdere, non praeferre ». De bonorum vero Ecclesiae » deposito, quae quidem » vota sunt opes, sacra pecunia, sanctorum » substantia, res Dei » quemadmodum, patres, concilia, divinaeque literae significant ac declarant, ecquidnam vobis, venerabiles fratres praecipiemus, ecclesia nunc iis spoliata misere, ac nudata? Id nempe unum, ut detis operam, ut contendatis, quo omnes intelligant, ac in animum inducant, quod Aquisgranense olim concilium brevi hac, et perspicua, accurataque sententia conclusit: » Quisquis quae alii fideles de haereditate » possessionum suarum, ob remedium ani» marum suarum, Deo ad honorem, et de» corem Ecclesiae suae, ejusque ministrorum » usus, contulerunt, aut abstulerit, aut au» ferre praesumpserit, procul dubio alio» rum data in animae suae convertit pericu» lum (3). » Non certe tenacitatis studio » (nae omni ratione cunctis hoc possumus non minus quam s. Agapitus praedecessor Noster confirmare) » aut saecularis utilitatis causa, sed » divini consideratione judicii (4) ad ea re» petenda movemur, quorum jubemur » dispensatores esse fideles, et prudentes. Quamquam nullum plane precibus, nec adhortationibus, nec monitis, nec actionibus Nostris relinquent locum christiani reges, civitatumque principes, qui se Ecclesiae » nutricios (5) per Isaiam fuisse dictos, optime tenent, atque esse gloriantur; quorum profecto fides, pietas, aequitas, sapientia, religio tantam spem Nobis adfert, tantamque expectationem excitat, ut pro certo habeamus, curaturos illos reddi protinus » quae sunt Dei Deo; neque commissuros suas personare aures his Dei ipsius vocibus, et querelis: » argentum meum, et aurum » tulistis, et desiderabilia mea et pulcherri» ma (6): » nec dissimiles Constantini, et Caroli Magnorum futuros, quorum praecipue fuit in Ecclesiam nobilitata liberalitas, et justitia: quorum etiam alter se professus est » nosse multa regna, et reges eorum propte» rea cecidisse, quia Ecclesiam exspoliave» runt; » cujus rei caussa suis liberis, et iis, qui postea rempublicam gerent, edicit et inculcat: » quantum valemus, et possumus, » per Deum, et omnia sanctorum merita, » prohibemus, contestamurque, ne talia fa» ciant, nec facere volentibus consentiant, » sed adjutores » et defensores ecclesiarum,

(1) 3. v. 17. 18.
(2) Epist. 7.
(3) Cap. 37. tom. IV. Conc. Harduin. col. 1423.
(4) Ep. 4. ad Caesar. ep. Arelat.
(5) 49. 23.
(6) Joel. 3.

Digitized by Google

» et cultorum Dei pro viribus existant (1). » Neque illud in harum literarum extremo celari vos oportet, venerabiles fratres; » quoniam tristitia mihi magna est, et continuus » dolor cordi meo, » pro filiis meis, qui sunt Galliae populi, caeterique, apud quos idem furor nondum deferbuit. Quid mihi optatius contingeret, quam vitam pro illis profundere, si eorum salus meo posset interitu repraesentari? Non inficiamur, quin prae Nobis ferimus, permultum ad Nostri luctus acerbitatem minuendam ac leniendam valere invictum animi robur, et constantiam, quam complures ex vobis praestitistis, quae menti obversatur quotidie Nostrae, quamque omnis generis quidem homines, aetatis, ordinis mirifice sunt secuti: qui sane quidvis injuriarum, periculorum, jacturarum, suppliciorum perpeti, mortemque ipsam oppetere maluerunt, praeclarumque id sibi existimarunt, quam illiciti, ac nefarii sacramenti labe pollui, ac scelere alligari, atque Sedis apostolicae decretis, ac sententiis non parere. Nae haud minus est virtus, Nostra memoria, quam crudelitas renovata priscorum temporum. Neque ulla vero uspiam gens est, quam non mea cogitatio, paternusque amor, et cura complectatur, cujus a Nobis, et a veritate dissidio non valde moeream et discrucier, cuique opitulari non gestiam. Nobiscum ergo societatem etiam coite precum, ut post diuturnam hanc jactationem » Ecclesia habeat pacem, ut aedificetur » ambulans in timore Domini, et consolatio» ne Sancti Spiritus, nullaque res jam impe» diat, quin unum ex omnibus nationibus » ovile fiat, et unus pastor. Vobis interea tam bene animatis, ac paratis, et, cui praesidetis, gregi apostolicam benedictionem propensissima voluntate impertimur. Datum Venetiis ex monasterio s. Georgii Majoris die decima quinta maji millesimo octingentesimo, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 18. maji 1800. Anno I.

VI.

Homilia habita in consecratione Francisci S. R. E. cardinalis Herzan de Harras episcopi Sebariensis in Hungharia Venetiis in templo s. Georgii Majoris.

Episcopalis consecrationis sacramento solemni ritu a Nobis hodie tibi, dilecte fili Noster, collato, occurrunt peropportune divina illa verba, quibus Christus Dominus optimi cujusque animarum pastoris imaginem ad vivum expressit. » Ego sum pastor bonus: bo» nus pastor animam suam dat pro ovibus » suis (2). Nimirum his verbis omnia episcoporum munia est luculenter complexus. Nam et formam bonitatis suae, quam Nos episcopi imitemur, proposuit, et contemnendae mortis pro gregibus nostris viam aperuit, quam per vestigia ejus generoso animo, quotiescumque oportuerit, ingrediamur. Neque enim pastorem, sed mercenarium vocat illum, qui oves Domini non propter Dominum pascit, sed propter utilitates suas. » Mercenarius quippe est (ut scite animadvertit s. Gregorius Magnus) qui » locum quidem pastoris tenet, sed lucra » animarum non quaerit, terrenis commodis » inhiat, honore praelationis gaudet, tempo» ralibus lucris pascitur, impensa sibi ab ho» minibus reverentia laetatur (3). Bonus pastor ex Christi Domini sententia » Ostium est » ovium, cognoscit oves suas, et cognoscitur » ab ovibus, ponit animam suam pro ovi» bus (4).

Hunc te bonum pastorem, dilecte fili Noster, hodierna consecratio virtute Spiritus Sancti informavit, unctio roboravit, septiformis gratia firmavit. » Haec te induit armatu» ram Dei, ut possis stare adversus insidias » diaboli: quoniam non est Nobis colluctatio » adversus carnem, et sanguinem, sed ad» versus principes, et potestates, adversus » mundi rectores tenebrarum harum (5). Propterea accepisti in spiritu per manus Nostras armaturam Dei, » ut possis resistere in die » malo et in omnibus perfectus stare succin» ctus lumbos tuos in veritate, et indutus lo» ricam justitiae, et calceatus pedes in prae» paratione evangelii pacis, in omnibus te» nens scutum fidei, in quo possis omnia tela » nequissimi ignea extinguere (6).

(1) Ap. Balut. capit. l. 1. cap. 3.
(2) Joan. cap. x. v. xi.
(3) Homil. xiv. in evang.
(4) Joan. loc. cit.
(5) Ad Ephes. c. vi. ver. xi. xii.
(6) Ibid. loc. cit. a ver. xiii. usq. ad xvii.

Etsi autem Nobis, caeterisque episcopis nunquam liceat esse otiosis, sed omni tempore vigilare debeamus custodientes sollicite caulas Domini, ne quos spiritualium bestiarum per offusas ab inimico homine tenebras patiantur incursus, id tamen hodie multo majori studio ac contentione praestandum est, cum impia quaedam falsi nominis philosophia incredibili sane vecordia, et venenatis scriptis, et exitialibus armis tota in id unum incumbat, ut Ecclesiam Dei, et sanctam Sedem Nostram radicitus, si fieri possit, evellat, ut, ea evulsa, regum, et principum imperia prorsus evertat. Bestia immanis, tetra, truculenta! quam Joannes vidit, et cui, ut idem evangelista scribit, » datum est os loquens magna, » et blasphemias, et bellum facere cum san» ctis, et vincere eos (1).

Haec philosophia eos homines protulit, eduxit, et aluit, quos Europa fere omnis proprio experimento jam novit, » se ipsos » (ut inquit apostolus) » amantes, cupidos, elatos, » superbos, blasphemos, parentibus non obe» dientes, ingratos, scelestos, sine affectio» ne, sine pace, criminatores, incontinentes, » immites, sine benignitate proditores, pro» tervos, tumidos, voluptatum amatores; ha» bentes speciem pietatis, virtutem ejus ab» negantes (2).

Sed licet per inanem fallaciam, et inutiles, et vanas contentiones, pessima isthaec praestigiatrix justo judicio Dei seduxerit corda multorum: tamen processu temporis, et hisce Nostris diebus, positis jam calamistris et fuco, totam suam foeditatem, atque immanitatem aperuit, ut nemo sit rationis sanae particeps, quin cognoscat, videat, planeque sentiat, eam vere » nocere terrae, et mari.

Contra hoc ergo fatale monstrum oportet, ut conjunctis sacerdotii, et imperii viribus strenue, opitulante Deo, irruamus, atque ab hoc adeo necessario bello non nisi pleno triumpho absistamus.

Verumtamen iis armis, quae a Deo sunt per episcopalem consecrationem accepta, alia quoque praesidia sunt a Nobis quaerenda. Ea autem undenam petenda sunt? Nimirum ea suppeditabunt orationes, jejunium, sacrificia, vitae, morumque innocentia, animorum in Domino Nostro Jesu Christo concordia. Connexio in primis omnium ordinum ad religionis causam tuendam servanda est; « quae cum « totius corporis unitatem requirit, tum prae« cipue concordiam exigit sacerdotum (3).

Suppeditabit haec praesidia recta, et ex Ecclesiae more peracta dispensatorum Dei mysteriorum electio, ut ii animarum regimini praeficiantur, « qui mysterium habeant in » conscientia pura, qui sint exemplum fide» lium in verbo, in conversatione, in chari» tate, in fide, in castitate, qui sciant instare » opportune, importune, arguere, obsecra» re, atque etiam increpare in omni patien» tia, et doctrina (4).

Suppeditabit ea etiam diligens, ac provida ecclesiasticae juventutis ad omnem sanctitatem, ac sapientiam institutio, ut deinde qui ad evangelii ministerium electi secundum suam vocationem sunt, « formam habeant sanorum verborum, et potentes sint exhortari » in doctrina sana, et eos qui contradicunt » arguere (5). Quid enim tam inhonestum, » quam si vir ecclesiasticus iis qui foris sunt » calumniantibus per ignorantiam contice» scat, et christianus de Christo reddere ra» tionem nesciat (6)?

Denique ea suppeditabunt vigilantes curae, ne doctrinarum pravarum contagia, » quarum veneficiis » omnes gentes erraverunt, latius manent, ac grassentur ad exitium Dominici gregis, ad dissolutionem civilis societatis universae. Nullis enim armis firmioribus Ecclesiae, atque imperii hostes usi sunt ad ea mala perpetranda, quae vidimus, quae perpessi sumus, quae nunquam satis erimus defleturi. His armis potissimum religionis, atque imperii hostes Ecclesiam in invidiam potentium vocaverunt, his adversus potentes odia populorum incitaverunt, his bellum capitale, teterrimum, internecinum in sacerdotium, atque in reges conflaverunt, his sanctuarium etiam Domini concusserunt, his regna florentissima perdiderunt.

Quam vero ea praesidia omnia sint hodie non solum Ecclesiae, sed etiam cunctis regnis, atque imperiis necessaria gravissimo ju-

(1) Apoc. cap. XIII. ver. V. et VII.
(2) II. Ad Tim. c. III. ver. II. et seq.
(3) S. Leo.
(4) I. Ad Tim. c. IV. ver. XII. c. IV. ver. II.
(5) Ad Titum. cap. I. vers. IX.
(6) S. Petrus Damianus oper. II. contra Judaeos.

dicio suo carissimus in Christo Filius Noster Franciscus II. Romanorum rex in imperatorem electus, palam se plane nosse declaravit, cum Sabariensi ecclesiae te, dilecte fili Noster, prae ceteris potissimum a Nobis praeficiendum curavit. Noverat enim sapientissimus, idemque religiosissimus Caesar, te non iis solum dotibus, quae optimum coram Deo, coramque hominibus constituunt, episcopum eminere, verum etiam hisce omnibus praesidiis, quae ad episcopatum sancte, et cum Ecclesiae utilitate gerendum necessaria sunt, usurum esse: ut propterea Sabariensis ecclesia natalibus s. Martini episcopi Turonensis clarissima, ad quam regendam tu a Nobis assumptus es, studio, vigilantia, ac virtutibus tuis illustrata novis gloriae accessionibus augeri debeat.

Tanta ergo opinio de te concepta a te, dilecte fili Noster, omni studio est explenda: » Labora igitur sicut bonus miles Christi, » opus fac Evangelistae, vigila, bonum cer» tamen certa, imple ministerium tuum (1), » ut cum apparuerit princeps pastorum perci» pias immarcescibilem gloriae coronam (2). Propone tibi eos sanctissimos episcopos, ac sacerdotes, qui pro Christo, ac gregibus suis ludibria, et verbera » experti, insuper et vin» cula, et carceres, circumierunt in melotis, » in pellibus caprinis, egentes, angustiati, » afflicti, quibus dignus non erat mundus, in » solitudinibus errantes, in montibus, in spe» luncis, et in cavernis terrae, quorum plu» rimi lapidati sunt, tentati sunt, in occisio» ne gladii mortui sunt (3). Propone tibi constantiam admirabilem sanctissimi decessoris Nostri, a quo ad cardinalatum evectus es, qui testimonio fidei probatus, ut bonus pastor, animam suam posuit pro ovibus suis. Respice denique praesentem Ecclesiae squallorem, solitudinem, nuditatem, et per « omnem ora» tionem, et obsecrationem ora omni tempo» re in spiritu pro omnibus sanctis, et pro » Nobis, ut detur Nobis sermo in aperitione » oris Nostri cum fiducia, et tu sis carissimus » frater, et fidelis minister Noster in Domi» no (4). Pax fratribus, et charitas cum fide » a Deo patre, et Domino Nostro Jesu Chri» sto. Amen.

(1) Ad Tim. II. cap. II. et IV.

(2) Petri I. cap. V. vers. IV.

VII.

Dat. die 21. maji 1800. Anno I.

Confirmatio conventionis initae cum episcopo s. Severini super seminarium episcopale.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Clericorum seminaria, in quibus adolescentes in sortem Domini vocati, ac in spem Ecclesiae succrescentes optimis moribus, et disciplinis informantur, ut inde in vineam Sabaoth deducti fructus in dies afferant uberiores, siculi omnibus episcopis cordi esse debent, atque eorum pastoralem sollicitudinem excitare, ita Nos quoque, qui divina miseratione nullis Nostris suffragantibus meritis ad universam Christi Domini Ecclesiam regendam nuper fuimus evecti, ad ea omnia, quae seminariorum hujusmodi utilitatem, commodum, et optimum regimen respiciunt, paternum animum, curasque Nostras libenter intendimus.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque sicut dilectus filius Aloysius Costioni modernus clericorum regularium congregationis s. Pauli decollati Barnabitarum nuncupatorum praepositus generalis Nobis nuper exponi fecit, venerabilis frater Angelus Antonius modernus sancti Severini episcopus summo studio undequaque subsidia exquisiverit, ut episcopale seminarium in illa civitate existens, ad extremam prope inopiam, et rerum omnium destitutionem redactum, adhibitis etiam in consilio illius ecclesiae cathedralis capitulo, et canonicis, eorumque consensu obtento, ad satis commodum statum revocare nullam aliam viam, quae huic proposito suo aeque responderet, sibi ineundam duxit, quam si in administrationem, ac regimen ipsius seminarii memoratis clericis regularibus, in eadem civitate satis amplum collegium obtinentibus perpetuo cederet.

Tenor conventionis.

§. 3. Itaque re ab eodem episcopo opportune proposita, ac deliberatione a consultoribus ipsius congregationis habita libenti animo excepta fuit, ac de utriusque partis consensu in infrascripta pacta, seu conditiones conventum, videlicet.

(3) Ad Hebr. cap. 2.

(4) Ad Eph. cap. 6.

Digitized by Google

De patrocinio, et iurisdictione episcopi.

I. §. 4. Che il seminario rimanga sempre sotto il patrocinio, protezione e soggezione del vescovo pro tempore.

De receptione et exclusione alumnorum.

II. §. 5. Che non possa riceversi in seminario, nè espellersi dal medesimo alunno senza l'espressa approvazione del vescovo pro tempore.

De alumnis gratis recipiendis, et alendis.

III. §. 6. Che nel seminario debbano alimentarsi, e ritenersi gratis due alunni poveri, la scelta de' quali spetti al vescovo pro tempore; che siano muniti dal proprio parroco dell'attestato di povertà, e buoni costumi, e che ripromettano miglior profitto nelle scienze, e nella via ecclesiastica. Ed affinchè possa aversi moral sicurezza nella scelta, e non restino esclusi i migliori soggetti, tanto nella prima elezione, quanto nelle altre successive in caso di vacanza di qualche luogo, si dovranno soggettare i concorrenti all'esame avanti il vescovo pro tempore unito ai maestri di seminario e ad altri ad arbitrio dello stesso vescovo.

De numero alumnorum, et pensione ab eis solvenda.

IV. §. 7. Attese le ristrette finanze del seminario, e la povertà della città, e diocesi, che non permette il pagare una rigorosa dozzina, non potranno essere astretti i padri Barnabiti a ricevervi più di dodici alunni, compresi in tal numero i due suddetti poveri da alimentarsi e mantenersi *gratis*, quali alunni dovranno pagare la dozzina di scudi 28. in moneta sonante in due rate anticipatamente, la prima cioè scudi 14 dal dì 31 ottobre a tutto marzo, e la seconda parimente di scudi 14 dal dì 1 aprile a tutto il dì 15 settembre, giorno fissato pel principio delle vacanze autunnali; e questa dozzina negli anni migliori doverà scemarsi in qualche parte, e negli anni calamitosi accrescersi, come si crederà dal vescovo pro tempore, e dalli padri Barnabiti più conveniente.

Idem ut supra.

V. §. 8. Che col permesso del vescovo pro tempore possano i detti padri ammettere nel seminario maggior quantità di alunni, ed anche convittori, per quanto è capace la presente fabrica del medesimo, o per quanto potrà credersi più capace coll'ampliazione, di cui si dà ad essi piena licenza, purchè però tutto si faccia senza alcun discapito, e peso di esso seminario.

De observantia regularum.

VI. §. 9. Che debbano esattamente osservarsi le regole da concertarsi, e stabilirsi pel detto seminario dai due già deputati dal reverendissimo capitolo, e dai detti padri, sempre però sotto l'approvazione del vescovo; e che agli alunni si somministri quel congruo vitto, che dai suddetti verrà fissato colla stessa approvazione.

De inventario bonorum.

VII. §. 10. Che dai predetti due deputati del reverendissimo capitolo unitamente co' padri Barnabiti si faccia esatto inventario di tutti i beni stabili, mobili, semoventi, azioni, e ragioni ad esso seminario spettanti; che tutto si consegni agli stessi padri, a tenore di esso inventario, il quale dovrà inserirsi nell'istromento da stipolarsi etc., e che secondo tale inventario debba tutto sempre restare piuttosto migliorato, che deteriorato di libero, e pieno dominio del seminario in qualsivoglia, anche inopinato caso di rescissione di tal contratto, ed in caso ancora di soppressione, che Dio non permetta della congregazione de' padri Barnabiti.

De praeceptoribus.

VIII. §. 11. Che detti padri debbano mantenere quattro maestri uno cioè di grammatica (esclusi però i primi rudimenti grammaticali) uno di rettorica, uno di filosofia, ed uno di teologia; che di questi gli ultimi due facciano scuola nel loro collegio ai seminaristi, ed a qualunque altro della città, e diocesi vorrà andarvi. Il maestro di grammatica la faccia parimente nello stesso collegio ai seminaristi, ed agli altri come sopra; ed il maestro di rettorica (il quale dovrà essere anche rettore del seminario fintantochè non venga diversamente disposto dai padri coll'approvazione del vescovo pro tempore) la faccia ai seminaristi, ed agli altri come sopra in seminario. In caso però, che si concluda colla città l'unione, che si tratta della scuola d'umanità, e dell'assegnamento, che dalla stessa si paga al maestro, al seminario, allora i maestri di grammatica, e di rettorica dovranno far scuola nel sito, ove presentemente si fa la scuola di umanità dal maestro della città, e si darà ad essi per servirsene in loro religioso sollievo in tempo delle vacanze dagli stessi padri Barnabiti congrua annua ricognizione in compenso del grave loro incomodo.

De remuneratione praeceptoribus debita.

IX. §. 12. Che a ciascuno dei detti quattro maestri si diano annualmente in recognizione dai p. Barnabiti scudi venti per la cioccolata.

De rectore, praefecto, aliisque inservientibus.

X. §. 13. Che detti padri debbano mantenere in seminario un soggetto dell'istituto loro in qualità di rettore, un chierico secolare in

Digitized by Google

qualità di prefetto, e gl'inservienti necessari col possibile risparmio di spese superflue.

De munere rectoris.

XI. §. 14. Che il rettore pro tempore abbia tutta la libertà di prendere e di licenziare tanto il prefetto, quanto gl'inservienti (sempre coll'intelligenza del vescovo pro tempore) i quali tutti debbano puntualmente ubbidire ad esso rettore nelle loro incombenze.

Idem ut supra.

XII. §. 15. Che lo stesso rettore, tanto cioè il p. d. Carlo Peda degnamente eletto dal p. reverendiss. generale coll' intelligenza dell' odierno vescovo, per il primo in rettore, e maestro di rettorica, quanto ogni suo successore, debba sopraintendere, ed invigilare non solo al prefetto, ed agl' inservienti, ma ancora agli alunni, ed al loro progresso nel timor santo di Dio, e nelle scienze, procurando che frequentino i santissimi Sagramenti, predicando loro di tanto in tanto la divina parola, esaminandoli ben spesso su i loro studi, e facendoli istruire nella sacra liturgia, e nel canto Gregoriano da idoneo soggetto da deputarsi da lui coll'intelligenza del vescovo; al qual soggetto si fisserà qualche annuo assegnamento da pagarsegli dai pp. Barnabiti di concerto tra lo stesso vescovo, e i padri medesimi.

Idem ut supra.

XIII. §. 16. Che il reverendiss. padre generale pro tempore debba intendersela col vescovo pro tempore tanto nel collocare, quanto nel rimuovere il rettore, e i maestri suddetti.

De manutentione seminarii, et alimoniis praebendis alumnis; rectori, praefecto aliisque in eo commorantibus.

XIV. §. 17. Che finalmente resti a carico dei padri il mantenimento di tutto l'occorrente pel seminario, vitto degli alunni, inservienti, prefetto, rettore, emolumenti, pesi, fabbriche ec. e tutt' altro ec. restando a loro disposizione per tal fine tutte le rendite, e ragioni dello stesso seminario a tenore dell' inventario, e non altrimenti ec. Salva sempre in tutto e per tutto la vescovile giurisdizione ed autorità sopra lo stesso seminario.

Approbatio conventionis.

§. 18. Passata dall' odierno prefato vescovo al capitolo della sua cattedrale, ed al reverendissimo padre generale e sua cameretta, una semplice idea di tali patti, o condizioni, è stata da tutti concordemente approvata, ed ora distesa questa ne' soprascritti capitoli dallo stesso vescovo, e da due a tal fine con plenipotenza deputati dallo stesso capitolo della cattedrale, dopo esser stata riveduta dallo stesso padre generale, e sua cameretta, si umilia di comun consenso alla Santità Vostra, affinchè si degni confermar tutto colla sua suprema autorità, derogando colla medesima a qualsivoglia costituzione, ed ordinazione apostolica, ed a qualunqu' altra cosa e disposizione potesse essere in contrario, ancorchè occorresse farne speciale ed espressa menzione; Che ec.

Confirmatio apostolica.

§. 19. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dictus praepositus generalis, quo praeinserta pacta, seu conditiones firmius subsistant, et serventur exactius, apostolica auctoritate confirmari summopere desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo et quacumque de causa latis si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes; Nos praedictam cessionem cum omnibus, et singulis conditionibus supra expressis auctoritate apostolica, tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac perpetuo, et inviolabiliter servari, et custodiri sancimus, atque mandamus, omnesque et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 20. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 21. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non seminarii et congregationis hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub qui-

Digitized by Google

buscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod honorarium in octavo, ac duodecimo ex praedictis articulis promissum a praedictis clericis regularibus omnino solvatur, quodque jurisdictio, et auctoritas pro tempore existentis episcopi super seminarium hujusmodi salva semper, et illaesa remaneat. Datum Venetiis ex monasterio sancti Georgii Majoris sub annulo piscatoris die vigesima quarta maji millesimo octingentesimo, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 31. maji 1800. Anno I.

VIII.

Confirmatio exemptionis unius ecclesiae a jurisdictione parochiali.

Venerabili fratri
Joanni Paulo episcopo Bergomensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Piae congregationes Christifidelium, qui ad persolvendas Deo laudes, atque alia religionis opera peragenda in unum statis diebus convenire solent, summorum pontificum praedecessorum Nostrorum cura non ultima huc usque fuerunt; quin imo illas pluribus privilegiis, gratiis, et indulgentiis jugiter cumularunt. Iisdem praeclaris vestigiis inhaerentes Nos quoque, qui divina miseratione, nullius Nostris suffragantibus meritis, ad supremum apostolatus culmen nuper fuimus evecti, ipsos religiosos coetus adversus novas impiorum hominum obtrectationes, insanosque impetus tueri, et ubi res tempusque postulabit, favore Nostro prosequi nullo umquam tempore desinemus.

Expositio precum. §. 2. Cum itaque, sicut pro parte fraternitatis tuae Nobis nuper expositum fuit, ecclesia sanctae Agathae virginis, et martyris istius civitatis Bergomensis in novissima hac totius Italiae eversione, et tumultu interius direpta, ac pene diruta, rebus postmodum istic quiescentibus, a dilecto filio comite Aloysio Cocastelli Mediolani commissario nomine carissimi in Christo filii Francisci Romanorum regis in imperatorem electi congregationi piorum juvenum sub invocatione sancti Aloysii Gonzagae in ista civitate unitorum tradita fuerit, atque ab ipsis congregatis gravi impendio restaurata, et ita restituta, ut ad sacras, et pias functiones peragendas sit etiam pro populo commodissima in spiritualem utilitatem ex hujusmodi congregatione in eumdem populum promanantem prae oculis habens, illam ex parochiali jurisdictione eximere, et quoad internas functiones, ac spirituale ejus regimen tibi immediate subjicere duxisti; propterea exemptionem hujusmodi a Nobis ratam haberi, et apostolica auctoritate communiri summopere desiderans, Nobis humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur zelum tuum plurimum in Domino commendantes hujusmodi supplicationibus inclinati exemptionem jurisdictionis praedictam a parochiali jurisdictione, ita ut supradicta congregatio quoad internas functiones, et spirituale ejus regimen tibi in posterum immediate subjecta sit, salvis in reliquis juribus parochialibus, apostolica auctoritate, tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illique apostolicae firmitatis robur adjicimus.

Clausula sublata et decretum irritans. §. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac ab omnibus respective inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque

Digitized by Google

contrariis quibuscumque. Datum Venetiis e monasterio s. Georgii Majoris sub annulo piscatoris die trigesima prima maji millesimo octingentesimo, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 15. julii 1800. Anno I.

IX.

Prolatio licentiae egrediendi e monasterio ad quatuor alios anni dies pro monialibus monasterii s. Catharinae ordinis s. Benedicti civitatis Cephaludensis.

Venerabili fratri episcopo Cephadulensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum, et ratio concessionis.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae abbatissa, et moniales istius monasterii s. Catharinae ordinis s. Benedicti congregationis Cassinensis, praedecessorem Nostrum felicis recordationis Pium VI., ad avertendos morbos, quibus ob loci angustias, aeremque crassum, et concretum, quem ducunt, vexarentur, sibi per literas apostolicas in forma Brevis die IV. aug. an. MDCCLXXXVII. permisisse, ut quater anno e suis septis, sui relaxandi caussa, egrederentur: quod cum salutare sibi admodum senserint, medicique adfirment, praestare omnino, ut crebrius ejusmodi solatio, et remedio, se recreent, ac substentent, ad Nostram idcirco se benignitatem, et clementiam confugere.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsas specialioribus gratiis, et favoribus prosequi volentes, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut sub iisdem plane legibus, conditionibus, et cautelis in commemoratis decessoris Nostri literis commendatis, et praeceptis, licentiam, ubi vera quidem narrata compereris, iisdem abbatissae, et monialibus modernis, ac pro tempore existentibus, tum novitiis, educandis, puellis, et ceteris, quae in ipso monasterio degant, inde exeundi ad quatuor alios anni dies, auctoritate Nostra apostolica, tenore praesentium, proferas.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus apostolicis, inque universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non monasterii ordinisque praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quinta julii millesimo octingentesimo, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 11. aug. 1800. Anno I.

X.

Allocutio habita in creatione primorum cardinalium Caraccioli, et Consalvi.

Venerabiles fratres.

Prooemium.

§. 1. Perfuncti primis laboribus qui necessario a Nobis in cognoscendo Ecclesiae ac provinciarum Nostrarum statu post tantas rerum vicissitudines fuerunt impendendi, illud jam providentiae Nostrae esse videtur, ut de augendo collegio vestro tot jam extinctis luminibus imminuto Nos cogitemus.

Ratio novae electionis.

§. 2. Postulat hoc cum apostolici principatus Nostri ratio, ut aucto consiliariorum Nostrorum numero auxilia etiam Nobis ad rem christianam tantis in periculis securius administrandam augeantur; tum virtus eorum qui honoribus sunt afficiendi; ut in gratia viris

optime de Ecclesia meritis referenda quisque intelligat quid de iis qui honore aucti sunt judicemus, quid caeteris qui in eadem honorum contentione versantur praescribamus.

Praestantia eligendorum.

§. 3. Atque illud hodierna die venerabiles fratres laetamur, Nos de hujusmodi viris ad cardinalatum promovendis collegium vestrum consulere, quorum egregia in apostolicam hanc Sedem merita cum experientia Nostra, tum judicio vestro gravissimo ac maximo probata sunt; ita ut quisque fateri debeat, Nos in iis ornandis non solum cardinalium paucitati, sed etiam collegii dignitati consultum velle.

Laudes, et merita cardinalis Consalvi.

§. 4. Horum alter est dilectus filius Hercules Consalvi Romanus, patricia familia, vir praestanti ingenio et explorata in apostolicam Sedem fide, qui a sanctissimo decessore Nostro primum in congregatione Boni Regiminis, tum inter judices quos vocamus signaturae justitiae, demum inter Rotae Romanae auditores adlectus, sexdecim ferme annos caste atque integre in judiciis versatus, collegiis illis doctrinam suam probavit, pontificis expectationem explevit. Ex quo factum est ut ejusdem judicio ac voluntate multa praeterea, magnaque munera delata ei fuerint, quibus omnibus amplissima cum laude perfunctus est; haud meritus ut per ea multas in aerumnas maximumque discrimen incideret. Post pontificis obitum etiam in comitiis pontificalibus testimonium virtutis a vobis accepit, a quibus comitiorum ipsorum a secretis constitutus est. Quo quidem tempore Nos ejus studium, assiduitatem, solertiam in navanda collegio apostolico opera ita vobiscum demirati sumus, ut mox suffragiis vestris ad supremi pontificatus curas vocati, in summa rerum procuratione eum Nobis adesse voluerimus. Quo in munere incorruptam hominis fidem atque indefessum laborem experti, simulque cognita in negotiis pertractandis prudentia, in expediendis felicitate, eum cardinalatus honoribus ornandum esse judicamus, ut novo dignitatis incremento aucta etiam auctoritate, amplioribus praesidiis instructus eodem in munere Nobis adesse possit. Hoc in ornando testimonium etiam dare laetamur voluntatis Nostrae judicibus Romanae Rotae, quorum ex numero is est ad hunc honorem delectus, ut omnes intelligant Nos omni tempore collegii eorum integritatem, sapientiam, auctoritatem gravissimam habuisse; dignitatem atque amplitudinem carissimam habituros.

Laudes, et merita cardinalis Caraccioli.

§. 5. Alter vero est dilectus filius Didacus Caraccioli Neapolitanus e ducibus Martinae, qui recte factorum laudibus claritate generis superata, curriculum honorum ab urbium praefecturis auspicatus, Septempedanis, Æsinis, Firmanis tanta aequitate praefuit, ut ab eodem sanctissimo decessore Nostro statim ad eos honores rapi meruerit, qui proximi summis sunt, ac nonnisi viris clarissimis tribui solent. Siquidem Romam evocatus pontificio cubiculo in palatio apostolico praefectus est. Quod tamen non magis ad praemium virtuti tribuendum, quam ad fidei, pietatis, constantiae periculum faciendum visum est contigisse.

Illius pietas erga extinctum pontificem Pium VI.

§. 6. Nam paullo post in acerbissimo illo pontificis casu ab eodem in societatem dolorum ac periculorum vocatus, nulla affulgente praemiorum spe, octodecim amplius menses aerumnosissimo seni tamquam alteri parenti adfuit, solitudinem illius levavit, moerorem abstersit, spiritum morientis excepit: quanta cum virtutis gloria vos ipsi venerabiles fratres testes estis, qui et cum absentem, ac pericula illa gravissima fortiter obeuntem tantis laudibus prosequuti estis, et ex Galliarum finibus sospitem redeuntem tantis gratulationibus excepistis. Cujus virtuti ac fidei Nos quoque in suscipiendo pontificatu grati esse cupientes, honoris ergo, eodem loco apud Nos eum habere voluimus quo pridem decessor Noster habuerat apud se. Cumque non casu aliquo, sed vere religione ac virtute eum dignum laudibus vestris compererimus, propterea rem gratam vobis, gratam parenti illi optimo nunc in coelis agenti facturos arbitramur, si in primis cardinalibus creandis ejus viri rationem habeamus, qui cum postremis in communione dolorum ab illius latere sejunctus est.

Creatio dictorum cardinalium.

§. 7. Quae cum ita sint venerabiles fratres, ad majorem Dei omnipotentis gloriam, ac Sanctae Romanae Ecclesiae utilitatem ac decus, constitutum habemus ad cardinalatum promovere et adjicere collegio vestro

Dilectum filium Herculem Consalvi, et dilectum filium Didacum Caraccioli.

Quid vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum

apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra creamus Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales

Presbyterum quidem Didacum Caraccioli, diaconum vero Herculem Consalvi.

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Dat. die 22. aug. 1800. Anno I.

XI.

Indultum utendi rocchetto pro moderno abbate monasterii Vangaditiae Venetiarum, et successoribus abbatibus in perpetuum.

Dilecto filio Bonifatio de Luca monachorum ordinis sancti Benedicti congregationis Camaldulensium expresse professo, et monasterii Vangaditiae Venetiarum dioecesis abbati.

Pius PP. VII.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§. 1. Sincerae fidei, et devotionis affectus, quem erga Nos, et hanc sanctam Sedem difficillimis etiam superioribus temporibus gessisse comprobaris; nec non istius monasterii tui celebritas Nos inducunt, ut ea tibi favorabiliter concedamus, quae honorificentiae tuae fore conspicimus opportuna.

Expositio precum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecisti quod istius pervetusti monasterii pro tempore existens abbas separatum quoddam (ut asseritur) territorium olim habebat, atque ad praesens etiam praeeminentiis quibusdam fruitur supra omnes asserti hujusmodi districtus ecclesias, quo major eidem abbatiali dignitati splendor accedat, facultatem deferendi rocchettum tibi, successoribusque tuis per Nos concedi plurimum desideras.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos itaque te specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, tibi, tuisque successoribus ejusdem monasterii pro tempore existentibus abbatibus in perpetuum, ut rocchettum tam in ecclesia, quam extra eam in processionibus, aliisque sacris functionibus quibuscumque, et quandocumque alii abbates hujusmodi eum gestare consueverunt, et solent, pari modo gestare; illoque uti libere, et licite possis, ac valeas, dictique successores pariter possint, et valeant auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, teque successoresque tuos praedictos desuper a quoquam molestari, vel perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus quibusdam felicis recordationis Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non etiam quatenus opus sit, ordinis, et congregationis tuae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus, pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima secunda augusti millesimo octingentesimo, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 26. aug. 1800. Anno I.

XII.

Privilegium adhibendi canonem, palmare vulgo bugia, et gerendi parvam crucem pro archidiacono, et canonicis cathedralis Asculanae in Piceno pro tempore existentibus.

Dilectis filiis archidiacono, et canonicis ecclesiae cathedralis Asculi Piceni.

Pius PP. VII.

Dilectis filii salutem, et apostolicam benedictionem.

Laudes ecclesiae Asculanae, illiusque capituli.

§. 1. Ecclesiae vestrae istius vetustas, ac splendor, ac memoria ornamentorum, quibus a Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris est amplificata, ac praesertim collegii vestri constantia, ac fides, quam Christo, et ejus vicario in terris praestitistis, his turbulentissimis temporibus, cui testimonium dedit venerabilis frater Noster Joannes Andreas episcopus Sabinensis, et istius ecclesiae ipsius, dispensatione, et privilegio a Nobis accepto, administrator, quem Nos plurimi facimus, cujusque eximia in rem christianam publicam merita et labores fortiter, constanterque tolerati, per magnum ei auctoritatis, gratiaeque pondus apud Nos tribuunt, haec inquam Nos permovent, ut vestris optatis, et precibus de vestro honore augendo benigne obsequamur.

Tenor concessionis.

§. 2. Quamobrem omnium vestrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristis, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, vobis ut quisque vestrum, quique tempore vobis in isto loco succedent, ad aram divinum sacrificium aut solemne, aut privatum peragentes, aut aliud quodvis sacerdotale officium obeuntes, canonem, si opus fuerit, ad instar episcoporum, et palmare, vulgo bugiam adhibere intra fines civitatis vestrae ac dioecesis, utque praeterea etiam extra eos fines, ubique terrarum, parvam crucem, in cujus antica imago sancti Emydii patroni ecclesiae vestrae principalis sit expressa, in postica vero Nostra, flocco suspensam nigri coloris gerere libere, et licite possitis, et valeatis auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Ratio concessionis.

§. 3. Ceterum insignia haec dignitatis invitamenta esse intelligitis vobis, et successoribus vestris, ad ambulandum magis digne Deo; ac praeclari quidem martyris, et episcopi olim civitatis vestrae, qua honostamini imago, vos admonebit, adsidue paratos vos esse debere, ad vitam etiam, si res postulet, pro Christi gloria, et fratrum salute profundendam; Nostra vero, qui in Petri cathedra, quamvis immerentes sedemus, vos excitabit ad ejus cathedrae ipsius potestatem divinitus traditam, qua Ecclesiae totius incolumitas, et bonum continetur, defendendam, et contra ejus hostes strenue propugnandam, et fidelibus commendandam.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus quibusdam felicis recordationis Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri de divisione materiarum, aliisque constitutionibus, inque universalibus, provincialibusque, ac synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima sexta augusti millesimo octingentesimo, pontificatus Nostri anno primo.

XIII.

Dat. die 9. sept. 1800. Anno I.

Lugdunensis ecclesia in administrationem designatur.

Dilecto filio Joanni Baptistae Verdolini presbytero Glandavensi administratori ecclesiae Lugdunensis, ejus archiepiscopali sede vacante, auctoritate apostolica deputato.

Pius PP. VII.

Dilecte fili, salutem, et apostolicam benedictionem.

Memoratur quomodo a capitulo, et qua de causa fuerit electus in administratorem apostolicum.

§. 1. Ecclesiae Lugdunensis, quae antiquitate, et amplitudine adeo praestat, quam tot nobilissimorum martyrum incredibilis, ac divina prorsus fortitudo et constantia exornavit, quae tot antistitum, ac praecipue Irenaei, et Eucherii sanctitate, et doctrina admirabili adhuc floret; ubi tot concilia episcoporum, et universalia quidem duo fuere habita, ecclesiam Romanam singulari cura adfici debere nemo non sensit; quamobrem quis non jure consilium, ac diligentiam laudet ven. fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae car-

Digitized by Google

dinalium congregationis particularis a felicis recordationis Pio pp. VI. praedecessore Nostro super negotiis ecclesiasticis Galliarum constitutae, qui ut primum de morte Lugdunensis archiepiscopi Yvonis De Marboeuf bonae memoriae adlatum fuit, mature prospexerunt, ne grex ille pastoris custodia, et praesidio tam necessario tempore careret. Cumque ecclesiae cathedralis canonici vi tempestatis disjecti, in diversis regionibus exularent, te qui vicariam operam ei vivo archiepiscopo strenuam, ac fidelem praebueras, administratoris apostolici potestate, ac dignitate auctum ejus dioecesis gubernacula retinere, ac gerere jusserunt, quoad vel de te secus haec sancta Sedes constituisset, vel hujus auctoritate novus archiepiscopus crearetur, ut ex eorum decreto apparet diei vigesimae octavae augusti superioris anni Venetiis.

Illegalis alia electio sacerdotis de Rully a tribus canonicis facta improbatur.

§. 2. Neque ullam sane habendam rationem censuerunt ejus, quod actum a tribus canonicis istius ecclesiae cathedralis esset, qui totius capituli potestatem ad se redactam falso opinantes, vicarium capitularem contra fas delegerunt dilectum filium de Bernard de Rully cognominatum collegam suum, et alios aliquot, commodum vero ipse de Bernard de Rully suis literis die secunda novembris superioris quoque anni datis ad dilectum filium Nostrum Sifredum Sanctae Romanae Ecclesiae presbyterum cardinalem de Maury nuncupatum declaravit, professusque est, cum suo, tum sociorum nomine, jure de omni, si quod sibi fuisset ex illa electione partum, abdicare, nihilque conducibilibus putare ecclesiae Lugdunensi, quam quod apostolicus administrator aliquis ei praeficeretur. Subsequutum has literas est eorum cardinalium decretum, alterum die martii decima secunda hujus anni Venetiis ex conclavi, quo quidquid esset illis literis comprehensum amplectebantur, et justis laudibus efferebant, et in priore de te sententia permanere se pronunciabant. Quae quamquam praeclare, et sapienter, et magno judicio gesta, et cum potestate ipsis cardinalibus a praedecessore Nostro communicata, satis per se profecto valeant, accedat his tamen volumus auctoritatis Nostrae robur.

Electionis tenor.

§. 3. Itaque te, dilecte fili, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, motu proprio, et certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, commemorata primum decreta de te, quorum tenorem hic pro expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, harum literarum serie adprobamus, et confirmamus, ac te etiam iterum, quatenus opus sit, administratorem apostolicum ecclesiae metropolitanae Lugdunensis, quamdiu vacaverit, et ad Nostrum, ut hujus sanctae Sedis beneplacitum, facimus, constituimus, deputamus, declaramus, tibique facultates omnes ordinarias, et extraordinarias, quae ecclesiarum ejusmodi administratoribus apostolicis competunt, tribuimus, ac nominatim illas, quae a supradicto praedecessore Nostro Pio VI. antistitibus ecclesiarum Galliae sunt, per haec turbulentissima tempora, benigne concessae, iis exceptis quidem, quae episcopalem ordinem postulant: mandantes in virtute sanctae obedientiae dilectis filiis canonicis, clero, et populo ecclesiae Lugdunensis, ut te isti ecclesiae administratorem a Nobis praepositum agnoscant, observent, colant, debito honore prosequantur, tibi faveant, adsint, obtemperent, ac tua salubria monita, et mandata adimplere sedulo curent, ac dilecto praesertim filio Bernardo de Rully, ut vicarii capitularis adpellationem omnem defugiat, nullamque ejus muneris partem adtingat, nihilque prorsus agat, nisi ex potestate sibi a te facta; tametsi ejus modestiae specimen jam tenemus, nihilque est quod ab ea non debeamus Nobismetipsis polliceri.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis inque universalibus provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non ecclesiae istius Lugdunensis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum te-

d by Google

nores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Monitum speciale. §. 5. Arbitramur te, dilecte fili cognoscere, quod certamen forte dat tibi per nos Deus, ut vincas; sed confortare in gratia, quae est in Christo Jesu. Neque vero est necesse, te ut externis ad agendum noviter exemplis adhortemur, et excitemus: habes domestica permulta, quae tibi faces diu noctuque admoveant, in quibus opportunissima profecto illa, quae epistola de martyribus, vel istius ecclesiae suppeditat, ab Eusebio in historia ecclesiastica posteritati tradita. Quis eam legens non se inflammari sentiat ad omnia pro Christo subeunda pericula, et cruciatus omnes perferendos? ad quod eo te paratiorem lectio illa efficere debet, quod invictissimorum eorum martyrum praesidio, ac tutelae est tibi uni fidendum prae caeteris maxime. Quare his erectus, dilecte fili, praeliare cum laetitia praelia Domini. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda sept. millesimo octingentesimo, pontificatus Nostri anno primo.

XIV.

Dat. die 2. sept. 1800. Anno I.

Confirmatio indulti utendi birettino et rocchetto cum manicis, et concessio usus pretinae pro moderno abbate, ejusque, successoribus monasterii s. Michaelis de Murano congregationis Camaldulensis.

Dilecto filio moderno abbati s. Michaelis de Murano ordinis sancti Benedicti congregationis Camaldulensis.

Pius PP. VII.

Dilecte fili
salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Sincerae fidei ac piae devotionis affectus, quem erga Nos et apostolicam Sedem congregatio Camaldulensis semper ostendit, Nos inducunt, ut ea ipsi favorabiliter concedamus, quae honorificentiae ipsius fore conspicimus opportuna.

§. 2. Exponi siquidem Nobis fecisti, quod sicut Nos nuper, bo. me. ven. fratre Sanctae Romanae Ecclesiae cardinali Giovannetti praecipue instante, tibi cunctisque in posterum pro tempore abbatibus monasterii sancti Michaelis de Murano, quod, ut praefertur, caput est, ac uti caput totius congregationis Camaldulensis honoratur et colitur, facultatem gestandi birettinum ac rocchettum cum manicis Nostrae vivae vocis oraculo benigne tribuimus, ita nunc, quo hujus gratiae memoria nunquam excidat atque deficiat, eamdem facultatem per apostolicas literas confirmare, nec non ad decus ejusdem congregationis cumulatius augendum tibi ipsi, caeterisque dicti monasterii abbatibus pro tempore existentibus usum fibulatae vestis talaris, qua saeculares presbyteri induuntur, vulgo la pretina nuncupat; perinde ac plures gaudent aliarum congregationum abbates, impertiri insuper dignaremur. Expositio precum.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur te specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo et quacumque de causa latis si quas forte incurristi hujus tantum nominis rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, tibi, tuisque successoribus praedicti monasterii sancti Michaelis de Murano pro tempore existentibus abbatibus in perpetuum, ut birettinum et rocchettum cum manicis, ac insuper pretinam, quibus tam in ecclesia quam extra in processionibus, aliisque sacris functionibus quibuscumque, et quandocumque aliarum congregationum abbates uti consueverunt, et solent, te pari modo gestare, illisque uti libere et licite possis, ac valeas, et successores etiam tui similiter possint ac valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus, teque tuosque successores praedictos desuper a quocumque molestari et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus quibusdam felicis recordationis Benedicti XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, ordinis et congrega-

Digitized by Google

tionis tuae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quinta septembris millesimo octingentesimo, pontificatus Nostri anno primo.

XV.

Dat. die 12. sept. 1800. Anno I.

Indultum perpetuum gerendi rocchettum et mozzettam nigri coloris pro civitatis Venetiarum plebanis.

Dilectis filiis plebanis omnibus civitatis Venetiarum.

Pius PP. VII.

Dilecti filii salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§. 1. Quem sibi honorem permultae civitates expetiverunt, quem nulla non magnopere optavit, quem alienissimorum temporum ob crudelitatem, ereptum vel sibi fuisse Roma acerbissime doluit, ut cardinales nimirum Sanctae Romanae Ecclesiae eo convenirent; magnis denique perfuncti periculis, terra, marique jactati ad novum, post interitum Pii VI., pontificem summum, christianorum omnium a Christo ipso constitutum parentem, magistrum, et pastorem, suis suffragiis declarandum, eum obtigisse urbi vestrae, singulari Dei quadam benignitate, vos et agnoscere, et quanti debetis aestimare videmini. Ac vestrae sane erga Nos fidei, et observantiae, studii, ac pietatis non obscuras significationes dedistis perquae jucunda Nobis fuit vestra de nobis laetitia, et gratulatio, ac vestrorum populorum, vobis ducibus, dum istic versaremur, occursatio, et acclamatio; perque vero gratus vester in discessu Nostro moeror, vestraeque lacrymae; quamobrem ut vos, posterique vestri divini illius beneficii memoriam colatis benevolentia sempiterna, vestris desideriis, et postulatis libentissime omnino satisfacimus.

Tenor concessionis.

§. 2. Itaque vestrum porro singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristis, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus vestrum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, vobis, ut quisque vestrum, et qui deinceps vobis in isto loco, ac munere, et dignitate succedent, rocchettum cum manicis, et mozzettam nigri coloris, in choro, in processionibus, et in omnibus publicis ecclesiasticis functionibus, quae alias quidem sacras vestes non requirant, intra ecclesiam cujusque vestram, et extra, ubique, intra fines tamen civitatis Venetiarum, gerere libere, ac licite possitis, et valeatis auctoritate apostolica tenore praesentium in perpetuum concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus Benedicti pp. XIV. felicis recordationis praedecessoris Nostri de divisione materiarum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non istius civitatis, et ecclesiarum vestrarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

by Google

Monitum speciale. §. 4. Istiusmodi insignia amplitudinis eo spectant, dilecti filii, vos ut illis adsidue admoniti magis » sollicite curetis » (id quod apostolus praecipit) » vos ipsos probabiles » exhibere Deo operarios inconfusibiles, re» cte tractantes verbum veritatis ». Illud etiam atque etiam considerate splendorem, qui vobis ex id genus ornamentis accedit, sustinendum, tuendumque vobis esse cum eximia quadam gravitate, et innocentia morum, tum scientia non vulgari sacrarum literarum, disciplinarum, et artium, sine quibus illa non modo non mirantur homines, sed etiam despicere plerumque solent. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima secunda septembris millesimo octingentesimo, pontificatus Nostri anno primo.

XVI.

Dat. die 14. sept. 1800. Anno I.

Reservatio perpetua pensionis super fructibus dignitatum, et canonicatuum Hispaniarum nominationis regiae favore ecclesiae s. Isidori Matriti.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Expositum Nobis nuper fuit carissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis catholici nomine, Matriti ecclesiam sancti Isidori quae prima in regiis ecclesiis numeratur, ita adtenuatos, et adesos redditus suos cernere, ut canonicis, praestantibus profecto viris, quique concursus dimicationem subiverint, ut eum amplitudinis locum adsequerentur, non suppetat, unde se ex sua dignitate sustentent; quindecim quippe millia regalia de vellon adpellata monetae Hispanae obvenire cuique solum, nec praeterea quidquam: quorum facultates idcirco augere cum vehementer cupiat idem rex Carolus, idque pertinere admodum intelligat ad decorem domus Dei, quem se magnopere diligere profiteatur, non aliam rationem ad negotium perficiendum praesto esse, quam illam, quo decursum sit in similibus rerum angustiis, ut per pensiones ad certam summam imponendas super dignitatibus, et canonicatibus opimis caeterarum ecclesiarum regni justum canonicis sancti Isidori levamen, subsidiumque accedat; Nosque idcirco se rogare, et orare, ut hujus rei potestas fiat.

Tenor reservationis. §. 2. Nos igitur piis ejus majestatis votis quantum cum Domino possumus annuere volentes, ejus supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica tenore praesentium pensionem annuam in perpetuum super tertia parte fructuum, et proventuum dignitatum, et canonicatuum, quorum praesentatio ex apostolico privilegio regi ipsi catholico fuit concessa vacantium, et vacaturorum in ecclesiis regni Hispaniarum, pro arbitrio, et prudentia, et aequitate praefati regis catholici, et magnitudine cujusque redditaum considerata, imponendam; quoad summa inde conficiatur septingentorum sex millium regalium de Vellon, cessura in usum canonicorum ecclesiae sancti Isidori, atque inter ipsos prout ejus ecclesiae leges, instituta, et consuetudo postulant dispertienda, reservamus, et eidem ecclesiae, et canonicis adplicamus; dummodo tamen ea pensione detracta, duae tertiae partes fructuum, et proventuum reliquae dignitates, aut canonicatus obtinentibus integrae maneant, nulloque onere alio diminutae, eaedemque ad illos honeste, et decenter alendos plane sufficiant.

Conditiones adnexae. §. 3. Volumus vero, ut eae pensiones in actu provisionis earum dignitatum, et canonicatuum imponantur, expressusque de iis provisorum intercedat consensus: tum ut dimidia illarum pensionum quotannis natali sancti Joannis Baptistae, altera Domini Nostri Jesu Christi natali die ecclesiae, et canonicis sancti Isidori praedictis dissolvantur.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 4. Decernentes ipsas praesentes literas, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo, quod quilibet etiam cujusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae, ac dignitatis, aut alias etiam specifica, et individua mentione, et expressione digni in praemissis forsan jus, vel interesse habentes, aut habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, neque ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas ipsae praesentes emanarunt, sufficienter adductae, verificatae, et justificatae fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis juridica, pia legitima, et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite etiam in corpore juris clauso, nullo umquam

tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut alio quocumque defectu notari, impugnari, et adversus illas quodcumque juris, vel facti, aut gratiae remedium impetrari umquam posse; sed eas semper validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, dictaeque ecclesiae sancti Isidori, et canonicis in omnibus, et per omnia plenissime suffragari debere, perinde ac si dicta pensio tertiae partis fructuum, redditu um, ac proventuum dignitatum praedictarum per praesentes reservata de consensu illorum qui eamdem tertiam partem fructuum solvere debent reservata fuisset; sicque per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Praeceptum de solvendis pensionibus ecclesiae s. Isidori, et canonicis illius capituli.

§. 5. Nec non earumdem dignitatum noviter deinde provisos ad integram solutionem dictae tertiae partis fructuum, ac redditu um hujusmodi, ut praefertur, reservatae, eidem ecclesiae sancti Isidori, et canonicis faciendam juxta reservationis, et adplicationis praedictarum tenorem fore efficaciter obligatos: ac volentes, et eadem auctoritate statuentes, quod illi ex noviter provisis, seu in futurum providendis praedictis, qui in dictis festivitatibus, vel saltem infra triginta dies illarum singulas immediate sequentes, pensionem per praesentes reservatam praedictam eidem ecclesiae sancti Isidori et canonicis tunc debitam non persolverint cum effectu, lapsis diebus eisdem sententiam excommunicationis incurrant, a qua donec eidem ecclesiae sancti Isidori, et canonicis de pensione per praesentes reservata praedicta tunc debita integre satisfactum, aut alias cum eadem ecclesia et canonicis super hoc amicabiliter concordatum fuerit, praeterquam in mortis articulo constituti absolutionis beneficium nequeant obtinere: si vero per sex menses dictos triginta dies immediate sequentes sententiam ipsam animo, quod absit, substinuerint indurato, ex tunc effluxis mensibus eisdem suae dignitatis respective regimine, et administratione perpetuo privati existant, illaeque vacare censeantur eo ipso.

Poenae incurrendae a renuentibus.

§. 6. Quocirca dilectis quoque filiis causarum curiae camerae apostolicae generali auditori, ac antiquioribus canonicis metropolitanarum, seu episcopalium ecclesiarum praedictarum respective, ac vicariis venerabilium fratrum archiepiscoporum seu episcoporum earumdem metropolitanarum, seu episcopalium ecclesiarum per praesentes committimus, ac mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, se alios faciant auctoritate Nostra pensionem per praesentes reservatam praefatam respective eidem ecclesiae sancti Isidori, et canonicis perpetuis futuris temporibus juxta reservationis, et applicationis praedictarum tenorem integre persolvi: et nihilominus quoslibet ex iis, qui in posterum de dignitatibus praefatis erunt provisi, quos hujusmodi excommunicationis sententiam incurrisse eis constiterit, quoties super hoc pro parte ecclesiae sancti Isidori, et canonicorum fuerint requisiti tamdiu dominicis, et aliis festivis diebus in ecclesiis, dum major inibi populi multitudo ad divina convenerint excommunicatos nuncient publice, et faciant ab aliis nunciari, et ab omnibus arctius evitari, donec eidem ecclesiae sancti Isidori, et canonicis de pensione per praesentes reservata praedicta tunc debita fuerit integre satisfactum, ipsique excommunicati ab hujusmodi excommunicationis sententia absolutionis beneficium meruerint obtinere, contradictores quoslibet, et rebelles per sententias, censuras, et poenas ecclesiasticas, aliqua opportuna juris, et facti remedia appellatione postposita compescendo.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae regula de praestando consensu in pensionibus, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non metropolitanarum, seu episcopalium ecclesiarum hujusmodi, ac dignitatum praedictarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum

derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima sexta septembris millesimo octingentesimo, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 19. sept. 1800. Anno I.

XVII.

Literarum apostolicarum in forma Brevis diei decimae quartae januarii superioris anni declaratio, et extensio ad omnia dominia catholici regis, ejus declarationis exequutio demandatae commissario Cruciatae.

Carissimo in Christo filio Nostro Carolo Hispaniarum regi catholico.

Pius PP. VII.

Carissime in Christo fili Noster salutem, et apostolicam benedictionem.

Memorantur praecedentes literae ad rem latae a suis praedecessoribus.

§. 1. Multis ab hinc annis, deficiente in istis terris piscium salitorum, ac leguminum etiam copia, qua se per jejuniorum dies sustentaret pauperum istic praesertim innumerabilis multitudo, et regularium, Romani pontifices praedecessores Nostri regibus Hispaniarum petentibus, concedere instituerunt, ut Christifideles eorum imperii quadragesimae tempore carnes salubres ad mensam adhiberent, ovaque, et lacticinia, compluribus tamen exceptis diebus, et adjectis aliquot, et imperatis conditionibus, prout in illorum hac de re literis, in simili forma Brevis, quae indulti quadragesimalis vulgo nuncupantur, quarum postremae fuerunt die vigesima octava augusti anni MDCCXCV. quarumque tenorem hic pro plene, et sufficienter expresso haberi volumus, uberius continetur. Quod sane indultum Pius pp. VI. sa. me. tuis exoratus precibus pro regnis quidem Hispaniarum, et insulis Canariis produxit cum quoad temporis spatium, quod iisdem, quibus luctuosissimum hoc bellum, quo flagrat Europa, terminis definivit, tum quoad exceptorum dierum numerum, quem per exiguum sane intra cujuslibet anni cursum esse passus fuit, per suas apostolicas literas pariter in forma Brevis die decima quarta januarii superioris anni ad archiepiscopos, episcopos, et locorum ordinarios earum regionum datas, quarum etiam tenor his literis Nostris satis comprehensus intelligatur.

Confirmatio literarum diei 14. januarii 1799, earumque extensio ad caetera dominia Hispanici regis.

§. 2. Atqui permoleste tulimus ex his alteris Pii VI. literis; quod expositum Nobis tuo nuper nomine fuit; refrixisse praeclare quaedam pietatis opera, in quae conferre quidpiam de suo qui consueverant, occasione inde non belle arrepta, praetermiserunt. Cui incommodo ut medeamur, majestatis tuae votis quantum cum Domino possumus benigne annuere volentes, auctoritate apostolica primum praefatas Pii VI. literas diei decimae quartae januarii praeteriti anni per praesentes confirmamus, et ad omnes dominiorum tuorum fines, ad quos commemoratae etiam superius apostolicae literae indulti quadragesimalis, pertinere decernimus; tum decernimus, et declaramus eos omnes, et solum, qui his indulti quadragesimalis literis ad certam eleemosynam obligabantur, judicio, et prudentia commissarii apostolici bullae cruciatae uniformiter taxandam, ratione habita cujusque conditionis, eosdem, non quidem caeteros iis literis notatos, et descriptos, etiam nunc, ac deinceps ad illam eleemosynam obligari; ac praeterea ad aliam, quae pro bulla cruciatae ab ipso hujus commissario apostolico indicenda, et exigenda est, si illas literas Pii VI. suffragari sibi cupiant; secus norint, sibi nequidquam suffragari, nullique prorsus usui sibi futuras.

Deputatio executoris apostolici.

§. 3. Quare dilecto filio Patritio Martinez de Bustos, qui commissarius cruciatae bullae sit apostolica auctoritate deputatus, per easdem praesentes mandamus, ut hanc decreti, et declarationis Nostrae sententiam publicet, in omniumque notitiam devenire curet, eisque ut ii, quos tangunt omnes obtemperent, opportunis remediis efficiat.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, inque universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel speciali-

bus constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima nona septembris, millesimo octingentesimo, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 23. sept. 1800. Anno I.

XVIII.

Licentia priori et monachis Carthusianis Elborensis dioecesis faciendi quaedam ex permissione apostolica loco permissionis p. generalis ordinis.

Venerabili fratri archiepiscopo Damiatensi Nostro, et apostolicae Sedis apud Portugalliae et Algarbiorum reginam nuncio.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Expositum Nobis nuper fuit pro parte prioris et monachorum Carthusiani ordinis Elborensis dioecesis, quod ipsi ob praesentes asperitates temporum ac difficultates itinerum jamdiu ad generalem suum recurrendi omni prorsus aditu intercluduntur; et licet de eo inquirendo nihil praetermiserint, tamen ubi locorum sit aut gentium, se reperire vel etiam audire posse plane desperant. Hac in acerba rerum aberratione quum eorum necessitates magis magisque urgeant, et detrimenta communitatis ipsi diutius ferre non valeant; Nobis idcirco humiliter supplicari fecerunt, ut quae antea de prioris generalis consensu, seu approbatione facere consueverant, apostolicae auctoritatis Nostrae praesidio nunc liceat ipsis exequi atque perficere.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur priorem, monachosque praedictos omni pietatis ac dilectionis studio complecti, omnique etiam solatio levare cupientes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, tibi per praesentes committimus, et mandamus, ut diligenter, ac mature perpensis omnibus, quae ad te prior, monachique praesenti toto durante tempore, quo dictus generalis impervius ignotusve ipsis permanserit, vel eo, antequam iterum innotescat, forte e vivis sublato, alius in ejus locum legitime suffectus non fuerit, de rebus suis sive spirituale sive temporale bonum, ac seu particulares personas, seu totam communitatem spectantibus fuerint delaturi, quaeque tu in Domino ut fiant vel necesse vel utile fore putaveris, licentiam ipsis cuncta hujusmodi libere ac licite peragendi pro tui prudentia et conscientia indulgeas, atque concedas, facultatesque omnes ad id necessarias Nos auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium tibi plenarie tribuimus atque impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia septembris millesimo octingentesimo, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 8. octob. 1800. Anno I.

XIX.

Exemptio monasterii Gavottarum nuncupatarum oppidi Colurni ad instantiam infantis regis Hispaniarum.

Dilectissimo in Christo filio Nostro Ferdinando Hispaniarum infante.

Pius PP. VII.

Dilectissime in Christo fili Noster
Salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§. 1. Perlubenter sane accepimus, te monasterium sacrarum virginum Gavottarum, ut vulgo nuncupantur, sub regula s. Dominici, in Colurni oppido, in quo domicilium tibi collocasti, impetrata venia, ab felicis recordationis praedecessore Nostro Pio VI. superiore anno constituisse; ac vehementer laetati sumus omnia adhuc in isto negocio, ut perlatum ad Nos est, fuisse gesta ex sanctissimis et saluberrimis Ecclesiae, ac Tridentini praesertim concilii institutis, ac legibus. Magnae sunt profecto Nobis habendae gratiae et agendae Christo, quod ejus sponsis pateat apud te receptus, tam tristi earum tempore, locumque istic ipsae nactae sint quietis, et tranquillitatis, in quo sub umbra illius, quem desideraverant sedeant, ejusque fructus gutturi admodum dulces percipiant. Expositum vero iisdem Nobis tuo nomine nuper fuit, id praeterea te cupere, ut monasterium istud jurisdictioni episcopi dioecesis a Nobis subducatur; atque illud etiam, ut quoniam in tanta temporum varietate, fortunarumque vicissitudine dudum jactamur, si satius duxeris immutare quidpiam de istius monasterii statu hujus rei tibi a Nobis potestas fiat.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur, quibus eximia tua erga Deum pietas, ejusque amplificandae gloriae cum summa prudentia, sapientiaque conjunctum studium est perspectum, et exploratum, quique id solum tibi curae esse intelligimus, quod ad monasterii a te fundati utilitatem pertinere maxime sentias, satisfacere tibi plane volumus. Itaque motu proprio, certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine harum literarum serie primum commemoratas apostolicas praedecessoris Nostri literas, quarum tenorem hic pro expresso haberi volumus, de isto monasterio condendo, et istruendo die decima octava februarii superioris anni ad te datas adprobamus, et confirmamus, et quae in ea illarum sententia egeris rata habemus: istud ipsum deinde monasterium decernimus et declaramus a jurisdictione episcopi dioecesani in perpetuum tam in spiritualibus, quam in temporalibus exemptum esse, iisque subjectum immediate; quibus tu malueris, salva tamen illi, et incolumi prorsus, nullaque ex parte diminuta auctoritate, et potestate omni, quam in monasteria monialium etiam exempta episcopo cuique tribuunt cum Tridentini concilii decreta, tum Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum constitutiones, quas adamussim, et in istud observari jubemus.

Declaratio specialis.

§. 3. Tibi demum dilectissime in Christo fili Noster, ut si res, tempusque forte postulaverint diversum aliquod de isto monasterio ordinari, et constitui, aut in patronatus jure transferendo a te abdicandove, aut in illius bonorum administratione, aut in regimine tradendo aliis, aut in loco, ubi rei divinae interesse, et psalmis concinnendis dare operam debeant, aut in quacumque ratione alia, id libere, ac licite possis, et valeas, certiore tamen facta apostolica Sede per congregationem super negociis episcoporum, et regularium praepositam, indeque petita, ut par est, atque expectata gestorum adprobatione, et confirmatione, motu, scientia, et de potestatis plenitudine praedictis concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die tertia octobris millesimo octingentesimo, pontificatus Nostri anno primo.

XX.

Dat. die 20. octob. 1800. Anno I.

Allocutio habita in promotione eminentissimi cardinalis Ludovici De-Borbon episcopi Hispalensis.

Venerabiles fratres.

Proemium, et significatio novae creationis cardinalis de Borbon.

§. 1. Post diuturnum moerorem quo tamdiu venerabiles fratres affecti fuimus propter ea, quae in tanta temporum jactatione Nobis vobisque fuerunt perferenda, illuxit tandem aliquando dies, in quo magno cum gaudio Nostro et apostolicae hujus Sedis dignitati prospicere et Nobis religiosissimi ac potentissi-

Digitized by Google

mi regis praesidia parare a Deo optimo maximo concessum est. Constituimus hodie adsciscere in numerum S. R. E. cardinalium venerabilem fratrem Ludovicum de Borbon filium Ludovici regii Hispaniarum infantis, fratris Caroli III. patris Caroli IV. nunc feliciter regnantis, archiepiscopum Hispalensem, et nova clarissimi antistitis adjectione augere atque ornare collegium vestrum.

Suam laetitiam explicat in hac decernenda creatione.

§. 2. Quanta Nos laetitia hoc et facere pridem cupiverimus et perficere nunc properemus dissimulare non possumus. Et vero quid tam laetandum, quam oblatam tandem aliquando Nobis occasionem esse declarandi orbi terrarum universo gratum animum Nostrum in eum regem, quem cum multa, magna ac vetera promerita in ecclesiam commendant, tum quae nuper fecit, cum Pio sexto decessori Nostro fel. rec. peregre agenti, aetate, morbo, laboribusque confecto omni officiorum genere in aerumna adfuit, donant immortalitate? Cujus sane patientissimi parentis Nostri, ut admiranda constantia in tot adversis perferendis immortalis in ecclesia est futura, ita charitas qua Nos omni tempore paterno prorsus amore est complexus e gratissimi animi Nostri memoria nunquam deleri poterit.

Desideria praedecessoris implere declarat.

§. 3. Ac Nos quidem venerabiles fratres cum archiepiscopum Hispalensem in collegium vestrum adsciscimus ejusdem decessoris Nostri desideriis obsequi certi sumus. Exploratum enim est Nobis eum, nisi illa accidissent propter quae idem ex urbe excedere coactus est, constitutum habuisse collegio vestro novum hoc decus addere, et hoc grati animi testimonium regi amantissimo dare, cui multis nominibus se obstrictum fatebatur.

Tum et grati animi testimonium praebere velle significat erga regem catholicum.

§. 4. Quamquam vero Nos ita pontificis optimi voluntati obsequimur; ut etiam amoris ac grati animi Nostri desideriis in eumdem regem religiosissimum, atque in Nos humanissimum pareamus. Perlatum fuit enim ad Nos in assumptione Nostra ad supremum pontificatum quanto gaudio princeps religiosissimus audierit, quae de Nostra indignitate fuerant a Domino constituta, quibus laetitiae significationibus per Hispaniam universam eos dies celebrari jusserit, quae denique statim ad declarationem egregiae suae in hanc apostolicam Sedem voluntatis fecerit, ut quodammodo signum aliquod in tam calamitosis Ecclesiae temporibus ad bene de omni re christiana sperandum sustulisse sit visus. Gaudemus igitur, atque ex animo venerabiles fratres gaudemus opportunitatem Nobis oblatam esse declarandi omnibus sensus Nostros, nihilque magis cupimus, quam ut quisque intelligat quo loco humanissimi regis studia pietatemque habeamus, utque ei, ut regiae familiae ejus, ut denique Hispaniae universae gratificari desideremus.

Laudes principis eligendi.

§. 5. Accedunt in cumulum laetitiae Nostrae singulares laudes ejus, cujus dignitas a Nobis hac honoris adjectione est amplianda. Neque vero eas dicimus quae communes sunt pluribus, neque tam animi laudes sunt, quam fortunae munera; regium genus, summum splendorem, amplissimam dignitatem, verum eas, quae propriae virtutis sunt, ut quae non a majorum claritate acceptae, non a fortunae largitate profectae, sed in morum praestantia, in recte factorum celebritate sunt constitutae.

Idem ut supra.

§. 6. Informatus ille sanctissimis disciplinis, atque ad normam apostolicae severitatis exactus cura ac vigilantia dilecti filii Nostri Francisci Antonii cardinalis archiepiscopi Toletani, ita pientissimi ac sapientissimi viri studiis, amori ac sedulitati respondit, ut judicio omnium exemplar extiterit ecclesiasticae modestiae ac gravitatis. Adolescens virtutem seniorum atque sanctiorum aemulatus, positus super candelabrum ut luceret omnibus in domo Domini Hispalensem ecclesiam cui regendae a Deo designatus est, virtutibus suis illustravit, sacerdotii decus auxit, Hispaniam in admirationem sui rapuit, nihil in se desiderari umquam passus, quod proprium ejus muneris esset quo is tanta cum laude fungebatur. De cujus paterna in gregem suum charitate (ut de caeteris ejus laudibus sileamus) illud nunquam demirari desinemus, quod is grassante in urbe Hispali lue, ita ut nemo nisi qui coelo illo abscederet expers communis calamitatis esse posse videretur, versari communi in periculo maluit, quam a grege suo in discrimine abesse. In cujus calamitate levanda ita largitatem suam prodidit, ut magna pecuniae vi in alimenta egenorum, atque languentium erogata, cum jam ea deficeret, argentea vasa vendi jusserit, ne quis eorum praesidiis liberalitatis suae destitueretur.

Digitized by Google

Idem ut supra.

§. 7. Quae cum ita sint venerabiles fratres cum eum ad istum amplitudinis gradum provehere constituimus, ad quem vos etiam egregia ac singularia vestra in Ecclesiam promerita provexere, id Nos constituisse judicamus, ex quo et eximium decus collegio vestro, et maximum Romanae Ecclesiae ornamentum et firmissimum apostolicae huic Sedi praesidium debeat accedere.

Spes locata in ejus virtutibus.

§. 8. Confidimus antistitem praestantissimum collegam vestrum amplissimi honoris accessione auctum, nexu arctissimae conjunctionis Nobis, ac collegio apostolico firmissime copulatum ita fidem, studium ac religionem suam Ecclesiae probaturum, ut Nos recte de ejus amplitudine augenda cogitasse, his autem honorum insignibus, quibus eum ornatum voluimus magnum decus accessisse videatur.

Creatio in cardinalem.

§. 9. Quae cum ita sint, ad majorem Dei omnipotentis gloriam ac S. R. E. utilitatem, ac decus, constitutum habemus ad cardinalatum promovere et adjicere collegio vestro venerabilem fratrem Ludovicum de Borbon.

Quid vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum apostolorum Petri et Pauli ac Nostra creamus et declaramus S. R. E. presbyterum cardinalem Ludovicum de Borbon archiepiscopum Hispalensem cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis, eique committimus in forma ecclesiam s. Mariae de Scala in titulum, jam ejus parenti Ludovico regio infanti commissam, et una cum birreto annulum et galerum rubrum quamprimum transmitti mandamus. In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Dat. die 30. octob. 1800. Anno I.

XXI.

Concessio officii camerariatus S. R. E. pro eminentissimo cardinali Braschio de Honestis.

Dilecto filio Nostro Romualdo Sanctae Romanae Ecclesiae diacono cardinali Braschio de Honestis nuncupato.

Pius PP. VII.

Dilecte fili Noster
salutem, et apostolicam benedictionem.

Deputatio in camerarium.

§. 1. Quum deliberatum sit Nobis vetus regimen in ditione Nostra temporali revocare, nunc profecto tandem, quando respublica tantis tempestatibus, et fluctibus jactata, atque eversa, respirare aliquantulum, ac se erigere videtur, haud multum sane dubitavimus et cui honorem amplissimum, ac munus camerarii Sanctae Romanae Ecclesiae mandaremus, quod gessit antea bonae mem. Carolus ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis episcopus Portuensis Rezzonico, nuncupatus, qui duobus ab hinc fere annis extinctus est. Tu enim, dilecte fili Noster, statim occurristi eo dignus, qui nempe fel. rec. Pii VI. praedecessoris Nostri, cujus summa extant in Nos praecipue merita, ex sororis filius, quique jam aliis muneribus magna es cum laude perfunctus, tuamque egregiam fidem, ac virtutem huic sanctae Sedi apostolicae mirifice probasti. Quare motu proprio, certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine tenore praesentium te in locum praedicti Caroli cardinalis episcopi camerarium Sanctae Romanae Ecclesiae ad tui vitam constituimus, facimus, declaramus, cum omnibus facultatibus, et juribus, quae in constitutione Nostra super restauratione regiminis pontificii hac ipsa die edita in lucem, sunt accuratius descripta.

Dispensatio ob non factam declarationem in consistorio de collatione dignitatis.

§. 2. Et quamquam te nondum in consistorio Nostro secreto, ut mos postularet, ista dignitate auctum renunciaverimus, neque dum tibi literae apostolicae sub plumbo sint expeditae, in quibus uberius officii tui ratio, et modus explicetur; quod utrumque propediem faciendum omnino decernimus; quia tamen permagni interesse arbitramur, mature te manum negotio admovere, tibi ut delati muneris possessionem, seu quasi possessionem, per te ipsum, aut per legitimum procuratorem tuum statim apprehendere, illudque munus ex norma commemoratae constitutionis Nostrae, protinus exercere libere, ac licite possis, et valeas harum ipsarum literarum vigore, motu, scientia, et potestate paribus concedimus, et indulgemus.

Mandatum de obedientia. §. 3. Mandamus propterea in virtute sanctae obedientiae dilectis filiis camerae apostolicae Nostrae decano, et clericis, praesidentibus, et aliis officialibus, et ministris, ac caeteris quibuscumque, ad quos spectat, ut te tamquam Nostrum, et Sanctae Romanae Ecclesiae camerarium agnoscant, recipiant, revereantur, tibique ejusmodi obeunti officium pareant, faveant, praesto sint. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut nullam tu ante istius ipsius officii partem adtingas, quam de eo fideliter administrando praestes in manibus Nostris debitum in forma solita juramentum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesima octobris, millesimo octingentesimo, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 30. octob. 1800. Anno I.

XXII.

Reformatio curiae Romanae, et nova tribunalium jurisdictio.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Post diuturnas publicas apostolicae Sedis urbis, ejusque provinciarum perturbationes, quibus fel. record. Pius VI. gloriosissimus praedecessor Noster ita jactatus fuit extremis suae vitae temporibus, ut vita functus immortali hominum memoria celebretur; Nos in ejus locum sine ullis meritis Nostris, Deo volente, suffecti, vix aliquantum respirare coepimus, ut statim Romam accedere statueremus, ibique cum ipsa b. Petri antiquissima Sede conjungi. Noveramus profecto quantae, Nos illic difficultates, sollicitudinesque manerent ad revocandum pristinum ecclesiasticae ditionis regimen, cujus vix ullum optime ab antiquissimis temporibus constituti vestigium remanebat. Sed divina clementia confidebamus fore, ut ea Nobis praesto essent consilia, rationesque, quibus ita rem aggredi possemus, ut paulatim publicus, qui maxime optandus esset, rerum status exsurgeret.

Animadversiones generales. §. 2. Ac primum cum videremus ob profugos, ac per varia loca dispersos Romanae curiae praesules, qui jampridem publicis officiis fungebantur, deesse Nobis copiam illorum, quorum ope regi publica res administrarique posset, et dolendum Nobis magis erat et ducendum tempus, donec ipsi quasi e postliminio in patriam remearent, ac interea cum illis res gerendae quibus jam commissae reperiebantur, eocumque opera, quantum nova exposcerent tempora opportune ex Nostra auctoritate moderandae. Tum vero ejus temporis intervallo proficientes omnia in consultationem adducere duximus, qui scilicet ordo pro necessitatum varietate inducendus esset, vel ad convulsum rerum statum stabiliendum, vel ad novum, qui potior inveniri posset, instituendum, ut meliora rebus inventa accommodarentur.

Providentiae provisorie captae memorantur. §. 3. Quum mentem Nostram primum Venetiis, celeberrima, Nostrique studiosissima civitate adhuc morantes, in motu proprio declaravimus ad tres dato venerabiles fratres Nostros S. R. E. a latere legatos, quos ad urbem praemittebamus; deinde in edicto secretariae Nostrae status die 26. junii hujus anni Laureti edito, quorum in utroque provisum per Nos est temporario status regimini, quousque stabilis alius, perpetuoque permansurus induci posset. Postremo cum Romam advenissemus, tertium hujus generis edictum emisimus die 9. julii, in quo omne posuimus studium, consilium, diligentiam, ut rite, recteque pontificium regimen instaurari valeret. Hanc ob rem dum nonnullas congregationes instituimus, quarum labor in peculiaribus quibusdam publicarum rerum utilitatibus, et commodis versaretur, assumpsimus etiam non parvum selectorum ex multis classibus virorum numerum, qui sedulo laborarunt in utilissima universi regiminis curandae restaurationis opera, in sua dividentes genera quaecumque examini subjicienda esse videbantur, idque accuratissime prosequuti sunt iis praesertim partibus, quae prae caeteris urgebant, Nobisque illi alacriter obsequebantur, dum sua sponte currentibus stimulos tamen addideremus, ut quod necessario videndum erat, praemitterent, ut nempe antiquum, in quo excellebat, regimen restitueretur; caetera vero, quae moram aliquam pati possent, ad posteriora studia remitterentur, ex quibus

tota demum moles ad fastigium perveniret. Maxime enim Nobis in animo est, ut esse debet, formas et regendi rationes a Nostris praedecessoribus sapientissime stabilitas, et longo usu, et multorum saeculorum experientia comprobatas, quantum fieri potest, retinere et conservare: non ita tamen ut persuasum Nobis non sit, interdum convenire eas induci mutationes, quas singulorum, universorumque utilitas ob rerum, ac temporum conversiones expostularet. Illud etiam in animo Nobis versabatur nulla umquam ita perfecta, atque omnibus numeris absoluta hominum inventa existere, ut longo annorum cursu irrepere varii abusus, corruptionesque non possint, ac nova quaedam inducta, quae non facile pristinis accommodentur, aut ab initio aliquid defuisse, quod vel ipsa legislatorum sapientia non praenoverit. Dum igitur quae corrupta jam iniquitate temporum sunt, per Nos ad pristinas rationes reparantur, ac antiquis et novis accessionibus emendantur, operae pretium duximus nova quaedam adjungere, vel ad exequendum faciliora, vel publicis pro tempore rebus aptiora. Ea praecipue cum nobiscum communicasset haec ipsa congregatio, in quibus tria diligentissime doctissimeque petractantur decretorum genera, nimirum de institutione oeconomica, civili, et criminali stabilienda, statim Nos ad eorum considerationem mentem Nostram convertimus, ac non sine plurima sapientiae commendatione inesse in iis deprehendimus quosdam tanquam nervos legum perpetuo stabiliendarum. Eadem consulta Nos in pluribus sequi decrevimus, aliqua tamen adhuc differenda Nobis visa sunt, iisque promulgandis opportuniora tempora expectanda.

Temporarii regiminis revocatio.

§. 4. Itaque cum ad eam rationem, quam descripsimus deducta esse plurima videamus, neque in aliquot aliis, quae implicatiora adhuc sunt tantopere properandum judicemus, cessare volumus illud temporarium regimen, quo provideri publicis rebus necessitate cogente debuit, ac suam vim restituimus antiquis regiminis formis, abolentes omnis generis abusus, moderationesque varias inducentes, quae in subjectis continentur decretis ab eadem congregatione Nobis propositis, et in sequenti forma apostolica Nostra auctoritate approbatis.

DECRETA

De publicae oeconomiae administratione, et administratoribus.

Revocatio propinarum in celebratione instrumentorum.

I. §. 5. Sia per l'avvenire proibito di convenire negl'istromenti d'affitto, d'appalto, e di qualunque altra concessione di cose pubbliche le così dette regalie, e propine a favore de' pubblici amministratori, de' loro subalterni, o di qualunque altra persona in guisa, che tutto ciò dall'appaltatore, o affittuario per qualsivoglia titolo si corrisponde, ceda d'ora innanzi nella sua piena integrità a favore della cassa, che si amministra.

De assignamento thesaurarii, et ministrorum.

II. §. 6. Dalla congregazione economica deputata si fissi un annuo stabile assegnamento a monsignore tesoriere, ed anche a tutti quegl'impiegati, e ministri che dalle propine, e regalie convenute negl'istromenti traevano o in tutto, o in parte la lor sussistenza.

Prohibitio ne ministri ullo pacto sese immiscere valeant in negociis cameralibus.

III. §. 7. Sia proibito a tutti i ministri addetti al servigio di qualunque publica amministrazione di assistere in qualità di agenti, procuratori, o con qualunque altro titolo negli affari anche estranei, gli appaltatori, i finanzieri, e tutte quelle persone, che hanno un interesse diretto nell'amministrazione alla loro cura affidata, a tenore anche della costituzione di Giulio II. del 1506., e con la pena, in caso di aperta, o di occulta trasgressione, della privazione dell'impiego.

Nec per interpositam personam.

IV. §. 8. Sia obbligato a dimettere liberamente qualunque consimile assistenza, senza poterla cedere ad altri di sua stretta relazione, chiunque se ne trovasse investito nell'atto della sua assunzione a qualche pubblico ministero.

Item de stipulandis contractibus de rebus ad fiscum pertinentibus.

V. §. 9. Siano rigorosamente ripristinate le antiche leggi Romane, e le costituzioni pontificie, che proibiscono a tutti i pubblici rappresentanti di far acquisti nei luoghi di loro giurisdizione, ai cortigiani del principe, ed ai magistrati di contrattare su i beni del fisco; e sia vietato d'ora innanzi anche ai parenti dei camerali in primo grado, non che a quelli de' cortigiani suddetti nel medesimo grado di far contratti colla camera sotto pena di nullità dei medesimi, e della perdita del capitale, e dei frutti.

De revocatione defalci

VI. §. 10. In tutti i contratti, che appartengono all'interesse delle pubbliche casse, do-

In contractibus cameralibus.

vranno per l'avvenire non solo sottintendersi sempre le rinunzie degli appaltatori ad ogni defalco, e bonifico, sebbene non siano esplicitamente, o implicitamente stipolate, ma anche considerarsi come una parte della pensione convenuta.

Idem in contractibus communitatum.

VII. §. 11. In tutti i contratti delle comunità si ripristini rigorosamente il sistema della pubblica licitazione con le regole prescritte dalle leggi veglianti, e relativamente ai contratti fiscali, e camerali si osservi strettamente il chirografo Benedettino del 1742. evitando sì negli uni, che negli altri contratti in qualunque maniera e sotto qualunque pretesto le cessioni ad un terzo della cosa licitata.

De administratione officiorum.

VIII. §. 12. Le computisterie dei dipartimenti economici, e segnatamente quella della reverenda camera dovranno ritenere tutt'i libri in corrente, ed in tal modo ordinati, che chi presiede alla pubblica amministrazione possa in ciascun giorno, se vuole, avere un'esatto stato dei conti; ed affinchè questo provvedimento resti onninamente eseguito, si ordina espressamente al tribunale della piena camera di farsi render conto ogni sei mesi tanto dal capo della computisteria camerale, che dai capi delle altre computisterie dei dipartimenti ad essa soggetti della effettiva, e reale esecuzione di questo decreto, multando con sospensione di onorario i ministri subalterni in caso d'inadempimento, finchè questi non verifichino l'esecuzione del decreto, ed anche privandoli d'impiego, se lo crederà opportuno: la qual provvidenza si adatti ancora alla computisteria del Buon Governo, la quale dovrà rendere il dovuto conto alla piena congregazione.

De jure administratorum retinendi subalternos ministros.

IX. §. 13. Si accorda ai particolari amministratori di ciaschedun dipartimento il pieno arbitrio di adottare il sistema di ritenere gli architetti, agrimensori, misuratori, e simili professori addetti alle rispettive aziende con soldi fissi, e mensuali, o piuttosto di sceglierli a seconda dell'opportunità, e di soddisfarli adequatamente compita che sia la loro opera.

De subjectione feudorum.

X. §. 14. Siano soggetti alla giurisdizione della consulta, e della congregazione del Buon Governo i feudi camerali di ogni genere, tanto quelli cioè che appartengono a mons. tesoriere, e suoi subalterni, quanto quelli spettanti alla piena camera, e governati dai chierici di camera a tal'officio singolarmente deputati.

De jurisdictione cardinalis camerarii.

XI. §. 15. Dovrà il cardinal camerlengo reputarsi il privativo ministro della legislazione economica, da cui perciò dovranno in questo punto dipendere tanto monsignor tesoriere, quanto i particolari dipartimenti, o siano le presidenze de' chierici di camera, niuna eccettuata, ed annullando qualunque privilegio, che alcuno potesse per qualsivoglia titolo affacciare.

De ejus munere et privilegiis.

XII. §. 16. Si conservino per ora, secondo il solito, al cardinal camerlengo tutte le altre particolari ingerenze, di cui è specialmente incaricato, sebbene, come si è stabilito nell'antecedente decreto, il ministero della legislazione economica debba essere il suo principale attributo.

De muneribus r. p. d. thesaurarii, et clericorum r. c. a.

XIII. §. 17. Nella esecuzione delle funzioni già determinate dalle leggi tanto monsig. tesoriere, quanto i chierici di camera presidenti saranno liberi ed indipendenti dal card. camerlengo senza essere obbligati a fargliene relazione.

De jurisdictione r. p. d. thesaurarii.

XIV. §. 18. Eccettuata la legislazione, di cui si è parlato, tutto ciò che risguarda sistema di finanze, percezione d'imposte, e che appartiene in una parola all'economia fiscale, dovrà privativamente dipendere da monsignor tesoriere.

Idem ut supra.

XV. §. 19. Si rimette all'esame, ed al prudente arbitrio di monsig. tesoriere tanto la diminuzione del numero dei sostituti della camera, restringendolo al puro necessario servigio della medesima, quanto la continuazione, o la soppressione della carica d'ispettore delle finanze, al quale però si tolga assolutamente l'annua prestazione degli scudi cinquecento, che oltre una tal qual parte degli utili risultanti dalle casse delle finanze, gli era stata, come per antiparte, assegnata.

De suppressione muneris archivistae.

XVI. §. 20. Siano soppresse le cariche d'archivista del tesorierato, ed archivista de' luoghi de' monti, e si rimuovano da ciascun officio, e segreteria i soprannumeri aggiunti da cinque anni a questa parte, nè mai più se ne ammettano per l'avvenire, lasciando soltanto ad arbitrio di monsig. tesoriere la retenzione di tutti i sopranumeri delle porte.

De secretario.

XVII. §. 21. Si elegga un segretario fisso, e permanente del tesorierato.

De suppressione nonnullarum congregationum.

XVIII. §. 22. Siano soppresse le congregazioni così dette de' conti, e camerale composte di monsig. tesoriere, di altri camerali suoi

subalterni, e di alcuni chierici di camera a tali ingerenze particolarmente destinati; e le funzioni dell' una e dell' altra si esercitino d' ora innanzi dal pieno tribunale della camera colle regole, e direzioni che si prescrivono negli appresso decreti.

De redditione rationis a ratiocinatore praebenda.

XIX. §. 23. La computisteria camerale presenterà al tribunal della camera dentro il mese di marzo il bilancio generale tanto di scritture, che di cassa dell' anno precedente, amettendovi un parallelo esatto da cui risultino distintamente le varietà, che vi possano essere relativamente all' ultimo precedente bilancio, ed individuando le causali di dette varietà.

De examine redditionis rationis.

XX. §. 24. Il tribunal della camera impiegherà il successivo mese in esaminare il bilancio suddetto, e nel principio dell' altro susseguente lo presenterà al sovrano corredato delle sue osservazioni sopra gl' inconvenienti occorsi ne' diversi rami dell' amministrazione dell' anno precedente.

De aliis expunctionibus computorum ab administratoribus, vel redemptoribus exhibendis.

XXI. §. 25. I rendimenti de' conti di tutti gli appaltatori, affittuari, amministratori, e di qualunque altra persona, o corpo, che per qualunque causa abbia interesse, e conti coll' erario dovranno d' ora innanzi prima dei 15. di gennajo presentarsi direttamente al tribunale della piena camera, da cui si passeranno a monsignor tesoriere, il quale rilevando in essi col mezzo della computisteria generale ciò, che stimerà più opportuno, li dovrà respingere dentro il mese di marzo unitamente al bilancio generale alla camera medesima, che tanto prima, quanto dopo la detta trasmissione potrà assumerne l' esame, intesa ancora, quando occorra formalmente ed in contradittorio giudizio le parti interessate.

De oblationibus exhibendis in contractibus.

XXII. §. 26. Sotto pena di nullità dei contratti in caso di contravvenzione dovranno preventivamente esibirsi da monsig. tesoriere le offerte su gli appalti, ed affitti camerali al tribunale della camera, affinchè su di esse possa dare il suo giudizio a tenore appunto di ciò, che si ordina nelle più volte indicata Bolla di Pio IV.

De examine contractuum a tribunali camerae faciendo.

XXIII. §. 27. Dovendo il tribunal della camera essere consultato tanto da monsig. tesoriere, quanto da altri capi di dipartimenti economici in occasione delle spese più forti, e sugli affari più rilevanti, che possono aver rapporto coll' interesse dell' erario, dovranno esibirsi al medesimo, prima che si venga alla formale stipolazione degl' istromenti, le minute stesse de' contratti, che occorrerà fare con qualche intraprendente, ed artista.

Abolitio strenarum.

XXIV. §. 28. Siano abolite per modo di legge inviolabile tutte le mancie, alle quali sotto qualsivoglia nome, e pretesto erano in addietro sottoposti gli artisti della camera.

De convocatione tribunalis cameralis pro discussione causarum.

§. 24. Non ostante la Bolla di Pio IV. *de registrandis*, la regola della Nostra cancellaria *de jure quaesito non tollendo*, e non ostante ancora tutti, e qualsisiano chirografi, brevi, ordinazioni, e costituzioni apostoliche Nostre, e de' Nostri predecessori, bandi, ed editti in virtù di esse, ed in qualunque modo emanati, affissi, e pubblicati, leggi, statuti, riforme, stili, e consuetudini, e qualunque altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario, alle quali tutte, e singole avendone il tenore qui espresso e di parola in parola inserto, e registrato, e supplendo colla pienezza della Nostra potestà pontificia ad ogni vizio, o difetto, quantunque sostanziale, e formale, che vi potesse intervenire per questa volta sola, e per la piena, e totale esecuzione di quanto si contiene nella presente Nostra cedola di moto proprio ampiamente, ed in ogni più valida forma deroghiamo. Dato dal Nostro palazzo apostolico Quirinale questo dì trentuno ottobre mille ottocento.

XXV.

Dat. die 21. nov. 1800. Anno I.

Facultas monialibus monasterii s. Crucis Venetiarum recitandi matutinum et laudes post solis occasum diei antecedentis, non jejunandi quotidie tempore adventus, dormiendique in cellis seorsim.

Dilectis in Christo filiabus abatissae, et monialibus monasterii sanctae Crucis tertii ordinis sanctae Clarae civitatis Venetiarum.

Pius PP. VII.

Dilecte filiae,
salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§. 1. Vester exiguus numerus, atque inclinata aetas, et infirmitas corporis, et valetudo incommoda, qua estis pleraeque, videntur Nobis profecto exposcere, ut de instituti ve-

Digitized by Google

stri severitate aliquid remittatur. Quis enim ignorat quod Christus, qui vos sibi sponsas delegit, professus aperte est, jugum nempe suave prorsus esse suum, et onus leve? Quamobrem non multae deliberationis fuit adsentiri vestris postulatis, quae nuper ad Nos deferri curastis, quaeque intelleximus non ab mollitie, et languore animi, et virtutis profecta, sed ex eo quod vires vos, et facultas defecerint.

Tenor concessionis.

§. 2. Itaque vos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristis, hujus tantum rei gratia absolventes, at absolutas fore censentes, vobis, ut, quamdiu ordinarius civitatis istius vestrae expedire in Domino judicaverit, matutinum, et laudes divini officii non de media nocte, sed post occasum solis diei antecedentis recitare, seu concinere possitis, tum ut a die festo omnium sanctorum ad Natalem Domini non quotidie, sed feria tantum quarta, et sexta jejunare debeatis, denique ut in cella quaeque vestrum seorsim sua, non in dormitorio simul somnum capere valeatis, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, et in ejusmodi tribus capitibus ab obligatione quacumque vestrae servandae regulae omnes, et singulas vos, quoad usque, ut dictum est, ordinario vestro videbitur, solutas esse decernimus, et declaramus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non vestri ordinis, et monasterii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima prima novembris millesimo octingentesimo, pontificatus Nostri anno primo.

XXVI.

Dat. die 21. nov. 1800. Anno I.

Facultas uniendi in perpetuum vicariae de Martos ordinis Calatravae prioratum sancti Benedicti ejusdem ordinis.

Carissimo in Christo filio Nostro Carolo Hispaniarum regi catholico.

Pius PP. VII.

Carissime in Christo fili Noster salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Majestatis tuae nomine expositum Nobis nuper fuit, quod quum vicaria villae de Martos nuncupatae, quae ad Calatravae militarem ordinem pertinet, et in Calatravae territorio manet, tenuiter dotata existeret clar. me. Carolus Hispaniarum rex catholicus genitor tuus anno 1775. tunc dicti ordinis administrator perpetuus opportune disposuit, ut de ejusdem ordinis communi aerario ducata tercentum quotannis tribuerentur vicariae praedictae usquedum congrui redditus beneficii, seu prioratus in augmentum dotis perpetuo illi vicariae assignandus uniendusque vacaret. Quoniam vero frater Joseph de Solis et Escobedo, qui prioratum dicti ordinis sub invocatione sancti Benedicti Hispali erectum obtinebat, mox vivis decessit, tu qui modo ejusdem praedicti ordinis perpetuus pariter administrator existis, praenominatam vicariam, quo parva ejus dos juxta genitoris tui vota satis accrescat, prioratu hujusmodi ad praesens vacante, ditari, ac inter alia, quibus gaudet, bona, hunc etiam prioratum perpetuo possidendum ipsam habere desideras, si Nostra ac hujus sanctae Sedis facultas accedat. Nobis propterea supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur majestatis tuae votis quantum cum Domino possumus annuere volentes ac eorum singulos, quorum interest, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque

Digitized by Google

ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, eidem majestati tuae enunciatum prioratum ejusque simul fructus, redditus, proventus, jura, privilegia, honores omnes, ac onera dictae vicariae oppidi de Martos, quo commodius, firmiusque subsistat, auctoritate Nostra apostolica in perpetuum applicandi, uniendi, atque incorporandi eadem auctoritate plenariam ac omnimodam facultatem tenore praesentium concedimus, tribuimus, ac impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes has Nostras literas, semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari:

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate, alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima prima novembris millesimo octingentesimo, pontificatus Nostri anno primo.

XXVII.

Dat. die 3. dec. 1800. Anno I.

Extensio officii proprii cum missa (quod utrumque inseritur) in honorem s. Raymundi abbatis ad cuncta regis catholici dominia juxta decretum congregationis Rituum.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Nuper carissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis catholici nomine supplicatum Nobis fuit, ut pietati, qua is est incensus erga sanctum Raymundum abbatem fundatorem ordinis militaris de Calatrava appellati obsequentes, multo latius, quam adhuc factum sit proferamus officium proprium cum missa, in honorem ejus sancti, quod quidem jam a sac. rit. congregatione die vigesima prima januarii anno MDCII. adprobatum, et concessum monachis congregationis Cisterciensis fuerit, ac subinde ab eadem sac. rituum congregatione die decima quinta februarii anni MDCCXXVII. ad Romanum ritum redactum, atque annuente felicis recordationis Benedicto pp. XIII. praedecessore Nostro ad clerum civitatis et dioecesis Tirasonensis extensum; tenoris qui sequitur:

OFFICIUM S. RAYMUNDI ABBATIS

Tenor officii concessi a sacra Rituum congregatione.

§. 2. Regalis monasterii sanctae Mariae de Fitero, et fundatoris ordinis de Calatrava.

Duplex. Omnia de communi confessoris non pontificis, praeter ea, quae hic apponuntur.

In Hymno, Iste Confessor, *dicatur*. Hac die laetus meruit supremos laudis honores.

Oratio.

Oratio.

§. 3. Deus, qui beato Raymundo abbati praeliari praelia tua, et fidei inimicos superare dedisti, concede, ut ejus nos intercessione muniti, ab hostibus mentis, et corporis liberemur. Per Dominum etc.

Lectiones primi nocturni.

§. 4. Lectiones primi nocturni in quadragesima erunt:

Justus, *si morte*. De eodem communi.

Si vero transferatur post pascha, erunt de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno

Lectio IV.

Prima lectio secundi nocturni.

§. 5. Raymundus, canonicus ecclesiae Furiasonensis in regno Aragoniae, quo divina

Digitized by Google

procul a mundi strepitu, liberius contemplaretur, superno spiritu afflante, in solitudinem se recepit. Deinde, cum Cisterciensium monachorum fama undequaque diffunderetur, illud amplexus est institutum, ac longe, lateque evulgata ejus vitae sanctimonia, abbas monasterii beatae Mariae de Fitero constitutus est. Postquam verbo, et exemplo ad omne opus pietatis suos induxisset, copiosum exercitum fidelium collegit, Castrum de Furrungen et Calatravam a Mauris tuendam, de manu Sanctii Castellae regis suscepit, ac peritia rei militaris mirabiliter pollens, saracenos fugavit, multasque urbes expugnavit. Novo, et usque ad ea tempora inaudito exemplo Raymundus monachatui militiam conjunxit. Ordinem militarem de Calatrava nuncupatum, et in tota Europa celeberrimum, ac a pluribus summis pontificibus approbatum, instituit, sub regula, legibus, et visitatione Cisterciensium: ex quo alii ordines militares, de Alcantara, de Christo, de Avibus, de Montesia de Monte Franco, de Monte Gaudio, et de Fruxillo, eidem religioni Cisterciensi subjecti prodierunt.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Et dedit ec.

Lectio V.

Lectio secunda. §. 6. Haec fuere prima semina inclytae militiae sub qua tot principes, tot duces, tot etiam aliae religiosae militiae profiterentur. Hujus novi ordinis milites quamdiu a praelio abstinebant, adamussim observabant victum, vestitum, psalmodiam, contemplationem, opus manuum, silentium, vigiliasque, ac denique mutuam quotidianorum defectuum proclamationem, ut nihil minus a monachis efficerent. Hinc praeceptum est communi assensu, et deliberatione capituli generalis Cisterciensis, ut illius ordinis milites essent filii monasterii Morimundi; utque abbas, et domus eadem, in eos jus illud filiationis haberet, quale in Morimundo noscitur habere Cistercium. Eidem militiae beatus Raymundus ultra ipsam Calatravae arcem, et oppidum, plura alia loca, et castra acquisivit.

℟. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae induit eum: * Et ad portas paradisi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad portas paradisi etc.

Lectio VI.

§. 7. Tandem vir sanctus utriusque militiae, coelestis, et terrenae supremus ductor, post multas victorias partas de Saracenis, plures de doemone, post caputiatas galeas orbi inductas, cunctis fidei inimicis formidabiles, post homines aptatos utriusque armis, qui, et ad sonitum buccinae leones, et ad tympani ictum agnos, illos in praelio, hos in claustris, imitarentur, plenus dierum, et virtutum, anno salutis millesimo, centesimo sexagesimo tertio, et sexto regiminis ordinis a se inchoati, animam emisit, multis post mortem miraculis illustris. Sacrae ejus corporis exuviae Toletum translatae in monasterio montis Sion, auctoritate Pauli papae secundi, literis datis die decima quinta mensis martii anno millesimo quadringentesimo sexagesimo octavo, super altaris aram ad epistolae cornu decenter collocatae fuerunt, additis a summo pontifice indulgentiis iis, qui eum locum devote visitaverint. Lectio tertia.

℟. Iste homo perfecit omnia, quae locutus est ei Deus, et dixit ad eum: ingredere in requiem meam: Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Quia te etc. Gloria Patri, etc. Quia te, etc.

IN III. NOCTURNO

Lectio s. Evangelii secundum Lucam. Cap. 3.

Lectio VII.

§. 8. In illo tempore dicebat Joannes ad turbas, quae exibant, ut baptizarentur ab ipso, genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Et reliqua Lectio quarta.

Homilia s. Bernardi abbatis
in exhortatione ad milites templi.

Si percutere in gladio omnino fas non est christiano, cur ergo praeco Salvatoris conten-

Digitized by Google

tos fore suis stipendiis militibus indixit, et non potius omnem eis militiam interdixit? Sed securae dissipentur gentes, quae bella volunt, et abscindantur, qui nos conturbant. Exeratur gladius uterque fidelium in cervices inimicorum, ad destruendam omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, quae est christianorum fides; ne quando dicant gentes: ubi est Deus eorum? Porro imminente bello, intus fide, foris ferro, non auro se muniant, quatenus armati, et non ornati, hostibus metum incutiant, non provocent avaritiam. Deinde non turbulenti, aut impetuosi, et quasi ex levitate praecipites, sed consulte, atque cum omni cautela, et providentia, se ipsos ordinantes, et disponentes in aciem, juxta quod de patribus scriptum est: veri profecto Israelitae procedunt ad bella pacifici.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni malo, et permanens in innocentia sua. Ipse intercedat, pro peccatis etc.

Lectio VIII.

Lectio quinta. §. 9. At vero, ubi ventum fuerit ad certamen, tum demum pristina lenitate postposita, tanquam si dicerent: nonne, qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam? Irruunt in adversarios, hostes velut oves reputant, nequaquam, etsi paucissimi, vel saevam barbariem, vel numerosam multitudinem formidantes. Noverunt siquidem, non de suis praesumere viribus; sed de virtute Domini Sabaoth sperare victoriam, cui nimirum facile esse confidunt, juxta sententiam Machabaei concludi multa in manu paucorum, et non esse differentiam in conspectu Dei coeli, liberare in multis, et in paucis; quia non in multitudine exercitus est victoria belli, sed de coelo fortitudo est. Ita denique miro quodam, ac singulari modo cernuntur, et agnis mitiores, et leonibus ferociores, ut pene dubitem, quid potius censeam appellandos, monachos videlicet, an milites, nisi quod utrumque forsan congruentius nominarim, quibus neutrum deesse cognoscitur, nec monachi mansuetudo, nec militis fortitudo. De qua re quid dicendum, nisi quod a Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris? tales sibi elegit Deus, et collegit a finibus terrae ministros ex fortissimis Israel, qui vere lectulum Salomonis vigilanter, fideliterque custodiant, omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi.

℟. Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis.

℣. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos similes, etc. Gloria Patri, etc. Et vos similes, etc.

Nona lectio dicitur de homilia occurrenti, et in laudibus commem. feriae.

§. 10. Quod si contigerit, hoc festum celebrari extra quadragesimam in die, in quo non occurrat festum simplex propriam lectionem habens, tunc dividatur octava lectio ab illis verbis: *Ita denique;* quae cum sequentibus usque ad finem, legentur pro nona lectione. Lectio sexta.

Missa dicitur *Os justi* de communi abbatum, praeter sequentia.

Oratio.

§. 11. Deus qui beato Raymundo abbati praeliari praelia tua, et fidei inimicos superare dedisti, concede, ut ejus nos intercessione muniti, ab hostibus mentis, et corporis liberemur. Per Dominum Nostrum, etc. Oratio in missa.

✠ Sequentia s. Evang. secundum Lucam. C. 3.

§. 12. In illo tempore: dicebat Joannes ad turbas, quae exibant, ut baptizarentur ab ipso: genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos poenitentiae, et ne caeperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae; jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur. Et interrogabant eum milites, dicentes: Quid faciemus nos? Et ait illis: neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris. Sequentia sancti evangelii.

Caetera ut in dicto communi abbatum.

§. 13. Nos igitur Caroli regis adducti piis precibus, audito venerabili fratre Dominico archiepiscopo Myrensi congregationis sac. ri- Confirmatio apostolica.

tuum secretario, ut quotannis in die decima quinta mensis martii ab universo clero saeculari, et regulari utriusque sexus cunctorum dominiorum eidem catholico regi subjectorum supradescriptum officium, cum missa recitari possit deinceps ritu duplici minore auctoritate apostolica vigore praesentium benigne concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 14. Non obstantibus apostolicis, inque universalibus provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quinta decembris millesimo octingentesimo, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 11. dec. 1800. Anno I.

XXVIII.

Instantibus canonicis collegiatae ecclesiae s. Mariae de Populo civitatis Anconae mandatur, ut sola temporis ratio posthac habeatur, ex quo eorum quisque canonicatus sui possessionem cepit, ad definiendum nimirum quis inter ipsos praecedere debeat in choro, capitulo, caeterisque sacris functionibus.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Deum, qui est pacis Deus, et non dissentionis, nulla re offendi magis, quam animorum dissidiis, et contentionibus, quibus virtutum princeps omnium, sine qua nihil prodest, charitas, aut minuitur, aut plane tollitur, nemini non apertum, et exploratum est. Anne quidquam igitur acriori studio curare Nos convenit, quam ut pax, et concordia inter christianos constet, qui omnes unum sunt corpus in Christo, singuli autem alter alterius membra? Quod si viros omnes Paulus vult ita orare, ut *levent puras manus, sine ira, et disceptatione*, quanto id potiori jure ab iis postulatur, quorum est officium proprium, ac munus Deo precum, laudumque perpetuum debitum pro cunctis fidelibus persolvere?

Memorantur dissidia orta inter canonicos primae, et secundae erectionis super praecedentia.

§. 2. Quae cum ita sint non potuimus non aegre accipere, quod perlatum nuper ad Nos est, de canonicis ecclesiae collegiatae sanctae Mariae de Platea antiquitus, de Populo nunc adpellatae, civitatis Nostrae Anconae, qui sane, cum in duas olim classes dispertirentur, alteram primae, alteram secundae erectionis dictas, postea vero quam haec illius tenuitatem suis opibus communicatis sublevasset, atque ex rescripto felicis recordationis praedecessoris Nostri Pii pp. VI. Quod quidem exequi accurate debuisset bo. mem. cardinalis Bufalinius episcopus tum Anconitanus, aequata fuerint utriusque classis onera, et redditaum massa una effecta, declaratumque omnia utrique communia esse debere, facile intellecturi videbantur ipsi esse, discrimen illud vetus cecidisse sua sponte, atque evanuisse prorsus, neque inde eorum quidam arrepturi causam umquam de loco, et honore inter se decertandi. Itaque cunctandum non esse nobis existimamus, controversias inter istos canonicos exortas auctoritate Nostra sedare, quo deinceps unanimes illi uno ore omnes honorificent Deum.

Sublata differentia inter primam et secundam erectionem communicantur privilegia, et designatur ordo praecedentiae.

§. 3. Quare motu proprio, certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium literarum, decernimus, atque statuimus, ut ne nomen, ipsum quidem primae, et secundae erectionis in ista ecclesia collegiata, ad ejus canonicos distinguendos, in posterum usurpetur, utque in choro, in capitulo, in processionibus, in sacris denique functionibus omnibus quibuscumque non illius differentiae ulla umquam, sed solum temporis, ex quo sui canonicatus quisque possessionem cepit, ac diuturnitatis proinde operae, et officii ecclesiae impensi ratio habeatur, atque hinc modo definiatur, quis quem in ipsis canonicis praecedere et eminere prae aliis debeat.

Mandatum de obediendo etiam sub poena censurarum.

§. 4. Mandamus porro in virtute sanctae obedientiae cum istis ipsis canonicis, tum omnibus, et singulis etiam speciali, et expressa mentione dignis, ad quos spectat, et forte spectabit, ut huic ordinationi Nostrae omnino pareant: eamque ut promulget, obsecr- varique modis omnibus curet committimus venerabili fratri Francisco Xaverio Cariscensi archiepiscopo; quem ob ejus virtutem, fidem, et prudentiam turbulentissimis in rebus, temporibusque spectatam Anconitanae ecclesiae administratorem apostolicum fecimus, adeo ut censuris etiam, aliisque poenis

inobedientes, si qui fuerint, coerceat, implorato, ubi sit opus, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non istius ecclesiae collegiatae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, et quacumque clausula decreto apposita bo. mem. praedicti cardinalis Bufalinii, pro canonicis primae erectionis, quam abrogamus, abolemus, irritam, et nullam declaramus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima sexta decembris millesimo octingentesimo, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 16. dec. 1800 Anno I.

XXIX.

Confirmatio concessionis officii camerariatus Sanctae Romanae Ecclesiae pro eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Braschio de Honestis.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Dilecto filio Nostro Romualdo sanctae Mariae ad Martyres nuncupato Sanctae Romanae Ecclesiae diacono cardinali Braschio de Honestis etiam nuncupato ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae camerario salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Explorata sedis apostolicae vigilantia in conferendis muneribus, atque officiis, quae praesertim amplissima sunt, et publicarum rerum, ac specialem camerae apostolicae administrationem respiciunt ea potissimum intendere consuevit, ut illi ad ea procuranda, et peragenda assumantur, qui praecipuam jam virtutem, et erga dictam Sedem egregiam fidem illustribus exemplis, diuturnoque experimento jure merito comprobasset.

Memoratur praecedens nominatio ad officium, illiusque capta possessio.

§. 2. Cum itaque alias, seu nuper officio camerariatus Nostri, et Sanctae Romanae Ecclesiae, quod bo. me. Carolus dum vivet episcopus Portuensis, et sanctae Ruphinae ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis Rezzonico nuncupatus ipsius Sanctae Romanae Ecclesiae camerarius pariter dum viveret obtinebat per obitum dicti Caroli episcopi cardinalis tunc duobus jam fore annis apud Sedem eamdem defuncti vacante Nos ad hujusmodi officii dignitatem attendentes, ne illa aliquod pateretur detrimentum, eamque cupientes tali viro demandare, qui auctoritate, prudentia, integritate, aliisque praeclaris animi dotibus praeditus Nobis, Nostraeque camerae apostolicae adjumento, et levamine esse posset camerariatus officium praedictum tibi per alias Nostras in forma Brevis sub annulo piscatoris expeditas literas sub datum videlicet die trigesima mensis octobris decurrentis anni Domini millesimi octingentesimi motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine a tui vitam concesserimus, tuque ejusmodi concessionis vigore praefati camerariatus officii in solemni consueta forma die sexta proximi praeteriti mensis novembris ejusdem anni Domini possessionem adeptus fueris.

Confirmatur praecedens concessio, cum omnibus oneribus, honoribus et privilegiis.

§. 3. Nos igitur te, qui fel. rec. Pii Papae VI. praedefuncti decessoris Nostri sororis filius existis, quique jam aliis muneribus magna es cum laude perfunctus, tuamque insignem virtutem, et egregiam fidem erga Nos, et Sedem eamdem mirifice probasti hujusmodi dignitatis honore amplissime condecoratum volentes de venerabilium fratrum Nostrorum praedictae Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consilio, et assensu, deque simili apostolicae potestatis plenitudine concessionem ipsius camerariatus officii per Nos de tui persona, ut praefertur factum hujusmodi ad majorem actus firmitatem tenore praesentium confirmamus, ipsumque camerariatus officium cum omnibus, et singulis illius honoribus, juribus, jurisdictionibus praefato Carolo episcopo cardinali, ac ejusdem camerae Nostrae camerario pro tempore existenti quomodolibet concessis, et nunc respective competentibus apostolica tibi au-

Digitized by Google

eteritate pariter ad tui vitam ipsarum tenore praesentium de novo concedimus, et assignamus, teque quoad vixeris in Nostrum, dictaeque Sanctae Romanae Ecclesiae camerarium creamus, facimus, constituimus, et deputamus, ac in locum ejusdem Caroli episcopi cardinalis, quoad camerariatus officium hujusmodi, ejusque liberum exercitium, nec non honores, onera, jurisdictiones, salaria, et emolumenta (exceptis tamen infrascriptis) plenissime substituimus, et subrogamus.

Declarantur quae pertineant ad officium, et reservationes factae.

§. 4. Ita quod (salvis tamen, et illaesis remanentibus moderationibus, restrictionibus, et limitationibus a fel. rec. Innocentio papa XII. pariter praedecessore Nostro hac in re praescriptis) liceat tibi realem, et actualem possessionem officii camerariatus hujusmodi, illiusque exercitii, honorum, jurium, jurisdictionum, et emolumentorum omnium (non tamen infrascriptorum) per te, ut praefertur, adeptum, et in qua pariter, ut praefertur, existis similiter quoad vixeris retinere, dictaeque camerae, illiusque praesidentibus, et clericis, ac ubique ratione dicti camerariatus officii praesidere, ac proventus, pecunias, res, caeteraque omnia jura ejusdem camerae procurare, rationes acceptorum, et impensorum habere, credita exigere, debita solvere, arcibus, praesidiis, et munitionibus omnibus praeesse, ac exactores, castellanos, aliosque officiales, et ministros quoscumque in omnibus provinciis, civitatibus, et locis instituere, ac etiam per praedecessores Nostros, et Nos alios de motu, vel mandato Nostro, sive dictorum praedecessorum constitutos revocare, aliosque subrogare, militiam pro usu status, ac reipublicae Nostrae ubicumque opus fuerit instituere, milites conscribere, stipendia assignare, statuta condere, et condita (salvis pariter tamen reformationibus a fel. mem. Clemente papa etiam praedecessore Nostro desuper statutis, atque decretis) mutare, vices suas in toto, vel in parte delegare, ac pro tui libito revocare, et prorsus omnia, et quaecumque alia facere, ordinare, et exequi eamdem, et omnimodam jurisdictionem in omnibus causis et negociis, quae nunc ad ipsum officium camerariatus quomodolibet spectant, et pertinent habere, et exercere, et quae dictus Carolus episcopus cardinalis de jure, usu, statuto, consuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet facere, ordinare, et exequi potuit, seu etiam debuit, etiamsi talia forent, quae facultatem, et mandatum magis speciale, quam praesentibus est expressum requirerent. Decernentes te ad dictum camerariatus officium, ejusque liberum exercitium hujusmodi, nec non honores, onera, salaria, jura, jurisdictiones, et emolumenta praedicta (non tamen infrascripta) in locum ejusdem Caroli episcopi cardinalis admissum fore, et censeri, tibique de emolumentis, et aliis juribus praedictis (non tamen infrascriptis) absque alia intimatione collectoribus ubilibet existentibus, et aliis quibuscumque facienda integre responderi debere, tibique, ut omnibus praedictis, et quibuscumque privilegiis, facultatibus, praeeminentiis, antelationibus, exemptionibus, immunitatibus, jurisdictionibus, juribus, et emolumentis (non tamen infrascriptis) nec non gratiis, et indultis, quibus dictus Carolus Episcopus cardinalis in genere, vel in specie, aut alias quomodolibet tam Sede apostolica plena, quam ea vacante usus, potitus, et gavisus fuit, ac uti, potiri, et gaudere potuit, ac etiam debuit, sive de illis per literas apostolicas, sive per patentes, aut scripturas, vel libros camerales, sive decreta cameralia, aut quaecumque alia publica, vel privata documenta appareret similiter, et pariformiter, et ubique nulla prorsus differentia uti, potiri, et gaudere, nec non omnia, et quaecumque regalia, proventus, et jura juxta tamen moderationes, restrictiones, ac limitationes a praedicto Innocentio praedecessore Nostro, ut praefertur, praescriptas percipere, et levare etiam libere, et licite possis, et valeas, eaque tam quoad jus percipiendi emolumenta, quam quoad omnia, et singula praemissa auctoritate, et facultate, qua dictus Carolus episcopus cardinalis, et quilibet in dicto officio camerariatus hujusmodi praedecessorum suorum plenissime usus fuit concedimus, et indulgemus.

Singulis praecipitur ut novo electo obedientiam, et reverentiam exhibeant, statutis poenis contra inobedientes.

§. 5. Mandantes in virtute sanctae obedientiae dilectis filiis praesidentibus, et clericis dictae camerae, illiusque ministris, et caeteris personis cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, qualitatis, praeeminentiae, necnon communitatibus, universitatibus, et locis, illorumque hominibus, et aliis, ad quos spectat, et pertinet, et pro tempore spectabit, et pertinebit quatenus ipsi, et eorum quilibet tamquam membra capiti obse-

quentes, tibique obedientiam, et reverentiam exhibentes tuis monitis, et mandatis omnino pareant, et obediant in regimine, et administratione ipsius camerae, dictique officii camerariatus exercitio ubicumque expediens fuerit adsint, et omnino officia debita adimplere, et exhibere procurent, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris, seu statueris in rebelles ratam habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Revocantur emolumenta ex sigillo officii camerariatus, et r. c. a. reservantur.

§. 6. Praeterea camerae Nostrae praefatae, quam pro temporum calamitatibus, et circumstantiis graviori semper, et de necessitate subeundo expensarum onere non sine gravi animi Nostri moerore fatigatam conspicimus in dies, ex vigili, quo tenemur paternae sollicitudinis studio de alicujus subventionis auxilio providere volentes omnia, et singula emolumenta ex sigillo officii camerariatus hujusmodi quomodolibet provenientia, et quae sola dictus Innocentius praedecessor camerario tunc, et pro tempore existenti reservaverat a praedicto officio camerariatus hujusmodi donec tamen tu vixeris, et officium hujusmodi obtinueris de similibus consilio, et assensu, deque apostolicae potestatis plenitudine omnino, penitusque dismembramus, segregamus, et separamus, illaque sic dismembrata, segregata, et separata camerae Nostrae praedictae ita quod liceat ejusdem camerae thesaurario, ac clericis, aliisque ministris ipsius camerae nomine emolumenta praedicta libere percipere, exigere, levare, ac in ejusdem camerae usus, et utilitatem convertere, cujusvis licentia desuper minime requisita, assignamus et appropriamus, ac ex nunc assignata, applicata, et appropriata esse volumus, decernimus, et statuimus per praesentes, quas de consilio, et assensu paribus dicta apostolica auctoritate similiter confirmamus, et approbamus, ac perpetuo ratas, et firmas esse, illasque inviolabiliter observari pariformiter statuimus, et decernimus.

In locum dictorum emolumentorum assignantur annua scuta bis mille.

§. 7. Ac loco emolumentorum ex sigillo officii camerariatus hujusmodi, ut praefertur, quomodolibet provenientium, et ut praefertur ab officio camerariatus hujusmodi dismembratorum, segregatorum, et separatorum, ac camerae Nostrae praedictae pariter, ut praefertur, assignatorum, applicatorum, et appropriatorum annuam summam scutorum bis mille monetae Romanae de juliis decem pro quolibet scuto hujusmodi alias per fel. similiter rec. Clementem pp. XII. pariter praedec. Nostrum bo. etiam mem. Annibali similiter dum viveret episcopo Portuensi, et s. Ruphinae, dictaeque Sanctae Romanae Ecclesiae cardinali Albano nuncupato, ac tunc praedictae Sanctae Romanae Ecclesiae similiter camerario, ac per rec. itidem mem. Clementem papam XIII. praedecessorem quoque Nostrum eidem Carolo episcopi cardinali donec ipsi officium camerariatus hujusmodi respective obivissent respective pariter assignatam tibi per eamdem cameram Nostram eisdem modo, et forma persolvendam de consilio, et potestatis plenitudine pariter assignamus.

Omne juris remedium submovetur quod facere posset ad retardandam executionem praesentium literarum.

§. 8. Easdem quoque praesentes nullo umquam tempore quovis praetextu, et ex quovis capite de subreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis Nostrae defectu, vel alio quovis praetextu notari, impugnari, invalidari, in jus, vel controversiam revocari, et ad terminos juris reduci, aut adversus illas quodcumque juris, vel facti, aut gratiae remedium impetrari posse, illasque sub quibuscumque similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per Nos, et successores Nostros Romanos pontifices, aut dictam Sedem ex quibusvis causis etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter pro tempore factis nullatenus comprehendi, aut comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda concessas, validas, et efficaces adversus quascumque impugnationes existere, vimque veri, validi, et efficacis contractus inter Nos, et Sedem, ac cameram praedictas ex una et te partibus ex altera initi, et stipulati perpetuo habere et obtinere, teque ad superius expressa in toto, vel in parte verificanda seu probanda minime teneri, sed easdem praesentes absque alia probatione sufficere, eisque in judicio et extra illud stari, nec ullam probationem cujuscumque naturae, et speciei illa sit vel fuerit in contrarium adduci, vel admitti, quin imo etiamsi superius expressa hujusmodi minus vera sint, et contra-

ria quandocumque probari contigerit, nihilominus easdem praesentes suum plenarium effectum consequi, teque illis, earumque effectu potiri, et gaudere.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 9. Sicque in praemissis omnibus et singulis per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ejusdemque camerae praesidentes, et clericos, ac praedictae Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate in quavis instantia, ac etiam in dicta camera judicari, et definiri debere, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari pariter decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 10. Non obstantibus praemissis, ac Nostra de non tollendo jure quaesito, et quatenus opus sit, aliis cancellariae apostolicae regulis in contrarium praemissorum quomodolibet editis: nec non piae memoriae Leonis papae X. et aliorum Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum, etiam cum collegio ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium pro unione et charitate factis, et contractu inviolabili, seu quasi ullo tempore resiliri, nec illis ullo modo, aut nisi certis modo et forma tunc expressis derogari possit: nec non juramentis, renunciationibus, aliisque clausulis, et cauthelis firmatis de dicti camerariatus officii dispositione non perpetuo, sed ad triennium, aut aliud tempus in favorem ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium utriusque juris doctorum, ac de consensu omnium cardinalium, seu majoris partis eorum cum decreto irritanti quidquid secus fieri contigerit, ita quod de nullitate concessionis omni tempore absque inobedientiae culpa, aut alias certis modis et formis etiam tunc expressis deinceps in posterum facienda, ac etiam ejusdem recordationis Pii papae IV. similiter praedecessoris Nostri VIII. idus augusti pontificatus sui anno sexto edita, qua cavetur, quod gratiae, et indulta quaecumque interesse dictae camerae concernentia intra certum inibi expressum tempus in dicta camera praesententur, seu registrentur, alioquin illa non valeant. Ita quod tu ad easdem praesentes in eadem camera praesentandum, sive registrandum nulla unquam necessitate cogi, vel compelli possis, et nihilominus illa valeant, et tibi suffragentur in omnibus, et per omnia, perinde ac si praesentatae, et registratae fuissent, aliisque constitutionibus, et ordinibus apostolicis, nec non camerae, et officii camerariatus praedictorum, etiam confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et constitutionibus, usibus quoque, et indultis, et literis apostolicis eidem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium collegio, et dictae camerae thesaurario, illiusque praesidentibus et clericis per praedictos, et quoscumque alios Romanos pontifices etiam praedecessores Nostros, ac Nos, et Sedem praedictam, etiam per modum statuti perpetui, ac initi, et stipulati contractus, seu quasi, ac alias sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis efficacibus, ac insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis etiam motu proprio, certa scientia, et potestatis plenitudine paribus, ac etiam consistorialiter, ac alias quomodolibet concessis, confirmatis, innovatis, extensis, et moderatis. Quibus omnibus, et aliis, quae eisdem praesentibus obesse possent, etiamsi talia, et multa forent, quae sub concessionibus generalibus non venirent, sed specialibus omnino indigerent expressionibus illorum, et praefatorum omnium, et singulorum veriores, et totos tenores eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat, harum quoque serie latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus ad effectum validitatis earumdem praesentium derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque, aut si aliquibus communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possit per literas apostolicas non facientes plenam, et expressam, ad de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Consulitur splendidae exhibitioni ejusdem cardinalis camerarii.

§. 11. Et insuper ut statum tuum juxta cardinalatus sublimitatem, et splendorem decentius tenere, et expensarum onera, quae te jugiter de necessitate subire oportet facilius perferre valeas, de alicujus subventionis auxilio providere volentes motu simili tecum, et una cum dicto camerariatus officio sanctae Mariae ad Martyres nuncupatae de urbe, quae denominatio tui cardinalatus existit, et quamvis aliam ecclesiam pro simili denomi-

natione, seu titulo tui cardinalatus pro tempore assignandam, nec non quascumque cathedrales metropolitanas, primatiales, et patriarchales ecclesias, quibus te etiam pro tempore praefici, seu praeesse contigerit, nec non quacumque alia dictae Sedis, et Romanae curiae officia, ac loca montium tam vacabilium, quam non vacabilium ad quamcumque summam, et quantitatem ascendentia, ac omnia et singula monasteria etiam consistorialia, aliaque beneficia ecclesiastica cum cura, et sine cura saecularia, ac quorumvis ordinum, et militiarum; atque hospitalium regularia, quae ex quibusvis concessionibus, et dispositionibus apostolicis in titulum, commendam, administrationem, aut alias ad praesens obtines, et in posterum obtinebis, ac in quibus, vel ad quae jus tibi quomodolibet competit, et competere poterit quaecumque, et qualiacumque sint, vel fuerint, ut prius quoad vixeris retinere, ac jus tibi in illis, vel ad illa competens prosequi, et non deductum deducere, ac quibusvis etiam testandi et disponendi de rebus tuis, beneficia et officia conferendi, pensiones et fructus transferendi, aliisque facultatibus, dispensationibus, privilegiis, exemptionibus, gratiis, et indultis tibi quomodolibet concessis uti, nec non quoscumque fructus, redditus, et proventus ecclesiasticos loco pensionum annuarum, et quascumque pensiones annuas super similium vel dissimilium beneficiorum ecclesiasticorum, ac etiam mensarum episcopalium, archiepiscopalium, et abbatialium fructibus, redditibus, et proventibus, ac etiam distributionibus quotidianis tibi apostolica auctoritate praedicta reservatos, et assignatos, ac reservatas, et assignatas etiam ut prius quoad vixeris percipere, exigere, levare, ac in tuos usus, et utilitatem convertere libere, et licite valeas.

Clausulae salutares. §. 12. Constitutionibus, et ordinationibus apostolicis praedictis, nec non ecclesiarum, monasteriorum, ordinum militarium, et hospitalium praefatorum roboratis respective statutis, consuetudinibus, stabilimentis, et privilegiis, caeterisque contrariis nequaquam obstantibus motu pari de specialis dono gratiae dispensamus, eamdemque retentionem tibi denuo hodie pariter concedimus; decernentes propterea ecclesias, monasteria, beneficia, officia, ac loca montium per te, ut praefertur, obtenta hujusmodi non vacare, minusque praedictas commendas, ac fructuum reservationes cessare, ac pensiones minime extinctas esse, nec non testandi, disponendi, conferendi, et transferendi, aliasque facultates, dispensationes concessiones, privilegia, exemptiones, indulta, et gratias hujusmodi, quorum omnium, et singulorum tenores, nec non ecclesiarum, monasteriorum, et beneficiorum qualitates, eorumque fructus, illorumque annuos valores, ac officiorum, et locorum montium quantitates eisdem praesentibus pro expressis haberi volumus minime expirare, irritum pariter et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Tu igitur benedictione Nostra fretus eam in confirmato tibi a Nobis camerariatus officio hujusmodi operam praestare cures, ut ii, quos jam animo percepimus fructus industria tua quotidie magis augeantur, Nosque, et praefata Sedes optimo publico bono consuluisse laetemur.

§. 13. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc confirmationis, concessionum, assignationis, creationis, facti, constitutionis, deputationis, substitutionis, subrogationis, indultorum, mandati, dismembrationis, segregationis, separationis, applicationis, appropriationis, statuti, decretorum derogationis, dispensationis, et voluntatum Nostrarum infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, et beat. Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo, undecimo kalendas januarii, pontificatus Nostri anno primo. *Sanctio poenalis.*

XXX.

Dat. die 22. dec. 1800. Anno I.

Reintegratio provinciae Sabinae ad jura patriciatus, cum novis legibus, et privilegiis.

Pius PP. VII.

Motu proprio

Fu sempre massima dei Romani pontefici, abbenchè occupati nell'universale governo della Chiesa, e nelle pesanti cure del principato, risguardare con predilezione, e deco- *Proemio. Si accennano i pregi della Sabina.*

rare con onori quelle provincie, che o per antichità, o per illustri suoi soggetti, o per altri titoli si fossero segnalate, e fra le altre contradistinte. Per una di queste provincie merita esser considerata la Sabina, la quale, oltre al godere campagne situate in arie salubri, atte a fruttifere coltivazioni, ricche di minerali, e cave (1), inaffiate da più sorgenti, e fiumi (2), è stata sempre dai più classici, ed antichi autori riconosciuta per madre d'inclite popolazioni, e specialmente dei valorosi Sanniti, e Piceni. Anço a Roma somministrò re, consoli, ed altri soggetti celebri nelle armi, e nelle lettere. È stata perciò non meno luminosa nelle storie, che benemerita delle scienze, particolarmente per la conservazione de' preziosi monumenti, in specie nell' archivio Farfense. Questi pregj, uniti all' attaccamento del popolo Sabino alla fede cattolica, ed alla chiesa Romana mossero li Nostri predecessori a collocare in essa la Sede di uno dei sei cardinali vescovi suburbicarj, colla condecorazione ancora al vescovo di Sabina di venire prescelto in assenza del Romano pontefice a coronare li nuovi imperatori, avere un vescovo suffraganeo, ed inoltre a destinarle per l' esercizio della temporale di lei giurisdizione un prelato governatore. Ma simili pregj alla Sabina largamente donati dalla natura, e dalla beneficenza dei sommi pontefici non la sottrassero dalle ingiurie, e vicende de' tempi, che scemarono il primiero suo lustro; e quindi abbandonata la loro patria presero occasioni molte famiglie più ragguardevoli di cercarlo altrove aggregandosi ad altra città (3), onde ha dovuto, e deve la Sabina deplorare la perdita delle proprie famiglie, vedere languire le belle arti, scemarsi l' agricoltura, e con essa l' opulenza non senza detrimento della religione, e della retta educazione. Fu dai primi anni del pon-

Ragioni per la sua reintegrazione ai primieri diritti del patriziato.

tificato del Nostro predecessore Pio VI. col generale abolimento dei pedaggi, che ivi erano frequenti, e gravosi, e recentemente col proseguimento nel di lei centro fino alla Nostra città di Terni, dell' antica consolare via Salara, procurò ravvivare in essa il commercio; ed in seguito le ricchezze: ma si avvidde per le rappresentanze al lodato pontefice umiliate dal popolo Sabino, che a richiamare i cittadini altrove domiciliati, e ad impedire nuove emigrazioni, come anche ad accrescere la popolazione, e con essa la coltivazione delle di lei campagne, e ridonare alla medesima il primiero decoro, necessitava di ripristinarla al lustro della generosa sua nobiltà coll' onore del patriziato, che però dopo avere per mezzo del Nostro monsignor uditore inteso il parere di monsignor Francesco Brivio già preside, che per la esperienza acquistata nel tempo del suo governo riconobbe, e riferì ragionevoli le rappresentanze del popolo: secondando il sopralodato pontefice le brame su di ciò del card. Archinto, allora vescovo, deputò una congregazione particolare nelle persone del nominato cardinal vescovo, e dei monsignori Stanislao Sanseverino, e Carlo Vallemani già ponenti nelle congregazioni della Consulta, e Buon Governo, e di monsignor Giulio Cesare Ginnasi allora governatore di Sabina, acciò dopo esaminato l' esposto, allo stesso Nostro predecessore ne facesse relazione. Consideratisi da essa congregazione i fogli formati dal diletto figlio Gio. Battista Nardi laureato nel dritto canonico, e civile, rimarcò sotto il dì 23. aprile dell' anno 1796. essere stata l' intera provincia di Sabina, compresevi le annesse abbazie di Farfa, e san Salvatore Maggiore, sempre reputata, e doversi reputare per una sola città, non ostante l' esistenza di alcuni luoghi baronali, ed essere perciò non solamente plausibile, ma eziandio ne-

Deputazione di una congregazione particolare composta di ragguardevoli soggetti li più informati della Sabina, cioè dell' eminentissimo vescovo, e monsignori ponenti di Consulta, e Buon Governo, e preside di Sabina.

Questa riconobbe la necessità della reintegrazione.

(1) Il padre Cirmelli nella sua opera intitolata, memorie risguardanti le pietre, le miniere, e i fossili delle provincie dello stato Pontificio, nella Sabina fra le altre cave riporta quella in Cottanello di marmo rosso venato bianco, di cui particolarmente i sommi pontefici hanno ornata la basilica di san Pietro, ed altri tempii di Roma; in monte Nero quella delle pietre da incidere, e da fucili; in Salisano succo di metalli.

(2) Oltre i limitrofi fiumi della Nera, Tevere, e Aniene, viene la Sabina inaffiata dal Velino, Turano, Imelle, Farfa, Correse ec.

(3) Molti ragguardevoli impieghi sì di toga che di spada esiggono la qualifica della nobiltà, la mancanza della quale toglie un mezzo per conseguirli; onde nascono l' emigrazioni delle famiglie, il di loro dispendio nel trasferirsi altrove, abbandonando fino il sagro nome della propria patria nell' assumerne altro. A questo grave disordine nella Sabina provede il moto proprio.

Lo scopo del patriziato Sabino è diretto al decoro, ed al vantaggio della provincia.

cessario, ad oggetto di stabilire nella Sabina le famiglie, aumentare il numero de' buoni cittadini, ed accrescere unitamente all' agricoltura, le belle arti (1), di ripristinare ivi il patriziato, ed insieme sistemò il metodo da tenersi; fattasene in seguito relazione al Nostro predecessore Pio VI. da monsignor ponente del Buon Governo di ciò incaricato fin dalli 2. maggio del 1796. venne pienamente approvata (2) senza esserne spedito il motu proprio per le insorte ben note vicende; e volendo Noi, che abbia il suo effetto, quanto dal Nostro predecessore fu ordinato, anco per dare, dopo la Nostra riassunzione al dominio temporale un segno di special clemenza verso la Nostra provincia di Sabina, che fu la prima ad essere donata al Romano pontefice Adriano I. dall' immortale Carlo Magno, e che merita avere coll' onore del patriziato idonei soggetti a potere essere prescelti anco alla deputazione delle strade commessa al reverendissimo cardinal prefetto della Nostra congregazione del Buon Governo a norma della recente costituzione *Post diuturnas* dei 30. del passato ottobre. Quindi inerendo alla risoluzione presa dalla surriferita congregazione particolare, successivamente approvata dal Nostro predecessore, colla cedola di Nostro motu proprio, certa scienza, e pienezza della Nostra suprema potestà vogliamo, ed ordiniamo, che sia reintegrata, come reintegriamo l' intera provincia di Sabina ai primieri dritti, ed onori del patriziato, e cittadinanza, sempre considerata come una sola città (3). Che però ammettiamo, e vogliamo, che si abbiano per ammesse alla partecipazione, e godimento tanto li patrizi, che la provincia di tutti quei titoli, onori, privilegj prerogative abbenchè meritevoli d' individue speciali menzioni, che alli altri patriziati, e città sono stati concessi dal diritto comune, e dalle costituzioni apostoliche, quali privilegj in favore di detta provincia, e patrizi vogliamo, che qui si abbiano per espressi, e come di parola in parola inserti, e ripetuti. Che anzi, qualora faccia di bisogno di nuovo creamo, ed erigiamo la stessa intiera provincia di Sabina in città, e la condecoriamo ampliamente di tutti li sopradetti dritti, titoli, onori, privilegj, anco di quelli di nobiltà, e di patriziato. Vogliamo per altro, ed ordiniamo, che abbia ad osservarsi, ed eseguirsi come comandiamo, che si osservi, ed eseguisca il seguente sistema propostoci dalla suddetta congregazione cioè. Che si formino due ceti il primo de' patrizi, il secondo de' cittadini. Per la prima aggregazione de' patrizi siano i requisiti. Primo, possedere e tenere aperta in Sabina una decorosa abitazione. Secondo, un annua rendita non minore di scudi cinquecento (4) su capitali fruttiferi senza alcuno esercizio di arte non liberale. Terzo, aver conseguiti li primi gradi nelle magistrature, ovvero di essere condecorato di qualità, onde il soggetto venga parificato alle primarie famiglie e non abbia ostacolo nella propria condotta, ed a norma di queste leggi vogliamo, ed ordiniamo, che si faccia la prima ammissione. Per le future aggregazioni poi, oltre al primo, e secondo requisito vogliamo, che le qualifiche del terzo si verifichino per anni cento, avuta in speciale considerazione

La risoluzione della congregazione fu approvata dalla san. mem. di Pio VI.

La santità di Nostro signore Pio pp. VII. reintegra la Sabina ai diritti, ed onori del patriziato, considerandola come per una sola città.

Se prescrive il sistema colla distinzione di due ceti, e coi requisiti degli aggregandi.

Primo ceto del patriziato ereditario, ed onorario. Requisiti per l' ammissione al primo ceto.

(1) Per animare l' agricoltura, e le belle arti già si è stabilita una particolare accademia, per l' apertura della quale evvi la dotta dissertazione dell' egregio sig. avvocato Virgilio Pescetelli.

(2) La risoluzione della congregazione particolare viene corredata da più voti pro veritate di soggetti ragguardevoli in materie erudite, diplomatiche, legali, ed economiche, che si pubblicheranno in appresso.

(3) Il dottissimo Busching nell' appendice della descrizione dell' Italia tom. XXV. part. 2. in verbo Sabina riferisce, godere la Sabina l' immemorabile privilegio di formare, ed essere considerata come una sola città, e che tal privilegio fu confermato per sentenza del card. S. Croce, e per breve di papa Leone X.

La città di Sabina si considera come divisa in tanti rioni, quanti sono i luoghi della medesima. Roma viene composta di rioni, e della città Leonina, ossia Borgo, ed è una sola città.

È quindi opportuno, che nelle date di publiche e private scritture si ommetta l' espressione di terre, e si dica per esempio — Dato dalla città di Sabina in Aspra; dalla città di Sabina in Calvi diocesi di Narni; dalla città di Sabina in Monticelli diocesi di Tivoli ec.

(4) La somma di scudi 500., entrata nella, è livellata dalli statuti delle più cospicue nobiltà, che ammettono anco rendita minore.

Digitized by Google

l' antichità della famiglia, ed anco unirsi il quarto requisito di aver prima conseguita la cittadinanza. Il patriziato ottenuto con tali requisiti lo dichiariamo ereditario, purchè si

In ogni erede devonsi nuovamente provare i requisiti.

provino in ogni capo di famiglia degli eredi (1) li necessarj requisiti. Diamo poi la facoltà al ceto patriziato di decorare col patriziato onorario le persone di merito, senza che simile patriziato passi agli eredi. Dall' elenco de' patrizi ordiniamo, che si deputino ogni anno gli officiali da obbligarsi all' esercizio, non facendo costare di ragionevole motivo per l' esenzione, quali officiali saranno: primo i quattro di magistrato da chiamarsi conservatori, che rappresentino il ceto (2) de' patrizi colle condecorazioni, onori, titoli, privilegi, benchè degni d' individua, e special menzione, concessi alle magistrature delle altre città. Secondo due deputati del bussolo, che unitamente al magistrato assistino all' estrazione degli officiali. Terzo il segretario, che stabilmente vogliamo si elegga dalla congregazione generale, la quale darà avviso al reverendissimo cardinal vescovo, e monsignor preside della di lui elezione, e domicilio (3) per l' occorrenza del carteggio. Dovrà questi essere pienamente informato di tutti gli affari del patriziato per communicarli agli altri officiali. Sarà di lui carico dare l' informazioni su dei ricorsi, o di altre emergenze, con che le informazioni venghino sottoscritte nelle solite formole dall' esercente magistrato, ed agirà su tutto ciò, che riguarda il ceto de' patrizi.

Deputazione di sette officiali.

Conservatori

Deputati del bussolo, segretario, suo officio, e di lui domicilio, per l' occorrenza del carteggio.

Congregazione generale come, e dove, e per quali oggetti debba adunarsi, e sue facoltà.

Ove risiede o il reverendissimo cardinal vescovo, o monsignor preside dovranno tenersi le congregazioni generali, colla preventiva intimazione del luogo; e ad esse secondo il sito, ove si aduneranno, presiederà o il cardinal vescovo o monsignor preside, colla facoltà ai medesimi di surrogare in loro vece altro soggetto. La congregazione generale che dovrà essere composta almeno di dodici patrizi, abili ed idonei all' esercizio delle cariche, compresi i respettivi officiali, avrà il diritto di aggregare nuove famiglie al ceto de' patrizi, e de' cittadini, di rinnuovare l' elenco, e bussolo, premesso il necessario esame, di eleggere il segretario, e di fare sopra gli ascritti i necessari riparti, anche col privilegio della mano regia more camerali, che a tale effetto concediamo, ed accordiamo.

Congregazione particolare dei sette officiali, e sue funzioni.

La congregazione particolare vogliamo, che sia composta dei quattro di magistrato, dei due deputati del bussolo, e segretario. Eleggerà essa li deputati straordinari, come quelli da stabilirsi per l' esame degli amittendi, averà l' amministrazione, stabilirà il metodo di esigere i riparti, quali esatti, e depositati si pagheranno con i respettivi ordine del magistrato, e segretario, per le spese ordinarie, e straordinarie stabilite dalla congregazione generale, con doverne gli officiali render conto e farà tutto altro, che ha per oggetto il patriziato, eccettuati li suddetti affari spettanti alla congregazione generale. Le determinazioni delle congregazioni vogliamo, che siano risolute con la pluralità di due terzi de' voti, salvo restando tutte le giurisdizioni in qualunque modo appartenenti alle due congregazioni della Consulta, e Buon Governo.

La pluralità di due terzi de' voti necessaria per le risoluzioni.

Privilegi dei patrizj.

Vogliamo, che tutti i patrizi di Sabina, e ciascuno di loro ampiamente goda i privilegj; primo di avere il titolo di patrizio Sabino; secondo di doversi avere in special considerazione nella collazione degli onorifici impieghi sì di toga, che di spada nel luogo di sua origine; terzo la facoltà da Noi già di sopra menzionata di godere tutti gli onori, privilegj, prerogative, ed altro concesso del dritto canonico, è civile dalle costituzioni apo-

(1) Se nell' erede non continueranno la stessa rendita, savia condotta, e gli altri requisiti, non sarà ammesso, abbenchè il suo antecessore fosse ascritto. Questo potrà servire nelle famiglie di una remora o incitamento per conservare il decoro e le di loro sostanze.

(2) Il ceto di Sabina avvalorato dalla rappresentanza, ed unione di autorevoli soggetti, impegnati al bene della provincia, ha già proposto dei mezzi utili alla medesima, particolarmente relativo alle nuove providenze prese dal governo, e per sempre più prestarsi alle di lei occorrenze lo stesso ceto riceverà ben volentieri da ognuno tutti quei lumi, e notizie, che potranno influire al bene della provincia, riacquistando la Sabina quella primiera unione, e quell' impegno reciproco di vicendevolmente coadjuvarsi pel comune vantaggio.

(3) L' odierno segretario ha il suo domicilio in Roma.

Digitized by Google

stoliche, e della consuetudine agli altri patriziati, colla facoltà di alzare lo stemma della Sabina rappresentante i tre gruppi di anelli, e le quattro iniziali lettere S. P. Q. S. (1) Vogliamo di più, che oltre l'ordine dei patrizj si formi il secondo ceto de' cittadini, dal quale potrà farsi il passaggio al patriziato, e per l'ammissione dei medesimi sieno i requisiti: Primo, non essersi nella famiglia, almeno per anni cinquanta, esercitata verun arte non liberale, e di aver conseguiti impieghi pubblici considerati per onorevoli. Secondo, possedere e tenere aperta in Sabina una decente abitazione. Terzo, avere su capitali fruttiferi l'annua rendita non minore di scudi cento cinquanta. Concorrendo tali requisiti dei forestieri, concediamo facoltà alla detta congregazione generale di poterli ammettere. Gli aggregati vogliamo, che sieno denominati cittadini Sabini con la partecipazione di tutti li privilegj competenti agli originarj del luogo, ove terranno casa aperta, e con tutti gli onori, accordati similmente dal dritto canonico, e civile, e dalle Nostre constituzioni apostoliche alle altre cittadinanze, come Noi accordiamo, e concediamo. Per dare principio alla congregazione, e magistratura patrizia, accordiamo al reverendiss. cardinal vescovo la facoltà di eleggere, e creare sommariamente li dodici patrizj, o in persone già ad altro patriziato ascritte, ovvero in altri idonei soggetti abbenchè in quello non ascritti; come anco di sciegliere da questi dodici patrizj li sette officiali per l'esercizio della di loro magistratura, da durare il di loro esercizio pel tempo come sopra stabilito. Finalmente vogliamo, ed ordiniamo, che seguita dal reverendissimo cardinal vescovo l'elezione dei detti dodici patrizj e respettivi officiali componenti la medesima congregazione, questa a forma del sistema, come sopra, ordinato farà tanto la prima, che le future aggregazioni (2), ed elezioni, abilitando Noi, come abilitiamo la stessa congregazione patrizia a venire alle riferite aggregazioni, ed elezioni, ed a spedirne i diplomi, patenti, ed altri monumenti sì al presente, che in appresso occorrenti secondo lo stile, e costume praticato, e che al presente osservasi dalle altre città del Nostro stato, e di loro magistrature. Volendo, e decretando, che alla presente cedola di moto proprio, benchè non esibita nè registrata nei suoi libri in camera non possa mai opporsi di surrezione, orrezione, o di altro vizio, e difetto della Nostra volontà, nè sotto qualsivoglia benchè validissimi, e giuridichi pretesti anche di jus quesito, e pregiudizio del terzo possa essere impugnata, moderata, revocata, ridotta *ad viam juris*, o concedersi contro di essa l'aperizione oris, o altro qualunque rimedio, e che così, e non altrimenti debba sempre giudicarsi, definirsi, ed interpretarsi da qualsivoglia giudice, e tribunale collegiale anche di reverendissimi cardinali, legati a latere, camerlengo, Nostro uditore, e qualunque altro; togliendo loro ogni facoltà, e giurisdizione di definire ed interpretare in contrario. Dichiarando Noi fin da esso preventivamente nullo, irrito, ed invalido tutto ciò, che scientemente, o ignorantemente fosse in qualunque tempo giudicato, contro la disposizione della presente Nostra cedola di moto proprio, quale vogliamo che debba avere in perpetuo la sua piena esecuzione colla semplice Nostra sottoscrizione, benchè non siano state sentite, e citate qualsisiano persone, luoghi pii, comunità, baroni, che avessero, o pretendessero avere interesse nella presente Nostra concessione, e che per comprenderle fosse bisogno di special menzione. Non ostante la Bolla di Pio IV. Nostro predecessore *de registrandis* la regola della Nostra cancellaria *de jure quaesito non tollendo*, e non ostante qualsisiano chirografi, brevi, costituzioni apostoliche Nostre, e de' Nostri predecessori, bandi, editti, leggi, statuti, riforme, stili, usi, consuetudini, e qua-

Stemma della Sabina.

Secondo ceto de' cittadini loro requisiti, e privilegj.

All'eminentissimo card. vescovo si commette l'elezione dei primi dodici patrizj, e fra questi le deputazione dei sette officiali.

Clausola sublata, e decreto irritante.

Clausole derogatorie.

(1) Lo stemma dei gruppi di anelli riportato dal Panciroli e dall'Ugbellio rappresenta la stretta unione dei Romani con i Sabini.

(2) Chiunque fornito di necessari requisiti vorrà concorrere all'ammissione o del patriziato, o della cittadinanza potrà avanzare alla congregazione generale di Sabina la sua istanza, che si riceverà con la maggior segretezza, particolarmente nel caso non si potesse alla medesima aderire per giusti motivi; qual segretezza servirà per concorrere con la maggiore confidenza; e si promette nelle ammissioni avere in vista la più imparziale giustizia senza dar luogo all'impegno, o ad altri indiretti fini.

Digitized by Google

lunque altra cosa, che facesse o potesse fare in contrario, alle quali tutte, avendole qui per espresse, e di parola in parola inserte, colla pienezza della Nostra suprema potestà ad ogni vizio, e difetto per questa volta sola, e per la piena esecuzione di quanto si contiene nella presente cedola di moto proprio ampiamente deroghiamo. Dato dal Nostro palazzo apostolico del Quirinale questo dì 6. dicembre 1800.

Pius PP. VII.

Joannes Andrea miseratione divina episcopus Sabinensis S. R. E. cardinalis Archetti.

Decreto esecutoriale dell'eminentissimo card. Archetti vescovo di Sabina, e nomina dei dodici patrizj.

Cum gens Sabinorum evecta fuerit ad primaevum patriciatus honorem ex munificentia sanctissimi domini Pii VII. feliciter regnantis, qui in ejus motu proprio diei 6. currentis decembris potestatem etiam Nobis fecit eligendi primos duodecim patricios, ut subinde per ipsos ceterae praeclarae familiae, quibus Sabinae provincia exornatur eodem patriciatus honore decorentur. Volentes idcirco istiusmodi patriciatui originem, initiumque statuere, utendo facultatibus in praefato motu proprio nobis tributis, atque inhaerentes relationibus nobis factis a r. p. d. Pallotta, cui uti hodierno pro Sabinae provincia sacrae congregationis Boni Regiminis ponenti, sanctissimus enunciatum motum proprium consignavit, in primos duodecim Sabinos patricios nominamus, eligimus, creamus, ac nominatos, electos, creatos declaramus, atque uti tales denominandos, agnoscendos, habendosque volumus, ac mandamus.

I. Primo. R. P. D. Antonium Despuig, et Dameto ex comitibus montis Nigri et Montorii, praelatum domesticum, patriarcham Antiochenum, pontificio solio assistentem, equitem Hierosolymitanum, magnaeque crucis realis ordinis Hispani Caroli III., et consiliarium status regiae majestatis catholicae, virum Sabinorum amantissimum, in eosque beneficentissimum.

II. Alexandrum Vincenti ex comitibus de Mareri, Sabinum, patricium Reatinum.

III. Jacobum marchionem Simonetti, Sabinum, patricium Romanum.

IV. Gabrielem equitem Vincentini, Sabinum patricium Reatinum.

V. Paulum marchionem Ciccalotti, Sabinum, patricium Veliternum, et Narniensem.

VI. Franciscum Saverium Sassi, Sabinum, patricium Reatinum.

VII. Petrum Antonium comitem Genuini, Sabinum, patricium Interamnatem.

VIII. Dominicum Serafini, Sabinum, patricium Urbinatem.

IX. Bernardinum equitem Tiberj, Sabinum, nobilem Reatinum.

X. Virgilium Pescetelli, Sabinum, praeclarum Romanae curiae advocatum, et optimum olim judicem.

XI. Josephum capitaneum Bruschi, Sabinum, patriae studiosissimum.

XII. Joannem Baptistam Nardi, Sabinum, doctorem utriusque juris, ac strenuum Sabinae propugnatorem.

Deputazione degli eccellentissimi signori conservatori di Sabina, e di altri officiali.

In quator autem conservatores seligimus ex praefatis duodecim patriciis r. p. d. Despuig, Alexandrum Vincenti ex comitibus de Mareri, Jacobum marchionem Simonetti, Paulum marchionem Ciccalotti, ac in geminos buxuli deputatos Xaverium Sassi, et advocatum Virgilium Pescetelli, nec non in secretarium Joannem Baptistam Nardi, eosdemque duodecim patricios, ac respective conservatores, deputatos, et secretarium ut supra electos in possessionem exercitii, aliorumque jurium, ac praeeminentiarum immittimus, ac pro immissis haberi, habendosque esse volumus, et mandamus in omnibus, et per omnia ad formam praefati motus proprii, quibuscumque in contrarium non obstantibus. Datum extra portam Flaminiam 20. decembris 1800.

J. A. card. Archetius episc. Sabinensis.

A. Pallotta s. c. Boni Regiminis ponens.

Loco ✠ Sigilli.

Dat. die 15. dec. 1800. Anno I.

XXXI.

Facultas in perpetuum duobus judicibus super numerum Rotae nuntiaturae apostolicae suffragium ferendi.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ratio concessionis.

§. 1. Justitiae facilius retinendae, et negotiorum ecclesiasticorum Hispaniae in regnis explicandorum celerius, et conficendorum stu-

dium, et cura Clementem olim pp. XIV. sanctae memoriae praedecessorem Nostrum adduxit, ut rogante id enixe Hispaniae tum rege, tribunal Rotae nuntiaturae apostolicae dictum Matriti constitueret, quod sex judicibus constaret; quibus facultatum modum, judiciorum exercendorum rationem et formam ipse descripsit, ac praecepit suis in literis apostolicis in forma Brevis die 26. martii anni MDCCLXXI. datis, quarum hic tenorem pro plene, et sufficienter expresso censeri volumus. Atque is numerus judicum augendus videtur carissimo in Christo filio Nostro Carolo Hispaniarum nunc regi catholico, fierique id prorsus commode, si duo ejus tribunalis judices, qui super numerum recenter, eodem ipso petente ea sunt adfecti dignitate per literas Nostras in simili forma Brevis non jam tempus expectent, ad munus obeundum, quo locus aliquis priorum sex vacuus sit, ut a Nobis est quidem provisum, sed opus statim aggrediantur, quin tamen stipendio interea ullo donentur, atque hac re solum inferiores caeteris sint, haecque ratio semel inducta deinceps obtineat.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur Caroli regis precibus obsequendum Nobis existimantes, auctoritate apostolica vigore praesentium literarum judicibus super numerum tribunalis Rotae nuntiaturae apostolicae in Hispania, qui nunc sunt, dilectis nempe filiis Mathiae de Robles Toletanae ecclesiae cathedralis archidiacono, et Joanni Josepho de Aldama Cordubensis cathedralis canonico, et duobus adeo posthac, qui in eorum locum a regibus Hispaniarum catholicis nominati, a Romanis pontificibus creabuntur, per literas in forma Brevis, potestatem facimus, cum sex una, qui se antecedunt, in judiciis considendi, et suffragium aeque ac illi ferendi, et sententiam dicendi suam; stipendium vero non percepturi ante, quam in eorum sex numerum cooptentur; sic ut tribunal Rotae commemoratum octo judicibus in posterum componatur, qui quaterni judicent, sed et si terni ut adhuc, aliquo legitime interesse prohibito, conveniant, perinde sit; servata certe in reliquis omnibus adamussim norma, in literis apostolicis Clementis proposita, et praescripta, a qua nullatenus discedi, deflective omnino mandamus, et jubemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus iis omnibus, quae in ejusmodi literis concessum fuit non obstare. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia decembris millesimo octingentesimo, pontificatus Nostri anno primo.

XXXII.

Dat. die 9. jan. 1801. Anno I.

Applicatio cappellaniae cujusdam nosocomio Assisiensi, et reductio missarum.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Est plane dignum episcopali munere, et providentia, et pietate id, quod modernus episcopus Assisiensis impendit studium aegrotorum nosocomio publico seu civitatis jacentium non minus animis quam corporibus curandis, juvandis, sanandis. Neque vero patiemur ultra differri opem, quam a Nostra is auctoritate implorat, ad illam rem, atque efflagitat.

Destinatio cappellaniae s. Joannis in commodum sacerdotis, qui aegrotis in nosocomio ministrat.

§. 2. Itaque motu proprio, certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine tenore praesentium literarum statuimus primum cappellaniam titulo sancti Joannis in ecclesia sanctae Mariae Majoris episcopatus vulgo dicta Assisiensis civitatis erectam, quae per obitum bonae memoriae Pamphili Guiducci nuperrime vacaverit, in usum posthac nosocomii ejusdem civitatis cedere debere adeo ut episcopus, qui nunc est Assisii, quique futuri sunt deinceps, eam illi sacerdoti conferant, qui idoneus ipsis videatur magis ad nosocomii aegrotos omni spiritualium officiorum genere solandos; qui his administrare sacramenta, eosdem erudire christianis mysteriis, atque praeceptis, morientibus adesse teneatur, nihilque praetermittere, quod miserorum salus aeterna ab eo requirat. In quo gerendo munere si forte segnior, negligentiorque fuerit, possint episcopi Assisienses cappellaniam, qua eum donarant, illi adimere, et alteri deferre, qui accuratiorem, et meliorem operam sit nosocomii aegrotis adhibiturus.

Onera cappellano implenda declarantur.

§. 3. Decernimus deinde, ut is sacerdos, qui ea cappellania est auctus ad tam gravem, et salutarem, et necessarium, Deoque gratum laborem perferendum, onere exsolvatur ali-

Digitized by Google

quatenus sacrificiorum celebrandorum, quae ad decem, et septem quovis mense cappellania ex sua fundatione illi quidem imponit in ecclesia episcopatus supradicta: omnibus vero etiam in rebus nosocomio, quod maxime referet, commodare cupientes, declaramus satis esse, ut ad altare ipsius nosocomii, etiamsi hoc in alias aedes transferatur, sacerdos ille diebus festis de praecepto sacrificium pro cappellania accepta peragat, cui aegroti vel decumbentes in lecto intersint. At si quando, quod vehementer optamus, et a Dei benignitate precamur nosocomium copiis abundare coeperit, ut sacerdos aegrotis assidue serviens, iisque addictus ali honeste aliunde possit, volumus omnino, nullum ex sacrificiis ei cappellaniae adnexis omitti, quin ipsam quoque cappellaniam, si commode fieri queat priori ecclesiae restitui.

Exemptio nosocomii a jurisdictione parochi. §. 4. Ad extremum motu, scientia, et potestate paribus, parochum intra cujus paraeciae fines nosocomium nunc est, aut aliquando erit omni plane jure, si quod habet, aut habere umquam possit in nosocomium privamus, decernentes sacerdotem ab episcopo Assisiensi nosocomii spirituali curae deputandum instar illius parochi esse.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus apostolicis, inque universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non ecclesiae, ac civitatis, et nosocomii Assisiensis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, atque ultimis quorumcumque testatorum voluntatibus, quas in hac solum parte commutamus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda januarii millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno primo.

XXXIII.

Dat. die 9. jan. 1801. Anno I.

Statuitur in insula Sardiniae festivitas dolorum B. M. V. in perpetuum de praecepto secundae classis.

Venerabili fratri Didaco archiepiscopo Calaritano.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Id officii debent profecto christiani fideles Beatae Mariae Virgini, tamquam parenti dulcissimae filii, ut memoriam dolorum, quos acerbissimos illa, stans praesertim juxta crucem Jesu, singulari, et invicta fortitudine, constantiaque pertulit, ac pro eorum salute aeterno patri obtulit, assiduo studio, et benevolentia colant; sibique praeceptum existiment quod sanctus Tobias filio de matre injunxit: *Memor esse debes quae et quanta pericula passa sit propter te* (Tob. 44.). Quantum vero perfugium, ac solatium polliceri Nobis, ac sperare a Maria Virgine in adversis Nostris rebus possumus, ubi societatem ejus sollicitudinum, et angustiarum ultro ipsi appetiverimus! Ecquod etiam adjumentum majus quisquam quaerat, ad eum in animo dolorem ciendum, quem Deus jure postulat, ut Nostrum misereatur praeter Mariae dolorum crebram, piamque meditationem?

Laudes regis, et reginae Sardiniae. §. 2. Quamobrem gratulamur magnopere Sardiniae incolis, quos quidem accepimus inflammatos esse vehementius ad honorem habendum, et cultum Dei matri, doloribus in hac vita cum Christo miserrimis adfectae. Qui sane eorum in illam pietatis, et grati animi sensus, non dubitamus, quin ipsorum in mentes profluxerint multum ab charissimis in Christo filiis Nostris Emmanuele eorum rege, et Maria Clotilde regina; verissimum enim est illud, quod a Spiritu Sancto edocemur: qualis rector est civitatis, tales et inhabitantes in ea (Eccli. 10. 2.) Quare, et ut duo-

bus his regiae virtutis absolutissimis exemplis gratificemur, quorum ora intueri, quibuscum saepe colloqui, quos demirari coram, ac suspicere, quorum fidei erga Nos, et observantiae praecipuae fructus capere jucundissimum Nobis fuit, et ut Sardiniae incolarum, de quibus non minor certe Nos cura attingit, quam sanctum olim Gregorium Magnum praedecessorem Nostrum, faveamus tam justae, tam fructuosae devotioni, libentissime precibus, quibus tu, venerabilis frater, cum tuo, tum illorum nomine Nos obsecrari fecisti, annuimus.

Designatio diei qua festum de praecepto sit colendum.

§. 3. Itaque auctoritate apostolica, tenore praesentium literarum in perpetuum constituimus, et praecipimus, ut in tota Sardiniae insula, seu regno, feria VI. ejus hebdomadae quadragesimae, quae dicitur Passionis, quo die commemoratio in catholica Ecclesia recurrit dolorum Beatae Mariae Virginis, ex decreto praesertim sanctae memoriae Benedicti pp. XIII. praedecessoris Nostri, is dies festus sit de praecepto secundae classis, eoque propterea christifideles omnes in ejus insulae, seu regni finibus teneantur divino sacrificio interesse, ab operibus servilibus se abstinere; sacerdotes quilibet missam celebrare, et qui ad horas canonicas obligantur de clero seu saeculari, seu regulari utriusvis sexus eas persolvere de illa festivitate sub duplici ritu secundae classis.

Deputatio executoris, et derogatio contrariorum.

§. 4. Tuum porro erit, venerabilis frater, hanc Nostram ordinationem cum archiepiscopis aliis, et episcopis collegis tuis in ista insula communicare, eaque ut ubique promulgetur, et observetur initio facto ab hoc anno, diligenter curare. Non obstantibus apostolicis constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die nona januarii millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 10. jan. 1801. Anno I.

XXXIV.

Instantibus vicariis generalibus Tornacensibus facultas archiepisc. Mechliniensi commissa disponendi de paraeciis, et beneficiis aliis ecclesiasticis secularibus cum animarum cura in gratiam presbyterorum regularium.

Dilecto filio Nostro Joanni Henrico Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali a Frankenberg nuncupato privilegio, et dispensatione apostolica archiepiscopo Mechliniensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater Noster
Salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Quum ad salutem ovium Christi, quibus pascendis omnibus, et ducendis divina benignitate imbecillitas Nostra fuit praefecta, vel maxime conducat, illorum, ad quos paraeciae, et beneficia quaevis, curam animarum adjunctam habentia deferantur fides, vigilantia, studium, industria, ac virtus tanto digna munere, haec primum omnium in ejusmodi hominibus ut praesto sint, atque adeo abundent, videndum, et curandum Nobis esse intelligimus.

Ratio concessionis.

§. 2. Quae sane cogitatio Pium olim pp. VI. sanctae memoriae praedecessorem Nostrum induxit, ut in hac tempestate, quo misere jactamur, permitteret in Gallia discedi ad prisca illa regula, quae praecipit beneficia secularia clericis saecularibus, regularia autem regularibus conferri, ac decerneret unius dignitatis haberi rationem in beneficiis demandandis, quibus cura animarum subest. Ejus Nos vestigiis insistentes haud aegre assentimur vicariis generalibus Tornacensibus, ea sede episcopali vacante, legitime deputatis, quorum nomine supplicatum Nobis nuper fuit idem ut quod concessum in Gallia fuit, aliquatenus sibi liceret, presbyterorum scilicet saecularium idoneorum penuria valde laborantibus.

Tenor concessionis.

§. 3. Itaque circumspectioni tuae dilecte fili Noster, in cujus admirabili virtute, prudentia, et sapientia prorsus acquiescimus, auctoritate apostolica tenore praesentium literarum injungimus, ut si quando in dioecesi Tornacensi presbyteri saeculares, quibus tuto, et cum fidelium fructus paraeciae, et beneficia ecclesiastica saecularia cum animarum cura credantur, defecerint, des licentiam vicariis generalibus illius dioecesis legitime quidem deputatis, qui ad te supplices ob id adierint, disponendi de iis paraeciis, et beneficiis in gratiam prebyterorum regularium cujuscumque instituti, quos tamen tu cognitos, et

probatos ita habeas, ut judicare plane possis gregi christiano illos fore utiles, et bonos juxta apostolum Dei adjutores: tibique ad hoc peragendum facultates omnes necessarias, et opportunas impertimur.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus apostolicis constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Dabis vero operam, ut quas de caetero secundum sacros canones, et pontificum maximorum decreta in iis parœciis, et beneficiis conferendis observanda sunt accurate observentur. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima sexta januarii millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 16. jan. 1801. Anno 1.

XXXV.

Delegatio ad cognoscendas causas in gradu appellationis per Hungariam episcopo Veszprimiensi.

Venerabili fratri Josepho episcopo Veszprimiensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis. §. 1. Quum ob interitum bonae memoriae Josephi cardinalis De Batthyan nuncupati, qui archiepiscopatum Strigoniensem obtineret, moleste ferat carissimus in Christo filius Noster Franciscus Hungariae rex apostolicus, et Bohemiae rex illustris, idemque in Romanorum imperatorem electus intermissa judicia, quae apud illum ratione dignitatis, et muneris, quo erat ornatus, exercebantur ex tota Hungaria, obsecrari idcirco ipse Nos fecit, placeret Nobis aliquem constituere in Hungariae finibus, cui judicia ea committerentur, quandiu archiepiscopatus Strigoniensis vacaret: opportunissimum id esse Hungariae incolis, ut negotia, si quae habent celerius conficiantur, id exposci praeterea ab hac tanta rerum, temporumque difficultate expositum Nobis majestatis suae nomine fuit.

Tenor concessionis. §. 2. Cui Nos quidem gratum facere quammaxime cupientes, tibi, venerabilis frater, illud oneris imponendum interea ducimus, qui antiquissimus diceris esse episcoporum omnium Strigoniensis provinciae, deque cujus fide, consilio, prudentia, doctrina, et industria plurimum in Domino confidimus, quem etiam novimus Francisci majestati multum probatum, ac tuo merito commendatum. Itaque auctoritate apostolica tenore praesentium literarum tibi potestatem facimus, usque eo dum novus archiepiscopus Strigoniensis legitime creatur, causasque omnes, quae ad ipsius ecclesiasticum forum legitimo quovis jure ei sedi insito, aut adjuncto intra Hungariam pertinerent, in gradu quidem appellationis cognoscendi, ac definiendi, non secus atque ipse archiepiscopus Strigoniensis cognosceret, ac definiret: ad quam rem fraternitati tuae facultates omnes necessarias, et opportunas benigne impertimur. Mandamus porro in virtute sanctae obedientiae omnibus, et singulis per Hungariam, ad quos spectat, aut in futurum spectabit, ut te judicem ad appellationes accipiendas, et decidendas apostolica auctoritate delegatum in orbitate sedis archiepiscopalis Strigoniensis agnoscant, et revereantur, tibique faveant, et obtemperent.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non Strigoniensis ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima sexta januarii millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 27. jan. 1801. Anno I.

XXXVI.

Collaudatio de consiliis institutis pro tuenda catholica religione.

Venerabili fratri Dominico archiepiscopo Myrensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Institutorum scopus exponitur, et laudatur.

§. 1. Perlatum ad Nos est, viros aliquot ingenio, et doctrina praestantes, studio incensos religionis catholicae tuendae, ac defendendae, haud ita pridem instituisse convenire inter se, certis diebus, deque eo tam gravi, tam copioso, tam illustri argumento, magna corona disputationes habere, et dialogos, atque adolescentes praeterea complures eximia indole praeditos, ac spectatos in suam adscivisse societatem, quos tamquam tyrones exerceant, ut instructi deinde, et parati prodeant si quando res, tempusque vocent, in pulverem, et in aciem. Non potuimus certe non vehementer laetari ejusmodi ardorem hac in civitate excitatum, in qua domicilium, et arcem ipsam catholicae religionis divinitus collocatam esse constat; idque tibi, venerabilis frater, significandum his literis, et declarandum existimavimus, quem summae negotii praefectum valde etiam gavisi sumus. Itaque futurum speramus, Deo ut vestra consilia, et incoepta adprobante, et adjuvante non mediocris inde proficiscatur in rem christianam publica utilitas, nec parva vobis laus, et huic urbi gloria comparetur. Nos vero et haec sancta Sedes apostolica omni tempore vobis fideliter, ac strenue agentibus profecto favebimus. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima septima januarii millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 27. jan. 1801. Anno I.

XXXVII.

Concessio indulgentiae assequendae ab eis, qui visitaverint ecclesias ordinis sancti Benedicti die nona mensis martii.

Pius PP. VII.

Universis christifidelibus praesentes literas inspecturis, salutem, et apostolicam benedictionem.

Tenor concessionis.

§. 1. Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti; omnibus, et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac sacra comunione refectis, qui aliquam ex ecclesiis monachorum ordinis sancti Benedicti congregationis Olivetanae ubicumque existentem dominica immediate sequenti post diem nonam mensis martii; necnon dominica etiam immediate sequenti post diem vigesimam primam mensis augusti a primis vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint quo die praedictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus ad septennium tantum valituris.

Conditiones adnexae, et fides habenda transumptis.

§. 2. Volumus autem, ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint, utque earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis dictae congregationis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima septima januarii millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno primo.

Dat. die 12. febr. 1801. Anno I.

XXXVIII.

Exemptio monasterii monialium s. Margaritae civitatis Fabrianensis ab episcopali jurisdictione, illiusque receptio sub Sedis apostolicae protectione, et immediata subjectione.

Digitized by Google

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Cum in apostolico, quo fungimur ministerio Nos urgeat, et excitet fidelium omnium votis, et praesertim prudentium virginum, quae ad coelestis agni nuptias vocatae, spretis mundi illecebris, supremi numinis obsequiis sese mancipaverunt, paterna charitate consulere, pastoralis officii partes in id interponere non praetermittentes, nonnulla statuere curamus, quae earum spirituali consolationi, et quieti expedire magis in Domino arbitramur.

Expositio precum. §. 2. Exhibita siquidem Nobis nuper a dilecto filio Josepho Marotti praelato Nostro domestico, et Nostrarum literarum in forma Brevis ad principes secretario, pro parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae, et monialium monasterii sanctae Margaritae civitatis Fabrianensis, ordinis sancti Benedicti congregationis Cassinensis petitio continebat, quod ipsae quamvis optime usque adhuc sub pro tempore existentium episcoporum Fabrianensium ordinaria jurisdictione, obedientia, et gubernio semper extiterint, nihilominus ob paternam erga eas patefactam dilectionem Nostram in nonnullis ad monasterii hujusmodi perpetuam existentiam nuper per alias Nostras sub plumbo expeditas literas annuendo concessis, a superioritate, gubernio, regimine, et ordinaria pro tempore existentium episcoporum Fabrianensium jurisdictione eximi, et liberari, ac sub speciali protectione, et immediata Nostra, ac Sedis apostolicae cura, regimine, et jurisdictione excipi summopere desiderent; quod si eis a Nobis tribuatur, venerabilis frater Joannes-Franciscus modernus episcopus Fabrianensis minime ab earumdem monialium votis dissentire cognovimus.

Tenor concessionis. §. 3. Nos itaque nonnullorum pontificum praedecessorum Nostrorum, qui nonnulla monasteria, et in eis personas, quae Christo duce in poenitentiae castris militare contendunt, apostolicae Sedis praesidio dignas existimarunt exempla sequuti, tam ipsius abbatissae, quam earumdem monialium ejusdem monasterii desideriis, ac votis annuere volentes, supplicationibus earum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, easque, et earum singulas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, monasterium praedictum sanctae Margaritae civitatis Fabrianensis, et in eo contentas, ac in posterum continendas moniales, omnesque personas eidem monasterio addictas, et addicendas, cum earum bonis, et rebus omnibus monasterio praedicto quomodolibet nunc, et in posterum spectantibus, et pertinentibus a quacumque cura, gubernio, regimine, administratione, superioritate, et jurisdictione pro tempore existentium episcoporum Fabrianensium, aliorumque superiorum apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo, et omnino eximimus, et liberamus, dictumque monasterium ejusque nunc, et pro tempore in posterum existentes moniales, ac personas omnes eidem monasterio addictas et addicendas cum omnibus superius expressis bonis, omnibusque aliis rebus eidem nunc, et in posterum spectantibus, et pertinentibus sub speciali Nostra, et Sedis apostolicae protectione, recipimus, et perpetua subjectione constituimus.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 4. Decernentes praesentes literas nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae defectu notari, aut impugnari posse, sed semper validas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus quorumcumque Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum, ac etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis, vel edendis specialibus vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non Fabrianensis ecclesiae, ac monasterii hujusmodi, et ordinis, ac congregationis, cujus illud existit, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis tam ecclesiae praedictae, quam ordini, et congregationi hujusmodi, ac quibusvis personis per quos-

cumque Romanos pontifices praedecessores Nostros, et apostolicam Sedem, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam scientia, et potestatis plenitudine concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, ac individua, non autem per clausulas generales, idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad affectum validitatis praemissorum hac vice dumtaxat harum serie specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, exemptionis, liberationis, receptionis, subjectionis, constitutionis, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo primo, pridie idus februarii, pontificatus Nostri, anno primo.

Dat. die 15. feb. 1801. Anno I.

XXXIX.

Allocutio habita in consistorio secreto diei 23. februarii super creatione viginti septem cardinalium Sanctae Romanae Ecclesiae.

Venerabiles fratres.

Laudes promovendorum ad honorem cardinalatus.

§. 1. Imminutus fratrum vestrorum numerus postulat, ut collegio apostolico tandem aliquando a Nobis prospiciatur. Quod quidem facere ad hanc usque diem minime distulissemus, si id citius a Nobis per interpositas temporum difficultates fieri potuisset. Fungimur itaque pontificio munere; tantoque libentius fungimur, quod in delectu eorum, qui collegio vestro sunt adjiciendi, minime a Nobis est laborandum. Quos enim in collegium vestrum legemus ii sunt nimirum, qui in eo honoris loco constituti, qui proximus est huic amplitudini, ita fidem, operam, virtutemque suam in gerendis muneribus probaverunt, ut merito a Nobis iis praemiis ordinandi sint, quibus praedecessores Nostri iisdem muneribus cum laude perfunctos semper ornare consueverunt. Quem tamen morem in eligendis Ecclesiae principibus ita in posterum Nobis retinendum constituimus, ut excellentibus viris, si commendatio praeclara aderit recte factorum, non citius honoris locus, quam meritorum decus, etiam ex inferioribus honorum gradibus, aditum ad summam hanc dignitatem praebere debebit. Atque id ob eam etiam causam faciendum esse a Nobis ducimus, ne nimis saepe ob frequentiam promotionum gravissimis muneribus gerendis novi, ac propterea nondum exercitati viri experientibus jam, ac longo usu exercitatissimis sint sufficiendi; atque ut quisque, in quocumque fuerit a Nobis honoris gradu collocatus, in eo sine ambitione consistens, omni sedulitate, industria ac fide munere fungatur suo, ac virtutem exerceat, quin altiora expetat, cum illud sciat, Nos deinceps in summis honoribus deferendis non tam amplitudinem muneris, quod quisque exercuerit, quam laborem, fidem, sedulitatem, qua in commisso sibi munere exercendo claruerit, esse respecturos.

Etiam qui in pectore reservantur spectatissimos esse declaratur.

§. 2. Quos vero servandos in pectore judicamus omnes viri sunt virtute spectatissimi; atque horum aliqui gravissimis muneribus, summa cum laude perfuncti, quibus apostolica Sedes jamdiu hunc honorem debet; eos vero sive temporum rationes, sive domesticae difficultates nondum suscipere insignia hujus dignitatis sinunt. Inter hos coenobitae egregii, quorum unus e congregatione Nostra Benedictina, spectatus pietate ac sapientia vir, aliique de Sede apostolica optime meriti, qui ita probati sunt Nobis, ut cum suo tempore nominabuntur, minime dubitemus quin judicio etiam vestro probari debeant.

Quos universos eo impensius operam Nobis atque Ecclesiae navaturos confidimus, quo majoribus novae amplitudinis accessione praesidiis instructi, et adesse Nobis, et Ecclesiam juvare poterunt.

Creatio, et publicatio tredecim cardinalium.

§. 3. Quae cum ita sint, ad majorem omnipotentis Dei gloriam, Sanctae Romanae Ecclesiae utilitatem ac decus creare intendimus

viginti septem cardinales venerabiles fratres et dilectos filios, quorum tredecim declaramus, videlicet.

Josephum Firrao archiepiscopum Petrae, congregationis episcoporum et regularium negotiis, et consultationibus praepositae secretarium.
Ferdinandum Mariam Saluzzi archiepiscopum Carthaginis.
Aloysium Ruffo archiepiscopum Apameae.
Bartholomaeum Pacca archiepiscopum Damiatae.
Caesarem Brancadoro archiepiscopum episcopum Urbevetanum, congregationis Propagandae Fidei secretarium.
Joannem Philippum Gallerati Scotti archiepiscopum Sidae, cubiculo Nostro praefectum.
Philippum Casoni archiepiscopum Pyrgi.
Josephum Albani causarum curiae camerae apostolicae auditorem generalem.
Hieronymum a Porta.
Marinum Carafa palatii Nostri apostolici praefectum.
Julium Gabrielli congregationis concilii Tridentini interpretum secretarium.
Franciscum Mantica clericorum camerae apostolicae decanum.
Valentinum Mastrozzi camerae apostolicae clericum.

Quorum singulorum merita, cum vobis satis comperta esse sciamus, propterea supervacaneum ducimus ea hic recensere.

Quid vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum apostolorum Petri, et Pauli, ac Nostra creamus Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales.

Presbyteros quidem

Josephum Firrao archiepiscopum Petrae.
Ferdinandum Mariam Saluzzi archiepiscopum Carthaginis.
Aloysum Ruffo archiepiscopum Apameae.
Bartholomaeum Pacca archiepiscopum Damiatae.
Caesarem Brancadoro archiepiscopum episcopum Urbevetanum.
§. 3. His permoti causis circumspectioni tuae, dilecte fili Noster, per has literas injungimus, ut ecclesiam, atque aedes Quirinales ad sanctum Silvestrum, quae clericorum regularium Theatinorum adhuc fuerunt, Mariae Annae archiducissae Austriae, auctoritate Nostra apostolica, addicas, et tradas, ejusque proprias esse factas in posterum decernas, et pronuncies: omnia tamen bona, et proventus quoscumque illi ecclesiae adjunctos, cum omnibus cujusvis generis oneribus, quae secum una habent, ad ecclesiam s. Andreae de Valle nuncupatam eadem auctoritate Nostra apostolica transferas. Eum porro usum, ad quem eadem archiducissa deinceps adhibere maluerit aedes illas, atque ecclesiam, stimulos nimirum, quibus urgetur, suae adversus Deum pietatis eximiae, ac studium, quo flagrat, alienae salutis procurandae sequens, tecum ipsa, et Nobiscum antea communicare debebit. Nos vero, quod sedulo probaverimus, et expedire in Domino judicaverimus, libentissime id quidem ei permittemus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima aprilis millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

L.

Dat. die 12. aprilis 1801. Anno II.

Concessio indulgentiae plenariae assequendae ab eis, qui occasione capituli generalis visitaverint ecclesias clericorum regularium congregationis sancti Pauli Decollati.

Pius PP. VII.

Universis christifidelibus praesentes literas inspecturis salutem, et apostolicam benedictionem.

Tenor, et ratio concessionis.

§. 1. Cum sicut accepimus capitulum generale clericorum regularium congregationis s. Pauli Decollati Barnabitarum nuncupatorum in ecclesia, seu collegio s. Caroli a Catinari vulgo nuncupat. de urbe prope diem benedicente Domino celebrandum sit, Nos ut opus tam pium majori cum fructu fiat, et ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem, caelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui praedictam, vel aliquam ex ecclesiis congregationis hujusmodi ubicumque existentem, die quo inchoabitur capitulum generale hujusmodi, ac singulis diebus actualis illius celebrationis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum

preces effuderint, plenariam semel dumtaxat omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus post celebrationem dicti capituli generalis minime valituris.

Conditiones adjectae et fides habenda transumptis.

§. 2. Volumus autem, ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint, atque earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis dictae congregationis munitis eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur, ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quinta aprilis MDCCCI. pontificatus Nostri anno secundo.

LI.

Dat. die 18. aprilis 1801. Anno II.

Indulgetur dignitatibus, et canonicis ecclesiae collegiatae Veruchii Riminensis dioecesis, ut cottam supra rocchettum gestare valeant.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Romanus pontifex in apostolicae dignitatis fastigio singularum ecclesiarum statum circumspiciens, ecclesias antiquitatis laude florentes, ac personas in eis Altissimo famulantes peculiaribus favoribus, et praerogativis libenter exornat, prout conspicit in Domino salubriter expedire.

Ratio, et tenor concessionis.

§. 2. Huic est, quod Nos ad ea, quae ad insignis, ut asseritur, collegiatae ecclesiae Veruchii Riminensis dioecesis decorem, et dignitatem spectant, favorabiliter intendentes, ac dilectis filiis dignitatibus, et canonicis ejusdem collegiatae ecclesiae specialem gratiam facere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut deinceps perpetuis futuris temporibus dignitates, et canonici collegiatae ecclesiae praedictae praesentes, et futuri supra rocchettum, quo ipsi exponentes, ut asserunt, usi sunt, atque utuntur, cottam quoque tam in ecclesia praedicta, ejusque choro, et capitulo, quam extra eam in processionibus, aliisque functionibus, et actis publicis gestare, illaque uti libere, ac licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, eosque desuper a quoquam quavis auctoritate impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non ecclesiae praedictae aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima octava aprilis millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

LII.

Dat. die 21. aprilis 1801. Anno II.

Indulgetur confratribus sodalitatis sanctissimi Sacramenti civitatis Cordubensis, ut in eorum ecclesia per octo continuos dies, in quibus patens proponitur fidelium adorationi sacra Eucharistia, celebrari possit missa votiva solemnis de sanctissimo Eucharistiae sacramento.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Cum sicut dilecti confratres sodalitatis nuncupatae Mancipiorum sanctissimi Sacramenti canonice, ut asseritur, erectae in ecclesia monialium ordinis sancti Benedicti sub titulo Incarnationis civitatis Cordubensis nuncupatae Nobis exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga augustissimum Eucharistiae sacramentum praeseferunt devotionis affectum, ejusdem cultum, et venerationem in dies au-

geri summopere desiderent: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, referente dilecto filio magistro Julio Carpineo sacrorum rituum congregationis secretario, ut in dicta ecclesia per octo continuos dies a dominica tertia post pentecosten usque ad dominicam quartam sequentem, in quibus diebus patens proponitur fidelium adorationi sacra Eucharistia, dummodo non occurat officium duplex primae, vel secundae classis celebrari possit una missa votiva solemnis de sanctissimo Eucharistiae sacramento cum *gloria*, et *credo*, sed cum commemorationibus officii diei, dominicae, aliisque occurrentibus juxta rubricas, si in eadem ecclesia celebrata non fuerit missa conventualis de die, addita etiam facultate praedictam missam eodem modo celebrandi in qualibet dominica prima cujuslibet mensis, ut supra, non impedita, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae sodalitatis, et ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima prima aprilis millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

LIII.

Dat. die 24. aprilis 1801. Anno II.

Indulgetur congregationi ordinis sancti Philippi Nerii civitatis Visensis, ut ejus alumni undecumque orti, possint suscipere quoscumque ordines, etiam presbyteratum ab episcopo Visensi.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum et tenor concessionis.

§. 1. Quamquam alia jam paternae Nostrae charitatis, et benevolentiae signa a Nobis acceperint dilecti filii praepositus, et presbyteri congregationis Oratorii sancti Philippi Nerii nuncupati in Visensi civitate constitutae, uberiora eis tamen dare parati animo sumus, quo alacrius ipsi et commodius Dei gloriae, suaeque, et proximorum saluti studeant. Quamobrem quod a Nobis magnis precibus postularunt, accedente suffragio praesertim venerabilis fratris episcopi Visensis, eis libenter concedimus: ut deinceps nimirum ejus congregationis alumni undecumque orti, ac licet ab alio episcopo tonsura, aut aliquo ordine initiati fuerint, a Visensibus episcopis, cum solis epistolis testimonialibus, quas eorum quisque adferat a suis ordinariis, quoscumque ordines etiam sacros, et presbyteratum suscipere libere, et licite possint, et valeant.

Derogatio contrariorum.

§. 2. Non obstantibus felicis recordationis Innocentii pp. XIII. praedecessoris Nostri literis *Speculatores*, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus constitutionibus, et ordinationibus, ac quibusvis etiam confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quarta aprilis millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

LIV.

Dat. die 28. aprilis 1801. Anno II.

Indultum perpetuum pro dignitatibus, et canonicis ecclesiae collegiatae s. Laurentii op-

Digitized by Google

pidi Drepani Mazarensis gerendi rocchettum, et cappam magnam in omnibus sacris functionibus intra dioecesis terminos.

Venerabili fratri Horatio episcopo Mazarensi.

Pius. PP. VII.

Venerabilis frater Noster salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Supplicatum Nobis non multo ante fuit dilectorum filiorum dignitatum, et canonicorum ecclesiae collegiatae insignis, ut nuncupatur, sancti Laurentii in oppido Drepani dioecesis tuae nomine, ut ad augendam divini cultus majestatem, ad quam rem sacrae vestes non minimum conferant, ipsis divina officia peragentibus, honestiore indumento posthac uti permittamus. Movet Nos quidem ejus oppidi perveteris nobilitas, portu, arce, mercatorum frequentia celebris, copiis, hominibus, liberalibus, atque ingenuis artibus, quodque caput est, religionis, ac pietatis studio, ut perfertur ad Nos, florentis, amplissimorum etiam magistratuum sede, et jurisdictione ornati.

Committitur episcopo, ut pro sua prudentia licentiam concedat.

§. 2. Itaque fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut dignitatibus, et canonicis collegiatae ecclesiae commemoratae non jam mozzettam violacei coloris, quam se usurpasse adhuc affirmant, sed cappam magnam hyeme super rocchettum cum manicis, et cottam super eumdem aestate gerere in choro, in capitulo, in processionibus, aliisque sacris functionibus quibuscumque intra dioecesis terminos libere, et licite possint, ac valeant auctoritate Nostra apostolica in perpetuum, si tibi in Domino visum fuerit expedire, concedas, et indulgeas.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus felicis recordationis Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri de divisione materiarum, aliisque apostolicis constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Ceterum illos Nostris verbis etiam atque etiam adhortabere, ut majorem istum quem a benignitate Nostra sunt adepti insignium splendorem, majori etiam splendore innocentis vitae subsequatur. Habent clarissimum ob oculos ad imitandum propositum exemplum, sanctum nimirum Laurentium, ipsum, in cujus tutela, et praesidio latent: ad cujus idcirco formam suos mores fingere omni cura, et industria enitantur. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima octava aprilis millesimo octingentesimo primo pontificatus Nostri anno secundo.

LV.

Dat. die 8. maji 1801. Anno II.

Unio perpetua cujusdam beneficii ecclesiastici prioratui ecclesiae parochialis matricis loci de Sacavem Lisbonensis dioecesis.

Venerabili fratri patriarchae Lisbonensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum, et ratio concessionis.

§. 1. Expositum Nobis nuper fuit dilecti filii Francisci Antonii Ferreira da Fonseca prioris ecclesiae parochialis, et matricis, ut se dicit, esse Nostrae Dominae loci de Sacavem in tua dioecesi nomine, tenuissimam prorsus ejusmodi munus gerentibus superfuisse congruam, eam nimirum, quae ex tertia solum decimarum parte colligatur, posteaquam a Bragantiae ducibus ejus ecclesiae suae bona coenobio cuidam Carmelitarum donata fuissent patronatus quo in illam ecclesiam fruuntur jure, id sibi licere putantibus eo rem devenisse, ut qui ante se illam ecclesiam obtinuissent ab ea procul in villis agri cultura victitarent, magno cum Christi ovium detrimento: se tamen officii sui memorem apud suam ecclesiam voluisse manere, nec dubitasse, ut ne animabus suae fidei commissis deesset, aere multo alieno se obligare; opportunitatem vero nunc oblatam quo sibi, et paraeciae suae prospiciatur: quum unum ex beneficiis ecclesiasticis simplicibus sex in ipsa ecclesia erectis vacaverit, per obitum illius, qui illud proxime possideret Francisci Correa Godinho, quorum praesentatio beneficiorum ad priorem pertineat, concessu Bragantiae ducum: eo si prior auctus ipse fuerit, satis videri habere, unde non incommode onus paraeciae administrandae grave sibi impositum sustinere, et perferre queat; eamque ob causam, a Nostra apostolica auctoritate

Digitized by Google

opem et auxilium se implorare eo fidentius, quod dilectissimus in Christo filius Noster Joannes regius Brasiliae princeps, et regnorum Lusitaniae regens ecclesiae patronus, adsentiatur.

Tenor decretae unionis.

§. 2. Nos igitur, quibus illud in animo insidet, quod ab apostolo praeceptum est » qui » bene praesunt presbyteri, duplici honore » digni habeantur; maxime qui laborant in » verbo, et doctrina » (ep. 1. ad Tim. c. 5.) aequissimis ejus postulatis satisfaciendum esse ducimus. Quamobrem fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut vera ubi esse narrata compereris, supradictum beneficium ecclesiasticum simplex auctoritate Nostra apostolica in perpetuum prioratui ecclesiae unias, adplices, et incorpores cum omnibus proventibus, et fructibus, atque oneribus, quae secum una habet, adeo ut et hodiernus prior, et qui deinceps ei succedent statim ut possessionem legitimam nacti fuerint prioratus, illius beneficii etiam eo ipso nacti esse intelligantur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes has literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, cancellariae Nostrae regulis, nec non Benedicti pp. XIV., de divisione materiarum, aliisque apostolicis constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die octava maji millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 15. maji 1801. Anno II.

LVI.

Concessio insignium capitulo, et canonicis ecclesiae Finalis Savonensis dioecesis.

Dilectis filiis praeposito, canonicis, et capitulo ecclesiae collegiatae insignis nuncupatae sancti Blasii in oppido Finale vulgo dicto dioecesis Savonensis.

Pius PP. VII.

Dilecti fili salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Expositum Nobis haud multo ante vestro nomine fuit, vos diligentes decorem domus Dei, sanctissimi prophetae exemplo, atque huic rei maxime conducere perspicientes sacrarum vestium ornamenta, magnopere cupere in his inferiores non esse capitulo collegiatae ecclesiae sanctae Mariae de Vineis dictae in Januensi civitate: nec vos profecto solum hoc desiderio teneri, idque a Nobis enixe petere, et orare, sed magistratus etiam vestros, et oppidanos omnes; convenire id vero ipsius quoque oppidi dignitati, quod quidem territorium satis amplum habeat, ubi praefectura insuper constituta sit, et jurisdictio late exerceatur.

Concessio insignium pro canonicis, et beneficiatis.

§. 2. Nos igitur benignitate Nostra paterna erga vos uti volentes, ac vestrum porro singulos a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurristis, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, vobis, praeposito nimirum, et canonicis, tum beneficiatis, et mansionariis, istius collegiatae ecclesiae, ut quae insignia in choro, in capitulo, in processionibus, atque in sacris functionibus quibuscumque a dignitate, et canonicis ecclesiae collegiatae sanctae Mariae de Vineis Januae, atque ab hujus beneficiatis, et mansionariis rite, et legitime usurpantur, eadem vos, pro suo quisque ordine, et gradu, non secus atque illi, in iisdem dum versamini locis, et sacris officiis, intra dioecesis Savonensis fines gerere possitis, et valeatis, auctoritate apostolica tenore praesentium literarum in perpetuum concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus fel. rec. Benedicti pp. XIV. praedec. Nostri de divisione materiarum, aliisque apostolicis ordinationibus, et constitutionibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Digitized by Google

Monitum speciale.

§. 4. Caeterum arbitramur, vos, dilecti filii, penitus agnoscere ornatioribus ejusmodi indumentis, quae estis consequuti, vos admoneri, et excitari vehementer ad induendum magis Dominum Jesum Christum, et ad vos ipsos ornandum magis integritate morum et sanctitate, sine qua inania illa prorsus videntur, atque irridenda. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quinta maji millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 22. maji 1801. Anno II.

LVII.

Confirmatio decreti editi a sacra congregatione Concilii super applicatione favore seminarii Fanensis bonorum spectantium ad suppressum conventum s. Francisci de Roveredo nuncupati ejusdem loci.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponitur quomodo negocium definiendum sacrae congregationi Concilii commissum fuerit.

§. 1. Quanti interesse judicemus teneram puerorum, et adolescentium aetatem optimis imbui moribus, artibus, ac disciplinis satis demonstratum a Nobis fuit iis encyclicis literis, quas ad omnes venerabiles fratres catholicos episcopos dedimus non multo post, quam ad summi pontificatus hoc fastigium divina Nos benignitas infirmos, et debiles extulit. Quamobrem ex Nostri animi omnino sensu fecit venerabilis frater Antonius Gabriel episcopus Fanensis, qui ut primum ecclesiam suam attigit, ad seminarium clericorum amplificandum, et praeclaris legibus constituendum, tam ad collegium ei jungendum sub s. Caroli tutela, ac praesidio, in quo non Fani solum, sed finitimarum etiam civitatum juventus ad solidam pietatem, christianamque virtutem, et ad doctrinarum fere genus omne institueretur, et educaretur, cogitationes suas convertit, totusque incubuit. Cujus quidem seminarii, et collegii tanto ejus episcopi labore, suoque sumptu conservati, ac sustentati, opes, communium rerum casu afflictas, ac prope dilapsas, non possumus non vehementer dolere, eamque rationem, quam unam illi succurrendo praesto esse ostendit dilectus filius ipsius seminarii, et collegii rector non arripere, hujusque precibus, et obsecrationibus hoc in negotio non flecti. Atque has profecto, cum ad congregationem venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium concilii Tridentini interpretum, auditis antea quos oporteret omnibus, transmissisemus, inde profectum est decretum tenoris qui sequitur.

Tenor decreti editi a sacra congregatione.

§. 2. Die 19. maji 1801. — Sacra congregatio eminentissim. S. R. E. cardinalium concilii Tridentini interpretum vigore facultatum a ss. tributarum, et in exequtionem mandatorum Sanctitatis Suae, praevia suppressione conventus patrum minorum Conventualium sancti Francisci vulgo di Roveredo, positi sub dioecesi Fanensi; bona omnia, redditus, jura, et actiones ad dictum conventum spectantia una cum ipsius conventus, et ecclesiae edificiis, applicavit collegio, et seminario s. Caroli civitatis Fani, cum lege tamen adimplendi in perpetuum omnia, et singula onera praefato conventui, aut adnexae ecclesiae inhaerentia ad formam respectivarum fundationum; ita ut collegium, et seminarium suppresso conventui subrogatum censeatur cum iisdem honoribus, et oneribus, et injuncta eidem collegio, et seminario obligatione manutenendi in ecclesia enunciato conventui adnexa cultum divinum in commodum circumstantis populi, et pro hujusmodi effectu deputandi custodem cappellanum, qui omnibus diebus festis missam ibidem celebret, aliumque sacerdotem ad excipiendas confessiones approbatum, qui solemnioribus anni diebus christifidelibus poenitentiae, et sanctissimae Eucharistiae sacramentum ministrare teneatur. Praeterea mandavit eadem sacra congregatio, ut collegium, et seminarium s. Caroli favore ejusdem conventus, et religionis patrum minorum Conventualium provinciae Romanae scuta bismille monetae argenteae vulgo piastre, nempe mille currenti anno, et alia mille proximo venturo anno persolvat, facto eorum deposito in aede sacra, cum lege non amovendi nisi cum ordinibus ab episcopo Fanensi, et a patre generali ordinis, vel a provinciali ejusdem provinciae, ac ejus definitorio subscribendis, et ad effectum erogandi eamdem summam vel in dimissione fructiferi aeris alieni antedictae provinciae, vel investiendi in bonis stabilibus, tutis, atque fructi-

Digitized by Google

feris, vel censibus cum personis etiam saecularibus cum solidati tamen fidejussione ab episcopo loci approbanda favore conventuum ejusdem provinciae.

Confirmatio decreti.

§. 3. Ejusmodi igitur decretum Nos auctoritate apostolica per has literas approbamus, et confirmamus, illudque observari penitus imposterum decernimus, et jubemus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, inque universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus; nec non commemorati ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die XXII. maji millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 2. junii 1801. Anno II.

LVIII.

Facultas canonicis s. Mariae de Cervara Sublacensis districtus adjiciendi manicas ad rocchettum, et gerendi deinceps mozzettam non nigri, sed violacei coloris.

Dilectis filiis capitulo, et canonicis s. Mariae de Cervara nuncupat. in territorio abadiae Sublacensis.

Pius PP. VII.

Dilecti filii Salutem, et apostolicam benedictionem.

Ratio, et tenor concessionis.

§. 1. Desiderium, quo tenemini, vestrum exponi Nobis nuper fecistis, ut ad ornamenta illa sacrarum vestium, quo vos decoratos voluit sanctae memoriae Pius pp. VI. praedecessor Noster, aliud aliquid a Nostra etiam benignitate accedat, ut et majestas divino cultui, quem administratis, accrescat, et incitamentum vos habeatis majus ad vitam eo honestius ex sanctissimarum Ecclesiae legum praescripto traducendam, quo cum honestiori indumentorum adparatu magis consentire debet. Itaque Nos vel ea charitate singulari, qua praedecessor Noster erga istius territorii cunctos homines flagrabat, lacessiti, vestris precibus adnuere decrevimus. Quamobrem vobis, manicas ad rocchettum adjicere, et mozzettam deinceps, non quidem nigri, sed violacei coloris gerere iis temporibus, iisdemque in locis, quae sunt a commemorato praedecessore Nostro vobis definita, auctoritate apostolica in perpetuum concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 2. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda junii millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 2. junii 1801. Anno II.

LIX.

Instante congregatione s. Philippi Nerii Graeci ritus dioecesis Montis Regalis facultas supplendi ejus numerum ex latinis presbyteris, qui ritum Graecum in omnibus ea in congregatione manentibus, debeant sequi, quandiu inopia quidem erit presbyterorum Graeci ritus caelibum.

Venerabili fratri archiepiscopo Panormi, et Montis Regalis.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater Salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Expositum nuper Nobis fuit dilectorum filiorum presbyterorum nomine, qui in oppidulo dioecesis Montis Regalis, quod ab indigenis Piana appellatur, congregationem Oratorii sancti Philippi Nerii nuncupatam constituunt ritus quidem Graeci, at caelibem vitam agentes se ad paucorum numerum redactos esse magna cum jactura suorum oppidanorum;

neque enim se jam sufficere ad ingentia onera sustinenda, quae sibi fuerint imposita, cum et adesse aegrotis, ac praesertim morti proximis, et collegio virginum, quae puellas ad bonas artes, moresque informant ex instituto bonae memoriae Corradini cardinalis, fidelem praebere operam, et juventutem erudire, ac literis, et pietate imbuere susceperint; deficere autem prorsus e Graeca disciplina presbyteros sine uxore, quos in suum contubernium adsciscant; rogare se idcirco magnopere, et orare, veniam ut sibi demus, suam parvam manum ex latinis presbyteris suppleri, qui tamen quamdiu apud se fuerint, eumdem, quem ipsi Graecum ritum observent in divino sacrificio peragendo, atque in aliis sacris officiis, tum in quadragesimarum, et caeterorum jejuniorum ratione, tum in reliquis rebus omnibus nihil a se plane discreperent: ita Nos magnum adjumentum allaturos christiano gregi satis amplo, qui in ea congregatione praeclarum semper solatium reperit.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur istorum presbyterorum inducti precibus, eorumque singulos a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, fraternitati tuae per has literas committimus, et mandamus, ut illis, quod postulant, siquidem vera esse narrata compereris, tuque in Domino expedire judicaveris, quoad inopia tanta erit presbyterorum Graeci ritus caelibum qui illis aggregentur, auctoritate Nostra apostolica pro arbitrio, et conscientia tua concedas, et indulgeas.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus apostolicis constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda junii millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 16. junii 1801. Anno II.

LX.

Indultum ministris aliisque inservientibus hospitalis Gerundensis vescendi prohibitis diebus jejunorum, excepta tantum majori hebdomada, carnibus, ovis, et lacticiniis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Quod Christus, atque apostoli ab ipso edocti, atque instituti tantopere commendarunt, ex omnibusque suis praeceptis maxime inculcarunt, ut charitate cunctos, non vulgari illa quidem, aut fucata, et inani, sed praecipua quadam, et germana, veraque, et solida prosequeremur, hacque incitati nihil praetermitteremus, quo miseris essemus auxilio, et solatio, id profecto semper viguit in Catholica Ecclesia, inde ut tamquam e nota certa et propria, qui christianae disciplinae sectatores essent, agnoscerentur olim, et secernerentur a reliquis. Postea vero quam Ecclesia divexata perdiu, atque jactata respirasset, otiumque fuisset nacta, non privatim solum, sed etiam publice studia charitatis, et misericordiae opera fervere in illa ubique coeperunt, atque aedificia magnifice passim sunt extructa, et parata, ad pauperes, ad aegrotos, ad peregrinos, ad alienae opis egentes quoscumque excipiendos, et juvandos magna cum christiani nominis laude, et gloria. Quae sane loca, communi vocabulo fere hospitalia appellata, omni privilegiorum copia ornare, et amplificare Romani pontifices consueverunt.

Ratio concessionis. §. 2. Itaque et exemplo incitati praedecessorum Nostrorum, et rei ipsius, aequitate, et utilitate permoti facile inducimur ad obsequendum precibus de hospitali a sancta Catharina martyre nuncupato Gerundae in Catalaunia, quas Nobis porrigi fecerunt venerabilis frater Joannes ejus civitatis episcopus, atque, alii, qui illius hospitalis administrationi cum eo una praesunt. Illud enim dicitur a multis saeculis conditum, non solum morbo quocumque implicitos colligere, ac diligenter curare, sed etiam infantes expositos, eosque ad firmam aetatem educere; puellas quoque praegnantes, ac pudori, et famae suae, et foetuum suorum incolumitati perfugium quaerentes; viatoribus etiam praetereuntibus tectum praebere, et mensam: ad quae obeunda officia, ingentem requiri ministrorum, servorumque numerum, quem quidem intra se hospitale continet, atque alit. Verum cum modicae ei sint opes, et facultates, non levi afficitur incommodo, cum statis diebus complu-

ribus non idem genus obsoniorum parare aegrotis, minusque firma valetudine utentibus in hospitali, atque iis, qui bona ea sunt, queat, cum his nimirum carnibus vesci, ovis, et lactiniis per ecclesiam non licet, quibus relici illos necesse est. Quid quod escae illae, quae diebus abstinentiae, et jejuniorum apponuntur hominibus ut valentibus, aerem in hospitali crassum, tetrum, insalubrem, ac pestilentem plerumque ducentibus, detrimentoque admodum videntur esse, viresque sensim diminuere, qui integris opus quisque habet, ad suo defungendum praeclarae pietatis munere?

Tenor concessionis.

§. 3. Quae cum ita sint, cum id praestare vero intelligimus, idque cupiamus vehementissime, et agamus, ut nemo in isto hospitali cesset, utque adeo majorem in dies industriam, ac studium expromat ad Christum solandum, fovendumque, et curandum in fratribus suis minimis, ipsum modo in iis intuens, ac spectans; idcirco ministris, ac servis cujuslibet ordinis, ac generis, et aetatis, ac valetudinis in commemorato hospitali degentibus, victumque ab eo capientibus, qui nunc sunt, quique posthac erunt omnibus, et singulis, ut quamdiu ei hospitali suam operam navabunt, diebus quibuscumque anni, etiam jejuniorum, et quadragesimae, excepta dumtaxat hebdomada majori, carnibus, ovis et lacticiniis vesci libere, ac sine ullo culpae, poenaeve incursu possint, et valeant auctoritate apostolica per has literas in perpetuum concedimus, et indulgemus; quod beneficium quidem ad illos etiam pertinere decernimus, qui administrationem hospitalis gerunt, ad scribam etiam, ad medicos denique duos, et chirurgos duos, qui quamquam in hospitali non maneant, assiduam illi tamen praesentiam, artem, ac scientiam suam impendunt, ad horumque omnium familias, quo alacriores ii scilicet ad subeundos labores tam Deo gratos pro ejus amore sint.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, inque universalibus, ac synodalibus, provincialibusque conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Caeterum eos etiam atque etiam monemus, quibus epularum est potestas his literis facta, per jejuniorum dies, quarum est interdictio tum facta ab Ecclesia caeteris, ut ne se putent inde etiam lege solutos unicae per illos dies comestionis; quin ad eam servandam omnino obligari, secundum constitutiones sanctae memoriae Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri hac de re sapienter editas. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima sexta junii millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

LXI.

Dat. die 16. junii 1801. Anno II.

Indultum utendi bireto violacei coloris pro dignitatibus, et canonicis capituli cathedralis ecclesiae Canadiensis.

Venerabili fratri episcopo Canadiensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
salutem, et apostolicam benedictionem.

Proemium.

§. 1. Apostolicae benignitatis dona ad majorem divinum cultum redundatura eo libentius iis, qui ministerio ecclesiarum addicti sunt, elargimur, quo ecclesiae ipsae per haec in posterum munera studiosius colendae, et elatiori temporum vetustate praecellunt, et laudabiliori ministrorum praestantia celebrantur.

Expositio precum.

§. 2. Sane quum sicut Nobis nuper expositum fuit dignitates et canonici cathedralis ecclesiae Canadiensis capituli quod unum est, ut asseritur, ex antiquissimis per d. Stephani Hungariae regis pietatem fundatis, quodque, ut additur, tum saepe furentibus, ac insectantibus turcis Christianam religionem vel dato fortiter suo sanguine asseruit, tum semper ab haeretica labe incolumen se tueri, et sanctae huic apostolicae Sedi, quae catholicae est cathedra fidei, centrumque unitatis, firmiter adhaerere omni studio curavit, cupiant ornamento aliquo insigniri, ac praesertim bireto coloris violacei uti.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos dignitates, et canonicos praedictos ad ejusmodi majorum suorum aemulan-

Digitized by Google

das virtutes quantum cum Domino possumus allicere, ac magis magisque incendere cupientes, nec non eos, ac singulas eorum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine, Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus atque mandamus, ut veris existentibus narratis, memorati capituli dignitates, et canonici, ac ipsorum quoque pro tempore successores futuri biretum violacei coloris tam in choro, et ecclesia, quam extra in processionibus, et functionibus sacris non tamen ultra fines Canadiensis civitatis, ac dioecesis gestare, illoque libere, ac licite uti possint, et valeant, licentiam, et facultatem pro tui arbitrio impertiendam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, atque tribuimus; eosque desuper in hujusmodi re ab ullo unquam quacumque auctoritate, et quovis sub titulo quomodolibet molestari, perturbari, vel impediri nullatenus posse, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, et dictae cathedralis ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima nona junii millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

LXII.

Dat. die 19. junii 1801. Anno II.

Ad subveniendum necessitatibus nosocomii Assisiensis, mandatur episcopo, ut confraternitates ipsius civitatis agrorum parte unamquamque cedere jubeat.

Venerabili fratri Francisco Mariae episcopo Assisiensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Exponitur status nosocomii.

§. 1. Vehementer animum perculit Nostrum, quod de nosocomio istius civitatis renunciatum paullo ante Nobis fuit, tam tenues ejus esse facultates, ut ei vix in tres menses anni sufficiant, aedificium ejus perangustum, atque alienissimo urbis loco positum, opportunitatibus carere multis, iisdemque necessariis ad solandos, recreandosque aegrotos; aes alienum pro illo sustentando contractum satis grande, nec ullam rationem suppetere, qua dissolvatur. Quis est tam ferreus, qui his rebus non commoveatur? Quis praeceptorum, exemplorumque Christi memor, et consuetudinis ecclesiae, quae spiritu misericordiae sui sponsi imbuta, summam, ac singularem semper suscepit pauperum curam, eorum praesertim, quos praeter inopiam morbi quoque calamitas adflixisset, non erigatur ad auxilium, si quod potest, domicilio isti charitatis christianae adferendum?

Declaratur confraternitates ex instituto teneri opem ferre egentibus.

§. 2. Ac novimus quidem confraternitates recte institutas, et administratas non parvae utilitati esse nutriendae fidelium pietati, atque alendae: quae vero si opibus abundent plusquam ad eum sibi propositum finem requirantur, aequo hae patientur animo earum partem ad Christum in suis membris egentem, infirmum, consumptum inedia, et vi aegritudinum levandum, juvandumque seponi, neque id jacturam profecto, sed lucrum potius existimare debebunt, dum illud apostoli faciunt: « unusquisque sicut accepit gratiam in « alterutrum illam administrantes, sicut boni « dispensatores multiformis gratiae Dei. »

Hinc praecipitur ut ecclesiam cedant et par-

§. 3. Itaque tibi, venerabilis frater, per has literas committimus, et mandamus, ut pro arbitrio, prudentia, et conscientia tua ex

tem agrorum in commodum nosocomii.

confraternitatum istius civitatis bonis, nosocomii tantis necessitatibus auctoritate Nostra apostolica subvenias. Ecclesiam primo, atque aedes, et agellum proximum confraternitatis sanctae Clarae nosocomio addicas, et attribuas, quo aegroti, sede ante probe constituta, et ornata, transferantur. Quae vero legata divinorum sacrificiorum obeunda in ejus confraternitatis ecclesia agnoscas, obiri in posterum in ecclesia minori, quae dicitur confraternitatis tertii ordinis s. Francisci prope forum episcopatus appellatum, decernas. Eidem confraternitati porro sanctae Clarae aedificii, ubi nosocomium nunc est, adjudices partem, quae tibi videbitur, ad sodalium commodum.

Designatio bonorum a singulis confraternitatibus cedendorum.

§. 4. Singulas vero confraternitatis agrorum parte aliqua cedere jubeas, eamque nosocomio propriam inde factam statuas, et pronuncies: confraternitatem nimirum tertii ordinis agrorum parte, quae scutis quinque millibus aestimetur, confraternitatem sanctae Catharinae, quae termillibus; confraternitatem sancti Stephani, quae mille, et tercentum, confraternitatem sancti Francisci, quae septingentis; confraternitatem sanctae Clarae, quae centum quinquaginta; confraternitatem denique sancti Rufini, quae centum. Atque ut aestimatio sine cujusquam querela perficiatur, volumus, ut utrinque duo periti adsint, alter a nosocomio, a confraternitate quaque alter destinatus.

Conditiones, et declarationes speciales.

§. 5. Neque vero aequum arbitramur esse confraternitatem sancti Stephani postquam definito agro abierit, pergere nosocomio solvere pensionem annuam, quam ante hac consuevit scutorum vigintiquinque; quo eam onere idcirco exolutam pronunciabis. Ceterum quamquam existimamus, confisi modestia, et studio verae, solidaeque pietatis istorum sodalium, neminem fore, qui dicto non audiens sit, quique adeo non libenter Domino, in eum usum, quem is magis postulat, quoque opus habet, quique potior, ac melior longe sit, quod ei jam consecratum fuerit concedere velit, tamen, si quis forte tam audax, ac demens fuerit, eum tu, venerabilis frater, etiam per censuras, aliasque poenas arbitrio tuo ad obediendum compellas, implorato ad id quoque, si necesse fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictarum confraternitatum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima nona junii millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

LXIII.

Dat. die 22. junii 1801. Anno II.

Ecclesia princeps s. Nicolai oppidi Thermarum Panormitanae dioecesis erigitur in collegiatam insignem.

Venerabili fratri archiepiscopo Panormitano.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem,
et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§. 1. Thermis, quod oppidum in tua dioecesi est situm, ut si non pristinum, quo fulgebant, splendorem, (nam episcopalis sedes constituta apud eas olim fuisse perhibetur) at aliquem saltem reddamus, postulatum est magnopere a Nobis, cleri et populi ejus oppidi nomine ecclesiam illius principem sancto Nicolao dedicatam, magnifice admodum extructam, et ornatam esse, omni genere sacrae supellectilis abundare, cum ipsam paraeciae honore esse praeditam, tum aliam sub se paraeciam habere, adeo ut collegiatae dignitatem sustinere, ac tueri satis posse videatur; id etiam existimasse carissimum in Christo filium Nostrum Ferdinandum utriusque Siciliae

regem, cum eo venisset, atque illius ecclesiae pulchritudine, et amplitudine fuisset captus; id convenire praeterea nobilitati, et vetustati ipsius oppidi frequentiae ejus civium, in quibus honestissimo loco nati complures, compluresque sacris addicti numerantur, id vero conducere maxime ad incendendum cleri studium, et oppidanorum excitandam, alendamque pietatem; id denique te ipsum judicare, expositum Nobis fuit.

Tenor concessionis.

§. 2. Quamobrem animum inducimus ejusmodi precibus, ut obsequamur; ac propterea fraternitati tuae, cujus nimirum fides, gravitas, sapientia, et constantia nullum Nobis relinquit dubitandi locum, quin omnia in isto negotio gesturus sis ex sanctissimi concilii Tridentini decretis, ac Romanorum pontificum constitutionibus, per has literas committimus, et mandamus, ut, vera, ubi narrata compereris, consentientibus modo iis, quorum interest, auctoritate Nostra apostolica, si ita expedire in Domino arbitratus fueris, partitis ecclesiae commemoratae s. Nicolai redditibus, inde si quidem tum uberes, et ampli erunt, dignitatem unam praepositi appellati, cui animarum cura insideat perpetuo, haereatque, et canonicatus duodecim constituas, cum onere divinas laudes concinendi rite in choro, divinaque officia de more obeundi, separata tertia ipsorum reddituum parte pro distributionibus quotidianis, tum ejusmodi ecclesiam collegiatam insignem esse in posterum decernas, et pronuncies, omnibus privilegiis, et juribus praeditam, quae aliis in Sicilia ecclesiis collegiatis insignibus legitime competunt.

Erectio beneficiorum, et canonicatuum.

§. 3. Beneficia etiam minora octodecim, si opes suppetent, aut pauciora, prout in Domino pariter tibi visum fuerit, in ea stabilias: si quos praeterea alios canonicatus, et si quae beneficia minora alia homines divini cultus studiosi de suis facultatibus fundare ea in ecclesia voluerint, jure sibi patronatus ad illa reservato, in tua id potestate prorsus esse decernimus. Ac praeter dignitatem praepositi cum animarum cura, quae certe per concursum conferenda erit ab Panormitanis archiepiscopis; an eodem modo ad canonicatus, et reliqua beneficia, exceptis illis, quae de jure erunt forte patronatus, sint idonei, et probati viri provehendi, aut alia ratione, ex sanctis canonibus, quae potior, ac tempori, locoque opportunior videatur, tui id quoque judicii esse statuimus. Illud vero prae caeteris etiam atque etiam te monemus, deque eo gravissime tuam conscientiam oneramus, ut prospicias omnino, caveasque, ne per hanc novam istius ecclesiae sancti Nicolai ornandae inductam formam, is, qui curam sustinet animarum, non habeat, quod sibi honeste, et commode alendo, et paraeciae sibi demandatae recte administrandae sufficiat.

Honores concessi canonicis, et dignitatibus.

§. 4. Dignitati porro, et canonicis istius a te instituendae insignis collegiatae ecclesiae rocchettum cum manicis, et mozzettam violacei coloris, beneficiatis vero minoribus rocchettum cum manicis laxioribus, et almutiam gerere in choro, in capitulo, in processionibus, atque in omnibus ecclesiasticis functionibus intra fines Thermarum oppidi eadem auctoritate Nostra apostolica in perpetuum concedas, et indulgeas. Sed acta demum omnia in ista causa ad congregationem venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium concilii Tridentini interpretum facies, ut perferantur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus felicis recordationis Benedicti pp. XIV. s. mem. praedecessoris Nostri de divisione materiarum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia junii millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

LXIV.

Dat. die 2. julii 1801. Anno II.

Concessio almutiae loco cottae pro canonicis ecclesiae sancti Donati terrae Amandulae Firmanae dioecesis.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem
et apostolicam benedictionem.

Proemium. §. 1. Sacrorum inter indumentorum insignia ad dignitatem divinis officiis comparandam, devotionemque fidelium percipiendam provide, salubriterque instituta semper apostolica Sedes in more habuit quaedam iis conferre, qui ministerio ecclesiasticarum antiquitatis celebritatis, aliusve tituli laude pollentium perfunguntur, ut ex ipsis ecclesiis decus accrescat, et ipsarum ministri insignioribus vestibus ornati forinsecus ad memoria incitentur ornamenta virtutum, quibus tum in conspectu Domini, qui corda intuetur purius adstare, cum oculo plebis cui morum exemplo esse debent sanctius in dies satagent apparere.

Expositio precum. §. 2. Quum itaque dignitates, et canonici insignis, ut asseritur, collegiatae ecclesiae s. Donati terrae Amandulae, quae Firmanae dioecesis ambitu continetur, exponi nuper fecerint Nobis dictam ecclesiam ceteris collegiatis eadem in dioecesi existentibus vetustate erectionis praecedere, seque propterea almutiam supra cottam jam ex quo dicta collegiata erecta fuit obtentam adhibentes nunc ut loco cottae rocchettum induere possint plurimum cupere.

Tenor concessionis. §. 3. Nos exponentium votis, benigne annuere volentes, eosque, ac singulas eorum personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut quatenus quae exposita sunt vera esse comperias, dignitatibus et canonicis collegiatae praedictae, eorumque pro tempore successoribus almutiam supra rocchettum loco cottae, qua ipsi, ut ajunt, hactenus usi sunt, deinceps gestandi, eodemque rocchetto, tam in ecclesia, choro, et capitulo, quam in processionibus, aliisque sacris functionibus, et actibus publicis libere, ac licite utendi licentiam, et facultatem auctoritate Nostra apostolica pro tui arbitrio indulgeas, atque concedas.

Clausulae salutares et irritantes. §. 4. Decernentes eos sic per te, ut praefertur rocchetto hujusmodi decoratos a nullo unquam quacumque auctoritate, et quovis sub titulo hac in re molestari, perturbari, impediri quomodolibet posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non memoratae ecclesiae, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die tertia julii millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

LXV.

Dat. die 10. julii 1801. Anno II.

Facultas canonicis ecclesiae collegiatae s. Mariae castri Arguati Placentinae dioecesis in perpetuum rocchettum induendi, et mozzettam cum caputio coloris violacei, praetextam colore, qui lingua vernacula cremisi appellatur; beneficiatis vero mozzettam sine caputio nigri coloris.

Venerabili fratri Gregorio episcopo
Placentino.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
salutem, et apostolicam benedictionem.

Proemium. §. 1. Inter instrumenta divini cultus numerari etiam sacras vestes, quas illius ministri ad sacrificium adhibent, atque ad caetera divina officia, et munia, iisque, cum sacrorum mysteriorum praestantiam, et majestatem commendari plurimum, tum fidelium, qui intersint, mentes, atque animos ad pietatem vehementius colligi, et excitari, res est usu et experientia, et Ecclesiae perpetua consuetudine, ac definitione, comperta, et explorata. Ac fuit sane tempus, cum illarum vestium splendor quidam fulgentior, et ornatus non cum multis ecclesiis esset communis, sed ca-

Digitized by Google

rum proprius dumtaxat, quae reliquis dignitate, et auctoritate antecellerent. Qui sane postea latius patuit Romanorum pontificum liberalitate, atque indulgentia, ecclesiarum scilicet utilitate, ac temporibus id exposcentibus.

Ratio, et tenor concessionis.

§. 2. His de causis non aegre animum induximus ad assentiendum votis, ac precibus dilectorum filiorum capituli, et canonicorum, et beneficiatorum ecclesiae collegiatae sanctae Mariae castri Arquati nuncupatae in dioecesi tua ista constitutae, quae et vetustate, et nobilitate nullam aliam intra istos fines praeferendam esse sibi contendit, ad quod movemur etiam eo testimonio, quod peramplum illi apud Nos tu venerabilis frater tribuisti. Quamobrem fraternitati tuae harum literarum tenore potestatem facimus, ut dignitati, et canonicis quidem supradictae collegiatae ecclesiae rocchettum cum mozzetta caputio instructa coloris violacei, praetexta autem colore eo, qui vernacula lingua cremisi appellatur; beneficiatis vero, seu praebendatis, praeter superpelliceum, sive cottam, mozzettam nigri coloris caputii expertem tam intra ipsam ecclesiam, in choro, et capitulo, quam extra in processionibus, et omnibus ecclesiasticis functionibus in oppido castri Arquati gerere auctoritate Nostra apostolica in perpetuum indulgeas.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus fel. rec. Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri de divisione materiarum, aliisque apostolicis constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Caeterum illos magnopere adhortaberis, et monebis, ut ejusmodi honoris insignia, quibus intuentium oculos ad se magis pertrahent, invitamenta sibi esse ad vitam, moresque suos omnes ex virtute, accuratius componendas sedulo, et assidue reputent. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima julii millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

LXVI.

Dat. die 16. julii 1801. Anno II.

Concessio canonicis ecclesiae cathedralis Recanatensis usus canonis, et lyceoli, et gestationem crucis pectoralis super vestibus choralibus, ac dignitatibus vestem coloris violacei.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Ad apostolicae dignitatis fastigium, divina favente clementia, meritis licet imparibus constituti, ad ea, per quae divinus cultus adaugeatur, ac ministri ecclesiastici, qui in Ecclesiae Catholicae vicissitudinibus praeclarum religionis, et charitatis specimen dederunt novis honoribus et praerogativis decorentur, maxime dum id in majorem eorumdem ecclesiasticorum virorum honorem tendere speramus, libenti animo concedere non praetermittimus, prout arbitramur in Domino salubriter expedire. — Proemium.

Expositio precum.

§. 2. Sane pro parte dilectorum filiorum modernorum praepositi, et archidiaconi, ac archipresbyteri, et decani, ac canonicorum majoris ecclesiae Recanatensis Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum dicta major ecclesia, quae Deo in honorem divi Flaviani patriarchae Constantinopolitani dictae civitatis principis patroni dicata a primis usque saeculis suam trahit originem, prout ex qualitate ipsius structurae basilicae vestigia praeferentis immemorabilis illius antiquitas concipitur, tum antiquitate illius fundationis, tum celebritate famae adeo insignis existat, ut primum inter caeteras illarum partium cathedrales ecclesias optimo quidem jure locum sibi vindicare videatur.

Viri praestantes enumerantur, qui episcopalem hanc sedem regere potuerunt.

§. 3. Ipsa enim episcopalis sedes praeclara quamplurimorum antistitum serie, quos inter sex Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales adnumerantur, elucens sui splendoris complementum sumpsit ab administratione, quam de ipsa sede tenuit Gregorius decimus secundus praedecessor Noster, qui post dimissum ab eo libere summi apostolatus officium, cui fuerat assumptus, et legatus Marchiae, et una simul administrator ipsius Recanatensis ecclesiae creatus, apud ipsam Recanatensem ecclesiam semper resedit, et postquam de anno Domini millesimo quadringentesimo decimo septimo ab hac luce migravit, in praefata majori ecclesia sepultus fuit.

Reliquiae insignes sanctorum, quae in ecclesia cathedrali asservantur.

§. 4. In praefata insuper majori ecclesia, a qua Maceratensis, et Lauretana respective episcopales sedes suam ducunt originem, extat cappella, in qua brachium, et ossa prae-

dicti divi Flaviani, ac duodecim sanctorum martyrum corpora, ac quamplurimae eorundem sanctorum reliquiae, quarum nonnullae vere insignes, scilicet particulae quaedam ligni Sanctissimae Crucis Domini Nostri Jesu Christi, et praesertim dimidium partis illius particulae Crucis, quam beatus Petrus martyr in platea praefatae civitatis Recanatensis verbum Dei ad haereticos praedicans, ut eos confunderet, in medio flammarum injecit, quaeque illaesa remansit, ac una ex ejusdem Salvatoris Nostri corona spina, particula vestis inconsutilis, aliaque illius passionis instrumenta a praedicto Gregorio praedecessore Nostro eidem majori ecclesiae elargita pie decenterque asservantur; nec parum decoris, et honorificentiae eidem majori ecclesiae superaddidit translatio almae Domus de Nazaret a plurimis usque saeculis inibi mirifice collocata, quae tunc existentium episcoporum, et capituli, ac canonicorum Recanatensium jurisdictioni extitit obnoxia.

Capituli insignitas, et praestantia.

§. 5. Ipsius autem majoris ecclesiae capitulum uno praeposito unam praeposituram inibi post pontificalem majorem, ac archidiacono, archidiaconatum secundam, et archipresbytero, archipresbyteratum tertiam, ac decano, decanatum quartam inibi dignitates, ac quatuordecim canonicis totidem canonicatus, paresque praebendas, ac quatuor praeter duodecim beneficiatorum, seu altaristarum collegium beneficiatis totidem perpetua simplicia, et personalem residentiam requirentia beneficia ecclesiastica in ea respective obtinentibus componitur, qui omnes indulto deferendi scilicet cappam magnam hyemali, aestivo vero temporibus mozzettam violacei coloris apostolica sibi auctoritate concesso gaudentes, dictae majori ecclesiae cum seminarii puerorum ecclesiastici in dicta civitate erecti alumnis ecclesiasticis functionibus in ea maximo cum decore et majestate celebrare consuetis intervenientibus laudabiliter deserviunt.

Expositio novarum precum.

§. 6. Cum autem sicut eadem petitio subjungebat moderni praepositus, et archidiaconus, ac archipresbyter, et decanus, nec non canonici dictae majoris ecclesiae in proximis transactis vicissitudinibus praeclarum religionis, et charitatis specimen dederint, quia licet ipsi propriis redditibus pene prorsus orbati, eorum tamen ecclesiam publice omnium christifidelium venerationi patere, propriisque sumptibus omnes sacras functiones, ut antea, exercere, ac insuper omnia alia pietatis, et charitatis opera, quae in aliis praefatae Recanatensis ecclesiis tunc in prophanos usus redactis peragebantur, maxima cum populi aedificatione, et animarum eorundem Christifidelium utilitate adimplere, sacrasque eorundem sanctorum exuvias una cum sacris imaginibus, iconibus, suppellectilibusque quamplurimis ad praedictas ecclesias pertinentes per eos collatos in tutum collocare, ac fideliter diligenterque asservare curarunt, proptereaque attentis praemissis eorum major ecclesia praedicta digna videatur, ut specialibus praerogativis, et gratiarum muneribus individuis illius capitulum componentibus Sedis apostolicae benignitate elargiendis cumuletur. Quare pro parte dictorum modernorum praepositi, archidiaconi, archipresbyteri, et decani, ac canonicorum praedictorum fuit Nobis humiliter supplicatum, quatenus eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 7. Nos igitur, qui quantum cum Domino possumus, piis ecclesiasticarum personarum praecipue Altissimo inservientium desideriis libenter annuimus, modernos praepositum, archidiaconum, archipresbyterum, et decanum, ac canonicos praedictos specialis gratiae favore prosequi volentes, ipsosque, et eorum singulas personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati modernis, et pro tempore existentibus praeposito, et archidiacono, ac archipresbytero, et decano, ac quatuordecim dictae majoris ecclesiae Recanatensis canonicis, ut ipsi, eorumque in dictis dignitatibus, singulisque canonicatibus et praebendis respective successores in missarum etiam solemnium celebratione canonem, et lycucolum, seu palmarium, vulgo bugia tam in missis privatis, quam in omnibus aliis functionibus ecclesiasticis adhibere.

De signis in Cruce colendis.

§. 8. Ac insuper ne tanti, ut praefertur, relati miraculi a praefato divo Petro martyre

patrati, memoria pereat, ipsi crucem lamine auri elaboratam a recta ejus parte imaginem Beatae Mariae Virginis supra domum Nazaret sedentis cum epigraphe — Non fecit taliter omni nationi — a parte vero inversa divi Flaviani respective imagines praeseferentem cum epigraphe — protector Noster aspice et respice — juxta formam in calce praesentium delineatam cum cordula serica nigri coloris, non tamen auro intexta de collo ante pectus descendentem, quae tam forma, quam magnitudine a crucibus episcopalibus differat, et sit absque sacrarum reliquiarum custodia vulgo sepulchrino nuncupata supra vestes chorales, et ubique, non tamen super paramenta sacra deferre.

De vestibus a dignitatibus induendis.

§. 8. Ac demum praeposito, archidiacono, ac archipresbytero, et decano praefatis tantum, eorumque in praepositura, et archidiaconatu, et archipresbyteratu, et decanatu hujusmodi successoribus praedictis, ut ipsi vestem talarem vulgo subtanam sericam aestivo, hyemali vero temporibus laneam violacei coloris cum asulis, et globulis etiam sericis cremesini coloris, ac ornatu vulgo *mostre* pariter serico dicti cremesini coloris super manicis in illius extremitate respective ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus tam in dicta majori ecclesia, quam in illius choro et capitulo, ac inter missarum, et horarum canonicarum diurnarum pariter et nocturnarum, aliorumque divinorum officiorum celebratione, quam etiam extra praescriptam majorem ecclesiam in processionibus, aliisque functionibus, et actis capitularibus tam publicis quam privatis, ac alias quandocumque, ubicumque, et quotiescumque opus fuerit, etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibus conciliis, etiam in praesentia venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium etiam de latere legatorum, et vice legatorum, ac Nostri, et Sedis apostolicae nunciorum, archiepiscoporum, et episcoporum, et ordinarii etiam proprii respective deferre, et gestare, illisque respective uti libere, et licite possint, et valeant, et quilibet eorum possit, et valeat, apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo concedimus et indulgemus.

Omne remedium juris aufertur, quod retardare posset executionem praesentium literarum.

§. 9. Ipsosque modernos, et pro tempore existentes praepositum, et archidiaconum, ac archipresbyterum, et decanum, ac canonicos praedictae majoris ecclesiae super praemissis a quoquam quavis auctoritate, et quovis praetextu, colore et ingenio molestari, inquietari, perturbari, vel impediri nullatenus unquam posse, neque debere, ac easdem praesentes nullo unquam tempore ex quocumque capite quantumvis juridico et legitimo de supreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, aut quopiam alio defectu notari, impugnari, vel invalidari, seu per Nos, et successores Nostros Romanos pontifices pro tempore existentes, ac Sedem apostolicam praedictam, seu ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios praefatos, vel quosvis alios quavis auctoritate fungentes, seu dignitate, honore, et praerogativa fulgentes revocari, suspendi, limitari, ad viam et terminos juris reduci, seu adversus illos restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque juris vel facti, justitiae, vel gratiae remedium impetrari, aut etiam motu proprio, et plenitudine potestatis concedi, ac illis in aliquo derogari, aut quidquam aliud in contrarium disponi nullo unquam tempore posse, nec illas sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam ut praefertur, vel alias quomodolibet etiam per cancellariae apostolicae regulas, aut constitutiones apostolicas pro tempore factis et faciendis comprehendi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per dictos modernos, et pro tempore existentes praepositum, ac archidiaconum, ac archipresbyterum, et decanum, nec non quatuordecim canonicos dictae majoris ecclesiae quandocumque eligenda concessas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, ad quos nunc spectat, et pro tempore quomodolibet spectare poterit in futurum firmiter, et inviolabiliter observari, eisdem etiam ut praefertur modernis et pro tempore existentibus praeposito, ac archidiacono, et archipresbytero, et decano, ac canonicis praedictis semper et perpetuo suffragari.

Clausula sublata, et de-

§. 10. Sicque, et non alias per quoscumque

cretum irritans. judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum palatii apostolici auditores, ac praefatae Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios praefatos judicari et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum. §. 11. Non obstantibus quibusvis etiam in eisdem et aliis conciliis editis, vel edendis specialibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, dictae majoris ecclesiae etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis in genere vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores ac si de verbo ad verbum, nil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, etiam inserti forent eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis. §. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, concessionis indulti, decreti, et derogationis infringere, vel ei auso temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo primo, sexto idus julii, pontificatus Nostri anno secundo.

LXVII.

Dat. die 15. julii 1801. Anno II.

Conventio inter sanctissimum dominum Nostrum Pium papam septimum et gubernium Gallicanum, inita de rebus ecclesiasticis, et temporalibus ditionis pontificiae, et reipublicae Galliarum.

Nominatio plenipotentiariorum. §. 1. Sanctitas sua summus pontifex Pius VII. atque primus consul Gallicae reipublicae in suos respective plenipotentiarios nominarunt.

De plenipotentiariis pro parte sanctae Sedis. §. 2. Sanctitas sua eminentissimum dominum Herculem Consalvi S. R. E. cardinalem diaconum s. Agbatae ad Suburram suum a secretis status; Josephum Spina archiepiscopum Corinthi, Sanctitatis suae praelatum domesticum, ac pontificio solio assistentem; et patrem Caselli theologum consultorem Sanctitatis suae pariter munitos facultatibus in bona et debita forma.

Similes pro parte primi consulis Galliarum. §. 3. Primus consul cives Josephum Bonaparte consiliarium status, Cretet consiliarium pariter status, ac Bernier doctorem in s. theologia, parochum s. Laudi Andegavensis plenis facultatibus munitos.

Tenor initarum conventionum. §. 4. Qui post sibi mutuo tradita respectivae plenipotentiae instrumenta, de iis quae sequuntur convenerunt.

Conventio inter summum pontificem Pium VII. et gubernium Gallicanum.

De catholicae fidei recognitione in republica Gallicana. §. 5. Gubernium reipublicae recognoscit religionem catholicam apostolicam Romanam eam esse religionem, quam longe maxima pars civium Gallicanae Reipublicae profitetur.

Summus pontifex pari modo recognoscit eamdem religionem maximam utilitatem, maximumque decus percepisse, et hoc quoque tempore praestolari ex catholico cultu in Gallia constituto, nec non ex peculiari ejus professione, quam faciunt reipublicae consules.

Haec cum ita sint, atque utrinque recognita, ad religionis bonum, internaeque tranquillitatis conservationem, ea quae sequuntur inter ipsos conventa sunt.

De libero exercitio ejusdem religionis in Gallia. Art. I. §. 6. Religio catholica apostolica Romana libere in Gallia exercebitur: cultus publicus erit, habita tamen ratione ordinationum quoad politiam, quas gubernium pro publica tranquillitate necessarias existimabit.

De finibus dioecesum circumscribendis collatis consiliis. Art. II. §. 7. Ab apostolica Sede, collatis cum gallico gubernio consiliis, novis finibus Galliarum dioeceses circumscribentur.

De sacrificiis excepto habendis a Galliarum episcopis, et ecclesiarum rectoribus.

Art. III. §. 8. Summus pontifex titularibus Gallicarum ecclesiarum episcopis significabit se ab iis pro bono pacis et unitatis omnia sacrificia firma fiducia expectare, eo non excepto quod ipsas suas episcopales sedes resignent.

Hac hortatione praemissa, si huic sacrificio quod Ecclesiae bonum exigit renuere ipsi vellent (fieri id autem posse summus pontifex suo non reputat animo) gubernationibus Gallicarum ecclesiarum novae circumscriptionis de novis titularibus providebitur, eo qui sequitur modo.

De nominatione novorum episcoporum, et archiepiscoporum.

Art. IV. §. 9. Consul primus Gallicanae reipublicae intra tres menses, qui promulgationem constitutionis apostolicae consequentur, archiepiscopos et episcopos novae circumscriptionis dioecesibus praeficiendos nominabit. Summus pontifex institutionem canonicam dabit, juxta formas relate ad Gallias ante regiminis commutationem statutas.

De novis episcopis nominandis vacationum tempore.

Art. V. §. 10. Item consul primus ad episcopales sedes, quae in posterum vacaverint novos antistites nominabit, iisque, ut in articulo praecedenti constitutum est, apostolica Sedes canonicam dabit institutionem.

De juramento ab episcopis praebendo.

Art. VI. §. 11. Episcopi antequam munus suum gerendum suscipiant, coram primo consule juramentum fidelitatis emittent, quod erat in more ante regimis commutationem, sequentibus verbis expressum.

» Ego juro et promitto ad sancta Dei evan-
» gelia obedientiam, et fidelitatem gubernio
» per constitutionem Gallicanae reipublicae
» statuto. Item promitto me nullam commu-
» nicationem habiturum, nullo consilio inter-
» futurum, nullamque suspectam unionem,
» neque intra, neque extra conservaturum,
» quae tranquillitati publicae noceat, et si
» tam in dioecesi mea, quam alibi noverim
» aliquid in status damnum tractari, guber-
» nio manifestabo.

De juramento praebendo ab ecclesiasticis secundi ordinis.

Art. VII. §. 12. Ecclesiastici secundi ordinis idem juramentum emittent coram auctoritatibus civilibus a Gallicano gubernio designatis.

De orationibus recitandis post divina officia.

Art. VIII. §. 13. Post divina officia in omnibus catholicis Galliae templis sic orabitur.

» Domine salvam fac rempublicam.

» Domine salvos fac consules.

De novarum paroeciarum circumscriptione.

Art. IX. §. 14. Episcopi in sua quisque dioecesi novas paroecias circumscribent; quae circumscriptio suum non sortietur effectum, nisi postquam gubernii consensus accesserit.

De nominandis ad paroecias.

Art. X. §. 15. Iidem episcopi ad paroecias nominabunt, nec personas seligent nisi gubernio acceptas.

De capitulis, ac seminariis in qualibet dioecesi erigendis.

Art. XI. §. 16. Poterunt iidem episcopi habere unum capitulum in cathedrali ecclesia, atque unum seminarium in sua quisque dioecesi sine dotationis obligatione ex parte gubernii.

De ecclesiis episcopis restituendis.

Art. XII. §. 17. Omnia templa metropolitana, cathedralia, parochialia, atque alia, quae non alienata sunt, cultui necessaria, episcoporum dispositioni tradentur.

De molestiis non inferendis emptoribus bonorum ecclesiasticorum.

Art. XIII. §. 18. Sanctitas Sua pro pacis bono, felicique religionis restitutione, declarat eos, qui bona Ecclesiae alienata acquisiverunt, molestiam nullam habituros neque a se, neque a Romanis pontificibus successoribus suis, ac consequenter proprietas eorumdem bonorum, redditus et jura iis inhaerentia immutabilia penes ipsos erunt, atque ab ipsis causam habentes.

De sustentatione episcoporum, et parochorum.

Art. XIV. §. 19. Gubernium Gallicanae reipublicae in se recipit tum episcoporum, tum parochorum, quorum dioeceses atque parochias nova circumscriptio complectetur, sustentationem, quae cujusque statum deceat.

De novis fundationibus ecclesiarum.

Art. XV. §. 20. Idem gubernium curabit, ut catholicis in Gallia liberum sit, si libuerit, ecclesiis consulere novis fundationibus.

De privilegiis fruendis a primo consule apud sanctam Sedem.

Art. XVI. §. 21. Sanctitas Sua recognoscit in primo consule Gallicanae reipublicae eadem jura ac privilegia quibus apud sanctam Sedem fruebatur antiquum regimen.

De nova conventione ineunda in casu quod successor primi consulis religionem catholicam minime profiteatur.

Art. XVII. §. 22. Utrinque conventum est, quod in casu quo aliquis ex successoribus hodierni primi consulis catholicam religionem non profiteretur super juribus ac privilegiis in superiori articulo commemoratis, nec non super nominatione ad archiepiscopatus, et episcopatus respectu ipsius nova conventio fiet.

De traditione ratificationum.

§. 23. Ratificationum traditio Parisiis fiet quadraginta dierum spatio. Datum Parisiis die 15. mensis julii 1801.

Hercules cardinalis Consalvi.
Joseph Bonaparte.
Joseph archiepiscopus Corinthi.
Cretet.
Fr. Carolus Caselli.
Bernier.

Digitized by Google

Dat. die 21. julii 1801. Anno II.

LXVIII.

Indulgetur plebano paraeciae vulgo de Fuppiano al Brembo Borgomensis dioecesis, ut titulo praepositi pro se, et successoribus uti valeat.

Venerabili fratri episcopo Bergomensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Sebastianus Milesi, populusque omnis paraeciae sub invocatione ss. apostolorum Philippi, et Jacobi erectae in loco, qui vulgo Fuppiano al Bembo vocatur, Bergomensis dioecesis, quod ipsi magno desiderio flagrant, ut parochus dictae paroeciae, qui nomen habet plebani, titulo praepositi nominetur, quemadmodum aliarum eadem in dioecesi paroeciarum parochi simili, ut asserunt, titulo decorati existunt, addentes haud se inaniter confidere digniorem hujusmodi titulum allecturum deinceps ad regendam paroeciam presbyteros etiam digniores, qui propterea ecclesiae, et plebi universae majori erunt utilitati futuri: hinc Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur exponentium votis benigne in Domino annuere, eosque specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac eosdem a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut constito tibi de narratis, memoratae paroeciae moderno parocho seu plebano, ejusque etiam pro tempore successoribus, assumendi nomen, et titulum praepositi, eoque libere ac licite perpetuis futuris temporibus utendi, et gaudendi licentiam, et facultatem auctoritate Nostra apostolica pro tui prudentia, et arbitrio indulgeas atque concedas.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes has praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, dictoque moderno plebano, ejusque successoribus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima prima julii millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 21. julii 1801. Anno II.

LXIX.

Confirmatio nonnullarum providentiarum sensim susceptarum in levamen monasteriorum ordinis Cisterciensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Laudes ordinis Cisterciensis.

§. 1. Cisterciensium ordinem, qui et originis vetustate, et virtutum splendore, et clarorum virorum copia, et meritorum erga Ecclesiam magnitudine, et praestantia, et famae celebritate mirifice floruit, omni studio tueri, et ornare Romani pontifices contenderunt. Cui rei testimonio quidem sunt innumerae fere, quae extant de eo ordine ab illis promulgatae, constitutiones. Atque id praedecessorum Nostrorum exemplum, et si per magnum apud Nos pondus babeat, non eo tamen solum incitamur, ad ejus ordinis congregationem praecipua cura, et benevolentia complectendam, quae in ditionis Nostrae temporalis regione manet, quaeque congregatio inde Cisterciensium provinciae Romanae appellari consuevit; sed ea etiam necessitudine, qua cum ejusmodi familiis copulamur, quae sancti Benedicti legibus vivunt, cujus sanctissimam disciplinam sequuti Nos ipsi adolescentes fuimus, compluresque annos ad illam adhaesimus, quamdiu nimirum per divinam providentiam licuit; quae sane recordatio incredibilem Nobis delectationem adfert.

Digitized by Google

Plurimae providentiae in commodum hujus ordinis singillatim captae enumerantur.

§. 2. Itaque hac mente cum simus, atque animo, non potuimus non benigne admodum eas preces excipere, quas aliquot mensibus ante Nobis detulit dilectus filius Amedeus Piermartinius, qui tunc abbatis praesidentis generalis appellatione, et auctoritate, congregationis illius gubernacula gereret. Itaque decreto, quod per congregationem venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negociis, et consultationibus episcoporum, et regularium praepositam re diu, multumque considerata, promulgari fecimus, et ipsi Piermartinio, initium aliquod requiescendi suae adfectae aetati, ac valetudini debitum postulanti, concessimus, utque se gravi munere, quod undecim annos pertulisset, abdicaret, permisimus, ac praeterea, ut parvo monasterio s. Mariae in Vepribus, quod secessum, et solitudinem cogitans, optaret, abbas praeesset; tum, quod Italiae erumnae minime paterentur, capitulum generale totius congregationis legitimo tempore, ac more, institutoque veteri cogere, illius loco substituimus congregationem dictam pro-definitorialem, ex dilectis filiis compositam ipso Amedeo Piermartinio, Raymundo Giovanninio procuratore tum generali, et abbate s. Mariae in Carinis, Joanne Colombino Fatteschio abbate s. Laurentii in Doliolo, Angelo Campagna abbate s. Martini, Jacobo Fratinio abbate Vallispontis, Amedeo Talonio abbate regiminis, Isidoro Mela abbate s. Mariae in Vepribus, et Bernardo Levisatio, qui esset ejusmodi congregationis secretarius quidem, careret in ea tamen suffragii jure. Atque ei congregationi, quae esset dominica prima post festum pentecostes habenda, facultates omnes necessarias et opportunas, quae definitorio capituli generalis competunt, tum ad superiores eligendos, atque officiales, tum ad collocandas familias, tum ad reliqua omnia negotia explicanda congregationis Cisterciensium provinciae Romanae, tribuimus, nisi quod nonnulla quaedam excepimus, quae, ut majoris momenti, Nobis ipsis reservanda existimavimus. Itaque dilectis filiis Raymundo Giovanninio praesidis generalis, Joanni Colombino Fatteschio procuratoris generalis, Sixto Benignio comprocuratoris generalis munus demandavimus, ac tertium hunc honore abbatis, cum optione ad abbatiam s. Mariae in Carinis, cumulavimus. Id praeterea mandavimus, ut inter patres regiminis, qui a pro-definitorio illo essent de more eligendi, locum haberet unus ex abbatibus trium monasteriorum, quae Romanae provinciae adjunxerat san. mem. Pius pp. VI. per suas literas in forma brevis die XXII. septembris anno MDCCLXXXVI., hancque rationem jussimus non solum in praesens, sed et in futurum deinceps obtinere, sextaque voce augendum patrum regiminis numerum, quamquam alius san. mem. praedecessor Noster Clemens pp. XIII., numerum quinque vocum praescripserit suis literis item in forma brevis, quibus in hac parte expresse derogavimus. Ac si quando accidat, ut in deliberationibus paria hinc inde suffragia extiterint, tum suffragium praesidis generalis praeponderare decrevimus. Neque his modo terminis Nostras cogitationes, et curam erga congregationem Cisterciensium provinciae Romanae cohibuimus; sed monasterium s. Crucis in Hierusalem hujus Nostrae almae urbis conjunctum, et incorporatum ei congregationi declaravimus; in quo quidem scholas erigi praecepimus pro monachis juvenibus bonarum artium studiis, ac disciplinarum addictis universae provinciae Romanae, promiscue scilicet tam monasteriorum, ex quibus illa constaret ante septembrem mensem anni 1786., quam aliorum trium, per illud tempus ei adjunctorum, prout nimirum ad ea studia habiles juvenes reperientur in quocumque ex iis monasteriis, juxta constitutiones ordinis adprobandi, duosque lectores ad formam earumdem constitutionum, decretorumque ultimi capituli generalis adsignari, qui eligendi vero essent, etiam ex monasteriis tam praexistentibus provinciae Romanae, quam adjunctis; et in eodem monasterio s. Crucis residere, tum abbatem localem, tum procuratorem generalem, qui duo ita semper distincti sint, ut nunquam in eadem persona utrumque munus coalescat; ita ut si procurator generalis fuerit unus e monachis praeexistentium monasteriorum, abbas esse debeat unus ex monachis adjunctorum, et e converso. Nec obstare voluimus hac in parte literas apostolicas commemoratas in forma brevis sa. me. Pii pp. VI. quarum initium — *Sacrosanctum apostolatus* — cum agatur de monasterio provinciae Romanae nunc adjuncto, et acquisito; quasi porro in caeteris omnibus integre in suo robore permanere pronunciavimus, quoad promiscuitatem reli-

giosorum omnium tam praeexistentium monasteriorum, quam adjunctorum, sine ullo nationum discrimine ad quoscumque alios effectus: certiores facti denique, ipsius monasterii s. Crucis abbatiam vacare, exacto jamdiu nimirum quinquennio dilecti filii abbatis Bagatti cognominati, qui ei fuisset praefectus, quique ab urbe aliquot annos jam abesset, novam hinc electionem abbatis ejus monasterii ad congregationem pro definitorialem provinciae Romanae per Nos constitutam, spectare censuimus, et pronunciavimus. Haec certe quamquam omnino stent, neque ulla possint ratione labefactari, et convelli, ac pleraque adeo effecta jam sint, Nostram tamen voluntatem testatiorem de iis esse rogari Nos fecit dilectus filius Raymundus Giovanninius abbas nunc generalis praeses congregationis Cisterciensium provinciae Romanae.

Tenor confirmationis.

§. 3. Itaque ejus facile inducti supplicationibus auctoritate apostolica per has literas Nostras, enumerata superius omnia adprobamus, et confirmamus, praesertim vero de s. Crucis in Hierusalem nuncupat. hujus almae urbis monasterio. Quod quidem, quatenus opus sit, de integra, harum literarum ipsarum vigore congregationi Romanae provinciae addicimus, tradimus, incorporamus, illudque domicilium, et sedem studiorum pro monachis juvenibus omnium monasteriorum cum eorum, quae antiquitus ad Romanam provinciam pertinerent, tum quae anno 1786. in eam sunt adscita, et duorum abbatum localis, et procuratoris generalis, prout paullo ante explicatum est, volumus, et jubemus deinceps esse.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, illisque plenissime suffragari, ac ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus apostolicis, inque universalibus, provincialibusque ac synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non congregationis commemoratae, et provinciarum, et monasteriorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima prima julii millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

LXX.

Dat. die 26. julii 1801. Anno II.

Confirmatio capitulorum editorum pro recta administratione, et gubernio monasterii Cartusianorum Trisulti nuncupati in dioecesi Alatrina.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Memorantur providentiae adhibitae pro incremento, et incolumitate monasterii.

§. 1. Monasterii Cartusianorum, quod in saltu est, cui Trisulto nomen in dioecesi Alatrina, incolumitatem, statum, pacem, et otium, Deo adjuvante, Nostrosque conatus, ipsius obsequium, laudemque majorem unice spectantes, provehente, constituimus per literas Nostras in forma brevis, die XIII. martii hujus anni datas, quibus motu proprio, certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tum egregium virum priorem ei monasterio praefecimus, tum ipsum monasterium, monachos, fratres, familiam, praedia, fundos, bona, et res prorsus omnes sub immediata protectione sanctae Sedis apostolicae adscivimus, et recepimus. Laetatos hoc facto vehementer, ac merito esse scimus venerabiles fratres episcopos, qui vicini monasterio sunt, laetata municipia, oppida, atque agros circum ea loca, totam denique gaudio exultasse provinciam,

quae in eo monasterio perfugium habeat, ac solatium inopiae, incitamentum virtuti, ornamentum in secundis rebus, certum apud Deum praesidium in adversis. Reliqua sane erat cura de Cartusianorum monasterio, quod hic Romae est, beatae Mariae Angelorum nuncupato, cujus aedificii pars faede olim fuit incendio absumpta, cujus fortunae male multatae dicuntur, quod magno aere alieno obrutum fertur, in quod se contulit dilectus filius prior generalis ordinis, compluresque una monachi refugerunt, quodque monasterium idcirco ab Trisulti alio, quamvis ipso etiam adfecto multis cladibus, ob communes miserias, magnisque oneribus presso, subsidium, et levamen ingenti convicio flagitaret.

Dissidia suborta amicabili transactione composita fuisse exponitur.

§. 2. Nos, qui sine strepitu forensi, ac judiciali disceptatione rem transigi mallemus, atque ita prospiciendum Romano monasterio existimaremus, ut ne quod inde incommodum, detrimentumque Trisultiensi monasterio inferretur, jussimus, in hanc quoque cogitationem incumbere dilectum filium Joachimum Tosium presbyterum, notarium apostolicum, substitutum secretariae Nostrae brevium, et consultorem congregationis venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium, et praelatorum, super negocia ecclesiastica deputatae, Nostrumque ad monasterium Trisultiense delegatum, in cujus fide, atque industria valde acquiescimus. Impigre is quidem Nobis obtemperavit, ac rationem controversiae inter utrumque monasterium componendae, mutua cum utriusque utilitate, Nobis proposuit, post colloquia habita cum dilectis filiis priore generali, ac priore Trisultiensis monasterii, qui tum forte Romae aderat, aliisque peritis monachis, adhibito ad ea secum dilecto filio magistro Dominico Athanasio, quem venerabilis frater Noster Henricus S. R. E. cardinalis episcopus Tusculanus, dux Eboracensis nuncupatus, pro suo in Cartusianorum ordinem, cujus est protector, studio, interesse negotio postulaverat.

Quomodo negocium a sacra congregatione episcoporum et regularium compositum fuerit narratur.

§. 3. Ejusmodi Nos rationem, ab ipso delegato Nostro etiam, atque etiam rogati, congregationi venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium, negociis, et consultationibus episcoporum, et regularium praepositae, examinandam dumtaxat commisimus, deque illa una ut suffragium Nobis exprомeret suum, ei injunximus, quo facilius nempe, quod esset opportunum maxime, atque e re monasterii utriusque pateret, certiusque ipsi Nos deinde, quod videretur in Domino expedire, pronunciaremus. Perjucundum fuit profecto Nobis, rationem propositam, et explicatam a delegato Nostro, quae vel prima fronte Nobis placuisset, sacrae etiam congregationi fuisse probatam, quae, per dilectum filium magistrum Diomedem Caraffam suum secretarium, sententiam de illa suam, aliquot capitibus comprehensam, et perscriptam, duobus post mensibus, referri Nobis curavit, tenoris, qui sequitur.

Tenor articulorum propositorum a dicta sacra congregatione.

Art. I. §. 4. Delle due certose di Trisulti, e di Roma, se ne formerà in avvenire una sola, incorporandosi il monastero di Roma, e le sue pertinenze alla Certosa di Trisulti, onde questa sarà rispetto a quella, come figlia a madre.

Art. II. La Certosa di Roma sarà considerata, come un ospizio di quella di Trisulti, da governarsi da un vicario, che deputerà il priore di Trisulti, il quale avrà la facoltà di destinarvi la famiglia sufficiente al servizio della chiesa, e del monistero.

Art. III. Vi avrà la sua abitazione, e decente mantenimento il procuratore generale, acciò possa trattare gli affari del corpo della religione, senza punto ingerirsi però nel governo della casa, e sua amministrazione, e facendovi la permanenza il padre generale, sarà mantenuto, e trattato, come richiede il suo grado, e la sua dignità.

Art. IV. Dovrà la Certosa di Trisulti addossarsi i pesi annessi, e connessi a quella di Roma, come mantenimento intero degl' individui, sagrestia, fabbrica, e tuttociò, che necessiterà al mantenimento, e manutenzione, tanto degl' individui, che della chiesa, sagrestia, e chiostro.

Art. V. Per il risarcimento del chiostro, non dovrà la certosa di Trisulti indugiare a mettervi mano.

Omittuntur caetera, quae ad rem non pertinent.

Confirmatio articulorum propositorum a sacra congregatione Episcoporum, et Regularium, et

§. 5. Itaque motu proprio, certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, per has literas Nostras, recensitos articulos omnes adprobamus, et confirmamus, eosque inviolabiliter

privilegium prioribus concessum.

observari praecipimus, et jubemus. Atque ut priores monasterii Trisultiensis, non is modo, qui nunc est, sed et qui deinceps futuri sunt, quos quidem, quocumque modo id munus vacare contigerit, ab capitulo monachorum illius professorum eligi plane volumus; nullum non habeant, cui rationem accepti, et expensi reddant, eam, ut ipsi capitulo monachorum professorum, quotannis a se hunc ad finem convocando, reddant, iisdem motu, et auctoritate decernimus, et mandamus.

Declaratio specialis circa naturam concessi privilegii.

§. 6. Ne quis vero existimet, per privilegium, de quo praefati initio sumus, latendi sub immediata protectione hujus s. Sedis apostolicae concessum Cartusiae domui Trisultiensi, (quod cum hac quidem Cartusiae domo Romana, illi incorporata, esse commune factum declaramus), utramque domum ab reliquo Cartusiano corpore sejunctam, atque distractam esse, id profitemur Nostri non esse consilii. Nullum sane jus capitulo generali, seu priori generali Cartusiano esse volumus, de alterutrius domus redditibus quidquam decernendi, aut rationem exquirendi, nullum de familia in alterutra domo collocanda, aut permutanda, nullum etiam priorum Trisultiensis domus, aut illius, vel hujus Romanae officialium eligendorum, aut loco movendorum; at licere illis volumus, monasticae disciplinae in utraque domo tuendae sollicitudinem gerere, atque ad has quoque pertinere, si quae perfectionis religiosae profectum respicientia pro cunctis Cartusianis domibus, ordinanda duxerit vel prior generalis, vel capitulum generale, cui capitulo, quoties convocandum fuerit, priorem Trisultiensem interesse, et suffragium in eo obtinere, quo illustrior adpareat haec, quam intendimus, membrorum ad reliquum corpus adhaesio, decernimus, cujus rei etiam causa visitatores ordinis legitimis temporibus ad Trisultiensem, Romanamque domum adire posse, quin tamen eorum adventu prior Trisultiensis domus, atque officiales utriusque petere misericordiam, juxta domesticam ipsorum phrasim, teneantur, nec suspensi ab suo quisque officio maneant; consensu vero ante accepto a delegato Nostro, reque postea omni ad eum delata: nam nihil interim agi in alterutra domo fine eo permittimus.

Deputatio executoris apostolici.

§. 7. Nolumus quippe, manum ut de opere suscepto, et adfecto removeat dilectus filius, quem saepe commemoravimus, Joachimus Tosius delegatus Noster, magna spe freti, quod Deus, quem ille « in omnibus viis suis cogitat, gressus suos dirigat ». Itaque illi committimus, ut has literas Nostras, vel per se, vel per alios sibi probatos viros, publicet, easque ut executioni dentur, opportunis remediis curet, et efficiat, eumdemque delegati apostolici officio, et munere praeditum, cum omnibus juribus, facultatibus, honoribus, et privilegiis, quae id officii, ac muneris gerentibus, lege, aut consuetudine competunt, in utriusque monasterii vigilia manere, motu item proprio, scientia, et auctoritate supradictis statuimus.

Praeceptum de obediendo statutis, aliisque legibus in praesentibus literis propositis.

§. 8. Mandamus porro in virtute sanctae obedientiae, et sub interminatione divini judicii, dilecto filio priori generali Cartusiae, capitulo generali, monachis commemoratarum domorum, et quibuscumque personis, ad quas spectat, aut spectabit in futurum, etiam expressa mentione dignis, ut ille quidem ne quam partem regiminis, aut administrationis Romanae domus, ubi hospitatur, attingere praesumat, et ut neque is, neque alius unquam, contra superius statuta a Nobis quidquam audeat, vel moveat, atque omnes prorsus se morigeros praestent, dictumque delegatum Nostrum agnoscant, recipiant, revereantur, eique in omnibus faveant, et praesto sint.

Clausulae sublatae, et decretum irritans.

§. 9. Decernentes has literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac supradictis monasteriis, et personis plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 10. Non obstantibus, quatenus opus sit, literis apostolicis san. mem. Pii pp. VI. praedecessoris Nostri in forma brevis, ejusque rescripto anni MDCCLXXXIV. super pensione annua a monasterio Trisultiensi solvenda huic Romano, a qua illud penitus exsolvimus, ac literis etiam apostolicis ejusdem praedecesso-

ris diei XIV. maji anni MDCCXC., quarum initium « *Desideriis, quae ad religionis propositum etc.* » atque aliis, si quae sunt, harum confirmatoriis, atque aliis diei XIII. martii anni MDCCXCII. *Paternae charitati etc.* » aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non supradicti ordinis, et monasteriorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum amplissime derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quarta julii millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 7. aug. 1801. Anno II.

LXXI.

Instante rege catholico conceditur cancellario ordinis velleris aurei, ejusque successoribus indultum absendi.

Pius. PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ratio concessionis.

§. 1. Permagni referre arbitratur carissimus in Christo Filius Noster Carolus Hispaniarum rex catholicus, cancellarium insignis ordinis aurei velleris honore aliquo ecclesiastico amplificare. Quod ut prolixius sit facere, supplicatum Nobis ejus nomine nuper fuit, ut si quod beneficium ecclesiasticum accidat ei cancellario deferri, immunem jam nunc illum declaremus residendi lege apud ecclesiam, in qua beneficium erit nactus, neque hunc modo, qui in praesens id muneris obtinet; sed et reliquos omnes, qui suscepturi deinceps illud, et gesturi sunt. Nam cum apud ipsos Hispaniarum reges commorari illis necesse sit, aequum videri nuspiam alibi ullo eos nexu detineri.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ad caetera, quae tam multa, atque illustria jam dedimus erga Carolum regem singularis benevolentiae, paternaeque prorsus indulgentiae signa, hoc quoque accedere decrevimus, ut ei, quamquam novum profecto, et inusitatum, inauditumque postulanti ne denegemus, ejus sapientia, et pietate confisi, quod minime ad aliud traduci id unquam patietur. Itaque auctoritate apostolica per has literas Nostras cancellariis ordinis aurei velleris, et nunc, et in posterum, qui beneficio aliquo ecclesiastico personalem residentiam requirente aucti forte fuerint, modo ne curam animarum adnexam habeat, ut quamdiu id cancellarii officium exercebunt, atque hac ratione Hispaniarum regi adesse tenebuntur, nec praesentiam, et operam una tum regi tum ecclesiae, cui erunt addicti, impendere poterunt, ut ab hac tuto abesse, etiamsi canonicatus, et dignitas collegiatae, vel cathedralis, aut quale demum cumque partum beneficium fuerit, sine ullius noxae, poenaeve a sanctis canonibus intentatae incursu valeant, sicque praeterea, ut proventus, fructusque omnes cujuscumque generis, et appellationis, etiam distributiones quotidianas, quamvis extraordinarias, et quae quovis titulo beneficii ipsis jure, si interessent choro, et functionibus sacris, redirent, percipere, et exigere queant, illique vero quorum haec sit cura, illis praestare omnino debeant, concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus apostolicis, inque universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus; nec non ecclesiarum superius commemoratarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vi-

ea dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Monitum speciale.

§. 4. Caeterum non dubitamus quin Carolus rex, cujus eximiam religionem novimus, ejusque successores exemplo illius incitati id secum reputantes, quaerendum primum esse regnum Dei, et justitiam ejus unde reliqua omnia adjicientur, curaturos sedulo, ut quam minimum ex ejusmodi privilegio, atque ubi solum necessitas compellat, de divino cultu, atque debito ecclesiis servitio detrahatur, et quae patres sacrosancti concilii Tridentini divinitus praeceperunt, ac tantopere inculcarunt, de residendi obligatione, ea illis ob oculos assidue fore. Id vero Nos velle omnino aperte profitemur, ut ne beneficium quamquam cogatur abesse cancellarius eo honestatus, suis interim obsequiis fraudetur, utque ejus onera omnia plane supportentur. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima augusti millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 7. aug. 1801. Anno II.

LXXII.

Confirmatio electionis ss. Fabiani, et Sebastiani in patronos principales civitatis Cauriensis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Quanta cum gratia, quantoque amore apud Omnipotentem in coelis, ubi regnant securi, deque Nostra solute solliciti sancti pro Nobis omnibus orare, divinamque Nobis opem obtinere gestiant, Christifideles cum ex veteris, novique testamenti oraculis certum, tum etiam propria experientia exploratum habentes numquam destiterunt, quin in omnibus rerum suarum vicibus sese eorumdem intercessionibus assidue commendarent, ac Deum in sanctis suis mirabilem experti, et praedicantes debito etiam venerationis cultu amicos ejus prosequerentur. Quamquam vero unus idemque Christifidelium erga beatos coelestis aulae incolas pietatis, ac religionis ardor, civitates tamen, et nationes pro suo unaquaeque studio certum sibi patronum ex iisdem apud Deum adoptandis praecipuo alios prae aliis cives in felicissima illa, quae sursum est, Hierusalem adscriptos honore afficere studuit.

Memoratur electio facta a communitate et hominibus civitatis Cauriensis.

§. 2. Quamobrem dilecti filii communitas, et homines Cauriensis civitatis majorum suorum in inclytos martyres Fabianum, et Sebastianum devotionem imitati, atque eorumdem sanctorum apud Deum patrocinium in dies sibi potentissimum experti, Nobis nuper exponi fecerunt, se ad laudatorum Christi athletarum cultum augendum, et venerationem magis firmandam maximo desiderio flagrare, ut electionem eorumdem martyrum in protectores principales suae civitatis juxta praescriptum fel. rec. Urbani pp. VIII. praedecessoris Nostri anno MDCLIII. cunctis suffragiis habitam, atque per literas tunc existentis episcopi Cauriensis confirmatam servari, festumque eorumdem sanctorum quotannis etiam in posterum tamquam patronorum principalium celebrari concedere, aliaque, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmatio apostolica.

§. 3. Nos igitur qui nihil libentius, nihil studiosius curare debemus, quam ut praeclara coelestium civium merita pio, religiosoque cultu honorentur, specialemque ipsis exponentibus, qui super praemissis venerabilis fratris moderni episcopi Cauriensis et consensum obtinere curent, gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus praedictae civitatis Cauriensis, ut quotannis festum ss. martyrum Fabiani, et Sebastiani tamquam patronorum principalium ejusdem civitatis ex praecepto Ecclesiae recolant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, ac omnibus, et singulis tum saecularibus tum regularibus utriusque sexus, qui horas canonicas recitare tenentur, illorum officium, et missam cum octava in posterum etiam de praecepto recitent, et celebrent auctoritate, et tenore praedictis injungimus, atque mandamus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, et quatenus opus sit dictae civitatis consuetudinibus, privilegiis

indultis, et literis apostolicis in contrarium quomodolibet concessis approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis pro hac vice tantum, et ad hunc dumtaxat effectum specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima augusti millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 8. aug. 1801. Anno II.

LXXIII.

Confirmatio protectionis congregationis clericorum discalceatorum ss. Crucis et Passionis D. N. J. C. et prorogatio muneris consultoris generalis ejusdem congregationis favore episcopi Maceratensis usque ad generale capitulum.

Pius episcopus
Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Gravissimas inter curas, et sollicitudines, quibus quotidie difficillimis hisce temporibus distinemur, ac premimur, libenti animo oblatas occasiones arripimus paternam Nostram dilectionem patefaciendi erga sacras familias, quae, saecularibus rebus abdicatis, se divino servitio manciparunt. Hae siquidem dum Christo duce in poenitentiae castris militare contendunt magisque satagunt, ut per bona opera certam suam vocationem, et electionem faciant, dignae profecto Nobis videntur, quibus apostolicae Sedis praesidio, et auctoritate, quoties opus sit, consulatur.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque dilectus filius praepositus generalis, et universa congregatio clericorum discalceatorum ss. Crucis, et Passionis Domini Nostri Jesu Christi nuncupatorum supplices apud Nos institerint, ut exempla sequuti tum felicis recordationis Clementis XIV., tum sanctae memoriae Pii VI. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum, se sub speciali Sedis apostolicae protectione susciperemus; cumque Nos enixis precibus insuper postulaverint, ut venerabilis frater Vincentius Maria Strambi a sancto Paulo, quem nuper ecclesiis invicem perpetuo canonice unitis Maceratensi, et Tolentinati praefecimus, confirmetur auctoritate Nostra in munere primi consultoris generalis praedictae congregationis ad proximum usque generale capitulum, utque pariter cum facultate ferendi suffragii eidem interesse possit.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsius praepositi generalis, et totius congregationis desideriis annuere volentes, eumque, et ejus congregationis alumnos universos a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine tenore praesentium universam eorum congregationem, et personas eidem modo addictas, et in posterum addicendas cum suis domibus ubilibet constitutis, quas nunc possident, et possidebunt in posterum, sub speciali Nostra, et Sedis apostolicae protectione recipimus, et perpetuo constituimus: nec non ad alteram etiam partem quod spectat, eorum votis inclinati apostolica Nostra auctoritate praefatum venerabilem fratrem Vincentium Mariam Strambi a sancto Paulo Maceratensium, et Tolentinatium episcopum confirmamus ad futurum usque generale capitulum in officio primi consultoris generalis saepedictae congregationis cum omnibus juribus eidem officio competentibus ita, ut in generali capitulo proxime congregando, adesse, et suffragium ferre possit, si velit.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes praesentes literas etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu quomodolibet habere praetendentes ad illa vocati, citati, et auditi non fuerint, nec illis consenserint, aut ex alia quacumque causa, occasione praetextu, et capite etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae defectu notari, aut impugnari posse, ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus apostolicis quorumcumque Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum, ac etiam in synodalibus, provincialibusque, et universalibus conciliis edi-

tis generalibus, vel specialibus constitutionibus: nec non Maceratensium, et Tolentinatium respective ecclesiarum, ac congregationis praedictae etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis tam ecclesiis praefatis quam congregationi, hujusmodi, et quibusvis personis per quoscumque Romanos pontifices praedecessores Nostros, et apostolicam Sedem sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, ac irritantibus decretis in genere, vel in specie etiam scientia, et potestatis plenitudine similibus concessis, confirmatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, praesenti pro expressis habentes illis alias in suo robore permansuris ad effectum validitatis praemissorum hac vice dumtaxat harum serie specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, receptionis, constitutionis, confirmationis facultatis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si qui autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo primo, nonis augusti pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 15. aug. 1801. Anno II.

LXXIV.

Venerabilibus fratribus archiepiscopis, et episcopis Galliarum communionem, et gratiam Sedis apostolicae habentibus, committitur, ut sedes quas tenent resignent, ut fieri locus possit novae circumscriptioni dioecesum a primo Galliarum consule volita, et a sancta Sede probata.

Pius PP. VII.

Venerabiles fratres
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Laudes venerabilium fratrum.

§. 1. Tam multa, ac tam praeclara ea sunt, quibus vos cum generatim universi, tum singillatim singuli de catholica religione benemeriti estis, ut eam ob causam peculiaribus admirandae virtutis testimoniis omni jure a Nobis, atque a Pio VI. fel. rec. decessore Nostro amplissime semper commendati fueritis.

Declaratur magnitudo novi operis ab eis praestandi.

§. 2. Quamvis vero magna, atque gloriosa ea fuerint, quae ad Ecclesiae, ac fidelium utilitatem a vobis adhuc sunt gesta; tamen rationes temporum vobis significare Nos cogunt, vos nondum eum meritorum, et gloriae cursum absolvisse, ad quem divinae providentiae consilia vestram virtutem his temporibus reservaverunt. Majora, venerabiles fratres, sacrificia prioribus, quibus tum illustrati estis, addenda restant, amplioribus meritis superiora vestra in catholicam Ecclesiam merita cumulanda sunt. Conservatio unitatis sanctae Ecclesiae, restitutio catholicae religionis in Gallia novum nunc a vobis documentum virtutis, atque animi magnitudinis postulant, ex quo universus orbis magis, magisque intelligat sanctissima illa studia, quibus in Ecclesiam flagratis, non ad vestrum, sed ad Ecclesiae bonum unice, ac vere esse conversa. Dimittendae a vobis sponte episcopales vestrae sedes sunt; eaedemque in manibus Nostris libere resignandae. Magnum istud quidem est, venerabiles fratres; verumtamen hujusmodi ut necessario, et postulandum a Nobis, et a vobis ad Ecclesiae res in Gallia componendas praestandum sit. Intelligimus sane quanti stare debeat amori vestro eas oves relinquere, quas semper carissimas habuistis, in quarum salute procuranda tantas curas impendistis, quibus vel absentibus tanta sollicitudine prospexistis. Verum quo acerbius erit hoc sacrificium vobis, eo etiam Deo erit acceptius, ab eoque par dolori vestro, par largitati ejus erit a vobis retributio expectanda. Ad hoc igitur ei alacriter offerendum Nos quanta maxima possumus animi Nostri contentione virtutem vestram excitamus; hoc ut forti, promptoque animo ad unitatis conservationem consumetis per viscera Domini Nostri Jesu Christi vos rogamus, obsecramus, obtestamur.

Literae liberae abdicationis expectat pontifex ab omnibus.

§. 3. Cognitio singularis doctrinae, ac spectatae virtutis, quam difficillimis Ecclesiae temporibus semper in vobis demirati sumus, illud certo pollicetur Nobis, vos literas liberae hujus abdicationis vestrae statim ad Nos esse missuros; nec suspicari Nos sinit, quempiam ex sapientibus, ac virtute spectatissimis ecclesiarum Gallicarum pastoribus moram ullam vel minimam interpositurum; sed prompto, atque constanti animo paternis suasionibus Nostris obsecuturum praeclaro s. Gregorii Nazianzeni in episcopatu Constantinopolitano deponendo sibi exemplo proposito. Et vero in ea rerum conditione, in qua constituti sumus, qui suspicandi locus Nobis esse possit, aliquem ex vobis suasionibus, ac precibus Nostris restiturum, si illud recordetur quod et sensit continenter Ecclesia, et s. Augustinus contra Cresconium » lib. XI. inculcavit: Neque episco» pi propter nos sumus, sed propter eos, qui» bus verbum, et sacramentum Dominicum » ministramus: ac per hoc ut eorum sine scan» dalo gubernandorum sese necessitas tulerit, » ita vel esse, vel non esse debemus, quod » non propter nos, sed propter alios sumus. » Scitis enim vos, venerabiles fratres, multos spectatissimos Ecclesiae antistites, ut huic Ecclesiae rationi se conformarent, ad unitatem servandam, sponte dimisisse sedes suas, ac pene trecentos episcopos catholicos paulo ante celebratissimam collationem Carthaginiensem palam esse professos, paratos se esse, atque adeo ad hoc se teneri arbitrari, nimirum episcopatu se abdicare, si ad tollendum schisma Donatistarum ipsorum abdicatio indicaretur prodesse (1). Haec profecto exempla ante oculos habuerunt, atque eadem haec consilia mente conceperunt plurimi etiam ex vobis, venerabiles fratres, qui Pio VI. fel. rec. decessori Nostro suis literis III. maji anni 1791. professi sunt paratos se, promptosque ecclesias dimittere, si id religionis bonum postularet: Quod sapientissimus ille pontifex summae ipsorum episcoporum laudi tribuit (2). Nec defuerunt ex vobis postremis hisce etiam temporibus, qui idipsum se libenter facturos etiam Nobis suis literis significaverunt, si ad religionem in Gallia conservandam necessarium videretur. Cum igitur nunc in ea vere tempora inciderimus, in quibus libera sedium vestrarum abdicatio omnino ad catholicae religionis bonum necessaria sit, minime dubitare possumus, quin hoc obsequium Deo praestituri sitis, novumque hoc sacrificium oblaturi, ad quod ei offerendum et vos teneri cognoscitis, et si id Ecclesiae utilitas postulet, jampridem tanta cum laude paratos vos esse professi estis.

Quantum laudis singulis obveniet a libera hac abdicatione significat.

§. 4. Certi igitur pro ea opinione quam religionis, et virtutis vestrae semper babuimus, vos lectis epistolis Nostris, ad augenda vestra in Ecclesiam promerita, ad ejusque unitatem in Gallia conservandam, nulla cunctatione interposita Nostris hortationibus plena docilitate obsecuturos, gratulamur primum immortalem illam gloriam, quae tam praeclarum hoc virtutis, religionis, ac obsequii testimonium, quod nunc a vobis Ecclesiae universae dandum est, erit consecutura. Tanta siquidem ea erit, ut coeteris laudibus vestris, quas tot periculis subeundis, tot calamitatibus tanta constantia perferendis pro religione in ecclesiis vestrae fidei concreditis conservanda promeriti estis, longe erit anteferenda. Siquidem quod idem s. Augustinus in epistola ad Castorium scribit » longe gloriosius est episco» patus sarcinam propter Ecclesiae vitanda » pericula deposuisse, quam propter regen» da gubernacula suscepisse (3) ». Gratulamur deinde vobis amplissima illa praemia, quae sacrificium hoc vestrum apud bonorum remuneratorem Deum vobis erit promeriturum.» Non enim (ut memoratus idem s. Gre» gorius Nazianzenus scribit) Dei quoque ja» cturam facient qui thronis cesserint, sed » supremam cathedram habebunt his multo » sublimiorem et tutiorem (4) ». Gratulamur denique considerantes quam multis utilitatibus cumulabunt sacerdotium universum memoranda haec exempla animi nihil de suis, sed tantum de iis, quae Dei, atque Ecclesiae sunt, laborantis, hac documenta obedientiae, humilitatis, fidei, omnis denique episcopalis sanctitatis, quibus exitum episcopatus vestri eritis coronaturi. Obstruet haec virtus vestra profecto mendacia ora obtrectatorum sacer-

(1) August. in lib. de gest. cum emerito, acta collat. Carthag. tom. I. concil: Baluzii.

(2) In folio facultatum concessarum die 20. sept. 1791. archiepiscopis Lugd., Paris., et Viennensi etc.

(3) August. ep. 69. edit. Maurin.

(4) Orat. 32. tom. I. opp. edit. Billy.

dotii, qui nihil aliud in sanctuarii ministris, nisi fastum, cupiditatem, superbiam invenire calumniantes comminiscuntur. Nova ista laus qua illustrabimini extorquebit vel ab invitis admirationem virtutis, qui illud fateri de Ecclesia cogentur, quod idem s. Augustinus in citata epistola ad Castorium praedicat. » esse » in visceribus ejus qui non sua quaerunt, sed » quae Jesu Christi ».

Praefinitio temporis ad responsum in scriptis dandum.

§. 5. Cogimur, urgente temporum necessitate, quae in hoc etiam in Nos vim suam exercet, significare vobis omnino necesse esse Nobis saltem intra decem dies iis responsum e scripto dari a vobis, idque responsum ei tradi, a quo eae literae Nostrae vobis reddentur quas ipsas accepisse vos authentico documento certos Nos facere debebitis. Illud etiam, iisdem urgentibus causis, vobis significandum est, nimirum responsum quod iis literis Nostris daturi eritis, absolutum omnino esse debere, non autem dilatorium; ita ut nisi intra decem dies absolutum responsum dederitis, (cujusmodi ut mittatur a vobis etiam atque etiam postulamus) etiamsi literis dilatoriis Nobis responderitis, perinde cogemur habere vos, ac si obsequi postulationibus Nostris recusaretis.

Renuentibus aliquibus sedes abdicare, impedimenta tollere velle pontifex declarat.

§. 6. Quod sane minime factum iri a vobis sperare Nos facit cum conservandae religionis, pacisque Ecclesiae universae conciliandae desiderium, quo mirifice flagratis, tum vestra ista quae propria filiorum est pietas, debitumque obsequium in Nos, istudque studium, quod semper praetulistis in tanta curarum mole, qua premimur, auxilia virtutis vestrae infirmitati Nostrae suppeditandi. Quin imo pro certo habemus vos prompto, libentique animo monitis Nostris obsecuturos, quibus ad Ecclesiae bonum constituendum tanta animi contentione urgere cogimur virtutem vestram. Praesertim cum vos, qua estis sapientia, cognoscere debeatis, renuentibus vobis obsequi postulationibus Nostris, ne unitati conservandae catholicae religionis, Ecclesiae tranquillitati restituendae obstacula ulla per Nos in Gallia opponantur (dolenter dicimus, sed tamen tanto impendente rei christianae periculo a Nobis omnino est dicendum) ad ea necessario a Nobis veniendum fore, quibus et omnia impedimenta tolli, et id tantum boni consequi omnino religio possit.

De necessitate expetitae abdicationis.

§. 7. De Nostro quidem studio, ac benevolentia qua semper vos, venerabiles fratres, complexi sumus, de opinione ac ratione, quam cum virtutis, tum dignitatis, ac meritorum vestrorum semper habuimus, ita vos persuasos esse arbitramur, ut minime necessarium putemus pluribus explicare vobis nihil praetermissum fuisse a Nobis, quo tantam doloris acerbitatem a vobis prohiberemus. Verumtamen magno cum dolore fatendum est nullas Nostras sollicitudines, nullos labores pares resistendo temporum necessitati fuisse, cui parere omnino coacti fuimus, ut per sacrificium hoc vestrum catholicae religioni prospiceretur. Haec aequa lance ponderantes injuriosius de religione vestra sentiri vi essemus, si illud de vobis statuissemus, vos rationes vestras Ecclesiae conservationi, atque utilitatibus fore praelaturos, illudque obituros, quod s. Augustinus Africanorum episcoporum nomine ad Marcellinum tribunum scripsit, cum paratos antistites illos esse ad episcopatum dimittendum testatus est: » Quid enim dubitamus Re» demptori Nostro sacrificium istius humili» tatis offerre? An vero ille de coelis in hu» mana membra descendit, ut membra ejus » essemus: et nos ne ipsa ejus membra cru» deli divisione lanientur de cathedra descen» dere formidamus? Propter Nos nihil suffi» cientius quam christiani fideles, et obedien» tes sumus. Hoc ergo semper sumus, epi» scopi autem propter christianos populos or» dinamur. Quod ergo christianis populis ad » christianam pacem prodest, hoc de Nostro » episcopatu faciamus. Si servi utiles sumus, » cur Domini aeternis lucris pro Nostris tem» poralibus sublimitatibus invidemus? Episco» palis dignitas fructuosior Nobis erit, si gre» gem Christi deposita magis collegerit, quam » retenta disperserit. Nam qua fronte in fu» turo saeculo promissum a Christo sperabi» mus honorem, si christianam in hoc sae» culo noster honor impedit unitatem (1)?

Conclusio.

§. 8. Cum igitur minime dubitemus, quin pro explorata vestra religione ac sapientia, vos Ecclesiae rationibus, ac fidelium utilitati consulturi sitis, Deum optimum maximum rogantes, ut confirmet virtutem vestram, quo alacrius, ut hilares datores decet, hoc tantum munus ei offerre possitis, ac pollicentes

(1) Epist. 28. tom. II. opp. edit. Maurin.

Google

vobis Nos, quantum in Nobis erit, omni studio curaturos, ut meliori qua fieri possit ratione vobis prospiciatur, apostolicam benedictionem pignus paternae charitatis Nostrae peramanter impertimur. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quinta augusti millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 15. aug. 1801. Anno II.

LXXV.

Monita ad episcopos, archiepiscopos, et alios rectores ecclesiarum Gallicarum super nova distributione dioecesum.

Pio vescovo
Servo de' servi di Dio.

A perpetua memoria.

Prooemium.

§. 1. La Chiesa di Gesù Cristo, che l'evangelista Giovanni vidde discendere dal Cielo da Dio come la città santa, la nuova Gerusalemme, ripete principalmente la sua stabilità, e gli altri pregi, di cui la medesima è fornita, non solo dall'esser santa, cattolica, ed apostolica, ma dall'essere anche una, e fondata sopra la solidità di un solo fondamento. Dalla ferma, e costante unione di tutte le membra della Chiesa nella medesima fede, nei medesimi sacramenti, nei medesimi legami della carità, e nella soggezione, ed ossequio di tutti al capo legittimo nasce tutta quella forza e bellezza, per cui il di lei corpo mistico spicca con tanta sua gloria, e si rende tanto rispettabile. Quindi il nostro Redentore avendo voluto che questo principal pregio, e veramente singolare fosse proprio, e si conservasse fino alla consumazione de' secoli nella medesima Chiesa, da lui acquistata col proprio sangue, pregò per lei prima di ritornare al suo padre con quelle memorabili parole. » Padre santo custodisci quelli, che hai a me » consegnati, affinchè siano una sola cosa come noi . . . . che siano tutti una sola cosa, » come tu sei in me, o Padre, ed io in te, » che siano anch' essi una sola cosa in noi ».

Luget pontifex super aerumnis ecclesiae Gallicanae tempore perturbationum perpessis.

§. 2. Considerando Noi tali cose, appena per imperscrutabile consiglio della divina provvidenza fummo, benchè indegni, innalzati alla sublimità del supremo apostolato, rivolgemmo i Nostri occhi al popolo di acquisto, solleciti di conservare l'unità mediante il vincolo della pace, e fissando il Nostro sguardo principalmente sulla Francia, che per molti secoli è stata sommamente illustre per la vastità delle provincie, per la grandezza della popolazione, e per la gloria della religione, fummo penetrati dal più gran dolore nell'osservare, che quelle provincie, le quali per tanto tempo avevano formato l'onore, e la delizia della Chiesa, erano state in questi ultimi tempi sconvolte da tali interne perturbazioni, che n'era quindi derivato alla religione un gravissimo danno, a riparare il quale tante e sì grandi cure aveva impiegate il Nostro predecessore Pio VI. di santa memoria. Noi qui non vogliamo con rammentare i mali, riaprire quelle ferite, che la divina provvidenza ora si affretta di risanare. Ai quali mali desiderando Noi sommamente di apprestare coll'ajuto della divina grazia gli opportuni rimedi, protestammo già da qualche tempo nelle apostoliche Nostre lettere dei 15. di maggio dello scorso anno, scritte a tutti i vescovi, » che niente di più desiderabile ci potrebbe » accadere, quanto il dare la vita per i Nostri figli, che sono i popoli della Francia, » se la loro salvezza si potesse acquistare col » prezzo della Nostra vita.

Quomodo malis subveniendum sit ostendit.

§. 3. Mentre ad impetrare dal padre delle misericordie queste cose erano dirette le incessanti Nostre preghiere, e le lagrime sparse nel maggiore affanno del Nostro animo, il Dio d'ogni consolazione, il quale ci consola in tutte le Nostre tribolazioni, ricordandosi della sua misericordia, si compiacque di aver compassione del Nostro dolore, e con un tratto ammirabile della sua provvidenza all'improvviso ci aprì la strada, onde poter riparare mali tanto grandi, e ristabilire di nuovo l'unità della Chiesa, e la carità, che si era sforzato di sciorre, e distruggere l'antico nemico del genere umano, seminando la zizania sopra il mistico campo della Chiesa.

Idem ut supra.

§. 4. Imperocchè quel Signore, che è ricco in misericordia, e che ha disegni di pace, e non di afflizione, accese il medesimo desiderio d'imporre fine a questi mali nell'animo dell'illustre personaggio, che sta presentemente a capo del governo della repubblica francese, onde col di lui ajuto, ristabilita la

religione nell' abbondanza della pace, quella guerriera nazione fosse richiamata all' unico centro della fede.

Primum consulem tractatum inire velle significavisse declarat.

§. 5. Appena il carissimo figlio Nostro in Cristo Napoleone Bonaparte primo console della repubblica francese ci notificò, che avrebbe gradito d' intraprendere un trattato, per mezzo del quale coll' ajuto di Dio si ristabilisse felicemente nella Francia il culto della religione, rendemmo grazie a Dio, dalla di cui misericordia Noi unicamente riconoscevamo un sì grande beneficio. Quindi per non mancare al Nostro dovere, ed ai desiderj del primo console, spedimmo colla maggior celerità il venerabile fratello l' arcivescovo di Corinto ad intraprendere il trattato di questo grande affare. Ed essendo questo giunto in Parigi, dopo varie reciproche discussioni, finalmente ci spedì alcuni articoli, che erano stati a lui proposti.

Votum congregationis cardinalium super materia exquisitum.

§. 6. Ci applicammo in seguito di ciò con tutta la diligenza all' esame dei medesimi articoli, e volemmo sentire ancora il parere di una congregazione di venerabili Nostri fratelli cardinali della S. R. C., i quali adunatisi spesso alla Nostra presenza, ed in voce, ed in iscritto ci manifestarono il loro sentimento sopra tutto questo affare.

Praedecessorum exempla sectata.

§. 7. Siccome poi in una cosa di tanta importanza, credemmo dovere principalmente procurare, come era conveniente, di seguire le orme de' pontefici Nostri predecessori, perciò richiamando alla Nostra memoria ciò, che dai medesimi era stato operato in casi straordinarj di circostanze malagevoli, in cui alcune grandi nazioni erano state sconvolte con gravissime interne perturbazioni, trovammo essere accadute molte cose scabrose, e luttuose, che potevano in qualche maniera servir di norma alla condotta da tenersi da Noi.

Resolutio congregationis deputatae.

§. 8. Conosciuto dunque il sentimento della sopradetta congregazione de' venerabili Nostri fratelli i cardinali della S. R. C., dopo avere il tutto maturamente considerato, determinammo di acconsentire alla proposta convenzione in quella maniera che da Noi si poteva, e di stendere l' apostolica Nostra podestà a tutte quelle cose, che le straordinarie circostanze de' tempi, ed il bene della pace, e della unità della Chiesa richiedevano da Noi.

De novi plenipotentiarii nominatione, et missione ad explicandos initae conventionis terminos.

§. 9. Che anzi sì grande fu il Nostro desiderio di richiamare con felice successo la Francia alla unità della santa Sede, che essendo stati avvertiti, che ad alcune formole della proposta convenzione rispedita da Noi al ven. fratello l' arcivescovo di Corinto, si davano delle interpretazioni, per cui sembravano non essere adattate alle circostanze della repubblica francese, e perciò potevano arrecare qualche ritardo alla desiderata unione, ne risentimmo un incredibile cordoglio, e determinammo di mandare a Parigi il diletto in Cristo figlio Nostro Ercole di s. Agata alla Suburra diacono cardinale Consalvi, e Nostro segretario di stato, il quale (per essere uno de' cardinali della congregazione da Noi consultata, e perchè il di lui impiego l' obbliga ad essere continuamente al Nostro fianco) poteva ottimamente spiegare il senso delle espressioni contenute nella convenzione, ed i veri sentimenti dell' animo Nostro, e gli accordammo eziandio la facoltà di potere, quando lo esigesse la necessità, nelle sopradette formole fare quelle mutazioni, le quali conservando intieramente la sostanza delle cose da Noi stabilite, rendessero più spedita l' esecuzione delle medesime, ed appianassero la strada a conchiudere più facilmente la convenzione.

Idem ut supra.

§. 10. Le quali cose da Noi commesse, essendo state col divino ajuto felicemente eseguite, e quindi dal medesimo insieme col venerabile Nostro fratello l' arcivescovo di Corinto, ed il diletto figlio fr. Carlo Caselli exgenerale dell' ordine de' Servi di Maria per Nostra parte, e dai diletti in Cristo figli Giuseppe Bonaparte, ed Emanuele Cretet consiglieri di stato, insieme col diletto in Cristo figlio sacerdote Stefano Bernier parroco di s. Laud d' Angers per parte del governo francese, essendo stata sottoscritta una convenzione in Parigi fra Noi, ed il medesimo governo della Francia; fu in seguito la medesima esaminata con ogni diligenza da Noi; inteso anche il parere dei venerabili fratelli i cardinali della S. R. C., ed essendo stata ritrovata tale da poter esser confermata colla Nostra approvazione, Noi troncando ogni altro indugio per mezzo di queste lettere apostoliche pubblichiamo tutte quelle cose, che sono state stabilite, e concesse da Noi per ottenere il bene della religione, e la conservazione dell' interna tranquillità della Francia, e per sollecitare il conseguimento di quella unità e

pace da tanto tempo desiderata, della quale la s. Chiesa venga a gioire, e a rallegrarsi nel Signore.

De professione catholicae fidei in Gallia.

§. 11. E primieramente dal governo francese si è fatta la solenne dichiarazione, di riconoscere cioè, che la religione cattolica apostolica Romana è la religione, che viene professata dalla massima parte de' cittadini francesi. Ed in eguale maniera Noi abbiamo riconosciuto, che la medesima religione ha ricavato, ed attende anche al presente un grandissimo vantaggio, e lustro dallo stabilimento del culto cattolico in Francia, come dalla particolar professione, che ne fanno i consoli della repubblica.

De libero exercitio religionis catholicae.

§. 12. Le quali cose essendo così, prima di ogni altra cosa è stato stabilito, che nella Francia la religione cattolica apostolica Romana si eserciti liberamente. È stato stabilito ancora, che il di lei culto sia pubblico, avuta però ragione dei regolamenti di polizia, che il governo stimerà necessarj per la pubblica tranquillità.

De circumscriptione dioecesum.

§. 13. Inoltre, siccome si è riconosciuto sommamente necessario il pensare alle sedi vescovili, quindi, avendoci il governo francese fatto conoscere, ch'egli desiderava, che fosse fatta una nuova circoscrizione delle diocesi della Francia, sarà da Noi di concerto col medesimo fatta una tal nuova circoscrizione, la quale di reciproco consenso sarà effettuata in maniera tale, onde resti provveduto alle spirituali necessità de' cattolici.

De sacrificiis ab episcopis, archiepiscopis, et aliis Ecclesiarum rectoribus faciendis.

§. 14. E perchè tanto per cagione di questa nuova circoscrizione, quanto per altri urgentissimi motivi debbono allontanarsi tutti gl' impedimenti, che potrebbero ostare al compimento di un opera sì grande, perciò Noi giustamente persuasi, che i vescovi titolari delle chiese francesi siano nella disposizione di fare per la religione qualunque sagrifizio, ed anche quello della dimissione delle proprie sedi (che già moltissimi di loro spontaneamente offerirono fino dal giorno 3. di maggio dell' anno 1791. con lettera, di cui non si può mai fare un sufficiente elogio, diretta al Nostro predecessore Pio VI. di santa memoria) Noi per mezzo di Nostre apostoliche lettere piene di pastorale sollecitudine esorteremo i sopraddetti titolari a provvedere alla pace, ed unità della Chiesa, e loro significheremo, che dall' amore, di cui sono accesi per la religione, Noi con ferma fiducia aspettiamo tutti i sopraddetti sagrificj, compresa ancora la dimissione delle proprie sedi, la quale è comandata dal bene della Chiesa. Dopo una tale esortazione, e dopo avere ricevuta loro risposta, che non dubitiamo, che non sia per esser conforme ai Nostri desiderj, adopereremo i mezzi opportuni a provvedere al bene della religione, e ci applicheremo ad eseguire la nuova circoscrizione in conformità dei desiderj del governo francese.

De nominatione episcoporum, et archiepiscoporum.

§. 15. Il primo console della repubblica francese nominerà gli arcivescovi, e vescovi delle diocesi della nuova circoscrizione, e presenterà le nomine dentro tre mesi, che decorreranno dopo la pubblicazione della Nostra apostolica costituzione. Noi poi daremo ai medesimi nominati l' istituzione canonica nelle forme stabilite relativamente alla Francia avanti la mutazione del governo.

De Sedibus in posterum vacaturis.

§. 16. Lo stesso si osserverà tanto nelle nomine, quanto nell' istituzione canonica di quelli, che saranno sostituiti nelle sedi, che in avvenire vacheranno.

De juramento ab episcopis, et archiepiscopis praestando.

§. 17. Perchè poi non possa nascere alcun dubbio sopra i sentimenti, e la mente de' vescovi (benchè i medesimi anche senza bisogno di qualunque giuramento, e conoscano perfettamente, e siano obbligati ad adempire ciò, che coerentemente alla dottrina del vangelo debbono alle supreme podestà) ed affinchè i reggitori della repubblica siano sempre più sicuri della loro fedeltà, ed obbedienza, abbiamo acconsentito, che i vescovi, prima di entrare nell' esercizio del loro ministero, prestino nelle mani del primo console il giuramento di fedeltà, ch' era in uso prima della mutazione del governo, il quale è espresso ne' termini seguenti » Io giuro, e prometto » sopra i santi vangeli obbedienza, e fedeltà » al governo stabilito dalla costituzione della » repubblica francese. Similmente prometto, » che non terrò alcuna intelligenza, non interverrò ad alcun consiglio, e non prenderò » parte in alcuna unione sospetta o dentro, o » fuori della Francia, che sia pregiudizievole » alla pubblica tranquillità, e manifesterò al » governo ciò, che io sappia trattarsi o nella » mia diocesi, o altrove in pregiudizio dello » stato ».

De juramento ab aliis

§. 18. Per le medesime ragioni abbiamo eziandio acconsentito, che gli ecclesiastici del

minoribus ecclesiasticis exhibendo.

secondo ordine prestino il medesimo giuramento avanti alle autorità civili, che saranno deputate dal governo della repubblica.

De orationibus pro republica, et consulibus recitandis.

§. 19. Siccome tutte le cose del mondo vengono regolate dalla divina providenza, la quale si diffonde da per tutto per mezzo de' suoi benefizj, abbiamo riputato conveniente alla pietà, e necessario alla pubblica felicità, che forma uno degli oggetti de' Nostri desiderj, che ad impetrare il vantaggio, e la salvezza della Francia s' implori l' ajuto divino colle pubbliche preghiere, perciò in tutte le chiese de' cattolici, che sono nella Francia al termine de' divini uffiej si reciterà la seguente preghiera. *Signore, salvate la repubblica, Signore, salvate i consoli.*

De finibus parochiarum statuendis.

§. 20. Stabilite le diocesi, essendo assolutamente necessario di stabilire i limiti delle parrocchie, vogliamo, che dai rispettivi vescovi si faccia la circoscrizione delle medesime, la quale pero non avrà il suo effetto, se non dopo che il governo vi averà prestato il suo consenso.

De nominatione parochorum.

§. 21. Il diritto di nominare i parrochi apparterrà ai vescovi, i quali però non eleggeranno, se non persone fornite delle qualità richieste dai canoni della Chiesa, ed (acciocchè la pubblica tranquillità sia vieppiù in sicuro) accette al governo.

De capitulis, et seminariis in dioecesibus retinendis.

§. 22. Essendo poi ancora necessario di provvedere all' educazione de' chierici, al consiglio, che deve assistere i vescovi, e all' amministrazione delle loro chiese, perciò non abbiamo perduto di vista, che ciascun vescovo abbia un capitolo nella sua chiesa cattedrale, ed un seminario nella diocesi, benchè il governo non si obblighi a dotare nè l' uno, nè l' altro.

De ecclesiis episcopis restituendis.

§. 23. Si desiderava veramente da Noi colla maggior premura, che tutte le chiese si rendessero di nuovo ai cattolici, perchè vi si potessero esercitare i sagri ministeri; tuttavia vedendo, che una tale restituzione non era eseguibile, ci siamo contentati, che si mettano alla disposizione de' vescovi tutte le chiese metropolitane, cattedrali, parrochiali, ed altre non alienate necessarie al culto.

De confirmatione venditionum bonorum ecclesiasticorum.

§. 24. Fermi nella risoluzione di prestarci per il bene della unità a qualunque sagrificio, che si possa fare, salva la religione, ed ancora per cooperare secondo le Nostre forze alla tranquillità della Francia, che rimarrebbe di nuovo fieramente sconvolta, se si ripetessero dalle mani degli acquirenti i beni ecclesiastici alienati, e perchè abbia luogo il felice ristabilimento della religione cattolica, ch' è la cosa, che a ragione principalmente c' interessa, seguendo l' esempio de' Nostri predecessori, dichiariamo, che quelli, i quali hanno acquistato i beni ecclesiastici, non soffriranno alcuna molestia nè da Noi, nè dai Romani pontefici Nostri successori, e che in conseguenza la proprietà de' medesimi beni, le rendite, ed i diritti a quelli annessi saranno immutabili presso degli acquirenti, e di quelli, che hanno causa da loro.

De sustentatione episcoporum, et parochorum.

§. 25. Ma perchè rimanendo prive le chiese di Francia dell' antico loro patrimonio, si deve trovare una qualche maniera, onde si possa supplire al sostentamento, e alla decenza de' vescovi, e de' parrochi, perciò il governo francese prende sopra di se relativamente ai vescovi, ed ai parrochi, le cui diocesi e parrocchie sono comprese nella nuova circoscrizione, il trattamento conveniente allo stato di ciascuno.

De novis ecclesiasticis fundationibus.

§. 26. Nella medesima guisa si è stabilito, che il governo della repubblica francese prenderà le necessarie misure, perchè siano i cattolici in libertà di provvedere, se loro piace, alle chiese con nuove fondazioni.

De privilegiis primi consulis apud sanctam Sedem.

§. 27. Finalmente abbiamo dichiarato di riconoscere nel primo console della repubblica francese i medesimi diritti, e privilegj, di cui godeva presso la s. Sede l' antico governo.

De novis conventionibus ineundis si successor primi consulis catholicam fidem non profitetur.

§. 28. Che se per caso accada, che alcuno de' successori dell' odierno primo console non professi la religione cattolica, in tal circostanza si farà per rapporto al medesimo una nuova convenzione circa i diritti, e privilegj menzionati di sopra, ed anche circa la nomina agli arcivescovati e vescovati.

Confirmatio initae conventionis.

§. 29. Pertanto essendo state tutte e singole le cose rammentate di sopra sottoscritte in Parigi per parte Nostra, e a nome Nostro, e della Sede apostolica dal diletto figlio Nostro in Cristo Ercole di s. Agata alla Suburra diacono cardinale Consalvi Nostro segretario di stato, e dal ven. fratello Giuseppe arcivescovo di Corinto, e dal diletto figlio Carlo Caselli; per parte poi, e a nome del governo francese dai diletti in Cristo figli Giuseppe Bonaparte, ed Emmanuele Cretet consiglieri di stato, e dal diletto figlio in Cristo sacerdote

Stefano Bernier parroco di s. Laud d' Angers plenipotenziari del medesimo governo, ed essendo necessario, che dopo, che le medesime convenzioni, patti, e concordati sono stati sottoscritti in tutti, e singoli punti, clausole, articoli, e condizioni dai sopraddetti, per la loro più ferma sussistenza, e valore siano corredati della forza dell' apostolica fermezza, ed interposta sia una più solenne approvazione, e decreto, Noi confidando che Iddio, il quale *è ricco in misericordia*, *e da cui viene ogni buon dato*, *e ogni perfetto dono*, voglia benignamente favorire il Nostro impegno nel trarre a compimento questa opera santissima, e perchè allontanati tutti gl' impedimenti, e dissensioni, si accresca sempre più la vera pietà e religione, e tolti dal campo del Signore i semi delle discordie, possa crescere di giorno in giorno con maggiore abbondanza la raccolta delle opere buone a gloria del medesimo Dio, e ad eterna salvezza delle anime, col consiglio e consenso dei venerabili fratelli Nostri i cardinali della S. R. C. di Nostra certa scienza, e matura deliberazione, ed in virtù della pienezza della Nostra apostolica podestà approviamo, rattifichiamo, ed accettiamo colle presenti, e coerentemente al foglio contenente i medesimi articoli di Nostro pugno sottoscritto, le sopraddette concessioni, convenzioni, patti e concordati, aggiungiamo ai medesimi la forza, e l' efficacia dell' apostolica approvazione, e a nome tanto Nostro, quanto de' Nostri successori, promettiamo, che sarà per parte Nostra, e dei Nostri successori sinceramente, ed inviolabilmente adempito, ed osservato tutto ciò, che nei medesimi si contiene, e promette.

Providentiae captae pro ecclesiasticis, qui matrimonium contrahere non dubitarunt.

§. 30. Vogliamo anche che siano a parte del paterno Nostro amore quegli ecclesiastici, i quali, non ostante che fossero insigniti degli ordini sacri, pure attentarono di contrarre matrimonio, e quelli, che pubblicamente abbandonarono la vita ecclesiastica, perciò relativamente ai suddetti, volendo anche secondare gli uffici, che a loro favore ha interposto il medesimo governo, seguiremo gli esempi del Nostro predecessore Giulio III. di santa mem., come di fatti per la loro spirituale salute provvediamo nel Nostro breve sotto la data di questo medesimo giorno.

Praeceptum de obedien-do, et servando omnia superius statuta.

§. 31. Avvertiamo inoltre, ed esortiamo nel Signore tutti, e singoli gli arcivescovi, vescovi, ed ordinarii de' luoghi, che saranno canonicamente istituiti in conformità della nuova circoscrizione delle diocesi francesi, e i di loro successori, e parimenti i parrochi, e gli altri sacerdoti operarii nella vigna del Signore, che animati da zelo secondo la scienza non in destruzione, ma in edificazione, ed avendo avanti gli occhi di essere ministri di Gesù Cristo, il quale dal profeta fu cognominato principe della pace, ed il quale essendo per abbandonare questo mondo, e ritornare al Padre, lasciò agli apostoli, ed ai suoi discepoli la pace come sua propria eredità, che tutti siano del medesimo sentimento, e che unitamente adoperandosi, siano premurosi, e seguaci di ciò, che tende a conservare la pace, e con tutta diligenza, ed esattezza osservino tutte quelle cose, che, come si è di sopra esposto, sono state concesse, stabilite, e concordate.

Clausulae salutares et irritantes.

§. 32. Decretando, che a queste presenti Nostre lettere non si possa mai in alcun tempo opporre per impugnarle il vizio di surrezione, ed orrezione, o di nullità, o la mancanza di Nostra intenzione, o qualunque altro quanto si voglia grande, e non pensato difetto; ma che debbano sempre essere, e riguardarsi come ferme, valide, ed efficaci, e conseguire il suo pieno ed intiero effetto, ed essere inviolabilmente osservate, senzachè possano ostare i concilii diocesani, provinciali, e generali, o le speciali costituzioni, ed ordinazioni apostoliche, e Nostre, e le regole della Nostra cancellaria, particolarmente la regola di non derogare all' altrui diritto, e le fondazioni di qualunque chiesa, capitolo, monastero, ed altro luogo pio convalidate con apostolica conferma, o in altra qualunque maniera; i privilegj ancora, gl' indulti, e lettere apostoliche in qualunque maniera concesse in contrario, confermate, e rinnovate, e tutte le altre cose contrarie; alle quali cose tutte, e singole avendo per espressi, ed inseriti di parola in parola i di loro tenori per il suddetto effetto soltanto, specialmente, ed espressamente deroghiamo, dovendo per gli altri rapporti le medesime rimanere nel loro vigore.

Fides habenda transumptis.

§. 33. Inoltre siccome sarebbe difficile il portare queste medesime Nostre lettere originali in tutti i luoghi, nei quali è necessario, che costi della loro autenticità, perciò colla

Digitized by Google

medesima autorità apostolica decretiamo, e comandiamo, che ai transunti delle medesime anche stampati, ma sottoscritti per mano di qualche pubblico notaro, e munite del sigillo di persona costituita in dignità ecclesiastica si presti piena fede, come si presterebbe al medesimo originale, se fosse esibito, o mostrato. E di più dichiariamo nullo, ed invalido ciò, che da qualunque con qualunque autorità o a posta, o per ignoranza si voglia attentare altrimenti da quello, che sopra le cose menzionate è stato disposto.

Sanctio poenalis.

§. 34. Non sia lecito dunque ad alcuno violare queste lettere di Nostra concessione, approvazione, rattifica, accettazione, deroga, decreto, statuto, comando, e volontà, o ad esse temerariamente contradire. Che se alcuno presumerà ciò attentare, sappia, ch'egli incorrerà nell' indignazione dell' Onnipotente Iddio, e dei beati di lui apostoli Pietro, e Paolo. Dato in Roma presso santa Maria Maggiore l'anno dell' Incarnazione del Signore 1801. ai 15. di agosto nel secondo anno del Nostro pontificato.

Dat. die 20. aug. 1801. Anno II.

LXXVI.

Confirmatio resolutionis initae a municipio Veliterno super impositione nonnullarum taxarum.

Alexander Lacchini utriusque signaturae referendarius prothonotarius apostolicus Sanctissimi Domini Nostri Papae Pii VII. vice auditor, judex commissarius specialiter electus et deputatus.

Chirographum exequendum committitur r. p. d. auditori sanctissimi.

§. 1. Cum sanctissimus Dominus Noster Pius divina providentia Papa Septimus precibus illustrissimae communitatis Veliternae benigne inclinatus chirographum propria manu Sanctitatis Suae sub die 20. currentis augusti subsignatum nobis pro executione in eo contentorum direxerit tenoris sequentis videlicet.

Monsignore Alessandro Lacchini
Nostro vice uditore.

Tenor chirographi in quo prius refertur resolutio consiliariis pro novae taxae impositione habita, et confirmata ab episcopo.

§. 2. Ci hanno fatto rappresentare i conservatori e consiglieri della Nostra Città di Velletri per mezzo di due loro deputati il cavaliere Giuseppe Maria Calderoni, ed il cavalier Paolo Maria Toruzzi Albrizi Giorgi, che volendo eglino in seguito del Nostro motuproprio sul nuovo sistema daziario, ed a norma della circolare della sacra congregazione del Buon Governo provvedere al pagamento de' frutti de' censi e cambj decorsi a tutto lo scorso anno 1800., de' quali la detta comunità rimane tuttora gravata, nel consiglio maggiore a questo effetto tenuto il dì 6. dello scorso mese di giugno hanno risoluto di erogare in estinzione de' suoi suddetti debiti la rendita dell' erbatico attualmente affittata per annui scudi tremila quarantacinque, ed inoltre hanno anche determinato di stabilire delle nuove imposizioni cioè una gabella d' introduzione sul bestiame necessario al mantenimento della città, un accrescimento di baj. 20. a rubbio sulla gabella del macinato a grano, ed una simile gabella di baj. 20. a rubbio sul granturco; ed in ordine a ciascuno di questi diversi progetti ci hanno fatto rispettosamente rimarcare rapporto all' erbatico, che i proprietarj de' terreni ai quali spetta, sono in oggi contentissimi di erogare in estinzione e pagamento de' surriferiti frutti de' cambj e censi; che l' imposizione sul bestiame di consumo oltre all' esser coerente alle istruzioni su di ciò date della s. congregazione del Buon Governo verrà ripartita in maniera sulle differenti qualità di esso, che non recherà sicuramente, che un piccolo gravame al popolo, che la nuova imposizione di baj. venti per ogni rubbio di grano sul macinato è tale, che unita all' altra imposizione camerale sul medesimo, non arriva a baj. ottanta a rubbio, quanti prima se ne pagavano per lo stesso oggetto in detta città, giacchè ora non si verrà a pagare che circa baj. settanta; e finalmente che facendosi ora in detta città un consumo grandissimo di granturco a segno, che anche i facoltosi ne fanno uso, l' imposizione di baj. 20 a rubbio che corrisponde a baj. 10. il sacco, non è capace di arrecare un gravame agl' indigenti, per i quali riflessi di equità, e ragionevolezza le accennate risoluzioni del consiglio hanno già ottenuta l' approvazione del reverendissimo cardinale Albani vescovo e governatore della detta città. In seguito di che desiderando i supplicanti, che tali risoluzioni vengano anche approvate, e confermate dalla suprema Nostra autorità, onde non

Digitized by Google

abbiano mai a revocarsi fino alla estinzione del debito di detti frutti arretrati, che ascende a scudi quarantamila circa, si sono perciò determinati di ricorrere a Noi supplicandoci di accordargliene la desiderata approvazione e conferma, e la contemporanea dichiarazione, che i creditori di detti frutti arretrati debbano in conseguenza contentarsi di riceverne il pagamento col ritratto delle suddette imposizioni ed erbatico, nè possano eccitar molestia contro la comunità, ed i particolari obbligati per la medesima anche a riflesso, che detti creditori in breve potranno conseguire la respettiva loro soddisfazione non solo col ritratto di dette imposizioni, ma anche coll'esigenza dei crediti arretrati della comunità, che saranno erogati nella stessa causa.

Resolutio confirmatur quoque a sacra congregatione Boni Regiminis.

§. 3. Qual supplica essendo stata da Noi per mezzo vostro rimessa a monsig. segretario della Nostra congregazione del Buon Governo, perchè ci avesse informati e palesato insieme il suo sentimento sopra l'erogazione dell'erbatico e le altre imposizioni suddette, egli similmente per mezzo vostro ci ha riferito che non vi può essere difficoltà sull'applicazione dell'erbatico alla soddisfazione dei suddetti debiti, subito che a ciò condiscendono i proprietarj di esso, che avendolo prima ceduto alla comunità per pagare i pesi camerali, ne sono oggi tornati ad esser liberi padroni, poichè soccombono direttamente a detti pesi per mezzo della dativa dei sei paoli a libbra; che la gabella sull'introduzione del bestiame non si appone ai principii daziali già da Noi stabiliti ne' Nostri motupropri, purchè si tratti di bestiame, che si consumi nel luogo, e non sia di puro transito; lochè succede in Roma, dove li bestiami che s'introducono per macellarsi pagano la gabella alle porte; che rapporto all'altre imposizioni sul macinato del grano, per quanto sia vero che lo spirito del Nostro moto-proprio sul sistema daziale si opponga ad ulteriori imposizioni sopra di esso, come riservato al Nostro erario, e non sembri d'altronde politico l'accrescere gravezze sopra il genere di prima consumazione, nell'atto che le circostanze de' tempi ne accrescono il prezzo, pure trattandosi d'una imposizione temporanea, e di pochi anni crede, che stanti le urgenze de' creditori della comunità potrebbe non farglisi un opposizione dirimente e decisa; e finalmente che l'imposizione sul macinato del granturco esente già da ogni altra sorta di gravezza, è a suo sentimento ragionevolissima tanto più che ne fanno un uso grande i benestanti ancora, ed altronde è tanto leggiero il peso di bajocchi 20. a rubbio, che non può certamente arrecare un gravame agl'indigenti: e Noi attese le cose esposteci, volendo mostrare verso de' supplicanti, e della Nostra detta città di Velletri gli atti della Nostra sovrana clemenza, anche in vista delle prove costanti di devozione date sempre dalla medesima verso di Noi e della s. Sede apostolica per l'inconcussa, e ne' più duri cimenti comprovata fedeltà di quel popolo, ampiamente commendata da sommi pontefici Nostri predecessori, e specialmente dai papi Urbano II. Gregorio IX., Eugenio IV., e Sisto IV. di sa. mem. siamo perciò ben volentieri condiscesi ad accordar loro la richiesta grazia nella maniera che prescriveremo in appresso.

Accedit etiam confirmatio apostolica.

§. 4. Avendo pertanto nel presente Nostro chirografo per espresso, e di parola in parola inserto, e registrato l'intero tenore delle suddette risoluzioni del consiglio maggiore di detta comunità, dell'approvazione ottenuta dal reverendissimo cardinale Albani, de' Nostri motu-propri emanati sopra gli accennati oggetti, e di ogni altra cosa quanto si voglia necessaria di esprimersi; di Nostra certa scienza, e similmente colla pienezza della Nostra suprema potestà ordiniamo a voi, che in nome Nostro approviate, e confermiate, conforme Noi approviamo, e confermiamo in tutte le sue parti la detta risoluzione tanto rapporto all'applicazione dell'erbatico, in pagamento del debito de' frutti, quanto rapporto alle suddette nuove imposizioni sul bestiame di consumo che s'introduca in detta città, da ripartirsi però sulle differenti qualità di esso, in maniera che sia del minore aggravio possibile a quella popolazione, e specialmente alla classe degl'indigenti, come pure l'altra di baj. 20. a rubbio sul macinato a grano, e di baj. parimenti venti a rubbio sul granturco; e quelle imposizioni ordinerete pure in nome Nostro, conforme Noi ordiniamo che debbano interamente, e fedelmente erogarsi in estinzione del suddetto debito di frutti arretrati ascendenti a scudi quarantamila circa, e non possano mai convertirsi in altro uso, o rivocarsi fintanto che non sia estinto, e saldato il

Digitized by Google

debito suddetto, dopo di che dovrà l'erbatico tornare ai rispettivi proprietari, a cessare immediatamente le suddette imposizioni; dichiarando Noi, che in conseguenza di quest' approvazione, i creditori de' suddetti frutti arretrati debbano contentarsi di riceverne il pagamento col ritratto delle suddette imposizioni, ed erbatico, nè possano in veruna maniera eccitare molestie contro la suddetta comunità, ed i particolari obbligati per la medesima, a condizione però che ne' pagamenti da farsi debbano essere preferiti i creditori più indigenti, e progressivamente i meno facoltosi; e che inoltre esigendosi in tanto dalla comunità i suoi crediti arretrati, debbano questi similmente erogarsi in dimissione dello stesso debito de' frutti arretrati. In esecuzione pertanto del presente Nostro chirografo ne pronuncierete qualunque decreto, concederete, se farà d' uopo, le occorrenti facoltà, e farete tutt' altro che per la plenaria esecuzione, perpetua fermezza, e sussistenza di questa Nostra grazia stimerete in qualunque modo spediente e necessario; essendo così mente e volontà Nostra espressa.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 5. Volendo e decretando che al presente Nostro chirografo, quantunque non esibito, nè registrato in camera, e ne' suoi libri, non possa mai darsi di orrezione, o sorrezione, nè di alcun' altro vizio, e difetto della Nostra volontà, ed intenzione, nè che mai sotto tali, o altri qualunque pretesti possa essere impugnato, rivocato, o moderato, e che così e non altrimenti debba sempre giudicarsi, definirsi, ed interpretarsi da qualsivoglia giudice, e tribunale benchè collegiale, congregazioni anche di reverendissimi cardinali, camerlengo di Santa Chiesa, tesoriere, rota, camera, e qualunque altro, togliendo loro ogni facoltà, e giurisdizione di giudicare, definire, ed interpretare in contrario; dichiarando Noi fin da adesso preventivamente nullo, irrito, ed invalido tutto ciò, che da ciascuno di essi con qualsivoglia autorità, scientemente, o ignorantemente fosse in qualunque tempo giudicato, o si tentasse giudicare contro la forma, e disposizione del presente Nostro chirografo, quale vogliamo che vaglia, e debba avere sempre il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore colla semplice Nostra sottoscrizione, benchè non vi siano state intese o citate qualsivogliano persone, ancorchè privilegiate, e privilegiatissime, ecclesiastiche, o luoghi pii, che vi avessero, o pretendessero avervi alcun interesse, e che per comprenderle facesse bisogno di speciale e individua menzione.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non ostante li suddetti moti proprii nelle parti, e parte soltanto che potessero opporsi al Nostro presente indulto; come pure non ostante la Bolla di Pio IV. di san. mem. Nostro predecessore *de registrandis*, la regola della Nostra cancellaria *de jure quaesito non tollendo*, ed altre qualsisiano costituzioni, ed ordinazioni apostoliche Nostre, e de' Nostri predecessori, leggi, statuti, riforme, usi, stili, consuetudini, e qualunque altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario, alle quali tutte, e singole, avendone il tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto, e registrato, e supplendo Noi colla pienezza di Nostra potestà pontificia, ad ogni vizio, e difetto, quantunque sostanziale, e formale, che vi potesse intervenire per questa sola volta, e per la piena e totale esecuzione di quanto si contiene nel presente Nostro chirografo, ampiamente, ed espressamente deroghiamo. Dato dal Nostro palazzo apostolico Quirinale questo dì 20. agosto 1801.

Pius PP. VII.

Executio.

§. 7. Volentes itaque injuncta nobis a sanctissimo domino nostro papa debitae executioni demandare, ipsius sanctissimi domini nostri papae nomine approbamus et confirmamus resolutionem, ut supra captam in consilio majori dictae civitatis die VI. junii proxime elapsi, tam circa applicationem redditus nuncupat. dell' erbatico pro extinctione fructuum censuum, et cambiorum decursorum, et non solutorum, et a dicta communitate debitorum ad totum praeteritum annum 1800., quam circa novas impositiones singillatim in dicto chirographo expressas in extinctionem eorumdem fructuum destinatas, atque idcirco mandamus tam redditus affictus haerbarum, quam impositiones praedictas integre, et fideliter in praedictorum fructuum solutionem esse erogandas, proindeque pari Sanctitatis Suae nomine decernimus creditores eorumdem fructuum paullatim cum dictis pecuniis dimittendos, nullas interim excitare posse molestias adversus dictam communitatem, ac individuos pro ipsa obligatos; ea tamen sub lege, ut in solutionibus peragendis praeferantur cre

ditores indigentes, et progressive minus divites, quodque in eamdem causam erogari etiam debeant credita dictae communitatis, quorum interea ipsa a suis debitoribus solutionem assequetur, ac in omnibus, et per omnia juxta formam, seriem, ac tenorem recensiti chirographi sanctissimi. Non obstantibus legibus, statutis, constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque omnibus in contrarium facientibus; quibus omnibus Sanctitas Sua praeinserto suo chirographo plenissime derogavit. Datum Romae ex aedibus nostrae residentiae in via Cursus hac die vigesima quarta augusti millesimo octingentesimo primo.

Loco ✠ sigilli.

A. Lacchini v. auditor.

Loc ✠ signi.

Laurentius Felci causarum curiae camerae apostolicae, ac ss. et rever. domini vic. aud. ss. notarius.

LXXVII.

Dat. die 31. aug. 1801. Anno II.

Consulitur decori, et rectae administrationi ecclesiae nuncupatae B. M. V. a s. Luca in Monte de Guardia extra civitatem Bononiensem existentis.

Dilecto filio ecclesiae Bononiensis, ejus archiepiscopali sede vacante, vicario capitulari legitime deputato.

Pius PP. VII.

Dilecte fili salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Permagnae Nobis profecto curae et ecclesiae istius cultus, quae Beatae Mariae Virginis a sancto Luca dictae in Monte de Guardia, ut vulgo nuncupatur ad Bononiae moenia dedicata est, quaeque non ab incolis, et accolis modo, sed ab externis etiam, et longinquis mire celebratur. Quantam illa adeuntium animis pietatem, ac religionem injiciat, sumus ipsi experti, neque conducibilius vero existimamus ad Dei gloriam, et ipsius Beatae Mariae Virginis laudem, atque ad hominum eo confluentium salutem quidquam esse, quam ut ea praeclaris mandetur vineae Domini satoribus, atque industriis operariis; qui cum illius splendorem, et majestatem sacrorum certa munerum, et officiorum vice amplificent, tum advenientes, venerationis causa, ad christianam disciplinam erudiant, et ad virtutem inflamment apposita orationis facultate; admissa peccata, ac scelera confiteri, expiareque volentibus praesto quotidie sint, ac rite comparatos divino epulo enutriant, atque hi quidem non sunt longius arcessendi; sed ab ipsa Bononia suppeditantur.

§. 2. Neque enim Nos, qui Foro Cornelii, tam propinqua in urbe, tot annos mansimus ejus ecclesiae gubernacula, quae nondum dimisimus gerentes, latere sane potest eorum presbyterorum virtus, qui ex instituto bo. me. Bartholomaei Dal Monte presbyteri Bononiensis, atque ex praecepto, quod suo is testamento consignavit, oppida, et vicos identidem circumeunt, opus illud egregium peragentes, quod missiones appellatur. Et quamquam non ignoremus sanctimoniales ordinis s. Dominici, ex monasterio s. Matthiae nuncupat. ecclesiam ejusmodi perdiu obtinuisse, ad hanc usque aetatem, et custodiae praefecisse sacrae imaginis, sibi ab aliis religiosis virginibus jam traditae, quibus concessa primum fuisset: aequo tamen illas animo laturas putamus alios nunc tandem sibi substitui, quos temporum ratio, et Beatae Mariae Virginis honor flagitare videatur. Laudes instituti erecti a sacerdote Dal Monte qui diu praesit gubernio ecclesiae praedictae.

§. 3. Itaque motu proprio discretioni tuae, dilecte fili, eo quod sedes ista nimirum archiepiscopalis vacet, per has literas committimus, et mandamus, ut ecclesiam commemoratam Beatae Mariae Virginis a sancto Luca, ejusque Beatae Mariae Virginis vetustam, religiosissimamque imaginem cum omni suppellectili, tabulario, redditibus, fundis, et bonis cujuscumque generis, et continenti aedificio, cum omnibus etiam juribus, et privilegiis, exemptionibus, gratiis, ac simul oneribus ipsi ecclesiae vel sanctimonialibus, earumve communitati, et monasterio ante hac inhaerentibus, sine ullo prorsus discrimine, auctoritate Nostra apostolica, directori missionum doctoris Dal Monte nuncupati, non ei modo, qui nunc est, sed et qui deinceps erit, addicas, et adtribuas ad Nostrum, et hujus sanctae Sedis apostolicae beneplacitum; ejusque propria illa omnia esse facta pronuncies, ipsumque Deputatio sacerdotum qui succedant in locum praedicti sacerdotis in gubernio, et custodia ecclesiae.

Digitized by Google

decernas cum idoneis presbyteris secularibus, quos in suum contubernium ex fundatoris lege, deque ordinarii consensu, adsciscet apud ecclesiam istam habitare, atque iis, de quibus dictum superius est, sacris muneribus ad decorem domus Dei, et proximorum emolumentum obeundis operam, et industriam navare debere, quod si inde aliquo discedat cum sociis ad divinum verbum praedicandum, unum pro se de ordinarii licentia, qui loco praesit, et quatuor saltem contubernales presbyteros, ad confessiones audiendas adprobatos, relinquere, ut ne quid de ejus adeo frequentatae ecclesiae servitio interea temporis detrahatur; collectarum vero eleemosynarum, et accepti, expensique rationem, atque actionum etiam reliquarum si oportuerit, suarum quotannis directorem ordinario reddere, tamquam Sedis apostolicae delegato. Nam ipsam ecclesiam, perinde ut antea, et directorem, et socios earum missionum, quandiu ad illam adhaeserint, sub immediata protectione sanctae Sedis apostolicae manere statuimus, et declaramus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, dictisque plenissime suffragari, ac ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari, nulloque praetextu unquam, etiam ex eo quod interesse habentes ad praemissa vocati non sint, aut illis consenserint de subreptionis, aut obreptionis vitio, seu intentionis Nostrae defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, ac in controversiam vocari posse; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari,

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus fel. rec. Eugenii pp. IV., et Clementis pp. VIII. praedecessorum Nostrorum constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictae ecclesiae, et sanctimonialium, et monasterii etiam juramento, confirmatione apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresso derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris di vigesima prima augusti millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

LXXVIII.

Dat. die 24. aug. 1801. Anno II.

Deputatio eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis Caprara in legatum a latere penes primum Galliarum consulem.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Dilecto filio Nostro Joanni Baptistae, tituli s. Honuphrii, Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Caprara nuncupato, archiepiscopo, episcopo Æsino, ad carissimum in Christo filium Nostrum Naupoleonem Bonaparte, primum Galliarum reipublicae consulem, Gallicanamque nationem, Nostro, et apostolicae Sedis legato salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Dextera Altissimi, quae semper in ostensione virtutis magnificata est, renovavit etiam temporibus hisce Nostris magnalia sua. Illud siquidem est operata, ut tot inter impetus, ac procellarum jactationes, quibus universa Gallia tamdiu est agitata, longe maxima nationis illius pars religionis, quam a majoribus acceperat, et ab incunabulis hauserat, retinentissima fuerit, in eaque conservanda avorum suorum gloriam, a quibus tot bona accepit Ecclesia, ad memoriam saeculorum omnium sit aemulata.

Ratio decernendae nominationis.

§. 2. Propterea nec desivimus, nec desituri unquam erimus in omni spiritus Nostri humilitate gratias agere misericordiarum Deo, qui tot inter angustias, quibus undique premimur, tantasque curarum moles, quas cum semper, tum iis potissimum temporibus ne-

Digitized by Google

cessario habere debet sarcina supremi episcopatus, quae infirmitati Nostrae, inscrutabili Dei judicio est imposita, ad consolandos Nos divinitatis suae lumine, rationem Nobis suppeditare est dignatus, qua catholica religio ad liberum ministeriorum suorum exercitium in regionibus illis revocata, ad pristinam cultus sui puritatem, sanctitatemque possit reflorescere. Paterna charitas, qua Nos Gallicanam nationem semper complexi fuimus, et ardentia illa studia quibus urgemur, ut opus tam bene susceptum, auxiliante Deo, ad majorem ejus gloriam per imbecillitatem Nostram feliciter conficiatur, Nos vehementer sollicitos habet, rationesque omnes excogitare cogit, quae ad hoc tantum bonum constituendum conferunt, cum quo salus tam multarum animarum, quas Christus Dominus sanguine suo redemit est omnino conjuncta.

Tenor nominationis cum descriptione facultatum concessarum.

§. 3. Propterea cum ad id consequendum illud maxime tum Nobis tum gubernio ipsi Gallicano prodesse posse videatur, si Nostrum atque apostolicae Sedis legatum constituamus, qui in Galliam se conferens, et spiritualibus fidelium illorum necessitatibus praesto sit, et ea bona properet, quae ex conventione inter Nos et gubernium reipublicae Gallicanae inita expectari debent, auditis venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, quos, quemadmodum deliberatio tantae rei postulabat omnes convocandos censuimus, unanimi eorumdem consilio et assensu, te, dilecte fili Noster, delegimus, cujus fidei, religioni, ac exploratae prudentiae tantum ac tam grave hoc munus committeremus, illud persuasi, te, pro ea virtute ac singulari sapientia qua praestas, ac praesertim pro eo amore, ac studio quod semper in caeteris muneribus, quae tibi a Sede apostolica concredita sunt administrandis erga catholicam Ecclesiam ostendisti, desiderio atque expectationi Nostrae esse cumulatissime responsurum. Te igitur in Nostrum, et apostolicae Sedis legatum ad primum Galliarum reipublicae consulem vigore praesentium eligimus, constituimus, et deputamus, circumspectioni tuae mandantes, ut munus hujusmodi pro tua in Deum pietate, in Nos et hanc sanctam Sedem reverentia, in Christianam rempublicam studio, alacri animo suscipias, ac sedulo diligenterque, Deo juvante, exequaris, donec id pro necessitate temporum opportunum judicabitur. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem, anno incarnationis Dominicae, millesimo octingentesimo primo, nono calendas septembris, pontificatus Nostri anno secundo.

LXXIX.

Dat. die 4. sept. 1801. Anno II.

Instantibus fratribus ordinis minorum s. Francisci provinciae s. Fidei de Bogota in America, confirmatur electio sanctorum Joannis Baptistae, et Josephi in patronos dictae provinciae ab eis facta.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Cum sicut dilecti filii superiores, et fratres ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupati provinciae sanctae Fidei de Bogota in America Hispana Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga sanctos Joannem Baptistam et Joseph Beatae Mariae Virginis sponsum praeseferunt devotionis affectu, eorumdem sanctorum cultum, et venerationem in dies augeri, et declarari summopere desiderent; eosdemque sanctos in protectores suos principales elegerint; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, ac, ut infra, de benignitate apostolica indulgere dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, audito etiam dilecto filio magistro Julio De Carpineo sacrorum rituum congregationis secretario, electionem sancti Joannis Baptistae, et sancti Josephi in patronos principales ejusdem provinciae a fratribus dicti ordinis rite factam auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis, ac perpetuae apostolicae firmitatis robur adjicimus,

ac festis eorumdem sanctorum praerogativas omnes festis patronorum principalium competentes attribuimus, atque ritum officii patrocinii sancti Joseph, quod in dominica tertia post Pascha recitatur ad dupl. secundae classis cum octava pro iisdem fratribus elevamus, et lectiones proprias recitandas in diebus octavae jam pro ordine Carmelitarum Excalceatorum approbatas ad eos extendimus; nec non, ut in singulis coenobiis dictorum fratrum in praedicta provincia comprehensis die decima nona cujuslibet mensis, dummodo non occurrat officium duplex primae, vel secundae classis, post missam conventualem de die, post nonam una missa votiva cum cantu de eodem sancto Josepho cum gloria tantum, servatis in reliquis rubricis, celebrari possit auctoritate, et tenore praedictis indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac rubrica XXVII. novi breviarii Romano Seraphici, nec non dictae provinciae, et ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die quarta septembris millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

LXXX.

Dat. die 4. sept. 1801. Anno II.

Confirmatio concordiae inter administratores domus Misericordiae civitatis Portugallensis, et moniales monasterii matris Dei ejusdem civitatis initae ad lites dirimendas.

Venerabili fratri episcopo Portugallensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Pastoralis Nostra, et paterna sollicitudo postulat, ut christifidelium, praesertim vero sanctimonialium, et eorum, qui piis institutionibus administrandis operam suam impendunt, quietem, et tranquillitatem, quantum in Nobis est, tueamur, ut, omni dissidio sublato, concordiaque constituta, iidem christifideles unanimi consensu, et mutua charitate devincti pastori aeterno valeant famulari.

Expositio precum.

§. 2. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni administratores domus Misericordiae civitatis Portugallensis, ac dilectae in Christo filiae abbatissa, seu priorissa, et moniales monasterii matris Dei de Monchique nuncupati, siti in suburbiis dictae civitatis, quod cum bo. mem. Emmanuel Carneiro de Araujo ex testamento praedictam Misericordiae domum haeredem plurimis ab hinc annis instituerit, ea lege, ut expletis testamentariis oneribus, quod ex haereditate superesset monialibus monasterii praedicti traderet. Hinc obortae, et magnis sumptibus protractae lites, ad quas dirimendas, concordiamque stabiliendam fuit utrinque proposita transactio cum infrascriptis conditionibus, videlicet.

Pacta conventa.

I. §. 3. Quod cum praedicta domus debeat monasterio quadragies, atque tercentena millia regalium cum triginta sex millibus regalium monetae, et centum, et sexaginta sex regalibus monetae Lusitanae, et vicissim monasterium illi ex mutuo debeat duodecies centena millia regalium debitum cum credito compensetur; ac dummodo Misericordiae domus monasterio vicies centena millia regalium similium praeterea solvat, monasterium illi, quod superest, videlicet, undecies centena millia regalium cum triginta sex millibus regalium, et centum, et sexaginta sex regalibus libere remittat.

Idem ut supra.

II. §. 4. Quod cum testator praedictus chirographum, in quo regia Lusitana corona quadragies, et octies centena millia regalium debere profitetur Misericordiae, et monasterio, praedictis, aequalibus partibus in eodem testamento legasset ipse Misericordiae domus annuos redditus ab aerario regio exigat, et monasterio centum, et viginti millia rega-

lium, quod annui redditus dimidia pars est, annuatim solvat in posterum, et quod jam ab anno millesimo septingentesimo nonagesimo nono inclusive debet.

Confirmatio apostolica.

§. 5. Quo autem, sicut eadem expositio subjungebat, praedicta transactio, et praeinsertae utrinque acceptatae conditiones firmius subsistant, et serventur exactius, ipsae partes contrahentes apostolica auctoritate omnia confirmari summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos modernos domus Misericordiae praedictae administratores, et moniales monasterii matris Dei hujusmodi specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, quatenus constito tibi de narrantis praedictam concordiam, seu transactionem una cum praeinsertis pactis, et conditionibus, ac reliquis omnibus, et singulis in ea contentis, et expressis auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio, et prudentia gratis confirmes, et approbes, illisque inviolabilis, ac perpetuae apostolicae firmitatis robur adjicias, omnesque juris, et facti, ac solemnitatum, defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, eadem auctoritate suppleas et sanes.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; ac ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit, domus, et monasterii hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quarta septembris millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

LXXXI.

Dat. die 4. sept. 1801. Anno II.

Facultates domino cardinali legato concessae pro agendis rebus in Gallia.

Dilecto filio Nostro Joanni Baptistae, tituli s. Honuphrii, S. R. E. presbytero cardinali Caprara nuncupato, archiepiscopo, episcopo Æsino, ad carissimum in Christo filium Nostrum Naupoleonem Bonaparte, primum Galliarum reipublicae consulem, Nostro et apostolicae Sedis de latere legato.

Pius PP. VII.

Dilecte fili Noster,
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Cum pro tua religione, doctrina, ac explorata Nobis in rebus gerendis prudentia, te legatum Nostrum a latere in Galliam mittere decreverimus ad ecclesiasticas res componendas juxta ea, quae per acta conventionis inter Nos, et rempublicam Gallicanam initae, constituta sunt; quo facilius tantam rem cum ecclesiae gloriae, Galliarumque tranquillitate explicare, conficere, expedire valeas, auctoritate Nostra apostolica omnes, et singulas

facultates tibi concedimus, quibus de jure, usu, stylo, consuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet apostolicae Sedis a latere legati frui consueverunt; signanter absolvendi, dispensandi, commutandi, condonandi, relaxandi, juxta locorum, temporum, ac personarum circumstantias, pro tuo arbitrio et prudentia, atque tua onerata conscientia, et cum ea salubri moderatione, quam in Domino noveris expedire. Insuper potestatem facimus tibi alios, qui tibi magis in Domino idonei videbuntur, subdelegandi, ut iisdem facultatibus uti possint, si quando id utile ac necessarium ad Ecclesiae, atque animarum bonum judicaveris; qua quidem potestatis amplitudine ita te ad Ecclesiae bonum, atque animarum salutem usurum speramus, ut in rebus dubiis illud continuo memoria teneas, quod s. Innocentius I. praedecessor Noster ad Felicem episcopum Nucerinum scribebat (1): » Mirari non possumus, dilectionem tuam sequi » instituta majorum, omniaque quae possunt » aliquam recipere dubitationem ad Nos quasi ad caput, atque ad apicem episcopatus » referre, ut consulta videlicet Sedes apostolica, ex ipsis rebus dubiis certum aliquid fa» ciendumque pronuntiet ». Siquidem solemne semper in Ecclesia fuit, quod idem pontifex in epistola ad concilium Melevitanum memorat; apostolicam Sedem consulere (2) « super » anxiis rebus, quae sit tenenda sententia » ac tibi apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die quarta septembris millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 4. sept. 1801. Anno II.

LXXXII.

Literae credentiales pro domino cardinali legato.

Carissimo in Christo filio Nostro Naupoleoni Bonaparte, primo consuli reipublicae Gallicanae.

Pius PP. VII.

Carissime in Christo fili Noster Salutem, et apostolicam benedictionem.

Deferet tibi has literas dilectus filius Noster Joannes Baptista, tituli s. Honuphrii, S. R. E. presbyter cardinalis Caprara nuncupatus, archiepiscopus, episcopus Æsinus, quem Nos libentissimo animo Nostro, et hujus apostolicae Sedis legatum a latere ad te mittimus. Hae ut testes erunt amplissimi muneris, quod Nos ei gerendum demandavimus, ita etiam probabunt tibi magis magisque paternam eam charitatem, qua te complectimur, eaque studia quibus properamus ampliori, ac testatiori quo possumus modo omnia componere, et conficere, quae per acta conventionis Nostrae ad catholicae religionis bonum, internaeque tranquillitatis conservationem in Gallia, inter Nos sunt constituta. Eum Nos virum nihil est quod commendemus amori tuo; cum enim is pro sua integritate, fide ac prudentia sit praecipue expetitus a te, eamque ob causam eo libentius mittatur a Nobis, scimus eum opinione virtutis suae satis carum, ac commendatum istuc accedere. Ei igitur tecum agenti eam fidem habebis, quam Nobismetipsis haberes si Nos tecum coram ageremus. Neque enim dubitamus quin is sit futurus apud te, qualem et tu pro ejus religione, fide, in rebusque gerendis dexteritate cognitum judicasti, qualem Nos etiam propter caetera munera gravissima, quibus est summa cum laude perfunctus, speramus omnino extiturum. Quod ut bonum, felix, fortunatumque sit tum Nobis, atque catholicae Ecclesiae, tum reipublicae isti universae, D. O. M. obsecramus, et tibi apostolicam benedictionem pignus paternae charitatis Nostrae impertimur. Datum Romae apud s. Mariam Majorem, sub annulo piscatoris, die quarta septembris millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 12. sept. 1801. Anno II.

LXXXIII.

Concessio usus palmaris vulgo bugia pro canonicis ecclesiae metropolitanae Firmanae,

(1) Lit. 56., t. I. ep. Rom. pont. edit. coust. col. 910.

(2) Lit. 50. apud coust. loc. cit.

cum privilegio gestandi crucem, et funiculum violacei coloris in pileo.

Dilectis filiis dignitatibus et canonicis ecclesiae metropolitanae Firmanae.

Pius PP. VII.

Dilecti filii salutem, et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis. §. 1. Exponi Nobis S. R. C. presbyter cardinalis Brancadoro nuncupatus vestrum omnium praeclaram extitisse fidem in hanc sanctam Sedem apostolicam iis praesertim temporibus, quae interdum accidere patitur Deus, ut, qui probati sunt, quemadmodum apostolus ait, manifesti fiant, utque aliquam vobis gratiam referremus, se vehementer optare, et orare.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur ipsum, et vos specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et vestrum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes ejus cardinalis supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, vobis, ut de consensu venerabilis fratris archiepiscopi vestri, quisque vestrum, quique posthac legitime vobis succedent, ad altare, aut sacrificium, aut sacerdotale aliud munus peragentes, palmare, vulgo bugiam adhibere, et talarem vestem coloris violacei in choro, in capitulo, in processionibus, ac sacris functionibus quibuscumque induere, et funiculum ejusdem coloris pileo circumdatum gerere intra fines dioecesis Firmanae solum, tam intra eos vero, quam extra parvam crucem, quae ab episcopali non solum magnitudine, sed forma quoque ipsa, et specie prorsus discrepet, in cujus antica Beatae Mariae Virginis, cui ecclesia dedicata vestra est, impostica sancti Savini imago sit insculpta flocco nigri coloris ante pectus suspensum gerere possitis, et valeatis in perpetuum concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus fel. rec. Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri de divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, et specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non dictae metropolitanae ecclesiae Firmanae etiam juramento, confirmatione apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Quae sane liberalitatis in vos Nostrae argumenta confidimus stimulos vobis fore industriae, et laboris in vineam Domini, ut eo magis enitamini ad praelucendum reliquis omni sacerdotalis virtutis laude, quo his insignibus fulgentis magis; neque dubitamus profecto, quin sanctissima Dei parens, isque antistes, et martyr fertilissimus, cujus utriusque imago pectori insidebit vestro, multo altius in mente, atque animo vestro haereant, ac sui recordatione assidue vos excitent, ac ad strenue navandam operam confirment. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quinta septembris millesimo octingentesimo primo pontificatus Nostri anno secundo. Monitum speciale.

LXXXIV. Dat. die 15. sept. 1801. Anno II.

Confirmatio literarum apostolicarum expeditarum a Pio papa VI., quibus concessa fuerunt seminario Anagnino nonnulla bona confraternitatum locorum Sgurgulae, et Moroli dioecesis Anagninae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Quod Ecclesiae, civitatisque utilitas, et salus maxime postulat, ut aetatis tenerae ad virtutem omnem, ac pietatem, et ad bonas artes fingantur, et informentur ingenia, et mors, id omni studio, et diligentia curare prae- Procemium.

cipue debent ubique gentium Romani pontifices, et in sua quique dioecesi episcopi. Ex quo sollicitos illos vehementer esse aportet, concilii quoque Tridentini praeceptis saluberrimis admonitos, de seminariis clericorum recte constituendis, sustentandis, conservandis, amplificandis; neque est ejusmodi negotio aliud quidem in humanis praestabilius, aut potius habendum.

Memorantur literae apostolicae ad rem latae pro concessione bonorum.

§. 2. Quo animo cum esset sa. mem. Pius pp. VI. praedecessor Noster, mirum non est, si per suas literas apostolicas sub plumbo diei non. kal. octobris anni MDCCLXXVI. bona confraternitatum duarum, alterius in terra, quam Scurgula indigenae, alterius in ea, quam Morolo appellant, dioecesis Anagninae, seminario hujus ipsius, destituto rebus necessariis, addixerit, et attribuerit, quas quidem literas confirmandas postea duxit per suas alias item sub plumbo die v. idus martii anni MDCCLXXIX.

Nonnullos harum literarum abrogationem flagitavisse refertur.

§. 3. Id vero sane mirum, sapientiae, et auctoritati illarum literarum adversari ausam esse adhuc quorumdam temeritatem; quorum nempe flagitatum a Nobis haud multo ante fuit, ut eas abrogaremus penitus, et induceremus. Quos, ut ne indicta prorsus causa aspernari videremur, eorum postulationes ad venerabilem fratrem episcopum Signinum misimus, ut qui propius inde abesset, ac veritatem liquidius noscere posset, suffragium de iis suum Nobis aperiret.

Nullis innitae rationibus preces repertae sunt.

§. 4. Quo sane accepto, atque aliis praeterea momentis rationum libratis, Nobisque expositis per dilectum filium magistrum Alexandrum Lacchinium vice-auditorem Nostrum, rejiciendam omnino illorum instantiam judicavimus.

Hac de causa literas praecedentes exequendas esse decernitur.

§. 5. Nunc quo perspicuum sit magis omnibus quid sentiamus, et ad evellendam plane omnem in posterum controversiarum materiem, et cavillandi libidinem, quae paci christianae, et concordiae animorum est inimica, motu Nos proprio, certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, harum literarum vigore commemoratas binas literas apostolicas praedecessoris Nostri iterum ratas habemus, et perinde haberi ab omnibus praecipimus, et jubemus; ac vetamus porro quemquam deinceps aut has Nostras, aut eas praedecessoris Nostri literas de obreptionis, vel subreptionis vitio criminari, aut notam aliam quamcumque iis inurere, sed eas potius recipi volumus ab omnibus, et singulis etiam speciali, et expressa mentione dignis, et adamussim observare.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus iis omnibus, quae jam in literis praedecessoris Nostri concessum est non obstare. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decimaquinta septembris millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

LXXXV.

Dat. die 15. sept. 1801. Anno II.

Imminutio festorum in territorio abbatiae s. Mariae de Parraces Toletanae provinciae.

Dilecto filio Nostro Philippo Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Casoni nuncupato.

Pius PP. VII.

Dilecte fili Noster
salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum, et ratio concessionis.

§. 1. Expositum nuper Nobis est nomine dilecti filii Josephi De Manzanares, qui se priorem dicit esse regii monasterii sancti Laurentii de Escuriali, et sancti Thomae de Piè del Porto vulgo nuncupati, atque abbatem praeterea sanctae Mariae de Parraces, atque habere se affirmat jurisdictionem ordinariam quasi episcopalem in quaedam loca provinciae Toletanae non minus egere, atque adeo multo fortasse magis populum sibi subjectum, ut festi dies apud se contrahantur, quam dioecesis Toletanae populus, cui id indulsit gravibus adductus rationibus Benedictus pp. XIV. sanctae memoriae praedecessor Noster per suas literas apostolicas in forma brevis die vigesima tertia decembris anni millesimi septingentesimi quadragesimi quarti datas: enixe idcirco se a Nobis petere, ut suum in populum eamdem Nos benignitatem expromamus.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur circumspectioni tuae, dilecte fili Noster, per has literas injungimus, ut, quando intellexeris aequandum revera esse populum jurisdictionis commemorati abbatis populo dioecesis, et provinciae Toletanae, in festorum dierum colendorum ratione a Bene-

d by Google

dicto pp. XIV. praescripta, auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium pro arbitrio, et conscientia tua id plane decernas, ac statuas.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus apostolicis, inque universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, coeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima octava septembris millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 18. sept. 1801. Anno II.

LXXXVI.

Confirmatio tractatus initi a plenipotentiariis electis super rebus ecclesiasticis reipublicae Gallicanae.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Ecclesia Christi, quam ut civitatem sanctam, Hierusalem novam, descendentem de coelo a Deo vidit Joannes, inde potissimum suam repetit firmitatem, caeteraque ornamenta, quibus praedita consurgit, quod nedum sancta, catholica, et apostolica, sed et una sit, super unius soliditate petrae fundata. Ex firma et constanti membrorum Ecclesiae omnium unione in eadem fide, in iisdem sacramentis, in iisdem vinculis charitatis, in subjectione atque obsequio omnium legitimo capiti, tota vis illa, ac pulchritudo est, qua hujus mysticum corpus nobilitatur, ac praestat. Quod decus ejus praecipuum ac singulare Redemptor Noster cum et ejus proprium esse, et conservari usque ad consumationem saeculi maxime voluerit in eadem Ecclesia, quam acquisivit sanguine suo, antequam ad patrem ascenderet memorandis illis verbis sic pro ea oravit: » Pater sancte, serva eos quos » dedisti mihi, ut sint sicut et nos . . . , ut omnes unum sint, sicut tu pater in me, et ego » in te, ut et ipsi in nobis unum sint. »

Memorantur sollicitudines adhibitae pro obtinenda conservatione pacis, religionis, et unitatis in Gallia.

§. 2. Haec Nos animo cogitantes simul ac inscrutabili divinae providentiae consilio ad supremum apostolatus apicem, licet indigni, vocati fuimus, statim convertimus oculos Nostros *ad populum acquisitionis*, *solliciti servare unitatem in vinculo pacis*, Galliasque potissimum intuentes, magnitudine regionum, populorum frequentia, ac religionis gloria multis jam saeculis commendatissimas, maximo dolore affecti sumus cum animadverterimus regiones ipsas, quae tamdiu Ecclesiae decus ac deliciae extitissent, postremis hisce temporibus intestinis perturbationibus adeo exagitatas fuisse, ut maximum religio detrimentum exinde acceperit, cujus causa recolendae memoriae Pius VI. decessor Noster tot, tantasque curas impendit. Nolumus Nos hic commemoratione malorum ea vulnera refricare, quae divina providentia hunc sanare properat. Quibus Nos divina ope adjuti cum opportuna remedia adhibere maxime cuperemus, illud jampridem apostolicis Nostris literis die decima quinta maji superioris anni ad universos episcopos datis professi sumus, » nihil optatius contingere Nobis posse, quam vitam » pro filiis Nostris, qui sunt Galliae populi, » profundere, si eorum salus posset interitu » Nostro repraesentari ».

Quomodo Deus, precibus annuens, exponitur.

§. 3. Ad ea a patre misericordiarum impetranda cum indesinenter preces Nostrae, lacrimaeque in maxima animi aegritudine profunderentur, *Deus totius consolationis, qui consolatur Nos in omni tribulatione Nostra*, recordatus misericordiae suae, respicere dignatus est dolorem Nostrum, ac admirando providentiae suae consilio nec opinantibus Nobis aditum aperuit, quo Nos et tantis malis occurrere, et Ecclesiae unitatem, et charitatem, quam » antiquus humani generis hostis su» perseminans zizania super mysticum Eccle» siae agrum » dissolvere, atque extinguere conatus erat, constabilire iterum, ac revocare possemus.

Et Galliae rectorem inflammaverit cupidine malis remedium imponendi.

§. 4. Siquidem ille Dominus, » qui dives » est in misericordia, cogitat consilia pacis » et non afflictionis », illustrem virum, penes quem summa nunc Gallicanae reipublicae est administratio, eadem cupiditate finem tot malis imponendi inflammavit, ut ejus ope in abundantia pacis, religione restituta, bellicosissima illa natio ad unicum fidei centrum revocaretur.

Hinc datas fuisse significationes de ineunda tractatione.

§. 5. Vix carissimus in Christo filius Noster Naupoleon Bonaparte consul primus reipublicae Gallicanae sibi gratum fore testificatus est, ut tractatio iniretur, vi cujus religionis

cultus in Gallia, Deo adjuvante, feliciter restitueretur, gratias egimus Deo, cujus unius misericordiae hoc Nos beneficium acceptum referebamus. Itaque ne Nostro muneri, ac studiis ejusdem primi consulis deessemus, statim venerabilem fratrem archiepiscopum Corinthi ad ineundam tanti hujus negotii tractationem misimus. Qui cum Parisios venisset, multis hinc inde discussis atque animadversis, tandem misit ad Nos articulos quosdam sibi propositos.

Res definienda committitur sacrae congregationi.

§. 6. Ad quos diligenter expendendos Nos omni studio animum adjicientes, sententiam etiam audire voluimus congregationis venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium, qui ad mentem suam de tota hac causa Nobis aperiendam saepe coram Nobis congregati, et voce et scripto quid sentirent Nobis significaverunt.

Et praedecessorum vestigia secuta sunt.

§. 7. Cum autem in re tanti momenti illud praecipue, ut decebat, curandum existimaverimus, ut vestigia pontificum praedecessorum Nostrorum sequeremur, propterea repetentes memoria ea, quae ab iisdem facta fuerant in extraordinariis temporum difficillimorum casibus, cum gravissimae populorum perturbationes exortae intestinis motibus maximas nationes agitarunt, plura, gravia, et luctuosa accidisse comperimus, quae ante oculos Nostros posita, qua agendi ratione uti possemus Nobis aliquomodo indicarent.

Annuendum esse decernitur.

§. 8. Igitur antedictae congregationis venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium sententia cognita, post sedulam considerationem propositae conventioni, qua ratione potuimus, duximus annuendum, atque apostolicam potestatem ad ea omnia proferre, quae extraordinariae temporum rationes, atque bonum pacis et unitatis Ecclesiae a Nobis postulaverunt.

Ad formas propositae conventionis explicandas Lutetias mittitur praeclarus vir cardinalis Consalvi.

§. 9. Quin imo adeo ingenti exarsimus desiderio Galliae ad unitatem sanctae Sedis feliciter revocandae, ut cum allatum ad Nos esset nonnullas formas propositae conventionis, quam ad ven. fratrem archiepiscopum Corinthi remisimus, ea interpretatione explicari, ut Gallicae reipublicae, circumstantiis non aptae viderentur, atque exoptatae unioni moram aliquam possent inferre, molestissime animo Nostro id ferentes, Lutetias mittere statuimus dilectum in Christo filium Nostrum Herculem s. Agathae ad Suburram diaconum cardinalem Consalvi, atque a secretis Nostri status, qui (utpote unus ex eorum numero, quos ad hanc rem congregatos in consilium adhibuimus, quique lateri Nostro continuo in suo munere adhaeret) optime omnium et expositarum rerum intelligentiam, et veros animi Nostri sensus poterat explicare, eam etiam illi facultatem impertientes, ut ubi necessitas postularet, in antedictis formis eas mutationes induceret, quae definitarum a Nobis rerum substantiam integram retinentes, illarum executionem quam celerrimam redderent, et faciliorem viam sternerent conventioni.

Tenor initae conventionis.

§. 10. Quae cum a Nobis commissa feliciter Deo favente sint peracta, indeque ab eo una cum ven. fratre Nostro archiepiscopo Corinthi, ac dilecto filio fr. Carolo Caselli ordinis Servorum Mariae ex-generali ex Nostra parte, et dilectis in Christo filiis Josepho Bonaparte, et Emanuele Cretet consiliariis status, nec non dilecto in Christo filio presbytero Stephano Besnier parocho s. Laudi Andegavensis ex parte Gallicani regiminis, conventio inter Nos, ipsumque Galliarum regimen Parisiis signata sit, haec a Nobis adhibitis in consilium venerabilibus fratribus S. R. E. cardinalibus, perscrutata diligenter, atque examini supposita cum talis reperta sit, ut Nostra approbatione confirmari possit, Nos nulla amplius mora interposita per apostolicas has literas nota facimus ea omnia, quae a Nobis constituta, concessaque sunt ad religionis bonum internaeque Galliarum tranquillitatis conservationem consequendam, atque ad properandam illam tamdiu optatam pacem ac unitatem, qua Ecclesia sancta in Domino gaudeat, atque laetetur.

De professione religionis catholicae apostolicae Romanae.

§. 11. Atque illa in primis a Gallicano regimine solemnis facta est declaratio, nimirum recognoscere se religionem catholicam, apostolicam, Romanam eam esse religionem, quam longe maxima Gallorum civium pars profitetur. Neque vero haud dissimili modo Nos ipsi recognovimus ex catholico cultu in Gallia constituto, nec non ex particulari ejus professione, quam faciunt reipublicae consules, eamdem religionem maximam utilitatem maximumque decus percepisse, et hoc quoque tempore praestolari.

De libero ejus exercitio in Gallia.

§. 12. Quibus ita se habentibus, illud prae omnibus constitutum est, ut religio catholica apostolica Romana libere in Gallia exerceatur.

illud etiam sancitum est, ut publicus sit illius cultus, habita tamen ratione ordinationum quoad politiam, quas regimen pro publica tranquillitate necessarias existimabit.

De nova dioecesum distributione

§. 13. Deinde cum illud maxime necessarium esse compertum sit, ut de episcopalibus sedibus ratio haberetur, hinc cum Gallicanum regimen novam fieri Gallicarum dioecesium circumscriptionem se cupere Nobis significaverit, collatis cum eo consiliis nova a Nobis Gallicarum dioecesium circumscriptio fiet; quae mutua voluntatis conjunctione ita perficietur, ut spiritualibus catholicorum necessitatibus consultum sit.

De sacrificiis ab ordinariis faciendis in resignandis sedibus.

§. 14. Et quoniam tum propter novam hanc ipsam dioecesium circumscriptionem, tum propter alias gravissimas causas omnia impedimenta removenda sunt, quae tanto operi perficiendo adversari possunt, propterea Nos justae persuasioni innixi Galliarum ecclesiarum titulares episcopos ita animo esse comparatos, ut eidem religioni omnia sacrificia, ac vel ipsam suarum sedium resignationem litare non sint detrectaturi (quod jamdiu quamplurimi inter ipsos numquam satis commendandis literis ad rec. me. praedecessorem Nostrum datis die 3. maji 1791. ultro obtulerunt) praedictos titulares per Nostras apostolicas literas sollicitudinis plenas adhortabimur, ut Ecclesiae paci, atque unitati consulant, significabimusque Nos ab eorum, qua in religionem flagrant, charitate, firma fiducia ea, quae superius dicta sunt, sacrificia expectare, ne ipsa quidem sedium resignatione excepta, quam Ecclesiae bonum imperat. Qua hortatione praemissa, eorumque cognita responsione, quam Nostris conformem votis futuram esse haud dubitamus, opportuna media adhibebimus, quibus religionis bono consulatur, atque ut nova circumscriptione peracta Gallicani gubernii vota impleantur, operam impendemus.

De nominatione episcoporum.

§. 15. Archiepiscopos autem, et episcopos novae circumscriptionis dioecesibus praeficiendos consul primus Gallicanae reipublicae nominabit, nominationesque exhibebit intra tres menses, qui promulgationem apostolicae constitutionis consequentur. Nos vero iisdem nominatis institutionem canonicam dabimus juxta formas relate ad Gallias ante regiminis commutationem statutas.

Idem in novis vacationibus.

§. 16. Eadem ratio servabitur tam in nominationibus, quam in canonica institutione eorum, qui in posterum vacantibus sedibus substituentur.

De juramento ab episcopis emittendo.

§. 17. Ut vero ne minimum quidem dubitari possit de sensibus ac mente episcoporum (quamquam etiam sine ullius obligatione juramenti juxta evangelii praescripta quid supremis praepositis debeant optime noverint, atque implere teneantur), quo certiores sint de eorum fide, atque obedientia reipublicae rectores, consensimus ut episcopi, antequam episcopale munus gerendum suscipiant, coram primo consule, juramentum fidelitatis emittant, quod erat in more positum ante regiminis commutationem sequentibus verbis expressum » Ego juro, et promitto ad sancta Dei evangelia obedientiam et fidelitatem gubernio per constitutionem Gallicanae reipublicae statuto. Item promitto me nullam communicationem habiturum, nulli consilio interfuturum, nullamque suspectam unionem, neque intra, neque extra conservaturum, quae tranquillitati publicae noceat, et si tam in dioecesi mea, quam alibi noverim aliquid in status damnum tractari, gubernio manifestabo ».

Idem pro ecclesiasticis secundi ordinis.

§. 18. Iisdemque de causis consensimus ecclesiasticos secundi ordinis in eadem verba jurare coram auctoritatibus civilibus, quae a rectoribus reipublicae designabuntur.

De precibus recitandis pro republica, et consulibus.

§. 19. Cum inscrutabili consilio divinae providentiae, quae largitate donorum ubique diffunditur, cuncta regantur in mundo, pietati congruum, et publicae, quam optamus, felicitati necessarium judicavimus, ut ad utilitatem, salutemque Galliarum publicis precibus divinum auxilium imploretur, idcirco in omnibus templis catholicorum, qui sunt in Gallia, post divina officia his verbis orabitur » Domine salvam fac rempublicam, Domine salvos fac consules ».

De distributione paraeciarum.

§. 20. Constitutis dioecesibus cum omnino necesse sit limites etiam paraeciarum constitui, earum circumscriptionem ab episcopis fieri volumus, quae tamen circumscriptio suum non sortietur effectum, nisi postquam gubernii consensus accesserit.

De jure nominandi parochos.

§. 21. Jus nominandi parochos ad episcopos pertinebit, qui tamen personas non seligent nisi iis dotibus instructas, quas Ecclesiae canones requirunt, atque (ut tranquillitas eo magis in tuto sit) gubernio acceptas.

De capitulis, et seminariis

§. 22. Cum vero tum clericorum institutioni, tum episcoporum consilio, suaeque eccle-

ecclesiarum episcopalium

siae administrationi consulere necesse sit, illud non omisimus, ut iidem episcopi unum habeant in cathedrali ecclesia capitulum, unumque seminarium in sua quisque dioecesi, quamvis gubernium ad dotationis obligationem non se adstringat.

De ecclesiis episcopis restituendis.

§. 23. Quamvis maxime desideraretur a Nobis, ut templa omnia iterum sacris ministeriis exercendis catholicis redderentur, cum tamen id perfici non posse videamus, satis habuimus, quod omnia templa metropolitana, cathedralia, parochialia, aliaque non alienata cultui necessaria episcoporum dispositioni tradantur.

De alienatione bonorum ecclesiasticorum.

§. 24. Constantes in proposito ad omnia sacrificia pro bono unitatis descendendi, ad quae, salva religione, descendi potest, ut etiam pro viribus Nostris tranquillitati Galliarum cooperemur, quae denuo totae turbarentur, si bona ecclesiastica alienata iterum essent repetenda, et ut (quod potissimum est) felix catholicae religionis restitutio fiat, praedecessorum Nostrorum exempla sectantes declaramus, eos qui bona Ecclesiae alienata acquisiverunt, molestiam nullam habituros neque a Nobis, neque a Romanis pontificibus successoribus Nostris; ac consequenter proprietas eorumdem bonorum, redditus, et jura iis inhaerentia immutabilia penes ipsos erunt, atque ab ipsis causam habentes.

De substentatione episcoporum.

§. 25. Sed quoniam Galliarum ecclesiis veteri suo patrimonio privatis invenienda ratio aliqua est, qua suppleri episcoporum, ac parochorum sustentationi ac decentiae possit, Galliarum gubernium in se recipit tum episcoporum, tum parochorum, quorum dioeceses atque parochias nova circumscriptio complectetur, substentationem, quae cujusque statum deceat.

De novis fundationibus ecclesiasticis.

§. 26. Simili modo statutum est Gallicanae reipublicae gubernium curaturum, ut catholicis in Gallia liberum sit, si libuerit, ecclesiis consulere novis fundationibus.

De privilegiis primi consulis.

§. 27. Demum declaravimus recognoscere Nos in primo consule Gallicanae reipublicae eadem jura, ac privilegia, quibus apud sanctam Sedem fruebatur antiquum regimen.

Novae conventiones ineundae pro successoribus primi consulis catholicam religionem non profitentis.

§. 28. Quod si forte eveniat, ut aliquis ex successoribus hodierni primi consulis catholicam religionem non profiteretur, eo casu super juribus, et privilegiis superius memoratis, nec non super nominatione ad archiepiscopatus, et episcopatus respectu ipsius nova conventio fiet.

Tenor confirmationis apostolicae.

§. 29. Cum itaque omnia, et singula superius recensita ex parte quidem Nostra, ac Nostro, et Sedis apostolicae nomine a dilecto in Christo filio Nostro Hercule s. Agathae ad Suburram diacono cardinali Consalvi a secretis Nostri status, nec non venerabili fratre Josepho archiepiscopo Corinthi, atque dilecto filio Carolo Caselli; ex parte vero et nomine Gallicani gubernii a dilectis in Christo filiis Josepho Bonaparte, et Emanuele Cretet consiliariis status, nec non dilecto in Christo filio presbytero Stephano Bernier parocho s. Laudi Andegavensis, ejusdem gubernii plenipotentiariis, Lutetiae Parisiorum subscripta sint; cumque post hujusmodi conventiones, pacta, et concordata in omnibus et singulis punctis, clausulis, articulis, et conditionibus a praefatis subscripta, pro firmiori eorum substantia robur apostolicae firmitatis adjicere, et auctoritatem solemniorem, et decretum interponere necessarium sit; Nos ea spe freti fore ut Deus, » qui dives est in misericordia, et » a quo omne datum optimum, et omne bo» num perfectum » studia Nostra in sanctissimo hoc opere absolvendo benigno favore prosequi dignetur, ac ut omnibus amotis impedimentis atque dissidiis vera pietas, et religio majora suscipiant incrementa, sublatisque ex agro Dominico dissentionum seminibus abundantior in dies bonorum operum seges ad ipsius Dei laudem, et gloriam, aeternamque animarum salutem succrescat, de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium consilio, et assensu, ac certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine supradictas concessiones, conventiones, capitula, pacta, et concordata tenore praesentium cohaerenter ad peculiare chirographum super ipsis articulis appositum adprobamus, ratificamus, et acceptamus, illis apostolici muniminis, et firmitatis robur, et efficaciam adjungimus, omniaque in eis contenta, ac promissa sincere, et inviolabiliter ex Nostra, ejusdemque Sedis parte adimpletum, et servatum iri, tam Nostro, quam Nostrorum successorum nomine promittimus, ac spondemus.

Consulitur ecclesiasticis, qui in sacris consti-

§. 30. Nolumus etiam paternae Nostrae charitatis non esse participes eos ecclesiasticos viros, qui in sacris constituti matrimonia

Qui matrimonia contraxerunt. attentarunt, sive qui a proprio instituto publice desciverunt; ideoque eorum respectu, ipsius etiam regiminis officiis obsecundantes, vestigia sequemur rec. mem. praedecessoris Nostri Julii papae III., quemadmodum in Nostris literis in forma brevis hac eadem die datis pro eorum spirituali salute providetur.

Monitum speciale. §. 31. Monemus praeterea, et hortamur in Domino omnes, et singulos archiepiscopos, et locorum ordinarios juxta novam Gallicanarum dioecesium circumscriptionem canonice instituendos, eorumque successores itemque parochos, aliosque sacerdotes in vinea Domini operarios, ut zelo secundum scientiam non in destructionem, sed in aedificationem utentes, ac prae oculis habentes se ministros esse Christi, qui a propheta princeps pacis cognominatus est, quique transiturus de hoc mundo ad patrem, pacem tamquam propriam haereditatem apostolis, et discipulis suis reliquit, ut omnes idem sentiant, collatisque in unum studiis ea, quae pacis sunt, ament, atque sectentur, et quaecumque ut praefertur, concessa, statuta, et concordata fuerunt, accurate, et diligenter servent, atque custodiant.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 32. Decernentes easdem praesentes literas nullo unquam tempore de subreptionis, et obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, aut alio quocumque quamvis magno, et inexcogitato defectu notari, aut impugnari posse, sed semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et inviolabiliter observari debere.

Derogatio contrariorum. §. 33. Non obstantibus synodalibus et provincialibus, generalibusque conciliis, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, apostolicis, ac Nostris, et apostolicae cancellariae regulis, praesertim de jure quaesito non tollendo, nec non quarumcumque ecclesiarum, capitulorum monasteriorum, aliorumque piorum locorum fundationibus, etiam confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, ceterisque contrariis quibuscumque. Quibus omnibus et singulis illorum tenores pro expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum dumtaxat specialiter, et expresse derogamus.

Fides habenda transumptis. §. 34. Praeterea quia difficile foret praesentes literas ad singula, in quibus de eis fides facienda fuerit, loca deferri, eadem apostolica auctoritate decernimus, et mandamus, ut earum transumptis etiam impressis, manu tamen publici notarii subscriptis, et sigillo alicujus personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, plena ubique fides adhibeatur, perinde ac si dictae praesentes literae forent exhibitae, vel ostensae. Et insuper irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari.

Sanctio poenalis. §. 35. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae concessionis, approbationis, ratificationis, acceptationis, derogationis, decreti, statuti, mandati, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo primo, decimo octavo kalendas septembris, pontificatus Nostri anno secundo.

LXXXVII.

Dat. die 8. nov. 1801. Anno II.

Unio bonorum monasterii sanctae Margarithae ordinis sancti Benedicti congregationis Cassinensis civitatis Fabrianensis alias favore mensae episcopalis Fabrianensis a Pio pp. VI. peracta revocatur, et ipsum monasterium in illis reintegratur.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Inter gravissimas apostolici ministerii curas, quae Nos undique premunt, et Nosmetipsos a Nobis saepe numero rapiunt, vehementer optantes omnibus omnia fieri, vox turturum ingemiscentium Nostris inclamans auribus excitat adeo paterna viscera Nostra, ut praesentiora lenitatis media satagamus exquirere, per quae nutantis animi rejectis ambagibus, indutaque nova securitatis ratione, valeant tum demum solidius in Domino recreari.

Memorantur quae fuerunt disposita super suppressione monasterii in literis apostolicis latis a pontifice Pio VI.

§. 2. Delati porro ad Nos fuere nuper ex parte dilectarum in Christo filiarum abbatissae, et monialium monasterii sanctae Margarithae ordinis sancti Benedicti congregationis Cassinensis civitatis Fabrianensis gemitus exponentium, quod usque ab anno Domini millesimo septingentesimo octogesimo quinto fel. rec. Pius papa VI. praedecessor Noster per suas literas apostolicas sub datum octavo idus julii, pontificatus sui anno undecimo, dum Fabrianensem ecclesiam, alias a piae memoriae Benedicto papae XIII. similiter praedecessore Nostro Camerinensi ecclesiae perpetuo, et aeque principaliter unitam, unione hujusmodi apostolica ejus auctoritate dissoluta, cum tota Fabrianensi episcopatui assignata dioecesi, a quacumque jurisdictione ordinaria, et delegata tunc, et pro tempore existentis episcopi Camerinensis, et capitulo cathedralis ejus civitatis tam in spiritualibus, quam in temporalibus perpetuo abdicavit, et separavit: unaque simul civitate Mathelicae, ejusque territorio ab omni pariter, et quacumque ipsius episcopi Camerinensis jurisdictione, et subjectione perpetuo quoque separatis, atque divisis, eam ad episcopalis civitatis gradum evexit, illiusque collegiatam ecclesiam Deiparae virgini, ac divo Bartholomaeo dicatam in cathedralem ecclesiam, Sedi apostolicae immediate subjectam erexit, atque instituit, ipsamque ecclesiam Mathelicensem in cathedralem sic erectam ecclesiae Fabrianensi praedictae perpetuo, et aeque principaliter univit: inter coetera constituta media pro mensae scilicet episcopalis Fabrianensis dote, universa bona stabilia, mobilia, census, loca montium, credita, et jura, ad praedictum monasterium, et moniales quomodocumque spectantia, mensae episcopali Fabrianensi praedictae ex tunc, et in perpetuum univit; vetita, et interdicta in futurum praedicto monasterio quacumque novitiarum receptione, et professione; ita ut deputato interim per futurum episcopum Fabrianensem oeconomo pro administratione bonorum ejusdem monasterii, illorum redditus erogarentur in manutentionem ecclesiae ejusdem monasterii, et alimoniam tunc inibi existentium monialium, usquequo redactae fuissent ad numerum quinque sororum, non comprehensis, quas vocant, conversis, iisque ad hunc numerum redactis, tunc episcopus Fabrianensis praedictus, implorata Sedis apostolicae indulgentia, superstites moniales ad aliud monasterium ejusdem ordinis congruis unicuique assignatis alimentis, transferre deberet, et omnibus ejusdem monasterii redditibus pro sui episcopali mensa praedictus episcopus Fabrianensis integre potiretur; et ad hoc ut interim futuro episcopo Fabrianensi promptiora congruae substentationis subsidia non deficerent, idem Pius praedecessor per modum provisionis, temporaneas alias imposuit assignationes annuorum scilicet scutorum centum monetae Romanae super redditibus societatis sanctissimi Suffragii in cathedrali ecclesia Fabrianensi erectae, et aliorum annuorum scutorum septuaginta ejusdem monetae super redditibus alterius confraternitatis nuncupatae Charitatis in eadem civitate existentis: ita tamen, ut geminae hujusmodi assignationes favore dictae mensae episcopalis provisionaliter factae proportionabiliter minui, ac in totum cessare deberent, juxta diminutionem, et cessationem oneris alendi viventes moniales supradicti monasterii; ipsique insuper futuro episcopo Fabrianensi praeter integrum dominium palatii, jam ipsi a praedicta civitate assignati alias etiam dictus Pius praedecessor concessit mansiones, in quibus a communitate dictae civitatis retinebatur mons frumentarius, cum onere integrum praedictum palatium cum annexis mansionibus, et aedificiis restaurandi, et conservandi, aliqua etiam disposuit, et ordinavit, prout in literis apostolicis ejusdem Pii praedecessoris desuper expeditis uberius continetur.

Preces porrectae pro obtinenda reintegratione monasterii.

§. 3. At cum in ipso monasterio adhuc superextet numerus duodecim sororum, quas Deus optimus maximus inter multitudines tempestatum, quibus ipsae fuerunt obnoxiae, singularis praedilectionis charismate sospitavit, plorantes ipsae super hanc monasterii sortem, enixas Nobis porrexerunt preces, ut nactis aliunde provisionum mediis, eidem mensae episcopali Fabrianensi in locum ipsius monasterii bonorum subrogandis, illius conservationi, pro qua ipsius etiam civitatis per publicos repraesentantes Nobis exhibita accesserunt vota, paterna benignitate consulere dignaremur.

Negocium examini commissum fuit spe-

§. 4. Hinc Nos in hujusmodi supplicantium monialium preces, ac in illius civitatis vota simul intenti, dilectis filiis Sylvestro Barga-

etatissimorum virorum

gnati praelato Nostro domestico, ac priori saecularis, et insignis collegiatae Ecclesiae sancti Nicolai ejusdem civitatis, ac Nicolao Castreca priori cathedralis ecclesiae Fabrianensis, necnon Hieronymo Stelluti Scala ex comitibus Rotuosii, et nobili viro Josepho Castreca Lori, in vim Nostri rescripti diei 25. mensis martii proxime elapsi commisimus, et mandavimus, ut re mature perpensa, et consideratis, quae ex parte venerabilis fratris Nostri moderni episcopi Fabrianensis, et ex parte earumdem monialium deducerentur, agerent cum ipso, et eo consentiente, media opportuna exquirerent, quibus et praedictae mensae episcopalis Fabrianensis indemnitati, et praedicti monasterii conservationi per Nos prospici posset.

Votum panditum a deputatis.

§. 5. Cumque ii Nobis retulerint ea inter coetera ab eis exquisita media, aptiora ad id fuisse reperta, nempe, ut ex bonis praedicti monasterii praedium sub vocabulo Casalendra in territorio Saxoferrati consistens, nec non quatuor loca montium, nonnullique census in sorte scutorum septingentorum monetae praedictae, et apotheca subtus episcopale palatium sita, quorum annui redditus summae dictorum scutorum centum septuaginta, quae a praedictis confraternitatibus provisionaliter persolvuntur, respondere videntur, quaeque ipsae moniales capitulariter congregatae favore mensae episcopalis praedictae cedere consenserunt, praeter quamdam sacrarum supellectilium, doliorum, et aliorum utensilium ad idem monasterium pertinentium portionem cum ipsis monialibus, et episcopo praedicto conventam, et jam eisdem monialibus traditam, distraherentur, atque dismembrarentur; eaque sic dismembrata, una cum universis, etiam duarum parochialium ecclesiarum, unius videlicet plebalis sanctae Mariae de Platea nuncupatae Castri Cerreti, et alterius abbatiae pariter nuncupatae sanctae Mariae villae Paterni ejusdem Fabrianensis dioecesis, respective bonis, quae melioris quidem conditionis, quam coeterorum supradicti monasterii bonorum esse noscuntur, in eventum tamen earumdem parochialium ecclesiarum respective vacationis, praevia etiam illarum tituli collativi suppressione in eventum praemissum facienda, mensae episcopali Fabrianensi praedictae per Nos in perpetuum respective unirentur: ac pro indemnitate curae animarum earumdem parochialium ecclesiarum, ut praefertur, supprimendarum, una, et altera vicariae perpetuae in una, et altera parochialibus uniendis praedictis erigerentur: ac ne mensa episcopalis Fabrianensis praedicta onus habeat solvendi congruam vicariis in ipsis parochialibus ecclesiis constituendis, ipsae scilicet assignationes super redditibus dictarum confraternitatum favore dictae mensae episcopalis provisionaliter factae, applicationi bonorum dictarum parochialium ecclesiarum loco facto, ipsis vicariis per Nos similiter in perpetuum assignarentur.

Revocatur unio a praecedentibus Pianis literis decreta.

§. 6. Haec igitur Nobis proposita media ad majorem Dei omnipotentis gloriam, et monialium earumdem solatium, ut ipsae iis mediantibus, rursum animi tranquillitate reperta, valeant de coetero Altissimo in spiritu, et veritate servire, ad effectum perducere volentes: motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, unionem praedictam bonorum stabilium, mobilium, censuum, locorum montium, creditorum, et jurium saepedicti monasterii a praedicto Pio praedecessore favore mensae episcopalis Fabrianensis, ut praefertur, factam, perpetuo revocamus, et annullamus, viribusque, et effectu penitus, et omnino evacuamus: eorumdemque bonorum mobilium, et immobilium, censuum, locorum montium, creditorum, et jurium praedictorum liberum, directumque dominium jus, et proprietatem eidem monasterio, ejusque monialibus nunc, et pro tempore existentibus tenore praesentium perpetuo de novo concedimus, et assignamus: illudque, et illos in pristinam illorum possessionem, et administrationem restituimus, reponimus, et plenarie reintegramus; dictisque monialibus, ut ex nunc deinceps in ipso monasterio novitias, ut antea recipere, et ad professionem admittere libere possint, et valeant licentiam, et facultatem concedimus, atque impartimur.

Consulitur indemnitati ecclesiae episcopalis Fabrianensis

§. 7. Ad consulendum autem indemnitati praedictae mensae episcopalis Fabrianensis ex praedictis bonis ipsius monasterii supradictum praedium Casalendra, ut praefertur, nuncupatum, una cum dictis quatuor locis montium, ac censibus in dicta sorte scutorum septingentorum monetae antedictae, et apotheca praedicta, ad formam consensus earumdem monialium, ut praefertur praestiti, ex

nunc, et in perpetuum quoque dismembramus dividimus, et separamus.

Suppressio titulorum ecclesiarum parochialium pro tempore vacationis earum.

§. 8. Ac praeterea unam, et alteram parochiales ecclesias praedictas, ex nunc prout ex tunc, et e contra, cum primum illas per cessum etiam ex causa permutationis, vel decessum, seu privationem, aut quamvis aliam dimissionem, vel amissionem, seu religionis ingressum, et professionis in ea emissionem dictas parochiales nunc obtinentium, aut alias quovis modo etiam apud Sedem apostolicam, etiam in aliquo ex mensibus Nobis, et Romano pontifici pro tempore existenti, Sedique praedictae per quascumque constitutiones apostolicas, aut cancellariae apostolicae regulas editas, vel edendas, aut alias quomodolibet reservatis, seu ordinariis collatoribus etiam per constitutiones, et regulas easdem, seu literas alternativarum, aut alia privilegia, et indulta hactenus concessa, et in posterum concedenda competentibus vacare contigerit: illarumque respective titulum collativum, nomen denominationem, naturam, et essentiam parochialium ecclesiarum collativarum; ita quod illae ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativae esse desinant, et de coetero uti tales in titulum collativum quavis auctoritate conferri, aut impetrari, vel alias de illis quovis modo disponi amplius nequeat; et si illas deinceps ullo unquam tempore conferri, aut impetrari, vel alias de illis quovis modo disponi contigerit, collationes, provisiones, impetrationes, aliaeque dispositiones de illis pro tempore quomodolibet factae, nullae, et invalidae, nulliusque roboris vel momenti existant neminique suffragentur, nec cuiquam jus, vel coloratum titulum possidendi tribuant: perpetuo supprimimus, et extinguimus.

Restitutio bonorum favore monasterii.

§. 9. Ac tam praedictum praedium Casalendra, ut praefertur, nuncupatum, una cum ipsis locis montium, censibus, et apotheca ex nunc, quam omnia, et singula unius, et alterius parochialium ecclesiarum respective bona, in eumdem pariter illarum respective vacationis eventum, praedictae mensae episcopali Fabrianensi; ita quod liceat moderno, et pro tempore existenti episcopo Fabrianensi statim ejusdem praedii, ac locorum montium, et censuum, et apothecae hujusmodi, postquam vero casus vacationis earumdem parochialium ecclesiarum evenerit, omnium, et quorumcumque illarum respective bonorum praedictorum veram, realem, corporalem, et actualem possessionem per se, vel alium seu alios propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, cujusvis licentia desuper minime requisita. Cum hoc tamen, quod pro tempore existenti episcopo Fabrianensi earumdem parochialium ecclesiarum scilicet respectu primodictae de Cerreto manutentionis aedium tam illius ecclesiae, quam rectoralis, et colonicarum respective domorum: ac dotem insuper scutorum viginti quinque monetae Romanae uni puellae ab eodem episcopo nominandae singulis annis tradendi, ac duodecim frumenti coppas quotannis pariter in eleemosynam distribuendi: respectu vero secundo dictae de Paterno manutentionis itidem aedium, tam illius ecclesiae, quam rectoralis, et colonicarum respective domorum, respective onera tantum incumbant: reliquis vero infradicendis earumdem parochialium ecclesiarum oneribus illarum respective vicariis, ut infra injunctis remanentibus, apostolica auctoritate itidem perpetuo unimus, annectimus, et incorporamus.

Consulitur curae animarum pro tempore futurae suppressionis ecclesiarum parochialium.

§. 10. Ne autem animarum cura ipsarum parochialium suppressarum aliquod in posterum detrimentum patiatur in eisdem parochialibus ecclesiis ex nunc pariter, prout ex tunc, et e contra posteaquam illae, ut praefertur, vacaverint, unam, et alteram vicarias perpetuas, ad quas, quoties eas pro tempore vacare contigerit, nominatio personarum idonearum, et illarum respective in dictis vicariis institutio ad eumdem modernum, et pro tempore existentem episcopum Fabrianensem spectare, et pertinere debeat: ea tamen lege, quod occurrente vacatione ipsarum vicariarum in mensibus praedictae Sedi apostolicae per cancellariae praedictae regulas reservatis personae ad respective nominatae literas apostolicas ad formam constitutionis pp. Pii V. praedecessoris quoque Nostri, quae incipit — *Ad exequendum etc.* — expedire, ac jura camerae apostolicae, aliisque propterea debita persolvere, omnino teneantur, pro duobus presbyteris, ab eodem episcopo prius examinandis, et approbandis, qui curam animarum earumdem parochialium ecclesiarum, ut praefertur, suppressarum laudabiliter exercere teneantur; similiter perpetuo erigimus, atque instituimus.

Assignatio congruae pro vicariis subrogandis in locum parochorum.

§. 11. Ut autem utrique vicario praedicto de competenti congrua facilius ab episcopo Fabrianensi provideri queat, praedictas assignationes super fructibus praedictarum confraternitatum, scilicet scutorum centum septuaginta favore dictae mensae episcopalis provisionaliter factas, perpetuo duraturas esse, dictarumque confraternitatum nunc, et pro tempore existentes sodales ad integram illarum solutionem mensae episcopali praedictae semper, et in perpetuum faciendam teneri, et obligatos esse, et fore, nec amplius dictas assignationes diminui, vel cessare posse, pari apostolica auctoritate decernimus, atque statuimus. Ita tamen, ut pro tempore existens episcopus Fabrianensis ex praedictis assignationibus, scuta centum et decem vicario primodictae parochialis ecclesiae, scilicet de Cerreto, et scuta sexaginta alteri secundo dictae parochialis ecclesiae vicario, praeter alia scuta viginti ipsi secundodicto vicario ab eodem episcopo ex infrascripto canone, ut infra, annuatim persolvenda, annis singulis de semestri in semestre in moneta effectiva, ut vulgo dicitur, *sonante*, respective solvere, et subministrare teneatur.

Vicariis conceditur etiam jus decimandi.

§. 12. Qui quidem vicarii, praeter hujusmodi annuas subministrationes, decimas etiam aliasque oblationes in quacumque re consistentes ab eisdem respective parochianis exigendi, et omnia emolumenta incerta, ac jura, ab exercitio curae animarum provenientia quae ipsis rectoribus pro tempore existentibus earumdem parochialium ecclesiarum per Nos, ut praefertur, suppressarum, de jure, usu, vel consuetudine, aut alias quomodolibet competebant, et competere poterant, percipiendi jure gaudebunt: et vicissim vicario videlicet primodictae parochialis ecclesiae applicationis missae pro populo, ac manutentionis lampadum per sex anni menses tantum, pro reliquis vero sex anni mensibus ipsa confraternitate sanctissimi Sacramenti in ipsa primodicta parochiali ecclesiae canonice erecta illarum manutentioni hujusmodi obligata remanente, ac insuper distributionis candelarum in die festo Purificationis beatae Mariae virginis, ac celebrationis festivitatis titularis primodictae parochialis ecclesiae, omniumque rerum, quae pro divinis peragendis, et ecclesiasticis explendis functionibus necessariae sunt, manutentionis, aliaque etiam imposita, et pro tempore quomodolibet imponenda: vicario vero secundodictae parochialis ecclesiae, similiter applicationis missae pro populo, ac distributionis candelarum in eodem die festo Purificationis beatae Mariae virginis, et celebrationis festivitatis consecrationis ejusdem secundodictae parochialis ecclesiae nec non missarum, et prandii dari soliti in die festivitatis sancti Verecundi ac satisfactionis legati pii quinquaginta duarum missarum omniumque denique rerum manutentionis, quae pro praefatis divinis peragendis, et ecclesiasticis perfungendis functionibus necessariae sunt, et quae similiter imposita tunc, et in futurum quomodolibet erunt imponenda, adimplendi respective onera in perpetuum incumbent.

Consulitur constructioni hospitalis infirmorum, et horrei frumentarii.

§. 13. Cum autem Nobis exploratum sit, eumdem Pium praedecessorem, eo quod sibi ex parte episcopi Fabrianensis fuerat expositum, quod pro conficienda nova fabrica hospitalis infirmorum in dicta civitate Fabrianensi, fieri non poterat, ut loca pia, quae jam satis abunde oneribus gravabantur, ad novas taxas pro hujusce fabricae constructione solvendas impelli possent: quodque communitas dictae civitatis pro redigendis ad usum habitationis mansionibus illis, ipsi episcopo Fabrianensi, ut praefertur, concessis, in quibus mons frumentarius retinebatur, novisque etiam construendis horreis frumentariis, praeter difficultatem inveniendi locum, qui ad hunc effectum esset aptus, multis quidem subjiciebatur expensis; precibus idcirco praedicti episcopi annuendo, vigore ejus rescripti editi die vigesima septima junii millesimo septingentesimo octogesimo sexto, mandavisse, ut se abstinerent a nova fabrica construenda, episcopus scilicet pro dicto hospitale, communitas vero pro horreis montis frumentarii praefati, relinquendo hospitale in loco, quo erat, et providendo dicto monti ad formam alterius contextualis rescripti ejusdem Pii praedecessoris, donec devolveretur favore mensae episcopalis fabrica dicti monasterii, in quo collocanda essent tam hospitale, quam mons frumentarius sub annuo discreto canone favore dictae mensae in eventum praemissum conveniendo.

Idem ut supra.

§. 14. Nos igitur, attentis praemissis per Nos vigore praesentium novarum literarum dispositis, et ordinatis, praelaudatum rescriptum, motu, scientia, et potestatis plenitu-

dine similibus itidem perpetuo revocamus, suspendimus, atque annullamus; ita tamen, ut communitas praedicta pro usu horreorum in episcopio existentium, in quibus mons frumentarius ab ipsa retinetur, annuum canonem scutorum viginti mensae episcopali Fabrianensi praefatae persolvere teneatur: quae quidem summa scutorum viginti futuro, et pro tempore exsistenti vicario secundodictae parochialis ecclesiae pro complemento ejus congruae, ut supra constitutae, ab episcopo Fabrianensi in moneta pariter, ut vulgo dicitur, sonante, annuatim erit suppeditanda.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 15. Praesentes autem Nostras literas, et in eis contenta quaecumque nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa, quantumvis juridica, et legitima, pia, privilegiata, ac speciali nota digna de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, aut quopiam alio quantumvis substantiali, et substantialissimo, et inexcogitato, ac specialem, et individuam mentionem requirente defectu notari, vel impugnari, et in jus, vel controversiam vocari, aut ad viam, et terminos juris reduci, seu adversus illas quodcumque juris, vel facti, aut gratiae, vel justitiae remedium impetrari, aut quidquam aliud in contrarium disponi nullatenus umquam posse, nec eas sub quibusvis similium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, quibusvis de causis pro tempore quomodolibet factis comprehendi, vel confundi, sed semper ab illis exceptas esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, ad quos nunc spectat, et spectabit quomodolibet in futurum firmiter, et inviolabiliter observari, ac eisdem modernis, et pro tempore existentibus monialibus dicti monasterii perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari; sicque, et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vice-legatos, dictaeque Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus irritum, et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 16. Non obstantibus praedictis literis, supradictoque rescripto ejusdem Pii praedecessoris, ac Nostra, et cancellariae praedictae regula de unionibus ad partes committendis, ac de exprimendo in eis vero annuo beneficiorum ecclesiasticorum valore, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, ac quibusvis etiam in synodalibus, provincialibusque, generalibus, universalibusque conciliis editis, vel edendis specialibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictaeque ecclesiae Fabrianensis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis personis quomodolibet concessis: quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent: praesentibus pro expressis, et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide hac vice dumtaxat, motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus harum serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 17. Volumus autem, ut harum praesentium Nostrarum literarum transumptis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si originaliter forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 18. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae revocationis, suspensionis, annullationis, concessionis, assignationis, restitutionis, repositionis, reintegrationis, dismembrationis, divisionis, separationis, suppressionis, extinctionis, unionis, annectionis, incorporationis, erectionis, institutionis, concessionis, assignationis, do-

creti, statuti, ac derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo primo, tertio nonas novembris, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 4. nov. 1801. Anno II.

LXXXVIII.

Novae leges indictae pro incremento curando artis agrariae.

Pius PP. VII.

Moto proprio

Memorantur leges istae super re annonaria.

§. 1. L'oggetto del maggior bene, e vantaggio de' Nostri amatissimi sudditi, al quale son sempre rivolte le Nostre paterne cure, c' indusse sino dai primi di settembre dello scorso anno 1800. ad abolire, e proscrivere tutte le leggi proibitive, e vincolanti, che costituivano l'antico sistema annonario di questa Nostra capitale, ed a sostituirvi un nuovo più adattato regolamento. E queste Nostre provvidenze non tardarono ad avere il loro effetto, poichè avemmo subito la compiacenza di vedere, che mentre le altre popolazioni dello stato, e molto più del restante dell'Italia mancano bene spesso di pane, esso ha sempre abbondato in questa stessa Nostra capitale, ed è stato ancora ad un prezzo meno costoso, che in tutti i predetti altri luoghi. Questa felice esperienza ci determinò ad estendere in seguito, non solo a tutte le provincie dello stato Ecclesiastico lo stesso nuovo regolamento annonario, ma eziandio ad applicare le stesse massime di libero interno commercio agli altri vittuali tutti, e ad ogni altra specie di grascia. E con tanta maggiore alacrità ci determinammo a dare questo grado di estensione alla indicata nuova legislazione, in quanto che vedemmo esser essa intimamente connessa col grande oggetto dell'accrescimento dell'annua riproduzione, che solo può essere la sorgente dell'abbondanza, e per conseguenza della moderazione dei prezzi dei vittuali, e delle grascie.

[illegible]

[illegible]

Exponitur ratio novarum legum pro curando incremento artis agrariae.

§. 2. Il breve spazio di tempo dacchè questa nuova legislazione si trova in vigore, era per se stesso insufficiente a produrre questo desiderevole effetto nelle circonvicine campagne, le quali principalmente, appunto attesi gli enunciati soppressi vincolanti sistemi annonarj, erano a poco a poco cadute nello stato di squallore, in cui ora sfortunatamente si osservano. Se vi è mezzo però di ottenere questo desiderevole intento, certamente si è quello della già accordata indefinita libertà nell'interna circolazione, che col rendere utile la condizione degli agricoltori, fa sì, che l'interesse particolare coincida con quello dello stato, e col pubblico bene. Questo favore dell'agricoltura Noi non perdemmo di vista, neppure in tutti gli altri rami dell'amministrazione economica, intorno ai quali abbiamo estesa la riforma dell'antica legislazione, non avendo a tale effetto lasciato sussistere alcuno degli antichi regolamenti, nè introdottone veruno nuovo, il quale anche indirettamente potesse nella più piccola parte opporsi allo sviluppo della industria campestre, ovvero che in qualunque modo difficoltasse la libertà rapporto alle contrattazioni delle derrate, e dei prodotti della terra. E sopratutto poi al favore stesso dell'agricoltura abbiamo avuto riguardo, allorchè ci applicammo alla formazione del nuovo sistema daziale, poichè vedendo, che niuna cosa influisce tanto sull'annua riproduzione, quanto la savia direzione del tributo, colla Nostra cedola di moto proprio de' 19. marzo scaduto ne simplicizammo l'antico troppo complicato sistema, ed in particolare poi organizzammo per modo la nuova dativa reale, che essendo essa principalmente regolata sulla attività intrinseca dei terreni, sollecitasse, e necessitasse l'industria della coltura, e avesse conseguentemente anco nello stato Ecclesiastico quella necessaria, e felice influenza sul rifiorimento dell'agricoltura, che hanno precedentemente esperimentato tante altre nazioni, e per cui il terratico viene ora generalmente riguardato, come la prima, la più giusta, e la più innocua di tutte le contribuzioni. Desiderando Noi però di vedere sempre più assicurato questo importante oggetto del rifiorimento dell'agricultura nei Nostri dominj, che solo può abilitarci a far godere ai Nostri amatissimi sudditi quella generale stabile abbondanza, che forma lo sco-

po dei Nostri continui più fervidi voti, abbiamo creduto di dovere sull' oggetto medesimo nuovamente richiamare la sovrana Nostra attenzione, e dopo le opportune più mature considerazioni siamo venuti nella determinazione di prendere gli ulteriori vantaggiosi provvedimenti, che ora passiamo distintamente a prescrivere.

CAP. I.

Esatta osservanza delle sanzioni penali contenute nelle costituzioni apostoliche sul punto delle fraudolenti estrazioni dei generi frumentarj, e d' ogni altra specie di vittuali, e di grascie.

De remediis adhibitis pro impediendis extractione generum necessariorum.

§. 3. E avanti ogni altra cosa abbiamo giudicato di occuparci de' mezzi, onde sempre più prevenire le fraudolenti estrazioni dei generi necessarj alla umana sussistenza. Noi non lasciammo infatti di osservare, che senza la più grande vigilanza sopra questo punto delle indicate fraudolenti estrazioni, la già prescritta provvida legge del libero commercio in questi suoi incominciamenti, e avanti di avere il tempo necessario per operare il benefico effetto dell' aumento dell' agricoltura, e della generale, e stabile abbondanza, avrebbe potuto produrre l' inconveniente di esporre, o compromettere la pubblica sussistenza, poichè, atteso appunto la riferita accordata libertà dell' interno commercio venivano a facilitarsi, e a rendersi più temibili le fraudolenti estrazioni di quello che lo fossero nell' antico soppresso sistema, in cui prima che i grani, e le altre derrate potessero avvicinarsi al confine, dovevano per così dire ad ogni passo soggiacere a cautele, ed incappamenti di ogni specie. In vista di questo importante riflesso veramente nella cedola stessa di moto proprio delli 2. settembre 1800., con cui proclamammo per la prima volta il riferito nuovo regolamento di libero interno commercio, demmo chiaramente a divedere, che sul punto delle fraudolenti estrazioni col predetto nuovo regolamento non si dovea fare alcuna innovazione al rigore dell' antica legislazione coercitiva, essendoci a tale effetto espressi all' articolo I. di detta cedola di moto proprio, essere Nostra espressa mente, e volontà, che continuassero ad essere nel loro pieno vigore le attuali proibizioni e le leggi della tratta. La stessa dichiarazione Noi facemmo all' articolo XXIII. della cedola medesima, poichè abolendo in essa tutti i processi, ed inquisizioni allora tuttavia pendenti contro le trasgressioni degli antichi regolamenti annonarj, che colla nuova legge venivano soppressi, eccettuammo tutte quelle processure, che risguardassero furtive estrazioni per fuori stato, per le quali in fine di detto artic. XXIII. dichiarammo esser Nostra risoluta intenzione, che non solo si continuassero le già intraprese processure, ma che si raddoppiasse la vigilanza in iscoprire, e perseguitare quelle, che ancora non fossero note, o che si commettessero in appresso. Noi non trascurammo di ripetere le stesse avvertenze, eziandio nel chirografo delli 9. aprile del corrente anno 1801., con cui venne esteso a tutte le provincie del Nostro stato Ecclesiastico l' indicato sistema di libero interno commercio de' generi frumentarj, cosicchè dopo tante, e così precise dichiarazioni pareva certamente, che non fosse potuto venire in mente ad alcuno, che contro i rei di un sì pregiudicevole, ed odioso attentato, non si dovesse procedere intieramente a seconda del rigore contenuto nelle costituzioni in diversi tempi emanate da sommi pontefici Nostri predecessori.

Declaratur remedia ipsa in pleno validitatis statu manere, et esse etiam ad processus adhibenda.

§. 60. All' incoraggimento dell' agricoltura a cui tendono direttamente tutte le provvidenze insino ad ora prescritte Noi vedemmo, che avrebbe eziandio, e in modo particolare contribuito la bassezza degl' interessi del denaro, giacchè da questa discretezza delle usure dipende principalmente la facilità di nuovi utili intraprese in ordine dell' agricoltura; e se atteso il peso delle circostanze non ci è dato di far ora godere ai Nostri amatissimi sudditi anche un tal vantaggio, abbiamo per lo meno cercato di fare in modo, che gl' investimenti del danaro venissero generalmente facilitati in tutta l' estensione dello stato Ecclesiastico.

Digitized by Google

Idem ut supra.

§. 61. Ad ottenere un tale intento Noi scorgemmo essere assolutamente necessario, che costino, e sieno a tutti note le ipoteche, ed ogni altra sorta di vincolo, a cui si trovano sottoposti li terreni, cosicchè chi somministra il denaro sulla sicurezza di alcuno di detti fondi non corra rischio di perderlo per l'esistenza d'impegni anteriori. E rilevammo con piacere che in vista appunto di assicurare la sorte, e la condizione dei prestatori contro gli enunciati pericoli, fra le altre ispezioni, che attualmente si stanno maturando dalla Nostra congregazione economica, lodevolmente essa si stava eziandio occupando di un regolamento, col mezzo di cui si rendesse a tutti noto, e potesse ognuno al momento rilevare con certezza le ipoteche, ed altri vincoli, ai quali restano sottoposti non solo i terreni, ma ogni altra sorta di fondo commerciabile, regolamento che per lo stesso importante oggetto d'indurre una tale sicurezza nei contratti d'investimento di denaro da molto tempo sotto nome d'uffizio d'intavolazione, o di altri consimili titoli si trova felicemente introdotto, ed attivato nella maggior parte degli altri stati.

Idem ut supra.

§. 62. Un altro vantaggio Noi vedemmo, che all'ingrandimento dell'agricoltura de' Nostri dominj, sarebbe derivato da una tale istituzione, ed a che somministrando agli acquirenti una maniera facile e sicura, di schiararsi se il fondo, a cui intendono applicare è libero, ovvero vincolato, e togliendo per conseguenza l'incertezza, che appunto per la mancanza della stessa istituzione ora esiste ne contratti di vendita, e compra dei terreni, produrrebbe all'istante una moltiplicazione grandissima dei contratti stessi, moltiplicazione, che è certamente il migliore, e più efficace fra i mezzi indiretti, che possano con felice successo da un principe impiegarsi per impedire, che una troppo grande quantità di terra non si concentri nel dominio di un solo, e conseguentemente per promuovere la divisione dei terreni, tanto necessaria al ben essere dell'agricoltura.

Idem ut supra.

§. 63. Mentre pertanto lasciamo alla saviezza, e perspicacia della predetta Nostra congregazione economica di estendere indistintamente a tutti i fondi commerciabili l'anzidetto regolamento del registro, e della scritturazione delle ipoteche, e altro qualunque vincolo, e commettiamo alla diligenza, ed attività della medesima di concretare colla maggior possibile sollecitudine il regolamento stesso in quella parte, che concerne i soli terreni, e predj rustici, onde ad ulteriore ingrandimento dell'agricoltura possa il nuovo uffizio della intavolazione dei terreni attivarsi in tutta la estensione dello stato Ecclesiastico immediatamente al primo di gennajo del prossimo venturo anno 1802.

CAP. V.

Provvedimento parziale per alcuni luoghi dello stato, nei quali l'agricoltura ha bisogno di esser più particolarmente incoraggita.

§. 64. Provveduto all'interesse de' coltivatori coll'abolizion dei vincoli, che in tanta copia inceppavano la contrattazione, e l'interno commercio dei prodotti delle terre; estesa la libertà eziandio alla estrazione per fuori stato, sin dove lo può permettere la sicurezza della pubblica sussistenza; incoraggita, e protetta l'agricoltura con privilegj, e con prerogative di ogni specie; in somma reso utile l'esercizio di quest'arte a quelli che ad essa si consacrano, sembra che resti assicurato il suo rifiorimento in quella parte dello stato Ecclesiastico, dove pur troppo si scorge squallida, e negletta, e che finalmente nelle campagne dell'agro Romano, e delle contermini provincie sarà al certo per aumentarsi la importante coltivazione del grano, e degli altri generi frumentarj, che per tanti secoli dal governo si è invano cercato di ottenere colle leggi dirette, e coi regolamenti coattivi.

Providentiae speciales pro certis locis ditionis ecclesiasticae, in quibus magis urget necessitas fovendi artem agrariam.

§. 65. Ma in un affare di sì grande conseguenza, e che cotanto interessa le Nostre paterne cure, Noi non abbiamo creduto di doversi riposare sopra questi incoraggimenti che già abbiamo dati all'agricoltura, tuttochè cotanto estesi, e moltiplicati, perchè quantunque, attesi, appunto tutti questi incoraggimenti sia incontrastabile, che l'interesse de' proprietarj viene a coincidere con quello dello stato, in fare che essi si applichino ad estendere, e dilatare la predetta interessantissima coltivazione dei generi frumentari, nulladimeno abbiamo veduto, che questo benefico effetto si sarebbe forse potuto ottenere in tutta la sua estensione.

Idem ut supra.

Idem ut supra.

§. 66. Noi ci siamo confermati in questo dubbio riflettendo, che l' interesse del proprietario si è non già di accrescere l'annua riproduzione di rendita che ne ritrae. Ora la rendita del proprietario per due maniere si può accrescere, cioè, o colla aumentazione della riproduzione annua, o colla diminuzione delle spese della coltura. Noi vedemmo che l' interesse del proprietario coincide con quello dello stato sino a tanto che si scelga il primo mezzo per accrescere la rendita, ma qualora si scelga il secondo possano gl' interessi dello stato, e quelli del proprietario essere in opposizione. E siffatte considerazioni ci hanno fatto realmente temere, che ad onta di tutti gl' incoraggimenti da Noi dati infino ad ora per l' accrescimento della coltivazione del grano, e delle altre granaglie non potesse pur troppo per l' accennata ragione della diminuzione delle spese in molte parti continuare ancora a prevalere il pernicioso costume di lasciarsi un quantitativo grande di ottime terre abbandonato alla naturale produzione dell' erbe.

Idem ut supra.

§. 67. E ad assicurare perciò il pieno conseguimento di questo importante, e da tanto tempo in vano desiderato intento, che la coltura dei prodotti i quali interessano l' umana sussistenza prevalga sopra l' alimento, e la pastura degli animali; abbiamo creduto in fine di non dover trascurare, neppure il mezzo delle pene, al quale effetto siamo venuti nella determinazione di prescrivere, che in quella parte dello stato Ecclesiastico, dove maggiormente alligna il predetto inconveniente, che li terreni buoni alla coltura si lascino abbandonati alla produzione naturale dell' erbe, cioè tanto nell' agro Romano, ed agro Pontino, come nello stato di Castro, e tenute di Montalto, e nei territorj di Corneto, e di Toscanella, debbano i possessori di detti terreni, che si lasciano ad erba incominciando dal prossimo venturo anno 1802. in avvenire essere annualmente sopraccaricati di un tributo, il quale cede a beneficio di quelli, che s' impiegano, o che s' impiegheranno a coltivarli, come meglio si releverà dalle disposizioni espresse nei seguenti articoli, riserbandoci per altro di estendere in appresso le stesse disposizioni anche ad altri territorj, qualora scoprissimo, che in essi pure allignasse il medesimo disordine.

De bonis existentibus in agro Romano, et Pontino, aliisque locis ditionis pontificiae gravandis de duplici taxa.

I. §. 68. Tutti li terreni situati, ed esistenti nell' agro Romano, come nell' agro Pontino, nello stato di Castro, e tenute di Montalto, come pure ne' territorj di Corneto e di Toscanella, che nello stato attuale trovandosi suscettibili di coltivazione restano abbandonati alla naturale produzione dell' erbe, oltre alla dativa reale, a cui in vigore del moto proprio sul nuovo sistema daziale de' 19. marzo del corrente anno 1801., si trovano sottoposti generalmente tutti i terreni dello stato Ecclesiastico, s' intenderanno soggetti ad un' annua sopratassa di paoli quattro per rubbio da riscuotersi a tenore della misura risultante dai respettivi nuovi catastri.

De regulis sequendis pro designatione bonorum gravandorum duplici taxa.

II. §. 69. Per determinare li terreni, che sono realmente suscettibili di coltivazione, e che per lasciarsi abbandonati alla naturale produzione dell' erbe dovranno andar soggetti alla indicata imposta tassa di paoli quattro al rubbio, si dovrà attendere rapporto all' agro Romano il catastro dei 23. gennajo 1783., e rapporto agli altri territori di sopra indicati, le dichiarazioni, che in appresso si pubblicheranno dalla deputazione annonaria di Roma.

De modo liberandi praedia majori taxa.

III. §. 70. Sarà però in libertà dei possessori di detti terreni soggetti alla tassa di paoli quattro a rubbio di liberarsene, e l' otterranno in effetto in tutti gli anni, nei quali si determinino a mettere i predetti loro terreni a qualunque specie di coltivazione, sopratutto poi a quella di grano, granturco, orzo, legumi, od in ogni altra specie di granaglia, e di biade, come ancora di patate.

Idem ut supra.

IV. §. 71. Che anzi per incoraggire maggiormente tutte queste utili coltivazioni, si dichiara, che nell' anno, in cui avrà luogo alcuna delle coltivazioni stesse, il possessore, non solo sarà esente dal predetto sopracarico di paoli quattro, ma conseguirà inoltre una gratificazione di paoli otto al rubbio sul terreno che sarà seminato.

De assignatione terrenorum ad culturam positorum.

V. §. 72. Per conseguire però una tale gratificazione dovrà il possessore stesso onninamente dentro il mese di aprile avere esibita nella segreteria della deputazione annonaria di Roma l' assegna del quantitativo del terreno, che avrà seminato a grano, granturco, legumi, e altra qualsivoglia specie di granaglie, di biade, come anco, che avrà messo a patate, individuando in detta assegna l' ubicazione precisa del terreno, affinchè dalla stes-

sa deputazione annonaria si possano fare eseguire li rincontri, e le verificazioni, che giudicherà opportune.

Idem ut supra.

VI. §. 73. Per quello però, che risguarda li così detti secondi granturchi, de' quali è più tardiva la sementa, e per conseguenza la raccolta, siccome per questi ancora competerà il il premio di paoli otto a rubbio di terreno seminato, così chiunque intendesse farne la seminagione avrà comodo di esibire l' assegna nella segreteria stessa della deputazione annonaria a tutto il mese di agosto perentoriamente. Si avverte però che la gratificazione per i detti secondi, o siano più tardivi granturchi, non competerà se non nel caso che in quei terreni, ove essi si semineranno non vi sia stato raccolto nella stagione stessa grano, o altro simile prodotto ammesso alla percezione del premio, mentre nel caso diverso per uno stesso terreno coltivato si raddoppierebbe la gratificazione in una stagione medesima.

Declaratio specialis.

VII. §. 74. E perchè la coltivazione a grano, e degli altri generi di granaglie, e di biade, non può eseguirsi senza l' impiego di un determinato quantitativo di bestiame, per il mantenimento del quale è necessario un proporzionato pascolare, quindi si dichiara che per ogni estensione di terreno coltivato a grano, o ad altri generi di granaglie come sopra, sarà in ogni anno permesso al proprietario di rilasciare a erba quel solito quantitativo di terra, che per l' anzidetto oggetto del pascolare prescrivono le regole dell' arte agraria, senza che per questo sia tenuto a pagare alcuna somma a titolo della sopratassa delli paoli quattro prescritta indistintamente per gli altri terreni, che si lasciano all' abbandono naturale dell' erbe.

Aliae conditiones pro suspensione taxae.

VIII. §. 75. La sola rompitura del terreno per le semente dell' anno avvenire farà sospendere il pagamento della imposta tassa de' paoli quattro; ma non ne libererà intieramente il possessore nel predetto anno successivo se non avrà effettivamente eseguito la sementa stessa.

De loco in quo taxa erit solvenda.

IX. §. 76. La ingiunta sopratassa de' paoli quattro, come che unicamente destinata ad erogarsi in premio, e beneficio dei coltivatori, dovrà dai rispettivi possessori dentro il mese di giugno di ciascun anno pagarsi nella cassa della deputazione annonaria esistente qui in Roma.

De iis a quibus taxa erit solvenda.

X. §. 77. Per i terreni però, li quali si trovano affittati incomberà ai rispettivi affittuarj il peso di pagare la predetta sopra imposta tassa di paoli quattro a rubbio, a meno che nei rispettivi istromenti di affitto non vi si trovi una qualche determinata convenzione, in forza della quale sia tenuto il conduttore a dover rilasciare, e mantenere ad erba una data quantità di terreno, e nel qual caso da giustificarsi unicamente avanti la deputazione annonaria, il peso del pagamento della tassa, dal quale verrà liberato l' affittuario, graviterà intieramente sul proprietario medesimo del terreno.

De exactione praemiorum.

XI. §. 78. E dalla cassa stessa della deputazione annonaria si riscuoteranno ancora i prescritti premi, di cui si è parlato all' articolo IV., e li quali trattandosi di luoghi più lontani sarà carico della deputazione surriferita di farli sborsare a comodo de' partecipanti nel luogo medesimo di loro dimora. E il pagamento de' suddetti premj dovrà esso pure aver luogo entro il mese di giugno; ad eccezione di quelli competenti ai terreni seminati ai suddetti secondi, ossiano più tardivi granturchi, per li quali il premio si sborserà entro il mese di settembre.

De poenis contra inobedientes, et collusores.

XII. §. 79. Non si lascia in fine di avvertire che chiunque ardirà di contravvenire, e colludere il presente regolamento, tentando di esimersi dal pagamento della tassa, o molto più poi cercando di abilitare alla percezione del premio qualunque terreno, allorquando non siagli dovuto, tostochè rimarrà convinto di una tale delinquenza, resterà immediatamente soggetto allo sborso di una somma, che importi il doppio della tassa dei predetti paoli quattro.

Motus proprius pro observantia praecedentium dispositionum.

§. 80. Essendo Noi pertanto intieramente persuasi dell' utilità di tutte le disposizioni prescritte nella presente cedola di moto proprio, e dopo la più seria, e matura considerazione avendole anzi riconosciute assolutamente necessarie al rifiorimento dell' agricoltura de Nostri dominj, che solo può essere una stabile sorgente dell' abbondanza, e della moderazione de' prezzi in ordine ai generi li più necessarj alla umana sussistenza, che tanto desideriamo di far godere ai Nostri amatissimi sudditi, perciò con questa stessa Nostra cedola in cui vogliamo, che si abbia per espresso, e di parola in parola inserito il teno-

Digitized by Google

re di qualsivoglia cosa necessaria ad esprimersi, di certa scienza, moto proprio, e pienezza della Nostra suprema potestà, ordiniamo, ed espressamente comandiamo che tutte, e singole le surriferite disposizioni contenute in questa stessa cedola di moto proprio, debbano dalle rispettive stabilite epoche in appresso aver sempre il loro pieno effetto, esecuzione, e vigore, e che in conseguenza da niuna di dette disposizioni resti mai esentata alcuna persona benchè privilegiata, e privilegiatissima, tanto laica, come ecclesiastica, secolare e regolare di qualsivoglia ordine, ed istituto, undici congregazioni, chiese, collegj, monasterj, abbadie, ospedali, ed altri luoghi pii, cavalieri di Malta, detti Gerosolimitani, chierici della Nostra camera, vescovi assistenti al soglio, arcivescovi, reverendissimi cardinali, e qualsisiano altri quanto si vogliano privilegiati, ed esenti per qualunque concessione, contratto, e titolo oneroso, anche come suol dirsi *numeratae pecuniae*, o per privilegio accordato in atto di devoluzione anco approvato per concordia, o cosa giudicata, e da osservanza, e consuetudine centenaria, ed immemorabile, poichè tale è mente, e volontà Nostra espressa.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 81. Volendo, e decretando, che alla presente Nostra cedola di moto proprio, benchè non esibita, nè registrata in camera, e nei suoi libri non possa mai darsi, nè opporsi di surrezione, o orrezione, nè di alcun altro vizio, o difetto della Nostra volontà, ed intenzione, nè che mai sotto tali, o altri pretesti, quantunque validi, validissimi, giuridici, anche di jus quaesito, o pregiudizio del terzo, possa essere impugnata, moderata, o revocata, ridotta *ad viam juris*, o concedersi contro di essa l'aperizione oris, o altro qualunque rimedio, e che così, e non altrimenti debba sempre ed in perpetuo giudicarsi, definirsi, ed interpretarsi da qualsisia giudice, o tribunale benchè collegiale, e congregazioni anche di reverendissimi cardinali legati, vice legati, camerlengo di Santa Chiesa, tesoriere, rota, camera, e qualunque altro, togliendo loro ogni facoltà, e giurisdizione di definire, ed interpetrare in contrario; dichiarando Noi sin d'adesso preventivamente nullo, irrito, ed invalido tuttociò che da ciascuno di essi con qualsivoglia autorità scientemente, o ignorantemente fosse in qualunque tempo giudicato, o si tentasse di giudicare contro la forma, e disposizione della presente Nostra cedola di moto proprio, quale vogliamo, che vaglia, e debba aver sempre, ed in perpetuo il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore colla semplice Nostra sottoscrizione, benchè non ci siano state chiamate, sentite, o citate qualsisiano persone, ancorchè privilegiate, privilegiatissime, ecclesiastiche, e luoghi pii, che avessero, e pretendessero avervi interesse, e che per comprenderle fosse bisogno di speciale menzione.

Derogatio contrariorum.

§. 82. Non ostante la bolla di Pio IV. *de registrandis* la regola della Nostra cancellaria *de jure quaesito non tollendo*, e non ostante ancora tutti, e qualsisiano chirografi, brevi, ordinazioni, e costituzioni apostoliche Nostre, e de' Nostri predecessori, bandi, ed editti, in virtù di essi, ed in qualunque modo emanati, affissi, e pubblicati, leggi, statuti, riforme, stili, e consuetudini, e qualunque altra cosa che facesse, o potesse fare in contrario: alle quali tutte, e singole avendone il tenore qui espresso, e di parola in parola inserto, e registrato, e supplendo colla pienezza della Nostra potestà pontificia ad ogni vizio, o difetto, quantunque sostanziale, e formale, che vi potesse intervenire per questa volta sola, e per la piena, e totale esecuzione di quanto si contiene nella presente Nostra cedola di moto proprio ampiamente, ed in ogni più valida forma deroghiamo. Dato dal Nostro palazzo apostolico Quirinale questo dì 4. novembre 1801.

Pius PP. VII.

LXXXIX.

Dat. die 6. nov. 1801. Anno II.

Dismembratio perpetua monasterii s. Mariae de Betlehem Lisbonensis civitatis ordinis monachorum s. Hieronymi a reliquo congregationis Lusitanae ejusdem ordinis corpore et susceptio ejusdem monasterii sub immediata Sedis apostolicae protectione.

Dilecto filio Nostro Bartholomaeo Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Pacca nuncupato in Portugalliae, et Algarbiorum regnis Nostro, et apostolicae Sedis pronuncio.

Pius PP. VII.

Dilecte fili Noster salutem,
et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Debitum pastoralis officii, quo catholicae Ecclesiae divina dispositione praesidemus, salutariter exequi, adjuvante Domino, satagentes eorum praesertim Christifidelium statui, prout res, tempusque postulat, consulendum Nobis esse arbitramur, qui e saeculi fluctibus ad aliquem regularem ordinem, veluti in portum confugerunt, ut ipsi in vinculo charitatis, pacisque amoenitate gubernati, ad altissimam illam, quam strenue professi sunt christianam perfectionem pervenire, suarumque virtutum splendore omnibus, qui in domo sunt, praelucere valeant.

Memorantur dissidia suborta inter monachos, et abbates congregationis Lusitanae nuncupatae s. Mariae de Bethlehem.

§. 2. Cum itaque, sicut accepimus, nonnullae discordiae, et lites, animorumque contentiones religiosam quietem perturbantes, atque scandalum christiano populo afferentes inter dilectos filios monachos monasterii sanctae Mariae de Bethlehem Lisbonensis de jure patronatus, ut asseritur, majestatis suae fidelissimae, ordinis monachorum sancti Hieronymi congregationis Lusitanae, et abbates, ac monachos reliquorum ejusdem congregationis monasteriorum pluribus ab hinc annis exarserint, adeoque excreverint, ut neque consuetis remediis etiam visitationis apostolicae totius praedictae congregationis, neque novis constitutionibus apostolica auctoritate confirmatis finis hujusmodi dissidiis fuerit impositus; sicut enim prius reliquorum monasteriorum ipsius congregationis monachi in superiorem generalem agnoscere juxta veteres constitutiones, abbatem monasterii s. Mariae a sola ipsius monasterii familia electum renuebant, ita, memoratis novis constitutionibus editis, quarum vigore abbatis, seu superioris generalis hujusmodi electio separatim ab alia abbatis localis Betlehemitici monasterii committitur abbatibus, et vocalibus omnium monasteriorum ejusdem congregationis, reluctare coeperunt monachi sanctae Mariae, aegre ferentes, se superiori, seu abbati generali ab ipsis non electo esse subjectos: cumque dilectissimus in Christo filius Noster Joannes regalis Brasiliae princeps, ac Portugalliae, et Algarbiorum regnorum regens pro eo, quo flagrat religionis zelo, proque suo avito erga dictum monasterium studio ab hac apostolica Sede, aliud Nobis benevisum remedium petere jamdiu constituisset, prout nunc enixis precibus postulat, atque efflagitat, tuque id per tuas literas die vigesima septima septembris 1798. palam significasses, atque interim auctoritate apostolica suffultus monasterium s. Mariae praedictum a jurisdictione superioris generalis dictae congregationis provisorie exemisti, et a reliquo ejusdem congregationis corpore separasti, donec res ab hac s. Sede, prout in Domino expedire videretur, decreta foret.

Providentiae captae pro cessatione dissidiorum.

§. 3. Nos contentiones et dissidia hujusmodi tollere omnino cupientes, atque ipsius Joannis principis, et regentis intuitu abbatem, et monachos dicti Betlehemitici monasterii specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine circumspectioni tuae per praesentes injungimus, et mandamus, ut dictum monasterium s. Mariae de Betlehem, illiusque abbatem, et monachos nunc, et pro tempore existentes, ac eorum bona quaecumque tam mobilia, quam immobilia, et semoventia, ad illos quomodolibet pertinentia a memorata congregatione Lusitana, et ab illius moderni, et pro tempore existentis generalis abbatis, generalisque capituli jurisdictione, et dependentia omnino, et perpetuo separes, dismembres, dividas, et eximas, atque omnes, et singulas dictae congregationis constitutiones noviter, ut praefertur, conditas, et approbatas abroges, infirmes, ac deleas, quoad idem monasterium tantum, et in iis dumtaxat, quae abbatem generalem, et generale capitulum respiciunt, firmis interim quoad reliqua illis in suo robore permanentibus, servatisque etiam in posterum favore dicti monasterii locis, quos idem monasterium, ejusque monachi apud regale ipsius congregationis collegium Colibriense ad studia academica absolvenda possidebat, et possidet, nec non firmis pariter remanentibus omnibus, et singulis privilegiis, praerogativis, immunitatibus, indulgentiis, et

gratiis spiritualibus ab hac sancta Sede ordini, congregationi, et monachis praedictis generaliter, vel particulariter quomodolibet concessis, quibus ipsi in posterum etiam frui pergant, perinde ac si a reliquo congregationis corpore non essent disjuncti; ac monasterium praedictum per te, sicut praemittitur, a memorata congregatione, et ab illius abbatis generalis, generalisque capituli jurisdictione, et dependentia auctoritate Nostra apostolica separatum, divisum, dismembratum, et exemptum sub Nostra, et hujus sanctae Sedis immediata protectione susceptum et assumptum declares, prout Nos vigore praesentium suscipimus, et assumimus, ac idem monasterium cum suis bonis, et pertinentiis universis sub Nostra, et hujus Sedis immediata protectione, et dependentia susceptum esse declaramus: insuper ejusdem monasterii abbati, et monachis nunc, et pro tempore existentibus, ut ipsi omnibus, et singulis privilegiis, gratiis, favoribus, indultis, exemptionibus, et praerogativis, quibus alia monasteria Nobis, et dictae Sedi immediate subjecta de jure, usu, consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere possunt, et poterunt in futurum, pari modo uti, frui, et gaudere libere, et licite possint, et valeant eadem auctoritate concedas, et indulgeas.

Declaratio circa electionem abbatis monasterii in posterum facienda.

§. 4. Volumus autem, ut in abbatis dicti monasterii electione singulis trienniis, et semper de more facienda praesidis capituli, et confirmatoris vices, juxta constitutiones, ille monachus agat, qui in prima ejusdem capituli sessione majori suffragiorum numero per scrutinium ad id electus fuerit; ita tamen, ut Noster, et Sedis apostolicae pro tempore existens nuntius per ipsius praesidis, aut monachorum recursum, sive per correctionem dumtaxat de hujusmodi electione, tamquam delegatus apostolicus dignoscere debeat, et quatenus non canonice factam reperiat, irritam declaret, atque ad novam electionem deveniri mandet; atque abbas, sic ut praemittitur, canonice electus in iis rebus ad internum, et externum monasterii regimen spectantibus, quas antea ex dependentia abbatis generalis, seu generalis capituli gerebat, in posterum de sui capituli consensu, seu audito deputatorum consilio, gerere, et explere possit, et valeat: ac demum ad habenda generalia dictae Lusitanae congregationis comitia, pro quibus in novissimis dictis constitutionibus monasterium sanctae Mariae fuerat assignatum dictum sancti Hieronymi collegium, ubi nuperrime habita sunt, substituimus, et assignamus. Atque interim te, ac Nostrum, et hujus sanctae Sedis in Portugalliae, et Algarbiorum regnis pro tempore existentem nuntium constituimus, et deputamus Nostrum, et dictae Sedis delegatum apostolicum quoad praedictum sanctae Mariae monasterium, ejusque abbates, et monachos, ut tibi, eidemque nuntio vice Nostra subjiciantur, ad effectum tantum corrigendi, quotiescumque opus fuerit, ad supplendam abbatis, et aliorum superiorum negligentiam, et providendi in rationabilibus, justisque recursibus, ac si et quando urgentes temporum circumstantiae postulaverint, aperiendi, et absolvendi ejusdem monasterii visitationem, cum facultate etiam subdelegandi in visitationibus hujusmodi dumtaxat alium in ecclesiastica dignitate constitutum virum majestati suae fidelissimae gratum, acceptum, nec non dignoscendi, ut praefertur, de abbatis electione; de reliquis autem, quae accidere, aut occurrere poterunt, Nos, et Romanum pro tempore existentem pontificem certiores fieri volumus, ut ab hac apostolica Sede praecipiatur quid erit agendum, ac propterea motu, scientia, et potestate praedictis in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis Nostrae, aliisque arbitrio Nostro imponendis poenis dilectis filiis moderno, et pro tempore existenti generali abbati, generalique dictae congregationis capitulo praecipimus, et mandamus, ne in supradicto monasterio sanctae Mariae, ac in illius abbate, monachis, aliisque personis in eodem monasterio existentibus, et ab eo dependentibus, itemque in ejus bonis, et pertinentiis quibuscumque ullum jus, ullamque jurisdictionem, et actionem habere, et exercere audeant, seu praesumant.

§. 5. Decernentes praesentes literas etiam ex eo, quod abbas generalis, et capitulum generale hujusmodi, et caeteri quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, neque ad ea vocati, citati, et auditi, neque causae propter quas ipsae praesentes emanarint, adductae, specificatae, et justificatae fuerint, aut ex alia quacumque, quantumvis justa, pia, et privilegiata causa, colore, prae- Clausulae sublatae, et decretum irritans.

textu, et capite etiam in corpore juris clausa, etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, et nullitatis vitio, aliove quolibet etiam quantumvis magno, et substantiali, ac individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, ad terminos juris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, et facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et non aliter in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, aliosque quacumque praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ordinis, congregationis, et monasterii hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis ordini, et congregationi, ac monasterio hujusmodi, illorumque respective superioribus, et personis quibuscumque sub quibuslibet verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die sexta novembris millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

XC.

Dat. die 18. nov. 1801. Anno II.

Supplicantibus fratribus militibus hospitalis s. Joannis Hierosolymitani prioratus Pisarum tribuitur magno priori Pisarum, facultas convocandi capitulum, ac in eo decernendi, et judicandi omnia, quae lingua Italiae, et consilium magistrale decernerent, et judicarent in conventu, si ibi adessent.

Dilecto filio magno priori prioratus Pisarum hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani.

Pius PP. VII.

Dilecte fili salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres milites expresse professi hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani prioratus Pisarum, quod ex quo tempore misere evenit magnum magistrum, consilium, linguasque conventus veluti resoluto corpore, ac in partes conscisso huc illuc dispergi, negotia, quorum conficiendorum penes illos coetus residebat facultas, prorsus jacuere, quin ipsi de commendis, quae vacant, alicui deferendis, de novis fratribus sive militibus, sive cappellanis, sive inservientibus cooptandis, deque aliis rebus, iisque neque paucis, neque levibus, quae magno cum detrimento tum sui ipsorum, tum prioratus, tum ordinis etiam universi suspensae manent, quidquam agere, ac providere potuerint. Qua propter ne ex diuturniori rerum intermissione damna, quae hactenus passi sunt, augeantur in dies, ac exem-

plo simul permoti aliquorum prioratuum Italiae ubi, coactis comitiis, plura in commune bonum utiliter consulta, et peracta jam sunt, eadem comitia convocandi, et habendi potestatem per Nos tibi fieri summopere efflagitant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut ipsis benigne indulgere, ac opportune, ut infra, providere dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur zelo, ac votis hujusmodi quantum cum Domino possumus obsecundare, ac te, tuique prioratus fratres milites omnes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, tibi magne prior, vel tuo locumtenenti, ut provinciale capitulum tuo in prioratu indicere, et celebrare, atque in eo per suffragia disceptare, et decernere de negociis omnibus, et singulis, quae ex legibus, ac institutis hospitalis praedicti ad ejus linguam Italiae, et consilium pertinerent, nec non judicare de controversiis, ac praesertim de capacitate individuorum ad commendas titulo, ut ajunt, sive cabimenti, sive melioramenti concurrentium, salvis tamen juribus, ac emolumentis, aliisque ordinis thesauro spectantibus, et donec tantum Italicae linguae magistralisque consilii absentia a conventu perdurare contigerit; tum novo quatenus opus sit confirmare robore, receptori prioratus facultates compellendi debitores ad solvendum quod debent, libere ac licite possis, et valeas auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus; declarantes, ac cunctis, ad quos spectat, praecipientes, quidquid isto in capitulo per majorem suffragiorum numerum definitum fuerit, illud habendum omnino, ac observandum, perinde ac si ab ipsa Italica lingua deliberatum, ac constitutum, et a consilio adprobatum, confirmatumque fuisset.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti hospitalis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, naturis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima tertia novembris millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

XCI.

Dat. die 20. nov. 1801. Anno II.

Instante utroque clero oppidi de Sancta Fè Granatensis dioecesis, mandatur, ut servari possit consuetudo recitandi quotannis officium s. Christophori martyris, et aliud s. Augustini episcopi cum octava, itemque dedicationis ecclesiae collegiatae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ratio concessionis.

§. 1. Cum sicut dilecti filii capitulum, et canonici ecclesiae collegiatae, nec non clerus saecularis, et regularis oppidi vulgo de Sancta Fè, Granatensis dioecesis, Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quo erga sanctum Christophorum martyrem, et sanctum Augustinum episcopum, itemque dictae ecclesiae dedicationis solemnitatem afficiuntur devotionis affectu, eorumdem sanctorum cultum, et ecclesiae venerationem in dies augeri summopere desiderent; Nobis hinc humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Concessionis tenor.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore cen-

sentes supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, audito etiam dilecto filio magistro Julio De Carpineo Sacrorum Rituum congregationis secretario, ut in posterum ab utroque clero dicti oppidi servari possit consuetudo multis ab hinc annis incepta recitandi quotannis infrascripta officia, videlicet, die trigesima julii sancti Christophori martyris, die vigesima octava augusti sancti Augustini episcopi cum octava, et die quarta novembris dedicationis supradictae ecclesiae collegiatae.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti oppidi, et dioecesis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima novembris millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 29. nov. 1801. Anno II.

XCII.

Suppressio omnium ecclesiarum tam archiepiscopalium, quam episcopalium in dominio reipublicae Gallicanae existentium, et erectio decem metropolitanarum ecclesiarum, et quinquaginta episcopalium in dominio praefato.

Pius episcopus servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Qui Christi Domini vices in terris gerere, atque Ecclesiam Dei regere constitutus est, omnes occasiones arripere, omnique opportunitate, quae ei offeratur, uti debet, qua possit et fideles ad Ecclesiae sinum adducere, et omnia quaecumque timentur pericula evitare, ne occasione amissa spes amittatur etiam ea bona amplius assequendi, quibus catholica religio juvari possit.

Ratio decernendae suppressionis.

§. 2. Hae fuerunt causae, quae Nos superioribus mensibus conventionem inter hanc apostolicam Sedem, et primum consulem reipublicae Gallicanae ineundam impulerunt, eae eaedem cogunt nunc ad caetera illa progredi, quae si differrentur, et gravissimis damnis catholicam religionem affectam videre, et delapsam spem illam omnem, in quam haud temere ingressi sumus catholicam unitatem in Gallia retinendi dolere deberemus.

Nova dioecesium distributio.

§. 3. In tanto hoc bono Ecclesiae comparando cum statuissemus, et novam circumscriptionem dioecesium in Gallia faciendam, et in totis, quam late eae patent, regionibus, quae nunc temporali dominationi reipublicae Gallicanae subjacent, decem ecclesias metropolitanas, et quinquaginta episcopales esse erigendas, quarum singulis possent a primo ejusdem reipublicae consule tribus mensibus, qui proximi promulgationem literarum Nostrarum consequerentur idonei viri ecclesiastici nominari, ac digni, quos consuetis, ut antea formis Nos canonice archiepiscopos, sive episcopos earum ecclesiarum institueremus; minime putabamus futurum, ut Nos cogi deberemus derogare assensibus legitimorum pastorum, qui pridem ecclesias illas, ac dioecesis obtinebant, quae nunc omnes juxta novam circumscriptionem immutatae novis pastoribus a Nobis donandae sunt; quinimmo sperabamus veteres omnes legitimos antistites tanto praesertim a Nobis studio, atque amore ad vetera ipsorum merita magna, atque praeclara novo hoc sacrificio augenda excitatos literis amantissimis Nostris, quod maxime flagitabamus, statim responsuros et sponte, ac libere ecclesias suas in manibus Nostris resignaturos.

Religionis causae, et unioni consulitur.

§. 4. Sed quoniam nunc magna cum animi Nostri aegritudine in eo sumus, ut ex una parte, et si liberae dimissiones multorum episcoporum ad Nos venerint, multorum tamen aut nondum allatae sint, aut eae litterae allatae, quae rationes quaerunt quibus differri hoc sacrificium possit, ex alia vero cum maximum periculum sit ne si tanta res longius

differatur spoliata diutius suis pastoribus Gallia, non solum religionis restitutio differatur, sed omnia, quod maxime timendum est, in deterius convertantur, atque spes omnes Nostrae ad nihilum recidant, postulat apostolici ministerii Nostri ratio, ut Nos in tanto rei christianae discrimine caeteris rationibus omnibus quamvis gravibus unitatis, ac religionis causae, quae omnium potissima est judicanda postpositis, ad ea deveniamus, quae ad opus tam laudabile, tamque Ecclesiae salutare conficiendum omnino necessaria sunt.

Derogatur assensui praebendo ab episcopis archiepiscopis, et capitulis.

§. 5. Nos itaque audito consilio plurium venerabilium fratrum Nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium derogamus expresse cuicumque assensui legitimorum archiepiscoporum, episcoporum, et capitulorum respectivarum ecclesiarum, ac aliorum quorumlibet ordinariorum, et perpetuo interdicimus iisdem quodcumque exercitium cujusvis ecclesiasticae jurisdictionis, nullius roboris declarantes quidquid quispiam eorum sit attentaturus; ita ut eae ecclesiae, et respective earum dioeceses sive integrae, sive expartae juxta novam peragendam circumscriptionem, et haberi debeant, et sint revera prorsus liberae, ut de iis Nos constituere, ac disponere ea forma possimus, quae infra a Nobis judicabitur.

Suppressio nonnullarum dioecesum, et ecclesiarum, cum derogatione titulorum.

§. 6. Habentes igitur prorsus pro expressis, et integre insertis omnia, et singula, quae praesentibus literis necessario exprimenda, et inserenda forent, supprimimus, annullamus, et perpetuo extinguimus titulum, denominationem, totumque statum praesentem infrascriptarum ecclesiarum archiepiscopalium, et episcopalium una cum respectivis earum capitulis, juribus, privilegiis, et praerogativis cujuscumque generis; nimirum archiepiscopalis Parisiensis cum suis episcopalibus suffraganeis Carnotensi, Meldensi, Aurelianensi, Blesensi; item archiepiscopalis Remensis, et ejus suffraganearum Suessionensis, Cathalaunensis, Silvanectensis, Bellovacensis, Laudunensis, Ambianensis, Noviomensis, Boloniensis; item archiepiscopalis Bituricensis, et ejus suffraganearum Claromontensis, Lemoricensis, Aniciensis, Tutellensis, et sancti Flori; item archiepiscopalis Lugdunensis, et ejus suffraganearum Eduensis, Lingonensis, Matisconensis, Cabillonensis, Divionensis, et sancti Claudii; item archiepiscopalis Rothomagensis, et ejus suffraganearum Bajonensis, Abrincensis, Ebroicensis, Sagiensis, Lexoviensis, et Constantiensis, provinciae Rothomagensis; item archiepiscopalis Senonensis, et ejus suffraganearum Trecensis, Antissiodorensis, Bethlemitanae, et Nivernensis; item archiepiscopalis Turonensis, et ejus suffraganearum Cenomanensis, Andegavensis, Rhedonensis, Nannetensis, Cerisopitensis, Venetensis, Leonensis, Trecorensis, Briocensis, Macloviensis, et Dolensis; item archiepiscopalis Albiensis, et ejus suffraganearum Ruthenensis, Castrensis, provinciae Albiensis, Cadurcensis, Vabrensis, et Mimatensis; item archiepiscopalis Burdegalensis, et ejus suffraganearum Agennensis, Engolismensis, Xanctonensis, Pictaviensis, Petragoricensis, Condomiensis, Sarlatensis, Rapollensis, et Lucionensis; item archiepiscopalis Auxitanensis, et ejus suffraganearum Aquensis provinciae Auxitanae, Loctorensis, Convernarum, Conseranensis, Adurensis, Vazatensis, Tarbiensis, Olorensis, Lascurrensis, et Bayonensis; item archiepiscopalis Narbonensis, et ejus suffraganearum Bitterrensis, Agathensis, Nemausensis, Canassonensis, montis Pesulani, Lodovensis, Uticensis, sancti Pontii Thomesiarum, Electensis, Alesiensis, et Elnensis; item archiepiscopalis Tolosanae, et ejus suffraganearum Montis Albani, Mirapicensis, Vaurensis, Rivensis, Lumbariensis, s. Papuli et Appamiarum; item archiepiscopalis Arelatensis, et ejus suffraganearum Massiliensis, s. Pauli Tricastrinensis, Tolonensis, et Aurajacensis; item archiepiscopalis Aquensis in provincia provinciae, et ejus suffraganearum Aptensis, Regensis, Forojuliensis, Vapincensis, et Sistavicensis; item archiepiscopalis Viennensis in Delphinatu, et ejus suffraganearum Gratianopolitanae, Vivariensis, Valentinensis, Diensis, Maurianensis, et Gebennensis; item archiepiscopalis Ebredunensis, et ejus suffraganearum Dignensis, Grassensis, Venciensis, Glandatensis, Senecensis, et Niciensis; item archiepiscopalis Cameracensis, et ejus suffraganearum Attrebatensis, Audomarensis, Tornacensis, et Namurcensis; item archiepiscopalis Bisuntinae, et ejus suffraganeae Bellicensis; item archiepiscopalis Trevirensis, et ejus suffraganearum Metensis, Tullensis, Virdunensis, Nancejensis, et sancti Deodati; item archiepiscopalis Avenionensis, et ejus suffraganearum Car-

penetoratensis, Vasionensis, et Cavallicensis; item archiepiscopalis Mechliniensis, et episcopalium Argentinensis, Leodiensis, Iprensis, Gandavensis, Antuerpiensis, Ruremundensis, et Brugensis; item archiepiscopalis Tarantasiensis, et episcopalium Camberiensis, Marianensis, et Aciensis, Adjacensis, Sagonensis, Nebbiensis, et Aleriensis, ita ut (deleto etiam omni jure metropolitico cujuscumque metropolitanae ubicumque existentis) omnes supradicti archiepiscopatus, et episcopatus cum abbatiis, etiamsi eae verae essent nullius cum separato territorio, et jurisdictione haberi debeant in posterum tamquam non amplius in primo ipsorum statu existentes, quia aut omnimode extincti, aut in novam formam redigendi.

Derogatio assensuum praebendorum ab ordinariis dictarum dioecesium.

§. 7. Derogamus item cuicumque assensui illorum archiepiscoporum, et episcoporum, capitulorum, ac quorumcumque ordinariorum, quorum ecclesiae, et dioeceses cum contineantur ex parte in supradicta extensione dominii Gallicani, ex hoc tempore haberi debebunt perpetuo exemptae, ac separatae a quacumque jurisdictione, jure, ac praerogativa praedictorum archiepiscoporum, episcoporum, capitulorum, aliorumque ordinariorum ad hoc, ut respective earum partes applicari, uniri, atque incorporari possint cum ecclesiis, ac dioecesibus nova circumscriptione, ut infra erigendis: firmis tamen remanentibus juribus, privilegiis, ac jurisdictione ipsorum archiepiscoporum, episcoporum, capitulorum, et ordinariorum in ea parte territoriorum, quae dominationi Gallicanae non subjacet; quod idem decernimus relate ad eas metropolitanas, et cathedrales ecclesias, quas supra nominatim suppressimus, et extinximus, si eae forte partem aliquam suarum dioecesium habent extra fines actualis territorii Gallicanae reipublicae, reservata Nobis cura prospiciendi in posterum tum partibus illarum dioecesum, quae pridem ab episcopis Gallicanis regebantur, atque in aliorum principum ditione nunc constitutae sunt, tum etiam cathedralibus ecclesiis, quae extra limites dicti Gallicani territorii existentes antea suffraganeae essent antiquorum Galliae archiepiscoporum, quaeque in novo hoc rerum ordine suo metropolitano carere inveniantur.

Erectio novarum dioecesium.

§. 8. Volentes nunc necessariam constitutionem ecclesiastici regiminis catholicorum subditorum reipublicae Gallicanae exequi, prout etiam Nobis primus consul ejusdem Gallicanae reipublicae se desiderare significavit, apostolicis hisce Nostris literis de novo constituimus, et erigimus decem ecclesias metropolitanas, itemque quinquaginta ecclesias episcopales pro totidem archiepiscopis, et episcopis; nimirum ecclesiam archiepiscopalem Parisiensem, et ecclesias episcopales Versaliensem, Meldensem, Ambianensem, Attrebatensem, Cameracensem, Suessionensem, Aurelianensem, et Trecensem, quas ei in suffraganeas assignamus; ecclesiam archiepiscopalem Bituricensem cum ecclesiis episcopalibus Lemovicensi, Claromontensi, et sancti Flori, quas ei in suffraganeas assignamus; ecclesiam archiepiscopalem Lugdunensem, et ecclesias episcopales Mimatensem, Gratianopolitanam, Valentinensem, et Camberiensem, quas ei in suffraganeas assignamus; ecclesiam archiepiscopalem Rothomagensem cum ecclesiis episcopalibus Ebroicensi, Sagiensi, Bajocensi, et Constantiensi provinciae Rothomagensis, quas ei in suffraganeas assignamus; ecclesiam archiepiscopalem Turonensem, et episcopales Cenomanensem, Andegavensem, Rhedonensem, Nannetensem, Corisopitensem, Venetensem, et Briocensem, quas ei in suffraganeas assignamus; archiepiscopalem Burdegalensem cum episcopalibus Engolismensi, Pictaviensi, et Rupellensi, quas ei in suffraganeas assignamus; archiepiscopalem Tolosanam, et episcopales Cadurcensem, Agennensem, Carcassonensem, Montis Pesulani, et Bajonensem, quas ei in suffraganeas assignamus; archiepiscopalem Aquensem cum episcopalibus Avenionensi, Dignensi, Niciensi, et Adiacensi, quas ei in suffraganeas assignamus; archiepiscopalem Bisuntinam, et episcopales Augustodunensem, Argentinensem, Divionensem, Nanceiensem, et Metensem, quas ei in suffraganeas assignamus; archiepiscopalem Mechliniensem cum episcopalibus Tornacensi, Gandavensi, Leodiensi, Aquisgranensi, Trevirensi, et Moguntina, quas ei in suffraganeas assignamus.

Facultates legato apostolico concessae pro erectione, et distributione novarum dioecesium.

§. 9. Mandamus igitur dilecto filio Nostro Joanni Baptistae S. R. E. presbytero cardinali Caprara ad carissimum in Christo filium Nostrum Napoleonem Bonaparte primum Galliarum reipublicae consulem, Gallicanamque nationem Nostro, et apostolicae Sedis de la-

tere legato, ut is juxta has Nostras praedictarum ecclesiarum tam archiepiscopalium, quam episcopalium erectiones procedens ad ea constituenda cum congrua unicuique archiepiscopo, et episcopo praestanda assignatione decernat, tum sanctos titulares patronos sub quorum invocatione in unaquaque ecclesia metropolitana, ac cathedrali templum majus erit appellandum, tum dignitates, et canonicos cujuscumque capituli juxta praescriptionem sacrorum conciliorum efformandi, tum singularum dioecesium circuitum, novosque fines clare, atque distincte omnia explicans, atque constituens singulis decretis, quae ab eo emitti debebunt in actis omnibus conficiendis, quae ad singulas, quas diximus ecclesias tam decem archiepiscopales, quam quinquaginta episcopales peculiariter pertinebunt, ad quod praestandum amplissimas ei quascumque facultates etiam subdelegandas impartimus necessarias, atque opportunas ad probanda statuta respectivorum capitulorum, ad concedendum iisdem choralia insignia, quae iis convenire arbitrabitur, ad veteres paraecias sive supprimendas, sive arctioribus limitibus circumscribendas, sive latioribus amplificandas, et ad novas novis finibus erigendas; itemque ad omnes controversias dijudicandas, quae suboriri numquam possent in exequendis iis, quae per has Nostras literas apostolicas declarata sunt, ac generatim ad ea omnia efficienda, quae per Nos ipsos effici possent, ut per erectionem praedictarum ecclesiarum archiepiscopalium, et episcopalium, itemque per erectionem, ut primum commode fieri poterit, seminariorum, ac per constitutionem necessariarum paraeciarum cum assignatione congruae cuilibet parocho spiritualibus necessitatibus omnium illorum catholicorum quam citius, atque opportunius provideatur. Ut vero in potestate facienda praedicto Jo. Baptistae card. leg. procedendi per se ad omnia, quae ad constitutionem praedictarum ecclesiarum archiepiscopalium, et episcopalium necessaria erunt, quin prius ea definita, ut moris est a Sede apostolica constituantur, nihil aliud optamus, nisi ut tanti momenti res ea celeritate, quae maxime necessaria est, omnino conficiatur, ita eidem cardinali mandamus, ut mittere ad Nos curet exemplaria singula authentica actorum omnium hujus constitutionis, quae ab eo deinceps conficientur.

§. 10. Confidimus autem pro ea doctrinae, prudentiae, consilii laude, qua praestat supradictum Joannem Baptistam cardinalem legatum rectissimis Nostris studiis obsecuturum, omnemque operam adhibiturum, ut meliori, qua fieri ratione possit, re tota ad exitum, quem optamus perducta hoc tantum bonum, quod Nos catholicae religioni parare omni studio contendimus, auxiliante Deo, tandem aliquando consequi possimus. Protestatio specialis.

§. 11. Praesentes autem Nostras literas, et in eis contenta, et statuta quaecumque etiam ex eo, quod quilibet in praemissis, seu in eorum aliquo jus, aut interesse habentes, vel habere praetendentes etiam quomodolibet in futurum, cujusvis status, ordinis, praeeminentiae, et ecclesiasticae, vel mundanae dignitatis sint, etiam specifica, et individua mentione, et expressione digni, illis non consenserint; seu quod aliqui ex ipsis ad praemissa minime vocati, vel etiam nullimode, aut non satis, vel sufficienter auditi fuerint: aut ex alia qualibet etiam laesionis; vel alias juridica, et privilegiata, ac privilegiatissima causa, colore, praetextu, et capite etiam in corpore juris clauso nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu, quantumvis magno, inexcogitato, substantiali, et substantialissimo, sive etiam ex eo, quod in praemissis solemnitates, et quaecumque alia forsan servanda, et adimplenda minime servata, et adimpleta, seu causae propter quas praesentes emanaverint non satis adductae, verificatae, et justificatae fuerint, aut ex quibusvis aliis causis, vel praetextibus notari, impugnari, aut alias infringi, suspendi, restringi, limitari, aut in controversiam vocari, seu adversus eas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut justitiae remedium impetrari, easque omnino sub quibusvis contrariis constitutionibus, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, decretis, vel declarationibus generalibus, vel specialibus etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus quomodolibet, ac quibusvis de causis pro tempore factis minime comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse, et fore, et tamquam ex pontificiae providentiae officio, et motu proprio, Clausulae salutares et irritantes.

Digitized by Google

certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine Nostris factas, et emanatas omnimoda firmitate perpetuo validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac omnibus, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum perpetuo, et inviolabiliter observari, ac earumdem ecclesiarum, sic ut praefertur, noviter erectarum episcopis, capitulis, et canonicis, aliisque quorum favorem praesentes Nostrae literae concernunt perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari debere, eosdemque super praemissis omnibus, et singulis, vel illorum causa ab aliquibus quavis auctoritate quomodolibet molestari, perturbari, inquietari, vel impediri posse, neque approbationem, seu verificationem quorumcumque in eisdem praesentibus Nostris literis narratorum nullatenus umquam teneri, nec ad id in judicio, vel extra illud cogi, seu compelli posse, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et prorsus inane esse, et fore pari auctoritate volumus, atque decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 12. Non obstantibus de jure quaesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, aliisque Nostris, et cancellariae apostolicae regulis, nec non dictarum ecclesiarum per Nos, ut praefertur, suppressarum, et extinctarum erectione, et fundatione, omnibusque, et singulis apostolicis, ac in synodalibus quoque, provincialibus, et universalibus conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus; nec non earumdem ecclesiarum per Nos, ut praefertur, suppressarum, et extinctarum etiam confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus etiam immemorabilibus: privilegiis quoque, indultis, concessionibus, et donationibus eisdem ecclesiis, ut praefertur, suppressis, et extinctis, aut quibuscumque personis quacumque ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus quantumvis specifica, et individua mentione dignis etiam Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum sub quibuscumque formis, et verborum tenoribus etiam motu simili; et de apostolicae potestatis plenitudine, seu consistorialiter in contrarium praemissorum concessis, et emanatis, et longissimi, ac immemorabilis temporis usu, possessione, seu quasi exercitis atque praescriptis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, et formis specialis, specifica, et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, praesentibus pro expressis habentes ad praemissorum omnium, et singulorum effectum latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, ex certa scientia, motuque, et potestatis plenitudine paribus derogamus, et derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 13. Volumus etiam, ut ipsarum praesentium transumptis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis, extinctionis, erectionis, constitutionis, concessionis, impertitionis facultatum, subjectionis, commissionis, mandati, decreti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo primo, tertio kalendas decembris, pontificatus Nostri anno secundo.

XCIII.

Dat. die 29. nov. 1801. Anno II.

Concessio pro domino cardinali legato novos episcopos instituendi in Gallia.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio concessionis.

§. 1. Quoniam, favente Deo, spes Nobis affulget assequendi, et in omnibus locis dominio Gallicanae reipublicae ad praesens subjectis unitas Sanctae Matris Ecclesiae redinte-

gretur et catholica religio reflorescat, in quem finem per Nostras apostolicas sub plumbo hac ipsa die datas literas de novo ereximus, atque statuimus decem metropolitanas, et quinquaginta episcopales ecclesias, videlicet archiepiscopalem Parisiensem cum suffraganeis Versalliensi, Meldensi, Ambianensi, Atrebatensi, Cameracensi, Suessionensi, Aurelianensi, et Trecensi; archiepiscopalem Bituricensem cum suffraganeis Lemovicensi, Claromontensi, et sancti Flori; archiepiscopalem Lugdunensem cum suffraganeis Minatensi, Gratianopolitana, Valentinensi, et Camberiensi; archiepiscopalem Rothomagensem cum suffraganeis Ebroicensi, Sagiensi, Bajocensi, et Constantiensi provinciae Rothomagensis; archiepiscopalem Turonensem cum suffraganeis Cenomanensi, Andegavensi, Rhedonensi, Nannetensi, Corisopitensi, Venetensi, et Briocensi; archiepiscopalem Burdegalensem cum suffraganeis Engolismensi, Pictaviensi, et Rupellensi; archiepiscopalem Tolosanam cum suffraganeis Cadurcensi, Agennensi, Carcassonnensi, Montis Pessulani, et Bajonensi; archiepiscopalem Aquensem cum suffraganeis Avenionensi, Dignensi, Niciensi, et Adiacensi; archiepiscopalem Bisuntinam cum suffraganeis Augustodunensi, Argentinensi, Divisionensi, Nanceiensi, et Metensi; et archiepiscopalem Mechliniensem cum suffraganeis Tornacensi, Gandavensi, Namurcensi, Leodiensi, Aquisgranensi, Trevirensi, et Moguntina; ad quas digni et idonei ecclesiastici viri erunt a primo ipsius reipublicae consule nominandi, et a Nobis ac pro tempore existentibus Romanis pontificibus successoribus Nostris approbandi, et servatis formis jampridem constitutis, canonice instituendi juxta conventionem per similes apostolicas sub plumbo literas nuper confirmatam; et quoniam temporis ac circumstantiarum ratio omnino postulant, ut supradictae omnes ecclesiae tam metropolitanae quam episcopales, de utili atque idoneo pastore absque ulla, vel minima mora respective provideantur, et idcirco spatium minime suppetit nec habendi notitiam de nominationibus a dicto primo consule faciendis, nec alia hic in urbe gerendi, quae in similibus peragi solent.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos, attentis gravissimis causis animum Nostrum digne moventibus, ut omnia arceantur pericula, et impedimenta tollantur, quae conceptam tanti boni spem irritam fortasse et fructu prorsus vacuam redderent, salva tamen in posterum remanente debita praefatae conventionis observantia, motu proprio et ex certa scientia, deque matura deliberatione, ac apostolicae potestatis plenitudine dilecto filio Nostro Joanni Baptistae S. R. E. presbytero cardinali Caprara, ad carissimum in Christo filium Nostrum Naupoleonem Bonaparte, primum Galliarum reipublicae consulem, Gallicanamque nationem Nostro, et apostolicae Sedis de latere legato, potestatem et auctoritatem in hoc tantummodo peculiari casu impertimur, ut ipse nominationes ad praefatas archiepiscopales, et episcopales ecclesias, a primaeva earum erectione nunc vacantes, a supradicto primo consule faciendas excipere, et constito sibi prius per diligens examen, et per assuetum, ea summaria forma qua fieri possit, informativum processum, de fidei, doctrinae, et morum integritate, de religionis zelo, de judiciis apostolicae Sedis subjectione, deque vera idoneitate, juxta Nostram instructionem, cujuslibet ecclesiastici viri sic nominati, unumquemque eorum, etiamsi doctoratus gradu non insignitum, memoratis archiepiscopalibus, et episcopalibus ecclesiis Nostro nomine respective praeficere, et ad illas instituere possit ac valeat. Plurimum autem ipsius Joannis Baptistae cardinalis legati prudentia, doctrina, et integritate confisi pro certo habemus, neminem ad archiepiscopalem vel episcopalem dignitatem ullo umquam modo ipsum fore admissurum, qui requisitis ad id necessariis juxta canonicas leges non sit apprime suffultus. Eidem insuper cardinali legato omnem facultatem et auctoritatem tribuimus, ut per se, vel per quemcumque alium antistitem ab eo specialiter deputandum, et gratiam ac communionem Sedis apostolicae habentem, accitis, et ad hoc assistentibus vel aliis duobus episcopis, vel duobus abbatibus, seu dignitatibus, aut canonicis, sive in horum defectu etiam duobus simplicibus presbyteris, cuicumque ex archiepiscopis, et episcopis sic, ut praefertur, canonice instituendis, emissis prius a quolibet fidei professione, et fidelitatis debito juramento, consecrationis munus impendere libere ac licite similiter possit ac valeat.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, aliisque omnibus et singulis, etiam expressa et individua men-

tione dignis, in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima nona novembris millesimo octingentesimo primo pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 29. nov. 1801. Anno II.

XCIV.

Confirmatio decreti lati super nova circumscriptione dioecesium in Gallia.

Nos Joannes Baptista, tituli sancti Honuphrii, Sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis Caprara, archiepiscopus, episcopus Æsinus, ss. Domini Nostri Pii Papae VII., et sanctae Sedis apostolicae ad primum Galliarum reipublicae consulem, a latere legatus.

Universis Galliarum populis, salutem in Domino.

Legatus a latere literas apostolicas super circumscriptione dioecesium recepisse declarat.

§. 1. Cum sanctissimus Dominus Noster Pius divina providentia pp. VII. ad restituendum in Galliis publicum catholicae religionis cultum et Ecclesiae unitatem servandam, conventionem a plenipotentiariis Sanctitati Suae, et gubernii Gallicanae reipublicae Parisiis initam per apostolicas sub plumbo literas incipientes *Ecclesia, Christi*, sub datum Romae apud s. Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae 1801. xviii. calendas septembris, anno pontificatus ejus secundo, solemniter confirmaverit, in iisque apostolicis literis inter caetera illud quoque decretum sit, novam esse faciendam circumscriptionem Gallicanarum dioecesium, hinc Sanctitas Sua ad eamdem circumscriptionem peragendam devenit per apostolicas sub plumbo literas tenoris sequentis videlicet.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Tenor literarum apostolicarum.

§. 2. Qui Christi Domini vices in terris gerere, atque Ecclesiam Dei regere constitutus est, omnes occasiones arripere, omnique opportunitate, quae ei offeratur, uti debet, qua possit et fideles ad Ecclesiae sinum adducere, et omnia quaecumque timentur pericula evitare, ne, occasione amissa, spes amittatur etiam ea bona amplius assequendi, quibus catholica religio juvari possit. Hae fuerunt causae, quae Nos superioribus mensibus ad conventionem inter hanc apostolicam Sedem, et primum consulem reipublicae Gallicanae incundam impulerunt, et eadem cogunt nunc ad caetera illa progredi, quae si differrentur, et gravissimis damnis catholicam religionem affectam videre, et dilapsam spem illam omnem, in quam haud temere ingressi sumus, catholicam unitatem in Gallia retinendi, dolere deberemus.

De nova erectione sedium facienda.

§. 3. In tanto hoc bono Ecclesiae comparando cum statuissemus, et novam circumscriptionem dioecesium in Gallia faciendam, et in totis quam late eae patent, regionibus, quae nunc temporali dominationi reipublicae Gallicanae subjacent, decem ecclesias metropolitanas, et quinquaginta episcopales esse erigendas, quarum singulis possent a primo ejusdem reipublicae consule tribus mensibus, qui proximi promulgationem literarum Nostrarum consequerentur, idonei viri ecclesiastici nominari, ac digni quos consuetis, ut antea, formis, Nos canonice archiepiscopos, sive episcopos earum ecclesiarum institueremus; minime putabamus futurum, ut Nos cogi deberemus derogare assensibus legitimorum pastorum, qui pridem ecclesias illas ac dioeceses obtinebant, quae nunc omnes juxta novam circumscriptionem immutatae, novis pastoribus a Nobis donandae sunt. Quinimo sperabamus veteres omnes legitimos antistites, tanto praesertim a Nobis studio atque amore, ad vetera ipsorum merita magna atque praeclara novo hoc sacrificio augenda, excitatos literis amantissimis Nostris, quod maxime flagitabamus statim responsuros, et sponte ac libere ecclesias suas in manibus Nostris resignaturos. Sed quoniam nunc magna cum animi Nostri aegritudine in eo sumus, ut ex una parte, etsi liberae dimissiones multorum episcoporum ad Nos venerint, multorum tamen aut nondum allatae sint, aut literae allatae quae rationes quaerunt, quibus differri hoc sacrificium possit; ex alia vero cum maximum periculum sit, ne, si tanta res longius differatur, spoliata diutius suis pastoribus Gallia, non solum religionis restitutio differatur, sed omnia, quod maxime timendum est, in deterius convertantur, atque spes omnes Nostrae ad nihilum recidant; postulat apostolici ministerii Nostri

by Google

ratio, ut Nos, in tanto rei christianae discrimine, ceteris rationibus omnibus, quamvis gravibus, unitatis, ac religionis causa, quae omnium potissima est judicanda, postpositis, ad ea deveniamus, quae ad opus tam laudabile, tamque Ecclesiae salutare conficiendum omnino necessaria sunt.

Votum exquisitum ad rem s. congregatione cardinalium.

§. 4. Nos itaque, audito consilio plurium venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium, derogamus expresse cuicumque assensui legitimorum archiepiscoporum, episcoporum, et capitulorum respectivarum ecclesiarum, ac aliorum quorumlibet ordinariorum et perpetuo interdicimus iisdem quodcumque exercitium cujusvis ecclesiasticae jurisdictionis, nullius roboris declarantes quidquid quispiam eorum sit attentaturus, ita ut eae ecclesiae, et respectivae earum dioeceses, sive integrae, sive ex parte, juxta novam peragendam circumscriptionem, et haberi debeant, et sint revera prorsus liberae, ut de iis Nos constituere ac disponere ea forma possimus, quae infra a Nobis indicabitur.

Extinctio sedium veterum in tota reipublica extantium.

§. 5. Habentes igitur prorsus pro expressis, et integre insertis omnia et singula, quae praesentibus literis necessario exprimenda, et inserenda forent, supprimimus, annullamus, et perpetuo extinguimus titulum, denominationem, totumque statum praesentem infrascriptarum ecclesiarum archiepiscopalium et episcopalium, una cum respectivis earum capitulis, juribus, privilegiis, et praerogativis cujuscumque generis, nimirum archiepiscopalis Parisiensis cum suis episcopalibus suffraganeis Carnotensi, Meldensi, Aurelianensi, Blesensi; item archiepiscopalis Remensis, et ejus suffraganearum Suessionensis, Catalunensis, Silvanectensis, Belloracensis, Laudunensis, Ambianensis, Noviomensis, Boloniensis; item archiepiscopalis Bituricensis, et ejus suffraganearum Claromontensis, Lemovicensis, Aniciensis, Tutelensis, et sancti Flori; item archiepiscopalis Lugdunensis, et ejus suffraganearum Eduensis, Lingonensis, Matisconensis, Gabillonensis, Divionensis, et sancti Claudii; item archiepiscopalis Rothomagensis, et ejus suffraganearum Bajocensis, Abrincensis, Ebroicensis, Sagiensis, Lexoviensis, et Constantiensis provinciae Rothomagensis; item archiepiscopalis Senoniensis, et ejus suffraganearum Trecensis, Antissiodorensis, Bethlemitanae, et Nivernensis; item archiepiscopalis Duronensis, et ejus suffraganearum Cenomanensis, Andegavensis, Rhedonensis, Nannetensis, Corisopitensis, Venetensis, Leonensis, Trecorensis, Briocensis, Macloviensis et Dolensis; item archiepiscopalis Albiensis, et ejus suffraganearum Ruthenensis, Castrensis provinciae Albiensis, Cadurcensis, Vabrensis, et Mimatensis; item archiepiscopalis Burdegalensis, et ejus suffraganearum Agennensis, Engolismensis, Xantonensis, Pictaviensis, Petragoricensis, Condomiensis, Sarlatensis, Rupellensis et Lucionensis; item archiepiscopalis Auxitanensis, et ejus suffraganearum Aquensis provinciae Auxitanae, Lectorensis, Convenarum, Conseranensis, Adurensis, Vazatensis, Tarbiensis, Olorensis, Lascurrensis, et Bayonensis; item archiepiscopalis Narbonensis, et ejus suffraganearum Biterrensis, Agathensis, Nemausensis, Carcassonensis, Montis Pessulani, Lodovensis, Uticensis, sancti Pontii Thomeriarum, Electensis, Alesiensis et Elnensis; item archiepiscopalis Tolosanae, et ejus suffraganearum Montis Albani, Mirapicensis, Vaurensis, Rivensis, Lumbariensis, sancti Papuli, et Appiamarum; item archiepiscopalis Arelatensis, et ejus suffraganearum Massiliensis, sancti Pauli Tricastriensis, Tolonensis, et Auraicensis; item archiepiscopalis Aquensis in provincia Provinciae, et ejus suffraganearum Aptensis, Regensis, Forojuliensis, Vapincensis et Sistaricensis; item archiepiscopalis Viennensis in Delphinatu, et ejus suffraganearum Gratianopolitanae, Vivarensis, Valentinensis, Diensis, Maurianensis, et Gebennensis; item archiepiscopalis Ebredunensis, et ejus suffraganearum Dignensis, Grassensis, Venciensis, Glandatensis, Senecensis et Niciensis; item archiepiscopalis Cameracensis, et ejus suffraganearum Atrebatensis, Audomarensis, Tornacensis, et Namurcensis; item archiepiscopalis Bisuntinae, et ejus suffraganeae Bellicensis; item archiepiscopalis Trevirensis, et ejus suffraganearum Metensis, Tullensis, Virdunensis, Nanceiensis, et sancti Deodati; item archiepiscopalis Moguntinae; item archiepiscopalis Avenionensis, et ejus suffraganearum Carpentoraciensis, Vasionensis, et Cavallicensis; item archiepiscopalis Mechliniensis, et episcopalium Argentinensis, Leodiensis, Iprensis, Gandavensis, Antuerpiensis, Ruremundensis, et Brugensis; item archiepiscopa-

lis Tarantasiensis, et episcopalium Camberiensis, Marianensis et Acciensis, Adiacensis, Sagonensis, Nebbiensis et Aleriensis; ita ut (deleto etiam omni jure metropolitico cujuscumque metropolitani ubicumque existentis) omnes supradicti archiepiscopatus et episcopatus cum abbatiis etiamsi eae vere essent nullius cum separato territorio, et jurisdictione, haberi debeant in posterum tamquam non amplius in primo ipsorum statu existentes, quia aut omnimode extincti, aut in novam formam erigendi.

Derogatur assensui praebendo ab episcopis sedes modo obtinentibus.

§. 6. Derogamus item cuicumque assensui illorum archiepiscoporum, episcoporum, capitulorum, ac quorumcumque ordinariorum, quorum ecclesiae, ac dioeceses, cum contineantur ex parte in supradicta extensione dominii Gallicani, ex hoc tempore haberi debebunt perpetuo exemptae, ac separatae a quacumque jurisdictione, jure, ac praerogativa praedictorum archiepiscoporum, episcoporum capitulorum, aliorumque ordinariorum, ad hoc ut respective earum partes applicari, uniri, atque corporari possint cum ecclesiis, ac dioecesibus nova circumscriptione, ut infra, erigendis, firmis tamen remanentibus juribus, privilegiis, jurisdictione ipsorum archiepiscoporum, episcoporum, capitulorum, et ordinariorum in ea parte territoriarum quae dominationi Gallicanae non subjacet (quod idem decernimus relate ad eas metropolitanas, et cathedrales ecclesias, quas supra nominatim suppressimus, et extinximus, si eae forte partem aliquam suarum dioecesium habent extra fines actualis territorii Gallicanae reipublicae) reservata Nobis cura prospiciendi in posterum tum partibus illarum dioecesium, quae pridem ab episcopis Gallicanis regebantur, atque in aliorum principum ditione nunc constitutae sunt, tum etiam cathedralibus ecclesiis, quae extra limites dicti Gallicani territorii existentes antea suffraganeas essent antiquorum Galliae archiepiscoporum, quaeque in novo hoc rerum ordine suo metropolitano carere inveniantur.

Erectio decem archiepiscopatuum et quinquaginta episcopatuum.

§. 6. Volentes nunc necessariam constitutionem ecclesiastici regiminis catholicorum subditorum reipublicae Gallicanae exequi, prout etiam Nobis primus consul ejusdem Gallicanae reipublicae se desiderare significavit, apostolicis hisce Nostris literis de novo constituimus et erigimus decem ecclesias metropolitanas, itemque quinquaginta ecclesias episcopales pro totidem archiepiscopis et episcopis, nimirum ecclesiam archiepiscopalem Parisiensem, et ecclesias episcopales Versalliensem, Meldensem, Ambianensem, Atrebatensem, Cameracensem, Suessionensem, Aurelianensem, et Trecensem, quas ei in suffraganeas assignamus; ecclesiam archiepiscopalem Bituricensem cum ecclesiis episcopalibus Lemovicensi, Claromontensi, et sancti Flori, quas ei in suffraganeas assignamus; ecclesiam archiepiscopalem Lugdunensem, et ecclesias episcopales Mimatensem, Gratianopolitanam, Valentinensem, et Camberiensem, quas ei in suffraganeas assignamus; ecclesiam archiepiscopalem Rothomagensem, cum ecclesiis episcopalibus Ebroicensi, Sagiensi, Bajocensi et Constantiensi provinciae Rothomagensis, quas ei in suffraganeas assignamus; ecclesiam archiepiscopalem Turonensem, et episcopales Cenomanensem, Andegavensem, Rhedonensem, Nannetensem, Corisopitensem, Venetensem, et Briocensem, quas ei in suffraganeas assignamus; archiepiscopalem Burdegalensem, cum episcopalibus Engolismensi, Pictaviensi, et Rupellensi, quas ei in suffraganeas assignamus; archiepiscopalem Tolosanam, et episcopales Cadurcensem, Agennensem, Carcassonensem, Montis-Pessulani, et Bajonensem, quas ei in suffraganeas assignamus; archiepiscopalem Aquensem, cum episcopalibus Avenionensi, Dignensi, Niciensi, et Adiacensi, quas ei in suffragoneas assignamus; archiepiscopalem Bisuntinam, et episcopales Argentinensem, Divionensem, Nanceiensem, et Metensem, quas ei in suffraganeas assignamus; archiepiscopalem Mechliniensem, cum episcopalibus Tornacensi, Gandavensi, Namurcensi, Leodiensi, Aquisgranensi, Trevirensi, et Moguntina, quas ei in suffraganeas assignamus.

Assignatio sanctorum titularium patronorum, dignitatum, capitulorum insignium aliorumque bonorum pro singulis sedibus de novo erigendis.

§. 8. Mandamus igitur dilecto filio Nostro Joanni Baptista S. R. E. presbytero cardinali Caprara ad carissimum in Christo filium Nostrum Napoleonem Bonaparte primum Galliarum reipublicae consulem, Gallicanamque nationem, Nostro et apostolicae Sedis de latere legato, ut is juxta has Nostras praedictarum ecclesiarum tam archiepiscopalium, quam episcopalium erectiones, procedens ad eas constituendas cum congrua unicuique archiepiscopo et episcopo praestanda assigna-

Digitized by Google

tione, decernat tum sanctos titulares patronos, sub quorum invocatione in unaquaque ecclesia metropolitana, ac cathedrali templum majus erit appellandum, tum dignitates, et canonicos cujuscumque capituli juxta praescriptum sacrorum conciliorum efformandi, tum singularium dioecesium circuitum, novosque fines, clare, atque distincte omnia explicans, atque constituens singulis decretis, quae ab eo emitti debebunt in actis omnibus conficiendis, quae ad singulas, quas diximus ecclesias, tam decem archiepiscopales, quam quinquaginta episcopales peculiariter pertinebunt, ad quod praestandum amplissimas quasque ei facultates, etiam subdelegandas, impertimur necessarias atque opportunas ad probanda statuta respectivorum capitulorum, ad concedendum iisdem choralia insignia, quae iis convenire arbitrabitur, ad veteres paraecias sive supprimendas, sive arctioribus limitibus circumscribendas, sive latioribus amplificandas, et ad novas novis finibus erigendas, itemque ad omnes controversias dijudicandas, quae suboriri umquam possent in exequendis iis, quae per has literas Nostras apostolicas declarata sunt, ac generatim ad ea omnia efficienda, quae per Nos ipsos effici possent, ut per erectionem praedictarum ecclesiarum archiepiscopalium, atque episcopalium, itemque per erectionem, ut primum commode fieri poterit, seminariorum, ac per constitutionem necessariarum paraeciarum cum assignatione congruae cuilibet parocho, spiritualibus necessitatibus omnium illorum catholicorum quam citius, atque opportunius provideatur.

De exemplaribus actorum novarum erectionum Romam mittendis.

§. 9. Ut vero in potestate facienda praefato Joanni Baptistae cardinali legato procedendi per se ad omnia, quae ad constitutionem praedictarum ecclesiarum archiepiscopalium, atque episcopalium necessaria erunt, quin prius ea definita, ut moris est, a Sede apostolica constituantur, nihil aliud optamus, nisi ut tanti momenti res ea celeritate, quae maxime necessaria est, omnino conficiatur, ita eidem cardinali mandamus, ut mittere ad Nos curet exemplaria singula authentica actorum omnium hujus constitutionis, quae ab eo deinde conficientur. Confidimus autem pro eo doctrinae, prudentiae, consilii laude, qua praestat, supradictum Joannem Baptistam cardinalem legatum rectissimis Nostris studiis obsecuturum, omnemque operam adhibiturum ut meliori, qua fieri ratione possit, re tota ad exitum quem optamus, perducta hoc tantum bonum, quod Nos catholicae religioni parare omni studio contendimus, auxiliante Deo, tandem aliquando consequi possimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 10. Praesentes autem literas, et in eis contenta et statuta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis, seu in eorum aliquo jus, aut interesse habentes, vel habere praetendentes etiam quomodolibet in futurum, cujusvis status, ordinis, praeeminentiae, et ecclesiasticae, vel mundanae dignitatis sint, etiam specifica, et individua mentione, et expressione digni, illis non consenserint, seu quod aliqui ex ipsis ad praemissa minime vocati, vel etiam nullimode, aut non satis, vel sufficienter auditi fuerint, aut ex alia qualibet, etiam laesionis, vel alias juridica, et privilegiata, ac privilegiatissima causa, colore, praetextu, et capite, etiam in corpore juris clauso, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu, quantumvis magno, inexcogitato, substantiali, et substantialissimo, sive etiam ex eo quod in praemissis solemnitates et quaecumque alia, forsan servanda, et adimplenda, minime servata, et adimpleta, seu causae, propter quas praesentes emanaverint, non satis adductae, verificatae, et justificatae fuerint, aut ex quibuslibet aliis causis, vel praetextibus notari, impugnari, aut alias infringi, suspendi, restringi, limitari, aut in controversiam vocari, seu adversus eas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque juris vel facti, aut justitiae remedium impetrari, easque omnino sub quibusvis contrariis constitutionibus, revocationibus, suspensionibus, limitationibus derogationibus, modificationibus, decretis, vel declarationibus generalibus, vel specialibus, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus quomodolibet, ac quibusvis de causis pro tempore factis minime comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse, et fore, et tanquam ex pontificiae providentiae officio, et motu proprio, certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine Nostris factas, et emanatas omnimoda firmitate perpetuo validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omni-

bus ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum, perpetuo, et inviolabiliter observari, ac earumdem ecclesiarum sic, ut praefertur, noviter erectarum episcopis, capitulis, et canonicis, aliisque, quorum favorem praesentes Nostrae literae concernunt, perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari debere, eosdemque super praemissis omnibus et singulis, vel illorum causa ab aliquibus quavis auctoritate quomodolibet molestari, perturbari inquietari vel impediri posse, neque ad probationem, seu verificationem quorumcumque in eisdem praesentibus Nostris literis narratorum nullatenus umquam teneri, nec ad id in judicio, vel extra cogi, seu compelli posse, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et prorsus inane esse, et fore, pari auctoritate volumus, atque decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 11. Non obstantibus de jure quaesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes vocatis quorum interest, aliisque Nostris et cancellariae apostolicae regulis, nec non dictarum ecclesiarum per Nos, ut praefertur, suppressarum, et extinctarum, etiam confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, concessionibus et donationibus eisdem ecclesiis, ut praefertur, suppressis, et extinctis, aut quibuscumque personis quacumque ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus, quantumvis specifica et individua mentione dignis, etiam Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum, sub quibuscumque formis, et verborum tenoribus, etiam motu simili, et de apostolicae potestatis plenitudine, seu consistorialiter in contrarium praemissorum concessis et emanatis; et longissimi ac immemorabilis temporis usu, possessione, seu quasi, exercitis, atque praescriptis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, et formis specialis, specifica, et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut alia aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo, ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, ad praemissorum omnium, et singulorum effectum latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, ex certa scientia, motuque et potestatis plenitudine paribus derogamus, et derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 12. Volumus etiam, ut ipsarum praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis, extinctionis, erectionis, constitutionis, concessionis, impertitionis facultatum, subjectionis, commissionis, mandati, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo primo, tertio kalendas decembris, pontificatus Nostri anno secundo.

A. Card. pro-datarius.

Visa de curia J. Manassei.

Loco ✠ Plumbi.

R. Card. Braschius de Honestis.

F. Lavizzarius.

Executio literarum apostolicarum expleta a cardinali legato.

§. 14. Hinc est quod Nos obtemperantes mandatis sanctissimi Domini Nostri, ac utentes facultatibus a Sanctitate Sua nobis specialiter delegatis, praevia suppressione, extinctione, et respective dismembratione a Sanctitate Sua, ut supra, factis, et salvis omnibus, et singulis dispositionibus, et ordinationibus in praefatis literis apostolicis contentis, praesertim quod ad eas metropolitanas, et cathedrales ecclesias, quarum dioecesium partes extra fines actualis territorii Gallicanae reipublicae existunt, necnon earum ecclesiarum, suorumque capitulorum jura, privilegia, et jurisdictionem, itemque quod ad episcopos, qui extra ejusdem territorii limites reperiantur, quique antea veteribus Gallicanis archiepiscopis tamquam eorum suffraganei subdebantur, de quibus omnibus deinde Sanctitas Sua apostolica auctoritate statuet, atque decernet quidquid magis opportunum judicabit, praesentis decreti nostri tenore ad ea omnia

Digitized by Google

procedimus, quae a Sanctitate Sua in iisdem apostolicis literis supplenda, perficiendaque nobis committuntur, ut nova decem archiepiscopalium, et quinquaginta episcopalium ecclesiarum in regionibus, quae nunc temporali dominationi reipublicae Gallicanae subjacent, erectio a Sanctitate Sua, ut supra, facta numeris omnibus absolvatur, justis gubernii votis, cum quo collatis consiliis omnia, quae ad restituendam in Galliis catholicam religionem pertinent, acta sunt, respondeatur, conventio denique inter eamdem Sanctitatem Suam, guberniumque ipsum inita suum sortiatur effectum.

De finibus novarum dioecesum.

§. 15. Ac primum, quoniam a Sanctitate Sua omne onus in Nos transfusum est, circuitum, novosque fines singularum dioecesium decernendi et clare atque distincte ea omnia, quae ad eosdem pertinent, explicandi, illud juxta receptam et constantissime servatam ab apostolica Sede praxim, et consuetudinem in hanc rem esset a nobis præstandum, ut singulorum locorum ac paraeciarum ex quibus unaquaeque coalescere debet dioecesis, diligens hoc loco enumeratio perficeretur, ne ullo umquam tempore de ipsis limitibus, et super exercitio spiritualis jurisdictionis a singulis antistibus exercendae, exoriri dubium possit, utque propterea omnis inter conterminos episcopos controversiae praecidatur occasio; nunc tamen neque paraeciarum méntio fieri potest, cum nova earum erectio, et divisio peragi debeat ab archiepiscopis, et episcopis in sua respective dioecesi postquam canonice fuerint instituti, juxta facultatem a sanctissimo domino Nostro iisdem tributam in supradictis apostolicis literis incipientibus: *Ecclesia Christi*, neque temporis angustiae patiuntur, ut loca singillatim enumeremus omnia, ex quibus singularum dioecesium territorium constare debebit. Ne igitur tantis Gallicanarum ecclesiarum necessitatibus diutius opem et auxilium differamus, utque celerius et ejusdem Sanctitatis Suae votis, et repetitis Gallicani gubernii postulationibus, et catholicorum omnium precibus, ac desideriis satisfaciamus, eam, tot utilitatibus propositis, inire cogimur rationem, qua rem omnem explicare, retentis aliquo pacto Sedis apostolicae regulis, et consuetudinibus expeditissime possimus.

Idem ut supra.

§. 16. Ratio autem, quam in circuitu, novisque dioecesium finibus decernendi sequimur, hanc est. Quoniam scilicet singularum dioecesium novae circumscriptionis territorium complecti debebit unam, aut plures ex provinciis, sive regionibus Gallicanis, idcirco earum provinciarum, seu regionum appellationem interea sequamur in designandis locorum spatiis intra quae cujuslibet metropolitanae, et cathedralis ecclesiae, eorumque antistitum jurisdictio sese continere debebit. Hunc vero actum novorum antistitum auxilio et adjuncta paraeciarum omnium et locorum in unaquaque dioecesi contentorum descriptione tunc plenius exactiusque perficiemus, cum ii, secundum ea quae ab iisdem diligenter postulabimus, quidquid ad idem opus numeris omnibus absolvendum necessarium erit, Nobis suppeditabunt.

De titulis singularum ecclesiarum.

§. 17. Ut autem una et brevitati, et perspicuitati inserviamus, singulis metropolitanis et cathedralibus, ut supra, erectis propriam metropolitanam, et cathedralem respective ecclesiam, titulosque sanctorum patronorum, sub quorum invocatione appellandae erunt praefigemus, nominaque provinciarum, seu regionum adjungemus, quarum integram extensionem, praeter ipsam civitatem, in qua metropolitana, vel cathedralis erecta est, pro dioecesi singulis supradictis ecclesiis intendimus assignare.

De elencho novarum dioecesum.

§. 18. Itaque ad majorem omnipotentis Dei gloriam, beatissimae virginis Mariae, quam inclyta Gallicana natio, ut patronam praecipue veneratur, sanctorumque, quos singulae dioeceses in patronos pariter habebunt, honorem, itemque ad catholicae religionis conservationem, et incrementum, utentes facultatibus nobis, ut supra, tributis, metropolitanarum et cathedralium ecclesiarum titulos, novarumque Gallicanarum dioecesium limites in subjecto elencho describimus, atque assignamus, eumdem tenentes ordinem, quam Sanctitas Sua in designandis novis metropolitanis cum suis suffraganeis ecclesiis secuta est.

ELENCHUS

Ecclesiarum metropolitanarum et cathedralium, cum nominibus sanctorum titularium patronorum, sub quorum invocatione in unaquaque ecclesia metropolitana et cathedrali templum majus erit appellandum; itemque nomina provinciarum seu regionum quarum extensionem et circuitum unaquaeque dioecesis pro suo territorio, ejusque limitibus habebit.

METROPOLITANÆ ET CATHEDRALES	INVOCATIONES SANCTORUM TITULARIUM PATRONORUM	LIMITES DIOECESIUM
METROPOLITANA PARISIENSIS	B. Mariae virginis in coelum Assumptae.	1 *Provincia seu regio Sequana.*
Suffraganeae *Versailliensis* . .	S. Ludovici Franciae regis	2 *Sequanae et Æsiae, Eburae et Liderici.*
Meldensis . . .	S. Stephani protomartyris	2 *Sequanae et Matronae, itemque Matronae.*
Ambianensis . .	B. Mariae virginis	2 *Suminae, Æsiae.*
Atrebatensis . .	B. Mariae virginis	1 *Freti Gallici.*
Cameracensis . .	B. Mariae virginis	1 *Septentrionis.*
Suessionensis . .	Sanctorum Gervasii et Protasii mart. .	1 *Axonae.*
Aurelianensis . .	Sanctissimae crucis D. N. J. C. . . .	2 *Amnis Lidericini, Liderici et Cari.*
Trecensis . . .	Sanctorum Petri et Pauli apostolorum .	2 *Albae, Icaunae.*
METROPOLITANA BITURICENSIS	S. Stephani protomartyris	2 *Amnis Cari, Ingeris.*
Suffraganeae *Lemovicensis* . .	S. Stephani protomartyris	3 *Crosae, amnis Corresii, et Vigennae Super.*
Claromontensis .	B. Mariae virginis	2 *Elaveri, Montis Dumae.*
Sancti Flori . .	S. Flori, episcopi et confessoris . . .	2 *Ligeris Superioris, Montis Cantalini.*
METROPOLITANA LUGDUNENSIS	Ss. Joannis Baptistae et Stephani, prot.	3 *Rhodani, Ligeris, Idani.*
Suffraganeae *Mimatensis* . . .	B. Mariae v. et s. Privati, ep. et confes.	2 *Ardeschae, Lozerani Montis.*
Gratianopolitana	B. Mariae virginis	1 *Isarae.*
Valentinensis . .	S. Apollinaris, episcopi et martyris . .	1 *Drumae.*
Camberiensis . .	S. Francisci Salesii, ep. et confes. . .	2 *Montis Albi, Lemani Lacus.*
METROPOLITANA ROTHOMAGENSIS	B. Mariae virginis	1 *Sequanae Inferioris.*
Suffraganeae *Ebroicensis* . . .	B. Mariae virginis	1 *Eburae,*
Sagiensis . . .	B. Mariae virginis	1 *Olinae.*
Bajocensis . . .	B. Mariae virginis	1 *Rupis Calvados nuncupatae.*
Constantien. prov. Rothomagensis .	B. Mariae virginis	1 *Oceani Britannici.*
METROPOLITANA TURONENSIS	S. Gatiani, episcopi et confessoris. . .	1 *Ingeris et Ligeris.*
Suffraganeae *Conomanensis* . .	S. Juliani, episcopi.	2 *Sartae, et Meduanae.*
Andegavensis . .	Ss. Mauritii, et sociorum mart. . . .	1 *Meduana et Ligeris.*
Rhedonensis . .	S. Petri apostoli	1 *Isolae et Vilanae.*
Nannetensis. . .	S. Petri apostoli	1 *Ligeris Inferioris.*
Corisopitensis . .	S. Corentini, episcopi et confessor. . .	1 *Finisterrae.*
Venetensis . . .	S. Petri apostoli	1 *Sinus Morbibani.*
Briocensis . . .	S. Stephani protomartyris	1 *Orarum Septentrionalium.*
METROPOLITANA BURDEGALENSIS	S. Andreae, apostoli	1 *Girunnae.*
Suffraganeae *Engolismensis* . .	S. Petri apostoli	2 *Carentoni, et Dordoniae.*
Pictaviensis. . .	S. Petri apostoli	2 *Utriusque Separis, et Vigennae.*
Rupellensis. . . .	S. Ludovici regis et confessoris . . .	2 *Inferioris Carentoni, et amnis Vendeani.*
METROPOLITANA TOLOSANA	S. Stephani protomartyris	2 *Garumnae Superioris, Aurigerae.*
Suffraganeae *Cadurcensis.* . .	S. Stephani protomartyris	2 *Oldi, alias Loti, et Aveyronis.*
Agennensis . . .	S. Stephani protomartyris	2 *Loti et Garumnae, amnis Gersi.*
Carcassonensis .	Sanctorum Nazarii et Celsi mart. . . .	2 *Ataxis, et Partis Pyrenaeorum Orient.*
Montis Pessulani.	S. Petri apostoli	2 *Araurae, Tarnis.*
Bajonensis . . .	B. Mariae virginis	3 *Agri Syrtici, Pyrenaeorum Infer. et Super.*
METROPOLITANA AQUENSIS	Sanctissimi Salvatoris	2 *Ostiorum Rhodani, et Vari.*
Suffraganeae *Avenionensis* . .	B. Mariae virginis donorum	2 *Amnis Gardi; Fontis Vauclusi.*
Dignensis . . .	B. Mariae virginis	2 *Superiorum, et Inferiorum Alpium.*
Niciensis. . . .	S. Reparatae virginis	2 *Alpium Maritimarum.*
Adjacensis . . .	S. Euphrasii, episcopi et confessoris .	2 *Golônis, et Liamonis.*
METROPOLITANA BISUNTINA	Ss. Joannis apos. et evan. ac Steph. prot.	3 *Dubis, Jurassi, et Araris Superioris.*
Suffraganeae *Augustodunensis* .	S. Lazari a Christo suscitati.	2 *Araris et amnis Niverni.*
Argentinensis . .	B. Mariae virginis	2 *Rheni Superioris, et Rheni Inferioris.*
Divionensis . . .	S. Stephani protomartyris	2 *Matronae Superioris et Collis Aurei.*
Nanceiensis . . .	B. Mariae virginis	3 *Mosae, Mortae, et Vosagi Saltus.*
Metensis	S. Stephani protomartyris	3 *Arduennae Sylvae, Sylvarum, et Mosellae.*
METROPOLITANA MECHLINIENSIS	S. Romualdi episcopi et confess. . . .	2 *Utriusque Nethae, Dylae,*
Suffraganeae *Tornacensis* . .	B. Mariae virginis	1 *Gemmapii.*
Gandavensis . .	S. Bavonis, episcopi et confess. . . .	2 *Scaldis, et Legiae.*
Namurcensis . .	S. Albani martyris	1 *Sabis et Mosae.*
Leodiensis . . .	S. Lamberti episcopi et mart. . . .	2 *Mosae inferioris, et Urthae.*
Aquisgranensis .	B. Mariae virginis	2 *Roeris, Rheni et Mosellae.*
Trevirensis . . .	S. Petri apostoli	1 *Saravi.*
Moguntina . . .	S. Martini episcopi et confess.	1 *Montis Tonitrui.*

Digitized by Google

De abrogatis ecclesiis illustribus titulis, novis adjiciendis.

§. 19. Optabat quidem Sanctitas Sua, ut archiepiscopalis, seu episcopalis cathedrae honor conservaretur pluribus aliis ecclesiis, quae cum propter antiquitatem originis, quam a primis christianae religionis exordiis repetunt, venerabiles, tum propter earum praerogativas, suorumque antistitum gloriam celeberrimae, optimeque de catholica religione sunt meritae. Quoniam vero temporum difficultates et circumstantiae locorum id minime passae sunt, maxime expediens videtur, ut aliquarum saltem ex illustrioribus, quod catholicorum desideriis respondet, memoria retineatur, quae novis antistibus ipsa per se ad omnem virtutem praebeat incitamenta. Propterea nos de praefata apostolica auctoritate, tum generatim in praeinsertis apostolicis sub plumbo literis, tum in specialibus sub annulo piscatoris, die 29. novembris an. 1801. a Sanctitate Sua datis, nobis tributa, aliquibus ecclesiis noviter erectis, intra quarum dioecesium (si de cathedralibus, si vero de metropolitanis agitur intra quarum metropoleon), fines antiquae supradictarum insignium ecclesiarum, quae, ut praefertur, suppressae et extinctae sunt, dioeceses, vel earum pars aliqua consistit, denominationem, et titulum earumdem antiquarum ecclesiarum adjungimus, et applicamus, juxta hanc Nostram quam hic addimus enumerationem.

ELENCHUS

Ecclesiarum metropolitanarum et cathedralium novae erectionis, quibus denominationes, et tituli suppressarum ecclesiarum sive archiepiscopalium, sive episcopalium, applicati sunt.

Metropolitanae novae erectionis.	*Tituli archiepiscopalium suppressarum.*
Parisiensis.	Rhemensis, et Senonensis.
Lugdunensis.	Viennensis, et Ebredunensis.
Tolosana.	Auxitanensis, Albiensis, et Narbonensis.
Aquensis.	Arelatensis.

Cathedrales novae erectionis.	*Tituli episcopalium suppressarum.*
Ambianensis.	Bellovacensis, et Noviomensis.
Suessionensis.	Laudunensis.
Trecensis.	Catalaunensis, et Antissiodorensis.
Divionensis.	Lingonensis.
Camberiensis.	Gebennensis.

Monitum speciale.

§. 20. Archiepiscopis ergo et episcopis canonice instituendis, quorum ecclesiarum nomina in superiori elencho descripta sunt, apostolica nobis delegata auctoritate mandamus, et respective potestatem facimus, ut eorum quilibet titulo ecclesiae, ad quam promoti fuerint, alios quoque suppressarum ecclesiarum titulos adjungant, quos nos in supradicto elencho adnotavimus; ita tamen ut ex hac titulorum unione et applicatione, propter ecclesiarum quarumdam insignium memoriam et honorem unice facta, nullo umquam tempore deduci possit, aut easdem ecclesias adhuc superesse, nec realiter fuisse suppressas, aut antistitibus, quibus suarum ecclesiarum titulo eorumdem titulorum adjungendorum potestatem

Digitized by Google

fecimus; ullam aliam, praeter eam, quam singulis hujus decreti nostri tenore expresse tribuimus, jurisdictionem adscriptam fuisse.

De capitulis novarum ecclesiarum.

§. 21. Assignatis sanctis titularibus patronis, sub quorum invocatione in unaquaque ex sexaginta erectis metropolitanis, et cathedralibus respective ecclesiis templum majus erit appellandum, praefinitisque singularum dioecesium limitibus, postulat rerum ordo, ut ad reliqua procedentes, ab earumdem ecclesiarum capitulis ducamus exordium. Inter caetera enim quae nobis a sanctissimo Domino Nostro, in saepe laudatis literis apostolicis mandata sunt, alterum illud est, ut suppressis jam a Sanctitate Sua antiquis omnibus Gallicani territorii capitulis, nova in singulis metropolitanis et cathedralibus ecclesiis, qua ratione fieri poterit, constituantur. Quod cum ita nobis commissum sit ut facultas quoque has partes subdelegandi per memoratas literas apostolicas nobis ipsis tributa fuerit; ideo hujus facultatis vigore archiepiscopis, et episcopis Galliarum primofuturis facultatem concedimus, ut posteaquam canonice instituti ecclesiarum suarum regimen actu consecuti erunt, capitulum in metropolitanis et cathedralibus respective ecclesiis suis erigere ipsis possint juxta formam a sacris canonibus, conciliisque praescriptam, et ab Ecclesia huc usque servatam, cum eo dignitatum, et canonicorum numero, quem ad earumdem metropolitanarum et cathedralium ecclesiarum utilitatem, et honorem, attentis rerum circumstantiis expedire judicabunt.

Idem ut supra.

§. 22. Eosdem autem archiepiscopos et episcopos enixe adhortamur, ut quanto citius fieri poterit, supradicta facultate, ad suarum dioecesium utilitatem, ecclesiarum tam metropolitanarum quam cathedralium honorem, religionis decus, ac administrationis suae levamen utantur, memores eorum, quae ab ecclesia circa capitulorum erectionem et utilitatem sancita sunt; quod quidem eo facilius ab ipsis peragi posse confidimus, quod in ipsamet supra memorata conventione inter Sanctitatem Suam et Gallicanum gubernium Parisiis feliciter inita statutum sit, singulos archiepiscopos et episcopos Gallicani territorii unum in ecclesia metropolitana, et cathedrali capitulum habere posse.

De statutis pro regimine singulorum capitulorum condendis.

§. 23. Ut vero iisdem metropolitanis et cathedralibus ecclesiis in iis, quae ad capitula, ut supra erigenda spectant, ecclesiastica disciplina servetur, iisdem archiepiscopis et episcopis primo futuris curae erit, ut quae pertinent ad eorumdem capitulorum sic erigendorum prosperum et felicem statum, regimen, gubernium, directionem, divinorum officiorum celebrationem, caeremonias ac ritus in iisdem ecclesiis, earumque choro servandos, ac alia quaelibet per eorumdem capitulorum dignitates, et canonicos obeunda munia, pro eorumdem archiepiscoporum, et episcoporum arbitrio, et prudentia definiantur et constituantur, relicta tamen eorum successoribus statutorum illorum immutandorum facultate, requisito prius capitulorum respectivorum consilio, si, attentis temporum circumstantiis, id utile et opportunum judicaverint: in ipsis autem statutis vel condendis, vel immutandis religiosa sacrorum canonum observantia retineatur, usuumque, ac consuetudinum laudabilium antea vigentium, praesentibusque circumstantiis accomodatarum ratio habeatur. Quam quidem capitulorum erectionem, caeteraque omnia ad ipsa capitula pertinentia singuli archiepiscopi, et episcopi cum primum perfecerint, erectionis hujusmodi, omniumque hanc in rem constitutorum acta authentica forma exarata nobis reddenda curent, ut ad perfectam apostolicarum literarum executionem huic nostro decreto inserere possimus.

De dotatione novarum sedium capitulorum.

§. 24. Porro metropolitanis, et cathedralibus ecclesiis sic constitutis, illud superesset, ut juxta receptam apostolicae Sedis consuetudinem de earumdem dotatione, et redditibus statueremus. Sed cum hanc ipsam dotationem Gallicanum gubernium, memoratae conventionis vigore, in se susceperit, ut quantum in nobis est praefatae consuetudini satisfaciamus, declaramus, earumdem ecclesiarum dotationem ex iis redditibus conflatam fore, qui ab ipso gubernio juxta praefatae conventionis tenorem singulis archiepiscopis, et episcopis quamprimum assignandi erunt, quosque sufficientes fore juste confidimus, ut iidem archiepiscopi et episcopi dignitatis suae decenter onera ferre, et omnia digne valeant implere.

De erectione novarum paroeciarum.

§. 25. Et quoniam, ut in saepe memorata conventione Parisiis peracta, atque a Sanctitate Sua per apostolicas supracitatas literas adprobata constitutum est, nova a futuris archiepiscopis, et episcopis paroeciarum circumscriptio in singulorum dioecesibus facienda est,

quam minime dubitamus talem futuram, quae fidelium in unaquaque dioecesi existentium tum copiae, tum necessitati respondeat, ne illis doctrinae pabula, sacramentorum subsidia, atque ad aeternam salutem assequendam adjumenta possint, deesse, ut impedimenta omnia quae expeditam, ac plenam ipsius conventionis, hac in parte executionem a singulis antistitibus peragendam retardare possent penitus removeantur, necessarium propterea ducimus, ut eo modo, quo de dioecesibus factum est, hujusmodi novae paraeciarum circumscriptioni viam sternamus. Hinc ergo est quod nos de praefata apostolica auctoritate nobiscum, ut supra, communicata, omnes, et singulas parochiales ecclesias, quae in territoriis dioecesium novae circumscriptionis, continentur, et in quibus animarum cura per quemcumque presbyterum exercetur, qui parochi, rectoris, vicarii perpetui, aut alio quocumque titulo, et appellatione gaudet, cum suis titulis, animarum cura, et jurisdictione quacumque, nunc pro tunc suppressas perpetuo fore declaramus; ita ut, cum singulis ecclesiis in unaquaque dioecesi in parochiales erectis singuli parochi, seu rectores novorum antistitum auctoritate praefecti fuerint, omnis antiquorum parochorum jurisdictio in territorio novis paraeciis assignato cessare prorsus debeat, neque ullus, praeter novos parochos, seu rectores a novis antistitibus institutos, illarum ecclesiarum, aut in eo territorio parochus, rector, aut alio quolibet titulo, et appellatione gaudens, censeri, et haberi, neque animarum in eo territorio contentarum curam exercere amplius possit.

De dotatione paraeciarum.

§. 26. Singulis vero parochialibus ecclesiis sic erigendis pro congrua rectorum sustentatione eos redditus, qui, ut in supradicta conventione statutum est, assignandi erunt, iidem archiepiscopi et episcopi dotationis locum habituros fore declarabunt.

De exemplari actorum novarum erectionum ab ordinariis praebendo.

§. 27. Haec omnia cum singuli antistites perfecerint, quod, quam citissime ut praestetur ab ipsis vehementer cupimus et hortamur, eorum quilibet nobis reddendum curet exemplar decreti authentica forma exaratum erectionis omnium ecclesiarum parochialium totius dioecesis suae, adjuncto singularum titulo, invocatione, extensione, terminatione, limitibus, congrua, adnotatisque nominibus civitatum, pagorum, et locorum, in quibus singulas paraecias erexerint, ut exemplar ipsum nostro pariter huic decreto inserere possimus ad supplendam enumerationem paraeciarum et locorum, ex quibus unaquaeque dioecesis extare debebit, quae juxta receptam consuetudinem a Nobis peragi debuisset.

De erectione seminariorum.

§. 28. Seminarium quoque, ut in supra memorata conventione similiter firmatum est, ad erudiendam in pietate, literis omnique ecclesiastica disciplina juventutem, quae clericalis militiae est viam ingressura, quibus poterunt modis, ac temporalibus adjumentis ad sacrorum canonum, et conciliorum sanctiones archiepiscopi, et episcopi omnes ecclesiis novae circumscriptionis praeficiendi, quam citissime fieri poterit, curent instituendum; eique sic erecto, et instituto eas leges praescribant, tum quod ad scientiarum studia, tum quod ad omnem pietatis, et disciplinae rationem, quae magis accommodatae suarum ecclesiarum utilitatibus, temporumque circumstantiis ipsis in Domino videbuntur.

De sacris suppellectilibus ecclesiarum parandis.

§. 29. In id praeterea archiepiscopi et episcopi ipsi sedulo incumbant, ut metropolitanae, et cathedrales ecclesiae, si quae vel reparatione aliqua indigeant, vel sacris suppellectilibus, caeterisque pro decenti pontificalium usu, divinique cultus exercitio vel omnino careant, vel non satis instructae sunt ad utramque rem ipsis necessaria comparentur.

De jurisdictione novorum ordinariorum.

§. 30. Metropolitanis, et cathedralibus ecclesiis, ut supra, erectis, finibus singularum dioecesium novae circumscriptionis designatis, caeterisque statutis, quae capitulorum, paraeciarum, et seminariorum erectiones, totamque Gallicanarum ecclesiarum ordinationem respiciunt, nos, de speciali, et expressa apostolica auctoritate, civitates in archiepiscopales, et episcopales, ut praefertur, erectas, itemque memoratas, et singulis ecclesiis pro dioecesi adscriptas, atque attributas provincias, seu regiones, et in iis contentos utriusque sexus habitatores et incolas, tam laicos, quam clericos et presbyteros, novis praedictis ecclesiis, illarumque futuris praesulibus, pro suis civitate, territorio, dioecesi, clero, et populo, perpetuo assignamus et respective in spiritualibus, et in ordine ad religionis officia supponimus, atque subjicimus. Quocirca personis, archiepiscopalibus et episcopalibus ecclesiis sic erectis et institutis, in archiepiscopos, et episcopos, tam pro hac prima vice,

quam aliis futuris vacationibus, apostolica auctoritate praeficiendis licebit (quemadmodum iisdem de simili auctoritate praecipimus, et mandamus) per seipsos, vel per alios eorum nomine, veram, realem, actualem, et corporalem possessionem, seu quasi regiminis, administrationis, et omnimodi juris dioecesani in respectivis praedictis civitatibus, et earum ecclesiis, et dioecesibus ac mensis archiepiscopalibus, et episcopalibus assignatis, vel assignandis, vigore literarum apostolicarum provisionis de eorum personis libere apprehendere, apprehensamque perpetuo retinere.

De cessatione jurisdictionis veterum rectorum ecclesiarum.

§. 31. Propterеaque statim ac novi archiepiscopi et episcopi canonice, ut supra, instituendi suarum ecclesiarum regimen actu consecuti erunt, omnis antiquorum archiepiscoporum, episcoporum, capitulorum, administratorum, ac sub alio quocumque titulo ordinariorum jurisdictio cessare prorsus debebit, facultatesque omnes ipsorum ordinariorum nullius amplius erunt roboris vel momenti.

De rebus ecclesiasticis insulas Indiarum occidentalium respicientibus.

§. 32. Demum, quoniam primi Galliarum reipublicae consulis vota et postulata in id etiam intenderint, ut in magnis illis insulis, amplisque Indiarum occidentalium regionibus, quae praesenti Gallicanae reipublicae dominationi subjacent, res ecclesiasticae componantur, et necessitati fidelium, qui magno numero eas incolunt regiones consulatur, cumque a ss. domino nostro per suas apostolicas sub plumbo literas sub datum Romae apud s. Mariam Majorem, anno incarnationis Dominicae 1801., tertio kalendas decembris, quarum initium; *Apostolicum universae*, hujusmodi negotio provisum sit; huic propterea operi manum jam apposuimus, ut ipsae apostolicae literae debitae executioni mandentur.

Reservationes speciales.

§. 33. Putamus tandem per apostolicas hic praeinsertas literas, nostrumque decretum ita provisum cuicumque rei, quae ad Gallicanarum ecclesiarum statum in omne reliquum tempus componendum conducat, ut omnibus dubiis, quaestionibusque aditus sit occlusus. Quod si forte acciderit, ut aliquae excitentur controversiae, aut super intelligentia, sensu, executione tum praedictarum literarum, tum decreti nostri dubium aliquod exoriatur, quoniam sanctissimo domino nostro visum est in iisdem literis ad controversias hujusmodi dijudicandas, et ad ea generatim perficienda omnia, quae per se ipsam S. S. efficere posset, amplissimis nos facultatibus instruere, declaramus ea dubia, quaestionesque, nullis excitatis contentionibus, quae ecclesiae non minus, quam reipublicae tranquillitatem perturbare possent, confestim ad nos deferri debere, ut eas explicare, dissolvere, componere, et respective interpretari, de praefata apostolica auctoritate possimus.

Derogatio contrariorum.

§. 34. Haec autem omnia tam in praefatis apostolicis literis, quam in praesenti decreto contenta, ab iis, ad quos spectat, inviolabiliter observari volumus: non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus etiam speciali et individua mentione dignis, caeterisque, quae Sanctitas Sua in dictis literis voluit non obstare.

In quorum fidem praesentes manu nostra signatas, secretarii nostrae legationis apostolicae subscriptione, nostroque sigillo muniri mandavimus. Datum Parisiis, ex aedibus nostrae residentiae, die 9. aprilis 1802.

J. B. cardinalis Caprara, *legatus*.

Loco ✠ Sigilli.

Josephus Antonius Sala, legationis apostolicae secretarius.

XCV.

Dat. die 18. dec. 1801. Anno II.

Providentiae, et favores concessi artibus, et commercio.

EDITTO

Giuseppe, del titolo di S. Pietro in Vincoli prete card. Doria Pamphilj della S. R. C. pro–camerlengo.

Cardinalis camerarius chirographum exequendum recepisse declarat.

§. 1. Se con le provide leggi dei 2. settembre 1800., e 11. marzo 1801. relative alla soppressione dei vincoli, che inceppavano la contrattazione, e l' interno trasporto dei generi frumentarj, e delle grascie, e cogli altri molti provvedimenti pubblicati in appresso per lo stesso favore generale dell'agricoltura, e specialmente poi colla cedola di moto proprio delli 4. novembre scorso, la santità di Nostro Signore, è venuta ad allontanare le cause principali, che nello stato ecclesiastico avevano a poco a poco procurato il decadimento di un' arte sì interessante, e al di cui prosperamento, lo

stato stesso, offre tutte le più vantaggiose disposizioni; sua Beatitudine non è meno impegnata in rimovere tutti gli ostacoli, che si oppongono all' altro importantissimo oggetto della industria delle manifatture, alle quali pure lo stato ecclesiastico si trova cotanto adattato, e che dopo l' agricoltura costituiscono senza dubbio la principale sorgente della pubblica, e privata opulenza: e a tale effetto la stessa Santità Sua sotto il giorno 16. del corrente dicembre si è degnata segnare una speciale cedola di moto proprio del seguente tenore

Pius PP. VII.

Motu proprio.

Tenor chirographi.

§. 2. Il lodevole desiderio d' introdurre una maggior perfezione nei lavori della mano di opera fece in addietro classificare le diverse arti in varj corpi separati, e distinti, e produsse quella folla di disposizioni, che costituiscono gli statuti di dette corporazioni, in forza dei quali, non solo prescrivonsi regole, e precetti colla più precisa analisi ad ogni grado di manifattura, incominciando dai primi, e più ordinarj lavori opportuni al di lei incremento, e progredendo sino ai più raffinati atti a perfezionarla, ma resta inoltre vietato d' ingerirsi nell' esercizio di alcuna arte, o mestiero, senza averne preventivamente riportato l' opportuna patente, la quale bene spesso non viene conceduta, se non mediante lo sborso di una data somma di danaro, e in molte arti anche alla sola opportunità di spacci vacanti nelle determinate distanze. Ma una istituzione, la quale inceppa in tanti modi il genio dell' industria e che tende di sua natura a diminuire, e restringere il numero de' fabbricanti, e degli artisti, e venditori, non sembra, che possa adattarsi a quelle riforme, che per il pubblico bene siamo stati astretti di fare all' antica legislazione economica de' Nostri dominj, la quale per le vicende accadute col tempo, e pel cambiamento delle circostanze si era resa nella massima parte incoerente, ed anche contraria a quelle viste di privato, e pubblico vantaggio, per le quali in altri tempi, e in altre circostanze era stata adottata. In vista di questi riflessi colla cedola di motoproprio dei 2. settembre 1800. riguardante il nuovo sistema di libero interno commercio rapporto ai generi frumentarj abolimmo tutte le università relative all' annona; in seguito coll' altra Nostra cedola di moto proprio degli 11. marzo 1801. non lasciammo di prescrivere la stessa disposizione eziandio rapporto a tutte le altre simili corporazioni relative agli oggetti, e al dipartimento della grascia. E animati dalle felici conseguenze, che ne derivarono, non meno che dall' esempio della maggior parte degli stati di Europa, nei quali già da qualche tempo con ottimo successo si trova abolita la predetta antica istituzione delle università di arti, e mestieri, vedemmo, che all' interesse dell' industria, e al bene dello stato avrebbe molto contribuito l' estendere indistintamente a tutte le arti, e professioni le determinazioni come sopra già prese per quelle relative all' annona, e alla grascia; cosicchè niuna venisse in avvenire ad esser priva di quella libertà che può esser sola efficace ad animarne, ed accrescerne la perfezione, e in tutte allignasse quella emulazione, che in vantaggio dei consumatori, e del popolo sempre ha luogo in quei generi, che dipendono dalla libera concorrenza degli artisti e dei venditori.

Ratio concessionum.

§. 3. Ma se in vista degli anzidetti riflessi di pubblico, e privato vantaggio ci sembra necessaria una tale estensione delle disposizioni già prese colle riferite due Nostre cedole di moto proprio, nello stesso tempo non è sfuggito alla Nostra attenzione, che una assoluta, e indefinita libertà non poteva convenire indistintamente a tutte le arti, e a tutte le professioni. Noi vedemmo che rapporto alle arti le più interessanti, e specialmente a quelle del lanificio, e della setaria, che tanto convengono ai Nostri dominj per la copia, e l' eccellenza delle materie prime, sarebbe stato avventurare la riputazione delle fabbriche, e manifatture già stabilite, se di slancio, e tutto in un tratto si fossero sottratti li respettivi manifattori da qualunque ispezione della legge, e sopra tutto dall' obbligo di corredare i loro tessuti, e le loro stoffe di quei merci, li quali indicando e la consueta portata della manifattura, e la sua regolarità, vengono a costituire la base della sicurezza dei consumatori principalmente forestieri. Noi non lasciammo parimenti di vedere, che rapporto ad altre professioni, come sono per esempio, quelle de' speziali, degli orefici, e de' fabbri ferrari, si sarebbe potuto compromettere la salute, e

la fede, e sicurezza pubblica se abolendo indistintamente tutte le regole, che costituivano li statuti di dette arti, e professioni, si fosse lasciata aperta la strada a chiunque, e per conseguenza anche alle persone incapaci, o pregiudicate, e sospette di esercitarle. E ci siamo sempre più confermati nella solidità di questi riflessi, vedendo che negli stati più rinomati per la floridezza dell' industria, e per la saviezza delle leggi, nell' atto di abolire le antiche corporazioni delle diverse arti si continuò ad assoggettarne li respettivi individui a quei regolamenti, che potevano esser diretti ad assicurare l' indennità de' consumatori rapporto alla regolarità, e perfezione delle manifatture, e che potevano avere un qualche rapporto coi divisati importanti oggetti di salute, o fede, e sicurezza pubblica. Onde dopo le più mature riflessioni, e anche in vista delle savie risoluzioni prese dalla congregazione economica su di tale materia nella sessione delli 21. settembre scorso, e che vennero da Noi intieramente approvate, abbiamo creduto di regolare in modo le Nostre determinazioni sopra questa interessante materia delle antiche corporazioni, che al momento, ed immediatamente dalla pubblicazione della presente Nostra cedola di moto proprio, eseguendosi la soppressione per quelle fra le anzidette corporazioni, e università che concernono le arti, e professioni meno importanti, o che non interessano la salute, o la fede, e sicurezza pubblica, le altre dovessero continuare a sussistere insino a tanto che dal particolare esame, che ci riserbiamo di fare della istituzione, e delle leggi di dette università, non siamo venuti in chiaro, se al pubblico bene convenga di confermarle, o modificarle, o sopprimerle; il tutto come meglio si rileva dalla estensione dei seguenti articoli.

De suppressione universitatum.

I. §. 4. Dalla pubblicazione della presente Nostra cedola di moto proprio in avvenire s' intenderanno perpetuamente soppresse, ed abolite, tanto in Roma, come in tutta l' estensione de' Nostri pontificj dominj le seguenti università, cioè » de' credenzieri, caffettieri, » giovani degli osti, magazzinieri, barbieri, » parrucchieri, calzolari, giovani calzolari, » ciabattini, sartori, giovani sartori, falegnami, facocchi d' arte grossa e sottile, » ferracocchi, ferrari d' arte grossa, carbonari mercanti, carbonari rivenditori, materazzari, sellari, regattieri, scalpellini, » muratori, imbiancatori, vassellari, piattari, caldarari, pettinari.

De suppressione statutorum, aliorumque privilegiorum.

II. §. 5. E unitamente a dette università d' ora inavanti s' intenderanno pure aboliti, e soppressi perpetuamente non meno li loro particolari statuti, che tutte le privative, esenzioni, facoltà, prerogative, limitazioni di spacci, e fissazioni di distanze fra di essi, e generalmente qualunque altro privilegio accordato alle stesse corporazioni, ed università, e di cui, o in forza di detti particolari statuti, o per qualunque legge, e concessione, esse, e i particolari loro individui si trovassero in godimento, e possesso.

De vetita moralium corporum unione.

III. §. 6. In coerenza pertanto dell' anzidetta prescritta abolizione tutti li particolari individui, che attualmente esercitano, o che eserciteranno in appresso alcuna delle surriferite arti, e professioni, non potranno d' ora innanzi avere più alcun dritto di rappresentanza sotto nome, e forma di corpo, professione, ed università, e resterà per conseguenza proibito a tutti, e a ciascuno di essi di fare in avvenire alcun' atto risguardante le rispettive soppresse università, e segnatamente di riscuotere alcuna tassa, o emolumento, ed anche semplice di adunarsi in corpo, sotto pena di scudi cinquanta, per ciascuna contravenzione, da applicarsi per una metà all' accusatore, che volendo sarà tenuto segreto, e per l' altra a beneficio de' conservatorj di educazione.

De exclusione unionum in ecclesiis suffragiorum causa.

IV. §. 7. E solo ai predetti particolari individui esercenti le arti, e professioni di sopra nominate sarà permesso di unirsi nelle loro chiese all' occasione de' suffragi, o di quegli altri pii, e religiosi oggetti, li quali sono comuni alle altre confraternite della città, come anco per l' amministrazione, o direzione degli ospedali annessi alle rispettive chiese, quando questi vi fossero; ma senza che per altro anche per li suddetti due pii, e religiosi oggetti possano essi sottoporre ad alcuna tassa, o pagamento forzoso, di qualunque benchè minima somma i particolari individui, dai quali per conseguenza l' indicate chiese, ed ospedali, non potranno ricevere, che le sole volontarie oblazioni.

De libero exercitio artium.

V. §. 8. E in conseguenza sarà perciò d' ora innanzi a ciascheduno permesso il libero esercizio delle arti, e professioni summentovate,

senza che sia obbligato di prendere la matricola, ossia patente solita dispensarsi, di pagare alcuno benchè picciolo emolumento, e in fine di soggiacere a veruna di quelle pratiche, e di quei regolamenti, che si trovano prescritti dagli statuti delle riferite soppresse università, onde mediante una tale libertà li particolari individui applicati all' esercizio di dette arti, e professioni possano in avvenire in vantaggio del pubblico vicendevolmente emularsi e sulla perfezione del lavoro, e sul decremento dei prezzi.

De extinctione processuum pro criminibus patratis contra praescripta in statutis.

VI. §. 9. Per una sequela necessaria della presente abolizione delle summentovate corporazioni, vogliamo pure, e comandiamo, che immediatamente dalla pubblicazione di questa stessa Nostra cedola di moto proprio, si abbiano per nulle, ed irrite, come Noi espressamente cassiamo, ed annulliamo tutte le inquisizioni, e processure criminali, e tutte le condanne, o ancora pendenti, o in altro qualsivoglia modo sinora non eseguite contro qualsivoglia persona per causa di contravvenzioni alle leggi, statuti, ed altri qualsivogliano regolamenti delle summentovate soppresse università, dichiarando sino da ora tutti, e singoli con generale assoluzione pienamente, e totalmente assoluti da ogni processura, inquisizione, e pena, che possano avere, e pretendersi incorse per causa di dette trasgressioni, ancorchè più volte replicate; bene inteso però, che tale assoluzione non si estenda a quei delitti, che sono riprovati dalle disposizioni del diritto comune.

Declaratio specialis.

VII. §. 10. In ordine poi alle arti, e professioni non nominate di sopra all' articolo 1., le quali perchè riguardano oggetti concernenti la salute, fede, e sicurezza pubblica, non conviene che si lascino in una assoluta, ed indefinita libertà, vogliamo che non si faccia alcuna innovazione alle respettive antiche corporazioni, e università insino a tanto che dalla Nostra congregazione economica, premesse le opportune più mature discussioni non si riconosca se alla perfezione dell' industria, e al pubblico, e privato interesse convenga di confermarne alcuna, ovvero modificarle, ed anche sopprimerle. Nel caso che si giudicasse di prendere quest' ultimo partito, dovrà la congregazione stessa combinare anticipatamente le opportune provvidenze, onde in seguito di una tale abolizione non derivi alcun danno, o pregiudizio al privato, e pubblico bene; con avvertire sopra tutto in via di massima, e di regola assolutamente inalterabile, che le indicate nuove povvidenze da sostituirsi agli statuti dalle respettive soppresse università. » siano tutte dirette alla buona qua» lità della mano d' opera, ed alla maggiore » perfezione della respettiva arte, o profes» sione, come pure ai divisati interessanti og» getti di salute, fede, o sicurezza pubblica, » e non mai alla fissazione dei prezzi della » stessa mano d' opera, all' acquisto, ed in» cetta privativa dei generi inservienti alla » lavorazione, al pagamento di tasse, o altra » qualunque cosa, la quale possa pregiudica» re all' industria delle manifatture, e arre» stare li felici effetti della libera concorren» za degli artisti, e de' venditori ». Volendo inoltre che la stessa congregazione economica incominci subito sino da ora ad assumere l' anzidetta discussione relativa all' enunciata conferma, modificazione, o soppressione delle corporazioni, ed università, le quali provisionalmente soltanto lasciamo sussistere nel loro antico piede, e che la conduca al suo termine al più presto che sarà possibile, e in modo che non più tardi della fine del venturo anno 1802. siano pienamente ultimate, e possano per conseguenza pubblicarsi le providenze, e li regolamenti, che dovranno stabilmente osservarsi in tutta l'estensione de' Nostri pontificj dominj da chiunque ora è applicato, o intenderà in appresso applicarsi alle diverse classi di arti, e di manifatture.

Idem ut supra.

VIII. §. 11. Di mano, in mano, che dalla prefata Nostra congregazione economica, coll' avvertenze di sopra descritte, si giudicasse opportuno venire alla soppressione di alcuna delle predette corporazioni, ed università, le quali come sopra provvisionalmente soltanto ora lasciamo sussistere sul loro antico piede, vogliamo, che in ordine a ciascuna di dette università, che si andasse sopprimendo abbiano luogo, e si osservino con ogni esattezza tutte le disposizioni, le quali di sopra agli art. 2. 3. 4. 5. 6., sono state prescritte, per quelle, che in seguito della presente Nostra cedola di moto proprio restano al presente immediatamente abolite, e senza che per questo debba esservi bisogno di alcuna nuova dichiarazione.

Idem ut supra.

IX. §. 12. Anche in ordine però alle corporazioni, ed università, che come sopra sino

Digitized by Google

da ora debbono restare abolite, e soppresse, sarà autorizzata la stessa congregazione economica di assoggettare li respettivi individui esercenti le arti, e professioni, alle quali si riferiranno dette università, e corporazioni, a tutti quei regolamenti, li quali dalla medesima si giudicassero necessarj per la maggior perfezione delle stesse arti, e professioni, e per il miglior servizio del pubblico.

De timbro mercibus alligando.

X. §. 13. Avendo in fine riflettuto che l'interesse dell' industria delle arti richiede, che le diverse produzioni dell' industria stessa non possano circolare liberamente nell' interno dello stato, senza essere corredate dei bolli e degli attestati esprimenti questa loro qualità, poichè altrimenti in pregiudizio, ed anzi con totale rovina delle fabbriche interne, le manifatture forestiere si usurperebbero, e goderebbero il vantaggio della esenzione accordata alle nostrali, perciò dichiariamo che la libertà accordata colla presente Nostra cedola di moto proprio alle diverse arti, non dovrà estendersi eziandio agli attuali vigenti regolamenti di finanza rapporto all' obbligo de' surriferiti bolli, ed attestati, quali regolamenti per conseguenza, ed in particolare quelli contenuti nelli due editti delli 27. ottobre 1786. e dei 28. novembre 1791. vogliamo che anche in appresso, e in ogni tempo abbiano il loro pieno effetto, esecuzione, e vigore.

Cedula motus proprii pro observantia praemissorum.

§. 14. Colla presente Nostra cedola di motoproprio pertanto, in cui abbiamo per espresso, e di parola in parola inserto il tenore di tutte le costituzioni, bolle, editti, statuti, ed altre leggi risguardanti l'erezione, e i privilegi delle università, o siano corporazioni delle diverse arti, come pure di qualunque altra cosa quanto si voglia necessaria ad esprimersi, di certa scienza, moto proprio, e pienezza della Nostra suprema podestà, ordiniamo, e comandiamo, che sì in Roma, come in tutta l'estensione de' Nostri pontificj domini, ed ora in ogni tempo avvenire abbia il suo pieno effetto, ed il più esatto adempimento quanto si dispone nei surriferiti inserti articoli, tanto rapporto all' immediata soppressione delle corporazioni, e università di arti, e di mestieri, le quali sono per tale effetto state da Noi specificatamente individuate, quanto in ordine alla conferma, modificazione, o soppressione delle altre non nominate, e che come sopra provisionalmente soltanto lasciamo sussistere nel loro antico piede; derogando a tale effetto colla stessa pienezza della Nostra sovrana podestà a tutte, e singole le anzidette bolle, costituzioni, statuti, ed ogni altra cosa, che potesse fare in contrario; quali disposizioni tutte intendiamo di sopprimere, ed abolire, e che per conseguenza non debbono più aver luogo, ed effetto alcuno in quelle parti, che si oppongono al tenore, ed alle determinazioni dei surriferiti inserti articoli.

Deputatio executoris apostolici.

§. 15. E l' esecuzione di tutte le anzidette determinazioni contenute nel presente Nostro moto proprio commettiamo all' enunciata congregazione economica, a cui per conseguenza conferiamo tutte le necessarie facoltà, anche di suddelegare, peraltro col Nostro preventivo oracolo, tutte quelle persone, delle quali giudicasse espediente di servirsi per il più sollecito ed esatto adempimento delle enunciate ingiuntegli incombenze: specialmente poi autorizziamo la stessa Nostra congregazione economica a dare nei casi particolari tutte quelle determinazioni, ordini, e decisioni, che per la migliore esecuzione delle disposizioni prescritte con questa stessa Nostra cedola di moto proprio, giudicherà occorrere. E vogliamo, ed espressamente dichiariamo che da queste risoluzioni, e decisioni della predetta congregazione come si conviene ad un tribunale, che non è giudiciale, ma bensì unicamente incaricato della riforma della legislazione, non si dia mai alcuna appellazione, ma che soltanto sia luogo alla revisione da commettersi da Noi alla congregazione medesima, poichè tale è mente, e volontà Nostra espressa.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 16. Volendo, e decretando, che alla presente Nostra cedola di moto proprio, benchè non esibita, nè registrata in camera, e nei suoi libri non possa mai darsi, nè opporsi di surrezione, orrezione, e di alcun altro vizio, o difetto della Nostra volontà, ed intenzione, ma che così, e non altrimenti debba sempre ed in perpetuo giudicarsi, definirsi, ed interpretarsi da qualsisia giudice, o tribunale, benchè collegiale, congregazioni anche di reverendissimi cardinali legati a latere, camerlengo di S. Chiesa, tesoriere, rota, camera, e qualunque altro, togliendo loro ed a ciascuno di essi ogni facoltà, e giurisdizione di definire, ed interpetrare in contrario; dichiarando Noi sin d' adesso nullo, irrito, ed invalido

tuttociò che da ciascuno di essi con qualsivoglia autorità scientemente, o ignorantemente si giudicasse, o si tentasse di giudicare contro la forma del presente Nostro moto proprio, quale dovrà avere il suo pieno vigore benchè non vi sia stata chiamata, nè sentita qualunque persona, o corpo benchè privilegiatissimo, ecclesiastico, luoghi pii, ed altri che avessero, o pretendessero avervi interesse.

Derogatio contrariorum.

§. 17. Non ostante la bolla di Pio IV. *de registrandis* la regola della Nostra cancellaria *de jure quaesito non tollendo*, e non ostanti ancora qualsisiano chirografi, brevi, ordinazioni, e costituzioni apostoliche, Nostre, e de' Nostri predecessori, bandi, ed editti, leggi, statuti, riforme, stili, e consuetudini, e qualunque altra cosa che facesse, o potesse fare in contrario: alle quali cose tutte, e singole avendone il tenore qui espresso, e di parola in parola inserto, e registrato, e supplendo colla pienezza della suprema Nostra potestà, ad ogni vizio, o difetto, che vi potesse intervenire per questa volta sola, e per la piena esecuzione di quanto si contiene nella presente Nostra cedola di moto proprio ampiamente, ed in ogni più valida forma deroghiamo. Dato dal Nostro palazzo apostolico Quirinale questo di 4. dicembre 1801.

Pius PP. VII.

Executio.

§. 18. Nel dedurre pertanto a notizia del pubblico le surriferite benefiche pontificie determinazioni, ne comandiamo, ed inculchiamo la più pronta, ed esatta osservanza; mentre contro dei trasgressori si userà tutto il rigore che richiede l' importanza dell' oggetto, a cui sono esse dirette, procedendosi a tale effetto eziandio per inquisizione, ed ex officio.

Ed il presente nostro editto pubblicato, ed affisso, che sia nei soliti siti di questa capitale, e delle altre città, o luoghi principali dello stato ecclesiastico obbligherà ciascuno, come se gli fosse personalmente intimato. Dato in camera apostolica questo di 18. dic. 1801.

G. card. Doria Pamphilj pro-camerlengo.

P. Ferrari uditore.

G. Pecci commiss. gen. della R. C. A.

N. Nardi segr. e canc. della R. C. A.

XCVI.

Dat. die 18. dec. 1801. Anno II.

Perpetua privilegia utendi bugia, canonis libro, aliisque insignibus pro canonicis metropolitanae Firmanae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. In sanctae apostolicae Sedis fastigio, meriti licet imparibus, constituti ad statum ecclesiarum omnium, quarum Nobis a Domino commissa est sollicitudo, personarumque in eis Altissimo famulantium propensis studiis animum jugiter intendimus, illarumque decori, et honorificentiae paterna benignitate, prout rationi consentaneum esse in Domino arbitramur, libenter consulimus.

Expositio precum.

§. 2. Cum igitur sicut Nobis nuper exposuit dilectus filius Noster Caesar Sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis Brancadoro nuncupatus metropolitana ecclesia Firmana antiquitatis laude, templi majestate, patrimonii amplitudine, dignitatum, canonicorumque numero, pietate, et scientia non mediocriter floreat, ac multi praeterea virtute, meritis, et amplissimis dignitatum gradibus praeclari viri ex ejusdem capituli gremio prodierint, inter quos vel ipse Caesar cardinalis, qui olim in eadem metropolitana archipresbyteratus dignitate praefulsit, multum splendoris, et ornamenti ad ipsam ecclesiam accederet, et divinus in ea cultus, populique devotio majora susciperet incrementa, si ejusdem metropolitanae dignitates, et canonici novis praerogativis, novisque decorationibus donentur. Nobis propterea ipse Caesar cardinalis humiliter supplicavit, ut iisdem capitulo, et canonicis in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur praedicti cardinalis intuitu capitulum, et canonicos hujusmodi specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorumdem dignitatum et canonicorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus

Digitized by Google

inclinati, dignitates, et canonicatus in dicta metropolitana ecclesia Firmana obtinentibus, praesentibus, et perpetuis futuris temporibus tam in civitate, quam in dioecesi Firmana talarem vestem violacei coloris in choro, processionibus, missis privatis, et solemnibus, ac sacri quibusvis functionibus induere, et palmari vulgo bugia, in sacris privatim, et solemniter faciendis, ac in aliis quibusvis presbyteralibus functionibus uti, atque canonis librum in medio altaris ad episcoporum instar etiam praesente eorum archiepiscopo, et quibusvis aliis quacumque ecclesiastica dignitate fulgentibus in sacris pariter faciendis habere; nec non pileum fasciola serica ejusdem violacei coloris obvolutum publice gerere. Tam intra vero, quam extra praedictam civitatem, et dioecesim Firmanam parvam crucem non solum magnitudine, sed etiam forma ipsa, et specie ab episcopali prorsus discrepantem, in cujus antica B. Mariae V. ejusdem metropolitanae titularis, in postica vero sancti Savini effigies sit insculpta, flocco nigro ante pectus suspensam gestare libere, et licite possint, ac valeant, et quilibet eorum possit, ac valeat auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus atque impertimur; ipsos vero super praemissis a quoquam quovis praetextu, causa, et occasione molestari, et perturbari, aut impediri nullatenus umquam posse.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Sicque et non aliter per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, et S. Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et dictae Sedis nuncios sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpetrandi facultate, et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non quatenus opus sit metropolitanae ecclesiae Firmanae, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis in genere vel in specie, sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, et alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, et pluries innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro eorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialibus, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima octava decembris millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

XCVII.

Dat. die 18. dec. 1801. Anno II.

Instante rege catholico, fratribus Augustinianis in Indiis missionarii munere ad statutum tempus functis diversi tribuuntur dignitatis gradus, praedicatoris jubilati scilicet, praesentati, et concionatoris generalis habita ratione temporis, quo in illis regionibus commorati fuerint.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Laudes regis catholici.

§. 1. Quam singularis in divino honore promovendo, fideque augenda, et religione Nostra propaganda Hispaniarum regum catholicorum semper extiterit zelus, cum ex multis ab ipsis regibus fortiter, sapienterque gestis apparet, tum etiam ex eo quod religiosis viris evangelicum lumen apud remotissimas, et efferatas gentes diffundere nitentibus gratia, studio, ope, et praesidio adesse nullo umquam tempore destiterunt.

Ratio concessionis.

§. 2. Quamquam vero evangelicorum operariorum hujusmodi labores, curae, et pericula in illis regionibus tot, tantaque sunt, ut humanis praemiis non apte decorari posse vi-

deantur, tamen, ne quis existimet, eosdem religiosos viros dignitatis gradibus, quos in nationalibus suis conventibus degentes assequi potuissent, prorsus privari, atque ut immortali gloriae sibi paratae in coelis quidquam decoris praecedat etiam in terris, carissimus in Christo filius Noster Carolus earumdem Hispaniarum rex catholicus, ac regnorum non minus, quam avitarum virtutum haeres anno MDCCXCIV. ab hac apostolica Sede petiit, et obtinuit, ut per apostolicas in simili forma Brevis tunc expeditas literas nonnulli statuerentur honores fratribus ordinis Praedicatorum, qui in California sibi subjecta se in sacris missionibus explendis ad statutum tempus exercuissent: nunc autem, ut quibus communes sunt labores, communia sint et praemia eosdem honorificos gradus pro fratribus ordinis eremitarum sancti Augustini in Indiis eodem evangelico ministerio fungentibus a Nobis, et Sede praedicta constitui plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur, quibus pro pastoralis officii humilitati Nostrae ex alto commissi sollicitudine nihil gratius, nihil antiquius esse debet, quam in eos beneficia effundere, qui de catholica religione sunt benemeriti, piis ipsius Caroli regis votis, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, ac omnes, et singulas personas, quibus praesentes Nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, omnibus, et singulis fratribus ordinis praedicti sancti Augustini, de quibus per literas testimoniales vicarii provincialis, seu superioris missionum, ordinarii ecclesiastici, et pro-patroni regii etiam, quatenus opus erit, apud regium consilium Indiarum ejusdem Caroli regis exhibendas, se in regnis Indiarum in optimos evangelicos ministros gessisse constet, si per duodecim annos, gradum praedicatoris, seu concionatoris jubilati, si per sexdecim annos, gradum praesentati, si per annos viginti, gradum praedicatoris generalis in omnibus, et singulis suis provinciis, et conventibus, ac cum omnibus respectivis honoribus, privilegiis, juribus, gratiis, exemptionibus, et indultis, quae gradibus praedictis juxta ipsius ordinis statuta, et stabilimenta, vel de jure, usu, et consuetudine respective annexa sunt, in omnibus, et per omnia, perinde ac si eosdem gradus revera, ac de justitia obtinuissent, apostolica auctoritate, quin ullam habeant necessitatem literarum patentalium superioris generalis ordinis, sed vigore dumtaxat praesentium concedimus, et indulgemus.

Praeceptum de obediendo.

§. 4. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis Nostrae, aliisque arbitrio Nostro poenis omnibus, et singulis superioribus, ac fratribus, et personis, caeterisque quibuscumque, ad quos quomodolibet spectat, et in futurum spectabit, ut eosdem evangelicos ministros gradibus, honoribus, ac privilegiis uti, frui, et gaudere sinant, et permittant.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, ac auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus om-

nibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 7. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia decembris millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 23. dec. 1801. Anno II.

XCVIII.

Erectio ecclesiae sanctae Mariae de Victoria in titulum presbyteralem.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Christiani gregis pastor universalis, cui rex ipse coelestis ecclesiarum omnium curam commisit, de eorumdem statu praecipue excogitans, plerumque plenitudine suae potestatis nonnulla, habita praevia consultatione disponit, et ordinat, quae dum illarum regimen alicui credere atque assignare statuit, in Domino conspicit salubriter expedire.

Ratio concessionis.

§. 2. Cum itaque, sicut accepimus, ecclesia sancti Matthaei in Merulana nuncupata de urbe, quae titulus presbyteri cardinalis existit, cui bo. me. Andreas, dum viveret Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis Corsini nuncupatus, olim praeerat, ex eo quod dictus Andreas, dimissa prius per eum dicta ecclesia s. Matthaei, ecclesiam episcopalem Sabinensem certo tunc expresso modo vacantem, de more optavit, per dimissionem, et optionem hujusmodi vacaverit, et vacet ad praesens; et inde ob temporum circumstantias, ita diruta, et pene a fundamentis eruta sit, ut non solum in ea divini cultus exercitium defecerit, sed vix vestigia de ea reperiantur, pro eo quod ecclesiam hujusmodi in pristinum redigendum statum, maxime esset elaborandum, atque impendendum.

Suspensio collationis in titulum cardinalatum usque ad plenam reintegrationem.

§. 3. Nos attenta de hoc relatione congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositae, ecclesiam praefatam s. Matthaei, donec et quousque in pristinam conditionem fuerit redintegrata, in titulum alicui ex ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus conferre, et assignare suspendimus.

Subrogatur in ejus locum ecclesia s. Mariae de Victoria nuncupata.

§. 4. Ne autem in hoc alma urbe Nostra juxta constitutionem felicis recordationis Sixti papae V. praedecessoris Nostri ecclesiarum numerus, Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus in titulum assignandarum, interim minuatur, in ejusdem s. Matthaei ecclesiae locum, causa hujusmodi tantum durante, motu proprio, de venerabilium quoque fratrum Nostrorum praedictae Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consilio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, ecclesiam s. Mariae de Victoria nuncupatam de urbe praedicta in titulum presbyteralem cardinalitium creamus, erigimus, atque constituimus, illiusque bona, membra, et jura, legibus eisdem, ut in aliis hujusmodi ecclesiis a praedicto Sixto, aliisque Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris, in titulum cardinalitium usque adhuc erectis, factum cognoscimus, de more subjicimus; ita ut ecclesia praefata s. Mariae de Victoria in titulum cardinalitium per Nos, sicut praefertur, erecta, ex nunc deinceps, et donec causae propter quas praesentes literae emanarunt, in aliarum ecclesiarum hujusmodi numero recenseatur, et uni ex ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus presbytero, in titulum assignari, et conferri volumus, atque statuimus.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus praedicti Sixti, ac aliorum Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictarumque respective ecclesiarum etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis personis quavis auctoritate concessis, approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus spe-

Digitized by Google

cialis specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, illorumque omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime, ac specialiter et expresse, nec non opportune et valide, hac vice dumtaxat, harum serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis. §. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suspensionis, erectionis, constitutionis, subjectionis, voluntatis, statuti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae, millesimo octingentesimo primo, decimo kalendas januarii, pontificatus Nostri anno secundo.

Visa I. Manassei.
A. card. pro-datarius.
R. card. Braschius de Honestis.
F. Lavizzarius S. M. de Victoria.

Notitiae circa originem ecclesiae s. Mariae de Victoria. §. 7. Hanc ecclesiam in titulum presbyteralem cardinalitium erexit Pius Papa VII. in consistorio secreto die XXIII. dec. MDCCCI. in locum ecclesiae presbyteralis sancti Matthaei in Merulana, durante tantum devastatione hujus ecclesiae.

Rescripta s. congregationis Rituum super suppressione ecclesiae s. Matthaei in Merulana. §. 8. Prima vero mens fuerat pontificis supprimendi hunc titulum sancti Matthaei, attenta ipsius ecclesiae devastatione: sed proposito dubio in prima sacrorum rituum congregatione » An titulus s. Matthaei in Merulana sit supprimendus? » Ob votorum inaequalitatem nil conclusum remansit. In secunda » Negative » In tertia » Negative » fuit resolutum: ideoque pontifex statuit ut supra etc.

IC.

Dat. die XX. dec. 1801. Anno II.

Concessio usus mantellettae loco mozzettae pro archipresbytero collegiatae ecclesiae terrae de Otricoli Narniensis dioecesis.

Dilecto filio Nicolao Niccolò insignis collegiatae ecclesiae terrae de Otricoli Narniensis dioecesis archipresbytero.

Pius PP. VII.

Dilecte fili Noster salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Ex Romani pontificis, et apostolicae Sedis beneficentia provenire dignum est, ut in illis ecclesiis, in quibus ad majorem omnipotentis Dei gloriam sacra ministeria, divinaeque laudes magna cum ministrorum frequentia, et confluentium honorum pietate celebrantur primi ministrorum praecipuis insignils, et sacris indumentis decorentur.

Expositio precum. §. 2. Quoniam vero, sicut Nobis nuper exponi fecisti tu qui, (ut asseris) in sac. diaconatus ordine constitutus, ac insignis collegiatae ecclesiae terrae de Otricoli Narniensis dioecesis archipresbyter, qui inibi prima dignitas est, existis, et usum mozzettae cum rocchetto habes, quemadmodum alii canonici ex concessione apostolica gestare solent, loco mozzettae hujusmodi mantellettae nigrae supra rocchettum usum per Nos concedi summopere desideras. Nobis propterea humiliter supplicare fecisti, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur, te specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi, tuisque pro tempore in dignitate archipresbyteri hujusmodi successoribus loco mozzettae usum mantellettae nigrae supra rocchettum tam in choro, quam in quibusvis functionibus, et actibus capitularibus tum publicis, tum privatis, ac processionibus pro tempore in dicta terra de Otricoli, et dioecesi Narniensi habendis, sine ullo tamen praejudicio tibi ratione dignitatis hujusmodi competentium habere libere, et licite possis, et valeas, dictique successores praedicti possint, et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Digitized by Google

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas, semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac tibi, successoribusque praedictis in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae collegiatae ecclesiae, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia decembris millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 23. dec. 1801. Anno II.

C.

Instante rege catholico, fratribus ordinis Eremitarum s. Augustini excalceatorum recollectorum nuncupatorum in Indiis missionum munere functis diversi statuuntur dignitatis gradus.

Pius. PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Laudes regis catholici.

§. 1. Quam singularis in divino honore promovendo, fideque augenda, et religione Nostra propaganda Hispaniarum regum catholicorum semper extiterit zelus, cum ex multis ab ipsis regibus fortiter, sapienterque gestis apparet, tum etiam ex eo quod religiosis viris evangelicum lumen apud remotissimas, et efferatas gentes diffundere nitentibus gratia, studio, ope, et praesidio adesse nullo umquam tempore destiterunt.

Ratio concessionis.

§. 2. Quamquam vero evangelicorum operariorum hujusmodi labores, curae et pericula, in illis regionibus tot, tantaque sunt, ut humanis praemiis non apte decorari posse videantur, tamen ne quis existimet, eosdem religiosos viros dignitatis gradibus, quos in nationalibus suis conventibus degentes assequi potuissent, prorsus privari, atque immortali gloriae sibi paratae in coelis quidquam decoris praecedat etiam in terris, carissimus in Christo filius Noster Carolus earumdem Hispaniarum rex catholicus, ac regnorum non minus, quam avitarum virtutum haeres anno millesimo septingentesimo nonagesimo quarto ab hac apostolica Sede petiit, et obtinuit, ut per apostolicas in simili forma Brevis tunc expeditas literas nonnulli statuerentur honores fratribus ordinis Praedicatorum, qui in California sibi subjecta se in sacris missionibus explendis ad statutum tempus exercuissent: nunc autem, ut quibus communes sunt labores, communia sint et praemia, eosdem honorificos gradus pro fratribus ordinis Eremitarum s. Augustini excalceatorum recollectorum nuncupatorum in Indiis eodem evangelico ministerio fungentibus, a Nobis, et Sede praedicta constitui plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur, quibus pro pastoralis officii humilitati Nostrae ex alto commissi sollicitudine nihil gratius, nihil antiquius esse debet, quam in eos beneficia effundere, qui de catholica religione sunt benemeriti, piis ipsius Caroli regis votis, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, ac omnes, et singulas personas, quibus praesentes Nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, omnibus, et sin-

gulis fratribus ordinis praedicti, de quibus per literas testimoniales vicarii provincialis, seu superioris missionum, ordinarii ecclesiastici, et pro-patroni regii etiam, quatenus opus erit, apud regium consilium Indiarum ejusdem Caroli regis exhibendas, se in regnis Indiarum in optimos evangelicos ministros gessisse constet, si per duodecim annos, gradum ex-definitoris provinciae, si per sexdecim annos, gradum lectoris jubilati, si per annos viginti, gradum ex-provincialis cum loci praecedentia, sed sine ferendo suffragio in capitularibus congressibus; et quatenus praeterea munere etiam vicarii provincialis per quinquennium functi sint, eumdem ex-provincialis gradum cum suffragio ferendo in dictis capitularibus congressibus, sed sine praecedentia loci, quae ex-provincialibus, quos de jure appellant, etiam junioribus remaneat, cum omnibus, et singulis reliquis respectivis honoribus, privilegiis, juribus, gratiis, exemptionibus, et indultis, quae gradibus praedictis juxta ipsius ordinis statuta, et stabilimenta, vel de jure, usu, et consuetudine respective annexa sunt in omnibus, et per omnia, perinde ac si eosdem gradus revera, ac de justitia obtinuissent, apostolica auctoritate, quin ullam habeant necessitatem literarum patentalium superioris generalis ordinis, sed vigore dumtaxat praesentium concedimus, et indulgemus.

Praeceptum de obediendo.

§. 4. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis Nostrae, aliisque arbitrio Nostro imponendis poenis, omnibus, et singulis superioribus, ac fratribus, et personis, caeterisque quibuscumque, ad quos quomodolibet spectat, et in futurum spectabit, ut eosdem evangelicos ministros gradibus, honoribus, ac privilegiis uti, frui, et gaudere sinant, et permittant.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 7. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis manu alicujus notari publici subscriptis, et sigillo alicujus personae ecclesiasticae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia decembris millesimo octingentesimo primo, pontificatus Nostri anno secundo.

CI.

Dat. die 11. jan. 1802. Anno II.

Concessio juris privativi pro fabricatione vitrorum in civitate, et dioecesi Asculana favore Augustini Benignetti.

Giuseppe del titolo di s. Pietro in Vincoli prete cardinal Doria Pamphili della R. C. A. pro-camerlengo.

Cardinalis pro camerarius chirographum exequendum recepisse profitetur.

§. 1. Avendo conosciuto la Santità di Nostro Signore Papa Pio VII. le felici conseguenze, che risultano dall' introduzione di nuove manifatture in quei luoghi del suo stato, che ne sono privi, si è benignamente degnata di ac-

cogliere l' istanza di Agostino Benignetti concedendogli per un decennio la privativa di poter erigere nella città, e territorio di Ascoli una, o più fabbriche di vetraria nei termini del qui inserto chirografo segnato dalla stessa Santità Sua il dì 11. del prossimo passato mese di gennajo, ed esibito negli atti dell' infrascritto segretario, e cancelliere della reverenda camera apostolica del tenore seguente cioè.

Rever. card. Giuseppe Doria Pamphilj pro-camerlengo.

Tenor chirographi.

§. 2. » Lo stabilimento di nuove fabbriche di utili manifatture, poichè tende direttamente al pubblico bene è un oggetto, che esige tutta la considerazione, e riguardi sovrani. Fra le sorgenti infatti dell' opulenza, e della floridezza di uno stato, deve senza fallo annoverarsi l' industria dell' arti, la quale mentre fornisce l' interno delli necessarj comodi della vita aumenta la pubblica ricchezza, mediante l' esterna esportazione de' suoi prodotti. Questi giusti principj, de' quali siamo intimamente persuasi ci hanno indotti a benignamente accogliere la supplica ultimamente esibitaci da Agostino Benignetti di Ascoli, il quale dopo averci rappresentato, che la surriferita sua patria, ed il suo territorio per esser privo del tutto delle fabbriche di vetreria, è costretta a ricorrere con infinito pregiudizio a quelle di altri dominj per provvedersi in esse degli utensili tutti di questa materia, i quali si rendono presso, che necessarj agli usi della vita. Si è egli stesso esibito di erigere a tutto suo rischio, e spese una fabbrica di simili manifatture a condizione di riportar da Noi la grazia di poter esercitare, e condurre privativamente la fabbrica stessa per un lasso determinato di tempo. Ed avendoci voi riferito che col mezzo del governatore di detta città avete pienamente verificato la sussistenza dell' esposte rappresentanze, e che realmente sarà per risultare alla sovraindicata città, e territorio molto utile dalla istituzione della fabbrica, che si richiede, siamo venuti nella determinazione di condiscendere all' istanza suddetta. Col mezzo pertanto del presente Nostro chirografo, in cui abbiamo per espresso, e di parola in parola inserto il tenore di detta supplica esibitaci non meno, che dell' informazione riportata dal giusdicente locale di detta città di Ascoli, e di ogni altra cosa, quantosivoglia necessaria ad esprimersi diamo e concediamo ad Agostino Benignetti di Ascoli il diritto privativo di fabbricare, e lavorare qualunque specie di vetri, e formare ogni specie di manifattura, colli seguenti patti, e condizioni ».

Pacta, et conditiones concessioni alligandae.

I. §. 3. » Che il suddetto privilegio di privativa fabbricazione debba intendersi soltanto esteso nella Nostra città, e territorio di Ascoli ad eccezione di quei luoghi i quali sebbene esistenti nel surriferito territorio potessero nulladimeno essere compresi nell' altra simil privativa, di cui trovasi in possesso Antonio Cruciani di Macerata; e che a forma della concessione riportata in vigore di chirografo concesso a favore del medesimo dalla fel. me. di Pio Papa Sesto sotto il dì 8. febbrajo 1787. da durare per anni venti, e si estende quaranta miglia all' intorno di detta Nostra città di Macerata, quali luoghi, per conseguenza dovranno continuare a rimanere compresi nella privativa del Cruciani fino che sarà essa in vigore, e questa cessata in febbrajo dell' anno 1808. resteranno incluse nella presente privativa ».

II. » Che il suddetto privilegio esclusivo s' intenda limitato, e ristretto soltanto alla fabbricazione, e non mai alla vendita de' generi manifatturati in modochè a nium' altro, fuori che al suddetto Benignetti, o chi avrà causa da lui sia lecito di lavorare, o costruire entro la suddetta estensione di territorio, così privilegiato, alcuna sorta di vetri come tutti possano spacciare, e vendere le simili manifatture di vetro tanto prodotte da altre fabbriche nostrali, quanto di estera provenienza, purchè per questo siasi pagato la gabella, la quale trovasi attualmente in vigore ».

III. » Che la presente concessione s' intenda accordata per il lasso di dieci anni soltanto, quali decorsi sarà in libertà non solo del suddetto Benignetti, ma di chiunque altro ancora di eriger fabbriche di vetri; e lavorarli anche nell' estensione di detto territorio, e città di Ascoli ».

IV. » Che la suddetta nuova fabbrica, che si esibisce di erigere il Benignetti surriferito, debba essere non solamente eretta, stabilita, ma debba inoltre trovarsi assortita di manifatture vendibili entro lo spazio di due anni almeno, dalla data della presente concessio-

Digitized by Google

ne esibendo nei Nostri offici di camera prova legale di avere intieramente adempito alla presente condizione, e scorso un tal termine, senza che siasi adempita una tal condizione, la presente grazia s' intenda nulla, e come se mai fosse conceduta ».

V. » Che nelle stesse pene di caducità s' intenda incorso il privatario Benignetti, qualora anche dopo avere introdotta, e stabilita la lavorazione, lasciasse la sua fabbrica inoperosa per lo spazio di un' anno intero ».

VI. » Che in riconoscenza della presente concessione di diritto privativo, debba il surriferito Benignetti pagare ogni anno alla Nostra camera apostolica nella vigilia, o nel giorno della festa dei ss. apostoli Pietro e Paolo, una libbra di cera lavorata, facendone preventivamente descrivere la partita nei libri camerali a norma degli usi, e costituzioni ».

Cedula motus proprii pro firmitate concessionum.

§. 4. » In questi termini pertanto, e colle suddette leggi, condizioni, ed obbligazioni eseguirete la suddetta concessione, stipolerete pubblico istromento, interporrete decreti, pubblicherete editti anche penali, e farete tutt' altro, che sarà confacente, ed espediente all' oggetto delle cose predette, ed alla piena totale esecuzione della presente Nostra grazia, al quale effetto vi conferiamo, oltre le ordinarie della vostra carica tutte le altre più estese opportune facoltà ».

Clausulae salutares, et irritantes, et derogatio contrariorum.

§. 5. » Volendo, e decretando, che il presente chirografo ammettendosi, e registrandosi in camera, e ne' suoi libri vaglia, ed abbia il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore con la Nostra semplice sottoscrizione, e che non possa mai opporglisi di surrezione, e difetto della Nostra volontà, ed intenzione, e che così, e non altrimenti debba sempre nelle cose premesse definirsi, decidersi, ed interpretarsi da qualunque giudice, o tribunale, benchè collegiale, e composto di rev. cardinali, togliendo loro la facoltà di giudicare, ed interpretare diversamente, dichiarando sin d' adesso nullo, irrito, ed invalido tuttociò, che scientemente, ed ignorantemente si facesse in contrario, ancorchè non vi siano stati chiamati, citati, nè sentiti mons. commissario della Nostra camera, ed ogni altro, che avessevi, e potesse avervi interesse; non ostante la regola della Nostra cancellaria de jure quaesito non tollendo, e qualsiziano costituzioni, ed ordinazione apostoliche Nostre, e de' Nostri predecessori, leggi, statuti, riforme, consuetudini, ed ogni altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario, alle quali tutte, e singole avendone il tenore qui per espresso, o di parola in parola inserto, per questa volta sola, ed all' effetto premesso, ampiamente deroghiamo. Dato dal Nostro palazzo Quirinale apostolico questo dì 11. gennajo 1802. »

Pius PP. VII.

Executio gratiae, cum prohibitione fabricationis per decennium pro singulis sub poena emendationis damnorum, et multa scutorum centum.

§. 6. E volendo poi che quanto viene ordinato, ed espresso nel suddetto pontificio chirografo, nell' istromento in sequela di esso stipolato avanti di noi per gli atti dello stesso infrascritto segretario di camera il dì 26. del detto mese di gennajo abbia il suo totale, e pieno effetto; pertanto in esecuzione di essi, e d' ordine di Nostro Signore datoci di sua viva voce ordiniamo, ed espressamente comandiamo a tutte, e singole persone di qualsivoglia stato, grado, e condizione, ancorchè ecclesiastiche secolari, e regolari, quanto si voglia privilegiate, e privilegiatissime, ed esenti, e che per comprenderle nel presente editto fosse necessario di esprimerle: e respettivamente proibiamo, che veruno sotto qualsivoglia pretesto, causa, capo, o ricercato colore ardisca nel decorso del decennio compreso nella suddetta privativa fabbricare alcuna sorta di manifatture di vetri nella città di Ascoli, e suo territorio nei termini espressi nel soprainserto chirografo, nè impedire o molestare il detto Agostino Benignetti, e suoi suddetti nell' esercizio libero della detta privativa facoltà come sopra concessagli, ed in caso di contravvenzione a quanto si è di sopra disposto, ed ordinato, sia ciascun contravventore tenuto, oltre l' emenda dei danni, alla pena pecuniaria di scudi cento per ciascuna volta da applicarsi per una terza parte alla reverenda camera apostolica, per altra parte al tribunale, ed esecutori, e per l' altra terza parte al Benignetti concessionario, oltre le altre pene anche corporali a Nostro arbitrio.

Fides habenda transumptis.

§. 7. Vogliamo pertanto, che il Nostro editto affisso, e publicato che sia nei luoghi soliti tanto di Roma, che dello stato pontificio, ed in specie della città di Ascoli, e suo territorio astringa ciascuno alla plenaria, e totale osservanza del medesimo, come se personal-

Digitized by Google

mente gli fosse stato intimato. Dato dalle nostre stanze del palazzo Quirinale questo di 5. luglio 1802.

G. card. Doria Pamphilj pro-camerlengo.
P. Ferrari uditore.
N. Nardi segret. e canc. della R. C. A.

Dat. die 12. jan. 1802. Anno II.

CII.

Indulgetur dignitatibus, et canonicis metropolitanae ecclesiae Senensis, ut perpetuo uti valeant in functionibus mitra alba.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. In summo apostolatus fastigio, meritis licet imparibus, constituti, ad statum ecclesiarum omnium, quarum Nobis a Domino commissa est solicitudo, animum jugiter intendere, ac sacerdotibus in eis Altissimo famulantibus prospicere, eorumque dignitati, et honorificentiae, prout rationi consentaneum esse in Domino arbitramur, consulere non desistimus.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque sicut per dilectum filium Nostrum Antonium Felicem sanctae Romanae Ecclesiae presbyterum cardinalem Zondadari nuncupatum metropolitanae ecclesiae Senensis ex concessione, et dispensatione apostolica praesulem Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici ipsius metropolitanae sub titulo beatae Mariae Virginis in coelum Assumptae, eadem ecclesia, in qua sex dignitates, et octodecim canonici existunt, antiquitatis laude, templi majestate, patrimonii amplitudine, sacrarum supellectilium copia, cleri probitate, et doctrina, populique devotione, et frequentia ita floruerit, et floreat, ut superioribus difficillimis temporibus cum nihil de vetusta sua gloria exciderit, tum eo major evaserit, quo firmior, et constantior cleri, populique universi Senensis in fel. rec. Pium pp. VI. praedecessorem Nostrum illuc a notis tempestatibus compulsum extitit fides, devotio, pietas; cumque plurimi virtutibus, meritis, et amplissimis dignitatum gradibus insignes viri ex ejusdem capituli gremio prodierint, ac praeterea ipsa civitas Senensis per plurium sanctorum, ac etiam aliquorum Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum mater fuerit, et altrix, non exigua splendoris, et ornamenti ad ipsam metropolitanam fieret accessio, atque divinus in ea cultus, populique devotio majora in dies susciperet incrementa, si exponentes praedicti mitrarum decore donentur. Nobis propterea ipsi exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur eorumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, ac dignitatum, et canonicorum praedictorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, dignitates, et canonicatus in dicta metropolitana ecclesia Senensi obtinentibus praesentibus, et perpetuis futuris temporibus tam in civitate, quam in dioecesi Senensi et absente eodem Antonio Felice cardinale praesule, seu pro tempore existente archiepiscopo Senensi, in missis, vesperis, ac laudibus solemniter decantandis, ac etiam in processionibus, seu supplicationibus, benedictionibus candelarum, cinerum, palmarum, et fontis baptismalis, ac reliquis ecclesiasticis functionibus, in quibus sacra adhibentur paramenta, mitra ex tela alba uti libere, et licite possint, et valeant apostolica auctoritate, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, eisque in suis armis, seu insigniis gentilitiis mitra apponi faciendi, et addendi licentiam, et facultatem perpetuo tribuimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Ipsos vero super praemissis a quoquam quovis praetextu, causa, et occasione molestari, perturbari, aut impediri nullatenus posse; sicque et non aliter per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et dictae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpetrandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et ina-

ne si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non quatenus opus sit praedictae metropolitanae ecclesiae Senensis, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis in genere, vel in specie sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, et alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, et pluries innovatis; quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro eorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima secunda januarii millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 12 jan. 1802. Anno II.

CIII.

Indulgetur praeposito collegiatae de Provenzano Senensis civitatis, ut perpetuo uti valeat in functionibus mitra alba.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Quantum dignitatis, splendoris, et venerationis ipsa sacra ornamenta oculis, animisque Christifidelium ingerant optime sciens Apostolica Mater Ecclesia in templis magis conspicuis, ubi major est populi frequentia nonnunquam insignia, quibus soli pontifices in sacris ministeriis obeundis uti solent a praecipuis earumdem ecclesiarum ministris deferenda concessit.

§. 2. Cum itaque sicut dilectus filius Noster Antonius Felix Sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis Zondadari nuncupatus, ex concessione, et dispensatione apostolica metropolitanae ecclesiae Senensis praesul Nobis nuper exposuit, saecularis, et, ut asseritur, insignis collegiata ecclesia sub titulo Visitationis beatae Mariae virginis vulgo di Provenzano Senensis civitatis templi amplitudine, populi frequentia, dignitatum et canonicorum numero, pietate, et scientia ita splendeat, ut uni metropolitanae ecclesiae in civitate praedicta cedat, praeterea nulli, cumque ejusdem collegiatae praepositus, qui est prima ex quatuor ibi existentibus dignitas cappa magna utatur ad instar canonicorum ipsius metropolitanae ecclesiae Senensis, ad christianae devotionis, et divini cultus incrementum valde conduceret, si, ut metropolitanae praedictae canonici, ita etiam prima collegiatae hujusmodi dignitas mitrae decore donetur. Nobis propterea idem Antonius Felix cardinalis praesul humiliter supplicavit, ut moderno, et pro tempore existenti praeposito dictae ecclesiae in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. — Expositio precum.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur, qui singulari benevolentia gratique animi affectu universam prosequimur civitatem Senensem ob ejus singularem in fel. rec. Pium PP. VI. praedecessorem Nostrum illic calamitosissimis temporibus commoratum fidem, constantiam, et devotionem supplicationibus hujusmodi libenter annuere volentes, ac modernum collegiatae hujusmodi praepositum a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis, censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerit hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes supplicationibus hujusmodi inclinati, moderno, et pro tempore existenti praeposito collegiatae hujusmodi de Provenzano in perpetuum, ut ipsi tam in civitate, quam in dioecesi Senensi, etiam absente eodem Antonio Felice cardinale praesule, seu

pro tempore existente archiepiscopo Senensi, in missis, vesperis, ac laudibus solemniter decantandis, ac etiam in processionibus, seu supplicationibus, benedictionibus candelarum, cinerum, palmarum, et fontis baptismalis, ac reliquis ecclesiasticis functionibus, in quibus sacra adhibentur paramenta mitra ex tela alba uti libere, et licite possint, et valeant apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus, et indulgemus, eisque in suis armis, seu insigniis gentilitiis mitram apponi faciendi, et addendi licentiam, et facultatem perpetuo tribuimus, et impertimur.

Clausola sublata, et decretum irritans.

§. 4. Ipsos vero super praemissis a quoquam quovis praetextu, causa, et occasione molestari, perturbari, aut impediri nullatenus posse; sicque et non aliter per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et dictae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretrandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non quatenus opus sit, praedictae metropolitanae ecclesiae Senensis, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis in genere, vel in specie, sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis, et alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, et pluries innovatis; quibus omnibus, et singulis etiamsi pro eorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi praesentibus pro plene, et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima secunda januarii millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno secundo.

CIV.

Dat. die 5. febr. 1802. Anno II.

Indulgetur militibus ecclesiasticis militiae ordinis s. Michaelis archangeli Bavariae, ut uti valeant habitu praelatitio cum omnibus privilegiis praelatorum domesticorum.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ratio concessionis.

§. 1. Quoniam inter militares equestres ordines, qui ad Dei gloriam sustinendam, et catholicam religionem juvandam, illamque adversus hostes vel sanguinis effusione strenue defendendam instituti sunt, mirum in modum equestris militiae ordinem sub invocatione, et protectione sancti Michaelis archangeli a bonae me. Josepho Clemente, dum vixit archiepiscopo Coloniensi, et Sac. Romani Imperii electore canonice, ut asseritur, erectum, atque sex magnis crucibus, et octodecim equitibus ecclesiasticis, totidemque saecularibus compositum excellere accepimus, libenti quidem animo in eam devenimus sententiam, ut ad sac. officia in ecclesia dicti ordinis obeunda convenientes ejusdem ordinis milites clericali militiae adscriptos novis honoribus, novisque praerogativis, et privilegiis cumulare decrevimus, ut ipsi singularibus gratiis affecti ad praeclarissima quaeque juxta institutionis hujusmodi nobilissimas rationes, explenda magis, magisque inflammentur.

Tenor concessionis.

§. 2. Quare Nos milites ordinis praedicti, qui clericali etiam militiae nomen dederunt, nova, ampliorique praerogativa exornare, et dotare volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus

ed by Google

tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes; supplicationibus hujusmodi inclinati, ut perpetuis futuris temporibus sex magnae cruces praedictae, et reliqui omnes milites dicti ordinis qui militiam ecclesiasticam sequuntur, habitum praelatitium, vestem scilicet talarem oblongam cum mantello violacei coloris gestare, eoque uti cum omnibus praerogativis, privilegiis, et praeeminentiis, quibus, praelati Nostri domestici utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere possunt, vel poterunt in futurum, libere, ac licite possint, et valeant auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus; ac insuper dilecto filio moderno, et pro tempore existenti ecclesiae dicti ordinis praeposito, praeter habitum praelatitium hujusmodi, superpelliceum quoque vulgo rocchetto deferendi plenam, et liberam facultatem tribuimus, et impertimur, eosque, et eorum quemlibet desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus, fel. rec. Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus, pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quinta februarii millesimo octingentesimo secundo pontificatus Nostri anno secundo.

CV.

Dat. die 9. febr. 1802. Anno II.

Dignitatibus et canonicis insignis collegiatae ecclesiae Montis Alboti Senogalliensis dioecesis indulgetur, ut loco cappae magnae et cottae, quas adhuc supra rocchettum gerere consueverunt, mozzettam quoque violaceam ad eorum libitum, debita tamen cum uniformitate gestare possint.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici insignis collegiatae Montis Alboti Senogalliensis dioecesis, quod a felicis recordationis Pio pp. VI. praedecessore Nostro in erectione ejusdem collegiatae sub certis modo, et forma tunc expressis auctoritate apostolica indultum fuit, ut ipsi, eorumque successores in perpetuum cappa magna cum pellibus armellinis hyemali, aestivo vero tempore cotta supra rocchettum uti possent, et valerent, ac alias prout in ipsius Pii praedecessoris desuper sub plumbo kalendis augusti expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, asseritur contineri. Verum quia, sicut eadem expositio subjungebat, ob temporum vicissitudines ad eum statum ipsi exponentes sunt adducti, ut sumptibus pro continuo insignium hujusmodi usu necessario faciendis impares se plane sentiant, ideoque aliis quoque insigniis, quae licet sint minus conspicua, minoris tamen emuntur, se uti posse plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur capitulum, et canonicos hujusmodi specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, modernis, et pro tempore in per-

Digitized by Google

petuum existentibus dignitatibus, et canonicis praedictae collegiatae Montis Alboti, ut loco cappae magnae, et cottae, quas adhuc supra rocchettum gerere consueverunt, in posterum mozzettam quoque violaceam ad instar aliarum insignium collegiatarum gestare, ita ut vel cappa magna, vel cotta, vel mozzetta hujusmodi ad eorum libitum (debita tamen cum uniformitate) uti libere, et licite possint, et valeant, servata in reliquis praedictarum Pii praedecessoris literarum forma, et dispositione, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictasque dignitates, et canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, vel perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus omnibus, et singulis iis, quae a memorato Pio praedecessore in dictis suis literis concessa sunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die nona februarii millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 9. febr. 1802. Anno II.

CVI.

Indultum recolendi s. Josephum patriarcham, tamquam patronum principalem pro oppido Regalis Insulae de Leon Gadicensis dioecesis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Quanta cum charitate apud omnipotentem in coelis, ubi regnant securi, deque nostra salute solliciti sancti pro nobis orare, divinamque nobis opem obtinere gestiant, Christifideles cum ex veteris, novique testamenti oraculis certum, tum etiam propria experientia exploratum habentes nunquam destiterunt, quin in omnibus rerum suarum vicibus sese eorumdem intercessionibus assidue commendarent, ac Deum in sanctis suis mirabilem experti debito etiam venerationis cultu amicos ejus prosequerentur. Quamquam vero unus, idemque Christifidelium erga beatos coelestis aulae incolas pietatis, et devotionis ardor, civitates tamen, et nationes pro suo unaquaeque studio certum sibi patronum ex iisdem apud Deum eligere, atque hunc praecipue colere consueverunt.

§. 2. Quamobrem dilecti filii universitas, et homines oppidi civitatis nuncupatae Regalis Insulae de Leon, Gadicensis dioecesis, Nobis nuper exponi fecerunt, quod quamvis ipsi gloriosos martyres Servandum, et Germanum suos, ac totius dioecesis praedictae patronos venerentur, quippe quos prope Gades martyrio coronatos fuisse constat, singulari tamen etiam devotione inclytum patriarcham sanctum Joseph Dei genitricis Mariae sponsum prosequentes in publicis comitiis die XVII. martii MDCCLXVI. et die XIII. ejusdem mensis MDCCLXIX. ac die V. junii ejusdem anni habitis eumdem s. patriarcham in patronum specialem, et tutelarem per secreta suffragia elegerunt, compatronis remanentibus praelaudatis martyribus. Cum autem nuperrimis temporibus morbo epidemico praedicta Regalis Insula de Leon afflictaretur, uterque clerus, magistratus, populusque frequens in ecclesia parochiali simul collecti veterem electionem praedictam ratam habentes ad ipsius sancti patriarchae desponsationis festum solemniter cum oratione panegyrica, et utriusque ordinis interventu quotannis celebrandum, ac ad festi hujusmodi vigiliam cum jejunio servandam se, posterosque suos in perpetuum voto, atque juramento inter missarum solemnia, et sanctissimo eucharistiae sacramento publicae venerationi exposito, obstrinxerunt. Jam vero ipsi exponentes sancti patriarchae apud Deum patrocinium in dies sibi potentissimum experti, ac ejus cultum augendi, venerationemque magis firmandi desiderio flagrantes Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut eamdem electionem in protectorem principalem suae civitatis juxta praescriptum felicis recordationis Urbani pp. VIII. praedecessoris Nostri die XXIII. martii anno MDCXXXIII. factam, habitoque per literas, ut asseritur, consensu venerabilis fratris episcopi Gadicensis, servari, festumque ejusdem sancti quotannis tamquam patroni principalis in posterum celebrari concedere, aliaque, ut infra, indulgere de benignitate Nostra apostolica dignaremur. Expositio precum.

§. 3. Nos igitur specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singu- Tenor concessionis.

Digitized by Google

lares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus oppidi Regalis Insulae de Leon praedicti ut, quamvis principales, ac tutelares sanctos martyres Servandum, et Germanum venerentur, tamen festum sancti Josephi die XIX. martii tamquam patroni etiam principalis ejusdem oppidi ex praecepto recolant, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus. Ac omnibus et singulis cum saecularibus, tum regularibus utriusque sexus, qui horas canonicas recitare tenentur illius officium, et missam cum octava in posterum (servatis tamen rubricis generalibus) etiam de praecepto recitent, et celebrent, auctoritate et tenore praedictis injungimus, atque mandamus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, et quatenus opus sit, dicti oppidi consuetudinibus; privilegiis indultis, et literis apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis pro hac vice tamen, et ad hunc dumtaxat effectum specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die 9. februarii millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 12. febr. 1802. Anno II.

CVII.

Deputatio commissarii apostolici, qui loco s. Sedis praesit gubernio monasterii nuncupati sanctae Margaritae ordinis sancti Benedicti civitatis Fabrianensis.

Pius PP. VII.

Motu proprio.

Declaratur monasterium fuisse exemptum a jurisdictione episcopi Fabrianensis, et

§. 1. Cum Nos hodie ad supplicationem dilectarum in Christo filiarum abbatissae, et monialium monasterii s. Margaritae civitatis Fabrianensis ordinis s. Benedicti congregationis Cassinensis eorum monasterium, antea sub episcoporum Fabrianensium ordinaria jurisdictione, obedientia, et gubernio existens, ut magis benevolentiam et voluntatem Nostram erga eas ostenderemus, monasterium hujusmodi, et in eo nunc contentas, et in posterum continendas moniales, omnesque personas eidem monasterio addictas et addicendas, cum bonis, et rebus omnibus monasterio hujusmodi spectantibus et pertinentibus, a gubernio et jurisdictione episcopi Fabrianensis abrogando, sub speciali Nostra, et Sedis apostolicae protectione et gubernio susceperimus.

susceptum sub protectione s. Sedis.

Gubernium conceditur eidem episcopo, sed nomine pontificis habendum.

§. 2. Hinc Nos ut monasterii hujusmodi et monialium earumdem, res omnes provide et recte administrentur, motu simili etc. venerabilem fratrem Joannem Franciscum modernum episcopum Fabrianensem, ad regendum, administrandum, et gubernandum monasterium praedictum Nostro nomine, tamquam Nostrum et apostolicae Sedis delegatum, ad hoc specialiter deputatum, ad nutum tamen et beneplacitum non amovibilem, eligimus, ipsumque monasterii pro tempore existentem administratorem statuimus et declaramus, ad hoc ut ea omnia, quae a Nobis in gubernio et administratione ejusdem monasterii et monialium hujusmodi, omniumque rerum et personarum ad ipsum quomodolibet spectantium et pertinentium expleri possent, ab ipso agantur, et adimpleantur. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo secundo, pridie idus februarii pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 12. febr. 1802. Anno II.

CVIII.

Indultum, ut loco mozzettae, quam adhuc gestare consueverunt rocchetto, et cappa magna violacea cum pellibus armellinis cineracei coloris uti possint pro archipresbytero, et canonicis collegiatae Finarii Savonensis dioecesis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Quantum dignitatis, quantum splendoris, et venerationis ipsa sacra indumenta oculis, animisque Christifidelium ingerere valeant

optime sciens Apostolica Mater Ecclesia non solum varias pro varietate festorum, et solemnitatum sacerdotibus suis praescripsit vestes, sed etiam in templis magis conspicuis, ubi major est christiani populi frequentia, sacris ministris ibidem Altissimo famulantibus saepe particularia, et ad eorum dignitatem exprimendam aptissima insignia deferenda concessit.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecerunt, dilecti filii capitulum, et canonici parochialis, et, ut ex vetustissima inscriptione, ac documentis omni fide dignis asseritur, insignis collegiatae ecclesiae sub titulo sancti Joannis Baptistae oppidi civitatis nuncupatae Finarii Savonensis dioecesis, in qua archipresbyter dignitas, viginti canonici, et decem mansionarii existunt collegiata praedicta plebaniae titulo ab immemorabili decorata reperiatur, ac praeterea antiquitatis laude, patrimonii amplitudine, templi magnificentia, sacrarum suppellectilium copia, eorumdem canonicorum, et mansionariorum probitate, et doctrina ita floreat, ut reliquas omnes Finarienses ecclesias facile antecellat, multum splendoris, et ornamenti ad eam accederet, ac divinus cultus, populique devotio majora susciperet incrementa, si ejusdem collegiatae ecclesiae archipresbyter, et canonici novis decorationibus donentur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum futuris archipresbytero, et canonicis dictae collegiatae s. Joannis Baptistae, ut loco mozzettae, quam adhuc deferre consueverunt, rocchettum, et cappam magnam violaceam vulgo *di saja pavonazza* cum asulis, et globulis sericis cremisini coloris, et cum pellibus armellinis coloris cineracei vulgo *color bigio* hyemali, aestivo vero tempore etiam cappam magnam cum tela serica ejusdem violacei coloris sine dictis pellibus tam in ecclesia praedicta, ejusque choro, et capitulo, cum extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque uti libere, et licite possint, et valeant auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque archipresbyterum, et canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae collegiatae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima nona februarii millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno secundo.

CIX.

Dat. die 19. febr. 1802. Anno II.

Indultum utendi bugia et gestandi ante pectus auream crucem ad instar aliorum Germaniae canonicorum pro praeposito collegiatae ecclesiae de Doneschingen Constantiensis dioecesis provinciae Moguntinae, et successoribus in perpetuum.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Quantum dignitatis, et splendoris, quantum reverentiae, et venerationis ipsa sacra

ornamenta, et externae honorificentiae oculis, animisque christifidelium ingerant optime tenens Apostolica Mater Ecclesia, nonnunquam distinctiva, quibus soli pontifices utuntur, praecipuis earumdem ecclesiarum ministris deferenda concessit.

Expositio precum. §. 2. Cum igitur, sicut dilectus filius, nobilis vir, comes Carolus de Furstenberg Sthulingen S. R. I. princeps Nobis nuper exponi fecit, saecularis, et collegiata ecclesia loci de Doneschingen Constantiensis dioecesis provinciae Moguntinae, templi majestate, sacrarum suppellectilium copia, capituli antiquitate canonicorum pietate, et doctrina, populique devotione, et frequentia non mediocriter floreat, multum splendoris, et ornamenti ad eam accederet, ac divinus cultus, populique devotio majora susciperet incrementa, si ejusdem collegiatae praepositus, et unica dignitas novis decorationibus donetur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur ipsius Caroli comitis, et principis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, ac praepositum praedictum specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, moderno, et pro tempore in perpetuum existenti dictae collegiatae de Doneschingen praeposito ut palmari vulgo bugia in sacris privatim, et solemniter faciendis, ac in aliis quibusvis presbyteralibus functionibus uti, atque crucem auream funiculo serico, seu fasciolae coloris per ordinarium designandi ante pectus suspensam ad instar aliorum Germaniae canonicorum, vel dignitatum publice gestare libere, et licite possit, et valeat auctoritate apostolica, tenore praesentium tribuimus, et impertimur, dictumque praepositum desuper a quoquam impediri nullatenus unquam posse.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 4. Sicque et non aliter per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictae collegiatae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia februarii millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno secundo.

CX.

Dat. die 23. febr. 1802. Anno II.

Constitutio perpetui vectigalis pro decenti substentatione domorum de las Recosidas, et Misericordiae nuncupatarum dioecesis Conchensis, et domus expositorum, et puellarum ejusdem loci.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. In supremo principis apostolorum solio, nullo licet meritorum Nostrorum suffragio, sed sola Dei providentia evecti, Nostri muneris esse noscimus, catholicorum principum sollicitudines, dum praecipue ea procurare non desinunt, quae christifidelium sibi subditorum tam spirituali, quam temporali saluti accomoda esse intelligunt, quantum cum Domino possumus paterna charitate prosequi, prout salubriter in Domino expedire cognoscimus.

Expositio precum.

§. 2. Quapropter cum charissimus in Christo filius Noster Carolus Hispaniarum rex catholicus, pro sua eximia pietate, ac sollicitudine, qua pollet pro iis, quae tum spiritualia, tum temporalia populorum sibi subditorum commoda respiciunt, ad locorum piorum necessitatem sublevandam Nobis significaverit piam domum Recollectarum, vulgo de las Recosidas et Misericordiae nuncupatam, civitatis vel dioecesis Conchensis, piasque pariter domos, tam expositorum, quam scholarum puerorum et puellarum in ipsa civitate vel dioecesi Conchensi hujusmodi respective existentes, congruis redditibus pro temporum et locorum circumstantiis indigere, ut in sua institutione valeant permanere; cumque perpetuis futuris temporibus, certam summam annui vectigalis, pro locorum piorum hujusmodi existentia idem Carolus rex catholicus statuere plurimum desideret, et per dilectum filium Antonium de Vargas y Laguna ejusdem Caroli regis apud Nos et sedem apostolicam plenipotentiarium administrum enixis precibus expostulavit.

Impositio taxae seu pensionis scutorum sex millium colligendis ab ecclesiis dioecesis Conchensis.

§. 3. Nos itaque rerum circumstantiis mature perpensis, ac ipsius Caroli regis votis in publicam vertentibus utilitatem quod cupit benigne annuere volentes, motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, pensionem annuam perpetuis futuris temporibus duraturam, eamque ab omnibus et quibuscumque decimis, vel aliis quibusvis oneribus et impositionibus ordinariis et extraordinariis quomodolibet nuncupatis, quavis etiam apostolica auctoritate, ac motu pari etiam consistorialiter nunc impositis, et pro tempore quomodolibet imponendis, ac alias in omnibus et per omnia, et omnino quoad omnia, liberam, immunem et exemptam usque ad summam sex millium circiter ducatorum auri de camera tertiae parti fructuum respondentem mensae episcopalis Conchensis, ad quam dum illa pro tempore vacat nominatio personae idoneae Romano pontifici pro tempore existenti facienda ad supradictum Carolum Hispaniarum regem catholicum ex privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, spectare et pertinere dignoscitur, et cujus ecclesia ad praesens per obitum bo. me. Antonii Palafox, et Croy ultimi illius episcopi pastoris solatio destituta existit, fructibus, redditibus, et proventibus certis, et incertis in quacumque re consistentibus, et undecumque, quomodocumque et qualitercumque provenientibus praesentibus et futuris, comprehensis tamen in ea infrascriptis pensionibus, jam super ejusdem mensae episcopalis Conchensis apostolica auctoritate reservatis, ita ut insimul tertiam partem fructuum praefatae mensae episcopalis tantum constituant, eamque non excedant; videlicet una mille et quingentorum quadraginta octo, et juliorum quatuor cum uno quarto regalibus hospitalibus exercituum et praesidiorum, alia centum octoginta septem, et juliorum octo cum dimidio alterius julii similis Gabrieli Mediano; alia centum sex, et juliorum decem Antonio Tricio; alia similis pariter centum sex, et juliorum decem Hidelphonso Soriano; alia quatuorcentum septuaginta, et juliorum quindecim cum uno quarto regali collegiatae ecclesiae, Sanctissimae Trinitatis loci sancti Hidelphonsi; alia nongentorum sexaginta unius, et juliorum septem congregationi oratorii s. Philippi Nerii civitatis Conchensis; alia centum triginta octo, et juliorum duodecim insigni ordini militum, seu societati equitum suo nomine Caroli tertii nuncupatae; alia tercentum quadraginta trium et juliorum duodecim hospitio ejusdem civitatis Conchensis; alia tercentum septuaginta quinque instituto Asturiano in villa de Goison nuncupata Ovetensis dioecesis fundato; alia similium tercentum septuaginta quinque Josepho de Guevara Vasconcellos; alia tercentum venerabili fratri Joanni Gudes episcopo Marochiensi in partibus infidelium; alia biscentum sex et juliorum quatuor Thomae Uscii; et reliqua pensionibus annuis antiquis centum triginta septem respective ducatorum auri de camera hujusmodi, et juliorum octo dictae monetae Alberico Mengs respective clericis, seu presbyteris dilectis filiis illas annuatim respective percipientibus apostolica auctoritate, ut praefertur, reservatae reperiuntur, eidem domui recollectarum vulgo de las Recosidas nuncupatae, pro rata tamen duarum tantum ex tribus partibus portionis libere actu existentis, eorumdem sex circiter millium ducatorum detractis aliis superius expressis pensionibus ex nunc, et ex nunc pro tunc pro respectivis ratis, uniuscujusque ex pensionibus supradictis, exceptis tamen perpetuis, quando illae ex personis eas obtinentibus, vel

etiam respective aliquo modo percipientibus cessabunt; pro reliqua vero hujusmodi actu libera existentis portionis tertia parte, ut supra computandum ex nunc, atque etiam ex nunc pro tunc pro ratis harum pensionum, exceptis semper perpetuis, quando illae ut supra respective cessabunt, quoad duas ex tribus illius portionibus supradictis piis domibus expositorum, ac denique puerorum et puellarum scholis, ut supra, nominatis quoad reliquam tertiam superextantem portionem ac pro unoquoque ex locis piis hujusmodi eorum respective administratoribus vel rectoribus, ut deputatis, vel eorum procuratori, aut procuratoribus ligitimis per oeconomos, et quosvis alios quovis nomine nuncupatos, ad exigendum et percipiendum fructus, redditus et proventus mensae episcopalis hujusmodi, donec ecclesia Conchensis praefata vacaverit deputatos, et deinde per ecclesiae Conchensis hujusmodi praesules, seu administratores pro tempore existentes, annis singulis duabus aequalibus solutionibus, pro una videlicet in s. Joannis Baptistae a proxime ventura incipiendo, et altera medietatibus pensionis pro praesentes reservandae hujusmodi, in Domini Nostri Jesu Christi immediate sequenti nativitatum, festivitatibus, et sic successive de anno in annum ac termino in terminum integre his praesentibus dictis oeconomis et deputatis, ac praesulibus, seu administratoribus praefatis non intimatis, nec praesentatis, earumdem tamen praesentium vigore, nec alias, alioquin praesens reservatio nulla sit eo ipso persolvendam, et per supradictorum locorum piorum administratores, aut rectores, seu deputatos, vel eorum legitimos procuratores pro respectiva unicuique superius assignata portione pro quolibet percipiendam, exigendam, levandam, et in locorum piorum eorumdem utilitatem convertendam, apostolica auctoritate praedicta ipsarum tenore praesentium usque ad summam dictorum sexmillium circiter ducatorum auri de camera tertiae parti ipsius mensae episcopalis fructuum respondentem perpetuo reservamus, constituimus et assignamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§ 4. Decernentes easdem praesentes, etiam ex eo quod ecclesia Conchensis praefata ad praesens vacat, ac legitimo pastore, et defensore careat, et eisdem praesentibus oeconomi, seu deputati, ac praesules, seu administratores praefati ad id vocati non fuerint, et reservatio pensionis per praesentes reservatae, hujusmodi extra consistorium Nostrum secretum, et absque venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium consilio facta extiterit, aut ex quovis alio capite, vel praetextu, etiam quantumvis legitimo, et juridico, pio, privilegiato, ac speciali nota digno, et de necessitate juris, vel facti omnino exprimendo, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, aut alio quocumque defectu notari, impugnari, aut adversus eas, quodcumque juris vel facti, aut gratiae remedium, vel oris aperitionem impetrari, aut etiam motu simili concedi nunquam posse, sed eas semper validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, perinde ac si pensio hujusmodi per praesentes reservata, in consistorio praedicto, ac de eorumdem fratrum Nostrorum consilio, et de consensu illius, vel illorum qui pensionem supradictam solvere debebunt, reservata fuisset. Sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vicelegatos, ac Sedis apostolicae nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari et definiri debere, irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, ac oeconomos seu deputatos, et praesules vel administratores praefatos ad integram solutionem pensionis per praesentes reservatae praefatae locis piis hujusmodi, et pro eis eorum respective administratoribus, seu rectoribus, vel deputatis, aut eorum procuratori, seu procuratoribus legitimis faciendam, juxta reservationis constitutionis, et assignationis praedictarum tenorem fore efficaciter obligatos, ac volentes et eadem auctoritate statuentes, quod ille ex oeconomis, seu deputatis, et praesulibus, vel dictae ecclesiae Conchensis administratoribus praefatis, qui in dictis festivitatibus, vel saltem infra triginta dies illarum singulas immediate sequentes pensionem per praesentes reservatam praefatam non persolverit cum effectu lapsis diebus eisdem dictae ecclesiae Conchensis oeconomi, seu deputati videlicet sen-

tentiam excommunicationis incurrant. Praesulibus vero, seu administratoribus praefatis ingressus ecclesiae interdictus existat, et donec locis piis supradictis, vel eorum respective administratoribus, sive rectoribus, aut deputatis, seu procuratori, vel procuratoribus de pensione hujusmodi, unicuique pro eorum respective assignata portione tunc debita, integre satisfactum, aut alias cum locorum piorum hujusmodi administratoribus, vel rectoribus, seu deputatis, vel eorum legitimis procuratoribus super hoc amicabiliter concordatum fuerit, praeterquam in mortis articulo constitutus, excommunicatus videlicet, ab hujusmodi excommunicationis sententia absolutionis beneficium, interdictus vero hujusmodi interdicti relaxationem nequeat obtinere. Si vero per sex menses dictos triginta dies immediate sequentes, excommunicatus videlicet, hujusmodi excommunicationis sententiam sustinuerit, interdictus vero sub hujusmodi interdicto, animo, (quod absit) permanserit indurato, ex tunc effluxis mensibus eisdem, oeconomi seu deputati, oeconomia et deputatione hujusmodi privati, praesules vero, seu administratores praefati, a regimine et administratione dictae ecclesiae Conchensis perpetuo suspensi existant eo ipso.

Deputatio executoris apostolici.

§. 5. Quocirca dilectis filiis magistro Joanni Baptistae Quarantotti in utraque signatura Nostra referendario, ac decano et antiquiori canonico ejusdem ecclesiae Conchensis motu simili, per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios faciant auctoritate Nostra pensionem praedictam locis piis hujusmodi, et pro eis eorum administratoribus, seu rectoribus, vel deputatis, sive eorum procuratori, aut procuratoribus legitimis, juxta reservationis, constitutionis, et assignationis praefatarum, ac decreti Nostri hujusmodi continentiam, et tenorem integre persolvi, et nihilominus quemlibet ex dictae ecclesiae Conchensis oeconomis, seu deputatis, ac praesulibus, seu administratoribus praedictis, quem excommunicationis, seu interdicti, ac suspensionis hujusmodi sententias respective incurrisse eis constiterit, quoties pro parte dictorum locorum piorum administratorum, seu deputatorum fuerint requisiti, tamdiu dominicis, et aliis festivis diebus in ecclesiis dum major inibi populi multitudo ad divina convenerit, excommunicatum, seu interdictum, et suspensum publice nuncient, et faciant ab aliis nunciari, donec locis piis hujusmodi, et pro eis administratoribus, sive rectoribus, seu deputatis eorum de pensione hujusmodi unusquisque pro sua rata, et superius assignata portione tunc debita fuerit integre satisfactum, ipseque excommunicatus, ab excommunicationis sententia, absolutionis beneficium, interdictus vero, relaxationem interdicti hujusmodi meruerit obtinere, contradictores per censuras ecclesiasticas, appellatione postposita compescendo.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae regula de praestando consensu in pensionibus, ac Lateranensis concilii novissime celebrati pensiones annuas super mensarum episcopalium fructibus, redditibus, et proventibus, nisi ex cessionis, aut alia probabili causa reservari prohibentis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictaeque ecclesiae Conchensis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quomodolibet forsan concessis, confirmatis, et innovatis: quibus omnibus et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata etiam inserti forent praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse motu simili derogamus, et derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque. Aut si oeconomis, seu deputatis, vel praesulibus, aut administratoribus praedictis, vel quibusvis aliis communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad praestationem, vel solutionem pensionis alicujus minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Sanctio poenalis.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae reservationis, consti-

tutionis, assignationis, decreti, statuti, voluntatis, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo secundo, pridie kalendas martii, pontificatus Nostri anno secundo.

Dat. die 1. martii 1802. Anno II.

CXI.

Restitutio cathedralis ecclesiae Montis Regalis in Sicilia.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Imbecillitas humanae mentis, quadam obrutae tenebrosa caligine, quod futurum est, nullo pacto praescire, vel detegere valens, ideoque erroribus in suo judicio semper obnoxia, nonnunquam ea, quae a Romanis pontificibus cum sapientissimorum regum votis circa metropolitanas ecclesias non minus provida, quam optima ratione sancita sunt, ob aliquas deinde ortas difficultates, ex quibus non leve animarum saluti detrimentum obvenire posse pertimescitur: ita moderari, et innovari ab apostolica Sede efflagitat, ut justis suadentibus causis, quae posterius apostolicae auctoritatis robore firmata fuere, pro meliori animarum regimine penitus abrogatis, ea ad pristinum salubriorem statum restituat, prout rerum, ac temporum qualitatibus sedulo perpensis, conspicit in Domino plurimum expedire.

Memoratur unio facta a praedecessore Pio VI. gravibus urgentibus rationibus.

§. 2. Postquam itaque, ut Nobis compertum est, insignis ille Montis Regalis locus, in quo clarae memoriae Guillelmus II. Siciliae rex conspicuum monasterium, novamque ecclesiam erexerat, quemque ne dum amplissimis redditibus, sed et spiritualibus praerogativis, et privilegiis ab apostolica Sede ditari curaverat, ad ejusdem Guillelmi regis preces, efflagitationesque dudum a fel. rec. Lucio papa III. praedecessore Nostro ad civitatis archiepiscopalis gradum evectus, illiusque ecclesia praefata in cathedralem, et metropolitanam ecclesiam fuerat erecta, ac pro novae illius dioecesis constitutione idem Lucius praedecessor nonnulla loca, monasteria, et ecclesias a diversis aliis dioecesibus apostolica ejus auctoritate respective separata ac divisa novae Montis Regalis, illiusque futuri, et pro tempore existentis archiepiscopi jurisdictioni subjecerat, plures tractu temporis insurrexerunt quaestiones, ad quarum omnem occasionem, ac pacem, et tranquillitatem in populorum animis confovendam, charissimus in Christo filius Noster Ferdinandus utriusque Siciliae rex nihil magis putavit expediturum, quam ejusdem metropolitanae ecclesiae Montis Regalis unionem cum altera metropolitana ecclesia Panormitana, propterea que cum ipse Ferdinandus rex pro impetranda desuper apostolicae Sedis auctoritate, fel. rec. Pio papa VI. praedecessori Nostro suas porrexit preces: praedictus Pius praedecessor omnibus mature per eum perpensis per suas in forma brevis sub annulo piscatoris die VII. julii anni Domini MDCCLXXV. expeditas literas, metropolitanam ecclesiam Montis Regalis praedictam, certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutam alteri metropolitanae ecclesiae Panormitanae apostolica auctoritate perpetuo, et aeque principaliter univit, ita ut unus tantum archiepiscopus utrique ecclesiae praeesset; ac providis per eum factis dispositionibus circa id quod ab alienis dioecesibus sejunctum antiquitus et unitum dioecesi Montis Regalis: in reliquis statuit, ut redditus hujusce mensae archiepiscopalis per ipsum archiepiscopum Panormitanum, et Montis Regalis deinceps administrarentur; ac reservata ex iis archiepiscopo praefato, pro aucti sibi laboris, congrua mercede, annua summa, ab eodem Ferdinando rege praeficienda, quae tamen non esset minor scutorum mille monetae Romanae, et reliquum esset in conservationem, et incrementum classis triremium bellicarum, ad retundendos piratarum, turcarum, aliorumque christiani nominis hostium incursus erogandum, et convertendum, ac pro hujusmodi effectu personis ab eodem Ferdinando rege, ejusque successoribus deputatis, seu deputandis per pro tempore existentem archiepiscopum Panormitanum et Montis Regalis persolvi deberet; ac alias prout in dictis literis ejusdem Pii praedec. plenius continetur.

Digitized by Google

Declaratur praeceptam unionem optatum finem non attulisse.

§. 3. Hanc vero sic peractam duarum metropolitanarum ecclesiarum unionem, quamvis praemissis omnibus perturbationibus, medelam visum fuerit attulisse, non ita tamen spirituali animarum profectui, et illius regni felicitati ipsemet Ferdinandus rex confluere dignovit, ut nullum amplius detrimentum reciperet, sed majora quidem incommoda ex ea obvenisse conspexit, propiereaque praefatus Ferdinandus rex, qui de animarum salute maximo afficitur studio, summamque gerit sollicitudinem, ut populi suae temporali ditioni subjecti optime a suis pastoribus spiritualiter dirigantur, ac per solertem ipsorum industriam in lege Domini ambulantes condignos virtutum flores, ac bonorum operum fructus uberius exhibeant: ad consulendum suorum subditorum salubriori regimini, et guberaio, expediens, ac prorsus necessarium esse ducens, ut praedicta Montis Regalis ecclesia in pristinum reintegretur statum, eique novus, ac distinctus praesul constituatur, suas ad hoc per dilectum filium Nostrum Fabritium sanctae Mariae in Cosmedin Sanctae Romanae Ecclesiae diaconum cardinalem Ruffo nuncupatum, ejusdem Ferdinandi regis apud Nos, et Sedem apostolicam administrum plenipotentiarium enixas Nobis detulit preces.

Reintegrantur ecclesiae ad primaeva jura.

§. 4. Nos igitur, qui pro muneris Nostri debito super universa gregis Dominici cura humeris Nostris a Christo Jesu pastorum animarum principe, licet immerito commissa, assiduo vigilare, et omnia quae in animarum earumdem detrimentum cedere possunt, ab eis avertere, et amovere tenemur, earumdem ecclesiarum Panormitanae, et Montis Regalis, ad praesens per liberam dimissionem venerab. fratris Nostri Philippi Lopez y Royo, ultimi illarum archiepiscopi, in manibus Nostris sponte factam, et per Nos admissam vacantium, optimo, felicique statui opportune prospicere, ac piis ejusdem Ferdinandi regis desideriis in praemissis favorabiliter annuere volentes, ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, unionem praedictae metropolitanae ecclesiae Montis Regalis a praefato Pio praedecessore alteri metropolitanae ecclesiae Panormitanae, ut praefertur, factam apostolica auctoritate perpetuo dissolvimus: dictamque ecclesiam Montis Regalis cum assignata dioecesi a quacumque jurisdictione ordinaria, et delegata pro tempore existentis archiepiscopi Panormitani, tam in spiritualibus, quam in temporalibus itidem perpetuo abdicamus, sejungimus, et separamus, nec non clerum et populum praedictae civitatis et dioecesis Montis Regalis a quacumque dicti archiepiscopi Panormitani jurisdictione et subjectione eadem apostolica auctoritate etiam perpetuo eximimus, et liberamus.

Ecclesia Montis Regalis in pristinum statum reponitur.

§. 5. Eandemque ecclesiam Montis Regalis sic disjunctam, et separatam ad Dei omnipotentis gloriam, et honorem, animarumque populorum salutem in pristinum cathedralis, et metropolitanae ecclesiae statum, cum suis capitulo, mensa archiepiscopali, caeterisque cathedralibus, et archiepiscopalibus insigniis juribus, jurisdictionibus, praeeminentiis, praerogativis, et privilegiis, quibus ante illius unionem praefatam pro tempore existens Montis Regalis archiepiscopus seorsim utebatur, fruebatur, et gaudebat; ita quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus unicuique ecclesiarum Panormitanae, et Montis Regalis de idoneo pastore ad praesentationem ejusdem Ferdinandi regis per Sedem apostolicam provideri debeat, scientia, et potestatis plenitudine similibus perpetuo quoque restituimus, reponimus, et plenarie reintegramus.

Eidem restituuntur loca, ecclesiae, et monasteria in regno Siciliae ultra pharum existentia.

§. 6. Nec non ipsi metropolitanae ecclesiae Montis Regalis sic restitutae, omnia et singula loca, ecclesias et monasteria in regno Siciliae ultra pharum existentia, quae ante praefatam unionem eidem praedictae metropolitanae ecclesiae Montis Regalis, ut praefertur, pertinebant, exceptis duntaxat iis, de quibus infra specialem habebimus rationem, pro suis dioecesi ac territorio itidem perpetuo de novo constituimus, et assignamus; eademque loca, ecclesias, et monasteria sic de novo assignata una cum clero, ac populo ordinariae futuri, et pro tempore existentis archiepiscopi Montis Regalis jurisdictioni, superioritati, et auctoritati de novo etiam perpetuo subjicimus, atque supponimus.

Assignatio ecclesiarum suffraganearum.

§. 7. Et insuper Cathaniensem, et Syracusanam ecclesias, quae Panormitanae et Montis Regalis ecclesiis in actu illarum unionis praefatae subjectae fuerunt, a metropolitana pro tempore existentis archiepiscopi Panormitani ecclesiae sic disjunctae jurisdictione perpetuo etiam eximimus, et liberamus: easque in suffraganeas ecclesiae Montis Regalis

sic restitutae tantum de novo, ut antea, constituimus, et assignamus, illiusque futuro, ac pro tempore existenti archiepiscopo metropolitico jure subesse declaramus.

Eidem aufertur ecclesia s. Cathaldi, quae archiepiscopo Panormitano conceditur.

§. 8. Quoniam vero in ipsa civitate Panormitana una reperitur ecclesia sub invocatione sancti Cathaldi, quae olim ad archiepiscopum Montis Regalis ante illius ecclesiae unionem praefatam spectabat, et in qua ipse archiepiscopus Montis Regalis, qui ad illam identidem se transferre solebat, sacramentum confirmationis ministrare, aliaque pastoralia munia peragere contendebat; ex quo nonnullis querelis Panormitanorum archiepiscoporum, qui sese his omnibus indesinenter opponebant, antiquis temporibus aditus aperiebatur: idcirco ne umquam in posterum inter praefatos archiepiscopos hujusmodi contestationum reviviscat occasio, scientia, et potestatis plenitudine paribus, eamdem ecclesiam sancti Cathaldi a quacumque jurisdictione futuri, et pro tempore existentis archiepiscopi Montis Regalis etiam perpetuo eximimus, et liberamus, declarantes dictam ecclesiam sancti Cathaldi ad praefatum archiepiscopum Montis Regalis amplius non spectare, nec ullam in ea jurisdictionem ab ipso exerceri posse, sed ipsam ecclesiam sancti Cathaldi una cum omnibus suis annexis, juribus, et dependentiis omnimodae jurisdictioni, superioritati, et auctoritati pro tempore existentis archiepiscopi Panormitani in perpetuum quoque subjicimus, atque supponimus.

Dismembratio territorii de Bronte.

§. 9. Mentem autem vertentes ad territorium de Bronte nuncupatum, cum Nobis compertum sit, illud a dioecesi Montis Regalis valde longe distare, ita ut spiritualis illius jurisdictio archiepiscopo Montis Regalis nimis esset incommoda; Nos idcirco praefatum territorium ac monasterium sancti Salvatoris nuncupatum prope oppidum sancti Marci ab ipsa Montis Regalis ecclesia penitus dismembrando ac separando dioecesi Messanensi, utpote viciniori, apostolica auctoritate perpetuo adjungimus, et incorporamus: illaque una cum omnibus et singulis in eis degentibus personis tam laicis, quam ecclesiasticis ordinariae moderni et pro tempore existentis archiepiscopi Messanensis jurisdictioni, superioritati, et auctoritati etiam respective subjicimus, atque supponimus.

Assignatio dotis mensae archiepiscopalis.

§. 10. Pro dote vero mensae archiepiscopalis praedictae ecclesiae Montis Regalis sic restitutae, ea omnia et singula bona, quae ante illius unionem praefatam constituta reperiebantur, pariter de novo apostolica auctoritate perpetuo concedimus, atque assignamus; ita tamen ex illorum redditibus detractis pro congrua decentique futuri et pro tempore existentis archiepiscopi Montis Regalis substentatione annua summa quatuor millium unciarum monetae illius regni, nec non annua pensione mille unciarum hujusmodi super eisdem fructibus favore praedicti Philippi nuper dictarum ecclesiarum Panormitanae et Montis Regalis archiepiscopi dimittentis per Nos una cum altera, ut infra dicemus, reservanda, reliquos superextantes redditus detractis oneribus ab eodem archiepiscopo Montis Regalis personis ab ipso Ferdinando rege, ejusque successoribus deputatis, seu deputandis ad effectum illos in usus pios, ut antea convertendi, atque erogandi, persolvi volumus, atque mandamus: sicque pariter praedicta pensione cessata, eam cum residualibus fructibus praedictis supradictis personis ad effectum praemissum persolvendis comprehendi praecipimus, atque statuimus; ita ut solutiones faciendae praefatae juxta onerum temporalium cessationum eventus proportionabiliter augeri debeant.

Declaratio quoad taxam solvendam in expeditione literarum apostolicarum.

§. 11. Volumus profecto quod in futuris provisionibus dictarum ecclesiarum Panormitanae, et Montis Regalis disjunctim faciendis literae apostolicae desuper respective conficiendae juxta earumdem ecclesiarum taxas, jam in libris camerae apostolicae descriptas, scilicet quoad Panormitanam, millium ac trecentorum florenorum auri, quo vero ad Montis Regalis respective ecclesias, bismillium florenorum hujusmodi prout ante unionem erat consuetum, expediri debeant: quodque pensio favore praefati Philippi archiepiscopi dimittentis in summa bismille unciarum in totum reservanda, et pro rata unciarum mille super metropolitanae ecclesiae Montis Regalis fructibus, ut supra imponenda, pro altera simili rata unciarum mille super metropolitanae ecclesiae Panormitanae fructibus imponi pariter debeat.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 12. Decernentes easdem praesentes literas, etiam ex eo quod in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes non consenserint, nec ad ea vocati

Digitized by Google

citati, et auditi, nec causae, propter quas eaedem praesentes emanarunt, sufficienter adductae, justificatae, et verificatae non fuerint, nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa, quantumvis juridica, et legitima, pia, privilegiata, ac speciali nota digna de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae seu quopiam alio substantiali, substantialissimo, et inexcogitato, ac specialem, et individuam mentionem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, in jus vel controversiam vocari, aut ad viam et terminos juris reduci, aut adversus illas quodcumque juris, vel facti, aut gratiae, vel justitiae remedium impetrari umquam posse, sed eas semper et perpetuo validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos nunc spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in futurum plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 13. Non obstantibus praemissis, ac Nostris, et cancellariae apostolicae regulis de jure quaesito non tollendo, ac de exprimendo vero annuo valore in unionibus, ac quibusvis aliis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis, vel edendis, specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac supradictarum omnium ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus et personis in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis, et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, illorumque omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime, ac specialiter et expresse, nec non opportune et valide, hac vice dumtaxat, harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§. 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae dissolutionis, abdicationis, separationis, restitutionis, repositionis, reintegrationis, exemptionis, liberationis, declarationis, praecepti, ordinationis, mandati, decreti, voluntatis, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae, millesimo octingentesimo primo, quarto idus martii pontificatus Nostri anno secundo.

ANNO TERTIO

Dat. die 17. martii 1802. Anno III.

CXII.

Concessio redemptionis canonis constituti super latifundiis, seu abbatiis, possessis a marchione Sigismundo Bandini in provincia Marchiae.

Monsig. Alessandro Lante Nostro tesoriere, e collettore generale de' spogli.

Expositio precum.

§. 1. Ci ha fatto rappresentare il marchese Sigismondo Bandini Collaterali nobile patrizio della Nostra città di Camerino, ed uno de' Nostri camerieri segreti di spada, e cappa, che fin dall'anno 1773. dalla felice memoria di Clemente XIV. Nostro predecessore furono concedute al marchese Alessandro Bandini suo padre in enfiteusi perpetua per se, e per i suoi figli, e discendenti maschi di maschio durante la linea, e discendenza mascolina le tre abbazie denominate di Fiastra, Sarrocciano, e s. Maria in Selva, poste e situate in diversi luoghi della Nostra provincia della Marca, con tutti i beni di qualunque natura, suppellettili sagre delle chiese, attrezzi, stigli, mobili, bestiami, ed annessi, e connessi appartenenti alle dette abbazie che si godevano dal Collegio Romano, allorchè l' amministrazione delle medesime era presso gl' individui della compagnia di Gesù per l' annuo canone di scudi novemila, da pagarsi liberamente ogni anno alla Nostra camera coll' obbligo di dover l' enfiteuta accollarsi non solamente la soddisfazione di tutti i pesi tanto ordinarj, che straordinarj, alli quali soggiacevano i beni delle tre suddette abbazie, ma ancora l' annua corrisposta di scudi quattrocento venticinque, quante volte fosse piaciuto ai sommi pontefici pro tempore di continuare a farla pagare alli monaci Cisterciensi di s. Vito di questa Nostra città di Roma, come per chirografo di Clemente XIV. dei 18. dic. 1773. Combinato quindi l' istromento d' investitura da monsignor, poi cardinale Pallotta, allora tesoriere generale incaricato a stipolarlo colle condizioni, e patti espressi nel chirografo, e con altri ancora, che gli fosse piaciuto di aggiungere, dichiarare, e diminuire per la buona, e facile condotta, ed esecuzione dell' investitura, in uno dei molti capitoli, che fanno parte dell' istromento venne autorizzato il marchese Alessandro, e i suoi discendenti maschi di potere in concorrenza di più figli maschi sceglierne uno solo, quale da esso, o essi fosse stato riputato il più idoneo al mantenimento, e conservazione dei beni enfiteutici; il qual figlio così nominato dovesse soltanto godere della continuazione dell' enfiteusi in sua persona, e de' suoi discendenti maschi colla suddetta facoltà di nominare, come sopra, senza che gli altri figli maschi esclusi avessero potuto sopra i detti beni enfiteutici, quantunque migliorati, ed accresciuti pretendervi il menomo jus, anche per ragione di legittima, o per qualunque altro credito, e causa, come si rileva dalle tavole d' investitura dei 21. dicembre 1773. per gli atti di Silvestro Mariotti già segretario della Nosta camera apostolica; qual enfiteusi incominciata a decorrere dal dì primo giugno 1774. fu ritenuta pacificamente dal marchese Alessandro primo investito, finchè naturalmente visse, ed essendone il medesimo possessore, piacque alla fe.

Digitized by Google

me. di Pio VI. Nostro predecessore col moto proprio dei 10. maggio 1775. di accordare il giudice di privativa giurisdizione, tanto nelle cause civili, che criminali, e miste risguardanti l'enfiteuta, i coloni, ed i beni tutti enfiteutici, confermando i privilegj, ed esenzioni espresse nell'istromento d'investitura. Morto poi il marchese Alessandro Bandini passò l'enfiteusi nel marchese Sigismondo suo figlio primogenito prescelto dal pradre tanto per atto inter vivos, quanto per disposizione di ultima volontà al godimento della medesima in esclusione degli altri due figliuoli maschi Melchiorre, e Gio. Battista, il quale marchese Sigismondo n'è il possessore attuale, se non che nel tempo delle notorie passate vicende i medesimi fondi enfiteutici posti nella classe de' beni nazionali furono venduti per istromento rogato dal Salvatori, e Lorenzini li 4. giugno 1798. e quindi spogliatone l'enfiteuta, e costretto a rendere tutto quello, che nel principio dell'investitura aveva dalla Nostra camera ricevuto, e riportarne quietanza finale dalla così detta amministrazione dipartimentale del Musone, non potè rientrare al possesso, che nell'agosto del 1799. stipolato ne' tre pubblici istromenti dei 19. 20. 21. agosto detto anno per rogito di Giovanni Gullini notajo pubblico di Macerata; fattosi poscia nei susseguenti mesi di settembre, e ottobre detto anno un atto formale di consegna all'enfiteuta di tutti gli effetti di pertinenza del principato ritrovati in essere nelle tre abbadie, qual'atto fu eseguito da Domenico Rebagli incaricatone dalla così detta imperiale regia pontificia reggenza, allora esistente nella Nostra città di Macerata. Ci ha in seguito rappresentato il suddetto marchese Sigismondo, che avendo esso preso una grandissima affezione a quei beni, che per tanti anni con miglioramenti d'ogni sorta aveva accresciuti, bonificati, e ridotti nello stato della maggior floridezza, deliberò di proporci, come realmente ci propose per mezzo del marchese Luigi Ercolani allora provvisoriamente Nostro tesoriere generale l'affrancazione del canone delle badie, onde quelle, che prima erano enfiteutiche, e di diretto dominio della Nostra camera, divenissero sue allodiali con piena ragione, e diritto, ma non essendosi questo progetto di affrancazione allora potuto ridurre ad effetto per la sopraggiunta cessazione dall'officio del marchese Ercolani, ha rinnovato a voi l'istanza, domandando fin dal mese di dicembre dello scorso anno la redenzione, o sia affrancazione del canone delle badie più piccole, o sia grancie propriamente dette di Sarrocciano e s. Maria in Selva, colla continuazione dell'enfiteusi rispetto alla badia di Fiastra con quel canone, che alla medesima fosse proporzionato, e corrispondente.

Judicium latum a congregatione deputata super convenientia redemptionis canonis.

§. 2. Ma avendo voi creduto, che l'affare dovesse meritare il più severo, e diligente esame ne differiste la risoluzione ad altro tempo, onde acquistare quei lumi, e quelle notizie, che ne avessero arrecata una piena cognizione. Intrattanto però la congregazione de' reverendissimi cardinali specialmente da Noi deputata sull'enfiteusi, e beni alienati, avendo preso in esame l'investitura di Fiastra, e delle due grancie annesse sotto il giorno 28. del prossimo passato mese di gennajo emanò il rescritto: *dilata, et ad mentem*, la qual mente si fu, che per parte del fisco, o sia della Nostra camera si scrivesse contro la concessione enfiteutica, non ostante i rilievi di monsignor commissario della camera già stampati, e prodotti contro la medesima; onde rimasta così indecisa la controversia, se la concessione di Fiastra, e delle annesse grancie dovesse aversi per giusta, o più tosto dovesse procedersi, come in alcune altre si è fatto, all'affissione di nuovi editti, e notificazioni per invitare oblatori, l'enfiteuta marchese Bandini si presentò di nuovo a voi, perchè o lo metteste in libertà di ritirare il suo piano di affrancazione delle due grancie per attendere unicamente ad una più valida difesa della concessione nella nuova proposizione della causa avanti la nominata congregazione, o più tosto voleste con qualche speditezza, e sentita la Nostra sovrana approvazione, prestarvi a combinare il contratto dell'affrancazione. E fu questa l'occasione, in cui lo stesso marchese Bandini per l'affrancazione del canone delle due grancie, e di tutti gli annessi, e connessi, e dipendenze dalle medesime vi offerì la somma di piastre 100,000 d'argento rappresentandovi, che rattizzando secondo il valore catastrale dei beni enfiteutici sopra le suddette due grancie l'intiero annuo canone di scudi novemila quattrocento venticinque, canone convenuto per *modum unius*,

ed *in solidum* sopra tutte tre le badie, le centomila piastre di argento potevano essere una giusta misura della porzione del canone suddetto, che si paga in qualsivoglia sorta di moneta per le due grancie, massime avuto riguardo all' altezza degli odierni interessi, ed al maggior profitto, che dall' investimento di una somma così vistosa avrebbe il marchese suddetto potuto ritrarre, esponendovi nell' atto stesso le sue fondate speranze per riportare in un' altra proposizione di causa una compita vittoria della sua concessione enfiteutica, non solo perchè era stata fatta da Clemente XIV. di fel. mem. dopo veduto l' intiero stato delle tre abbazie, secondo l' espressioni del pontificio chirografo, ma anche in vista de' nuovi documenti ritrovati dopo la congregazione dei 28. gennajo passato, nel qual caso di vittoria sarebbe tornato più in conto allo stesso marchese Bandini di continuare nel pacifico possesso dell' enfiteusi per l' annua indicata prestazione di scudi novemila quattrocento venticinque di qualunque sorta di moneta. Ed era così grande la di lui fiducia di sostenere la concessione, che quando si fosse per modo di transazione, e per ricedere da ogni lite accettata in redenzione del canone delle due grancie la somma di scudi centomila di argento, era egli contentissimo, che l' esame dell' enfiteusi rapporto all' abbadia di Fiastra rimanesse al giudizio dei tribunali.

Providentiae captae antequam admitterentur conditiones oblatae ab emphiteuta pro redemptione canonis.

Domini Nostri pp. nomine eligimus; et deputamus in judicem privativum causarum agendarum non solum inter agricolas agri Romani, et ductores campestres, sed etiam inter ductores ipsos, et eorum homines laboratores subalternos pro implemento eorum obligationum assumptarum mediantibus etiam anticipatis solutionibus, et arrhis eis subministratis, et solutis a dictis supplicantibus, et ab eorum respectivis ductoribus, judicem mercenariorum urbis communiter nuncupatum — Abbate Sacco —, qui in vim hujus deputationis procedere debebit in urbe, ejusque districtu ad decisionem, et definitionem dictarum causarum, comprehensis etiam illis respicientibus fraudes, et contraventiones commissas a dictis ductoribus campestribus, vel hominibus laboratoribus subalternis tribus retro annis, dummodo tamen istae in judicium non sint jam deductae cum iisdem facultatibus etiam oeconomicis, quibus idem judex solet procedere in causis mercenariorum, et non alias, ut fusius in supradicto chirographo exprimitur, et in omnibus, et per omnia juxta illius formam, seriem, ac tenorem. Non obstantibus constitutionibus apostolicis privativam, et cumulativam jurisdictionem judicum urbis, ejusque districtus respicientibus, aliisque constitutionibus apostolicis, legibus, statutis, et aliis, quibus idem sanctissimus Dominus Noster papa in suo praeinserto chirographo derogavit. In quorum fidem etc. Datum Romae ex palatio nostrae residentiae hac die 16. februarii 1777.

Loco ✠ signi.

B. card. Giraud pro-auditor.

Pasqualis Vagnolini causarum curiae camerae apostolicae, et eminent. et rev. domini cardinalis pro-auditoris ss. domini Nostri papae notarius.

Loco ✠ signi.

Fidem facio per praesentes ego notarius publicus infrascriptus qualiter sub infrascripta die in actis mei etc. fuit exhibitum memoriale cum rescripto ss. emanato in instantia judicis pauperum mercenariorum artis agrariae tenoris sequentis videlicet.

Intus

Beatissimo Padre.

Preces porrectae a judice mercenariorum pro obtinenda prorogatione jurisdictionis super causis cujuscumque valoris ad mercenarios, et agricolas quomodolibet pertinentibus.

§. 7. Gli agricoltori hanno in ogni tempo, e presso ogni nazione richiamata l'attenzione de' buoni principi. Siccome questa porzione di sudditi quanto laboriosa, ed utile, altrettanto è povera, meritava per la stessa ragione una providenza, che li ponesse in stato sicuro di vendicare le loro mercedi rimossa ogni formalità, senza loro dispendio, e nel modo più spedito, che fosse possibile. A quest' oggetto mirarono i predecessori di Vostra Beatitudine nella prima istituzione del giudice de' poveri mercenarj chiamato volgarmente *Abbate Sacco*. Una sì saggia istituzione non poteva rimaner senza effetto. Quindi venne quella accompagnata da privilegj speciali, e da una costante immemorabile osservanza, e per cui sono vietate le appellazioni, e ricorsi di qualunque specie dagli ordini economici, e decreti di quel giudice.

Alla scuola dell' esperienza furono in appresso ammaestrati i mercanti agricoltori. Questi per i lavori campestri somministrano ai caporali, e campagnoli anticipate prestanze, e caparre, facendo lo stesso li caporali medesimi con i subalterni operaj. Frequenti erano le frodi, che si commettevano, e le perdite delle stesse caparre, inevitabile, e grave il danno, che ne risentivano gli agricoltori suddetti nel ritardo de' necessarj lavori dell' arte agraria. Credettero pertanto gli agricoltori medesimi degno di providenza l' adempimento di tali obblighi. Ricorsero a quest' effetto supplichevoli al trono, ed accolte da Vostra Beatitudine le umili loro preghiere, con tratti di sovrana clemenza si degnò segnare sotto il dì 13. febbrajo 1777., un speciale chirografo, con il quale ampliò la giurisdizione al giudice de' mercenarj di Roma con deputarlo privativo giudice delle cause, che doveansi agire non solo tra gli agricoltori, e gli accennati caporali, e campagnoli, ma eziandio tra li caporali medesimi, e li di loro uomini lavoranti subalterni per l' adempimento di detti obblighi assunti mediante ancora le somministrazioni delle prestanze, e caparre con le medesime facoltà anche economiche colle quali è solito detto giudice procedere nelle cause de' mercenarj, e come meglio leggesi nel lodato chirografo, la di cui copia stampata si umilia annessa.

Pareva dopo ciò, beatissimo Padre, che null' altro restasse a desiderarsi, e che ampliata la giurisdizione del giudice di potere per qualunque somma decidere le controversie, e

Digitized by Google

cause delle arre, e prestanze, ampliata ancor fosse per le mercedi campestri, per le quali fin da quel tempo si pretendeva limitata, e circoscritta alli soli scudi cinque. Ma pur non ostante approfittando molti cavillosi debitori, che nel lodato chirografo non siasi fatta letteralmente menzione di tali mercedi, si fan lecito di eseguire avanti monsig. uditore della segnatura alcune citazioni inibitive contro i miserabili mercenarj, le quali recano ai medesimi gravissimo danno, perchè sono costretti a perdere le giornate, e dispendiarsi nei giudizj, o di abbandonare i loro crediti.

Tali citazioni inibitive vengono ordinariamente ammesse nel tribunale suddetto della segnatura sotto il pretesto di mancanza di giurisdizione relativamente alla somma, che ancora si pretende ristretta alli scudi cinque, o perchè non si tratta di mercede diorna (quasichè un miserabil contadino che o mensualmente, o settimanalmente pattuisce la di lui mercede per il lavoro, non abbia a godere di un' egual privilegio di quello, che pattui il lavoro a giornata) ed accade ben spesso, che circoscritti gli atti trovansi i poveri mercenarj nella dura necessità di dover sostenere o innanzi il cardinal prefetto della segnatura, e finalmente nel tribunale dell' uditore della S. Vostra la pertinenza della causa, la validità de' loro atti con grave loro danno, e dispendio, e perdere il frutto de' loro sudori, e si distruggono in tal guisa in questa parte le provvide disposizioni del tribunale delle mercedi, nel quale gratis in tutto sono sollecitamente spediti.

Troppo ingiustamente però sonosi introdotte tali citazioni. Molte sono le ragioni, che conducono a decidere già ampliata la giurisdizione. Il privilegio, che concesse al tribunale il pontefice Innocenzio XI. di sa. mem. di potere *sub unica citatione* spedire più mercenarj, che abbiano prestata la loro opera in un lavoro campestre contro il debitore il più delle volte caporale; il dovere per atto di giustizia accordare al caporale stesso l' azione della liberazione dalle molestie nel caso, che questi non sia stato pagato dal mercante padrone, come ben spesso avviene, persuaderebbe a sufficienza per escludere ogni dubbiezza; ma persuade anzi più il già detto chirografo segnato da Vostra beatitudine.

Imperciocchè se fu necessario riparare alle frodi, evitare quei danni, che i mercanti agricoltori, l' agricoltura ne soffrivano per il ritardo dei tanti necessarj lavori della campagna, e fu a tal' effetto eletto un giudice privativo economico perchè obbligasse gli agricoltori o contadini subalterni ad adempire con prontezza alle loro obbligazioni, fu anco necessario, e giusto provvedere, soccorrere, e prestarsi per questi, ed assicurargli egualmente il frutto delle loro immense fatiche. Le mercedi, ed arre campestri hanno fra di loro una inseparabile unione. Non può effettuarsi lavoro senza l' una, e senza le altre. Per il buon ordine dell' agricoltura sono ambidue necessarie. Agricoltori sono i primi, agricoltori i secondi. I primi ricchi perchè la fortuna li ha dotati di sostanze; i secondi poveri perchè non fu loro propizia. Non può, nè deve presumersi, che nel ridetto chirografo abbia Vostra beatitudine, voluto garantire piuttosto i ricchi, che i poveri, e rendere disuguale il giudizio. Sembra dunque, che tal chirografo non possa leggersi in diverso senso, che lo spirito del medesimo tenda a provvedere agli uni, ed agli altri, e che se non con espresse parole tassativamente, almeno dimostrativamente siano in quello contenute, ed incluse le facoltà di giudicare egualmente per le mercedi, che sono crediti assai più privilegiati delle arre, che debbonsi a quelli, che strapazzando la loro vita con stenti, e sudori si procacciano il giornaliero vitto, e sostengono l' uman genere.

Queste ragioni peraltro non bastano a mettere al coperto i poveri agricoltori mercenarj, e difenderli dalli strapazzi, che gli vengono recati dai morosi, e cavillosi debitori, e dai più potenti. L' abbate Gherardo De Rossi pertanto, che per amorosa beneficenza della Santità Vostra trovasi investito del posto di giudice non ha potuto non compassionare lo stato infelice di quelli; desidera per quanto egli puole giovarli nulla curando la maggior fatica; quindi animato dalle costanti paterne cure, colle quali la Santità Vostra ha risguardato, e sollevato sempre i suoi amatissimi sudditi, e specialmente i poveri, si fa coraggio di rispettosamente rappresentare alla Santità Vostra queste molestie, e supplicarla di por fine alle medesime col benignamente degnarsi dichiarare o con rescritto, o nella forma, che più le piacerà, che nel lodato chiro-

grafo segnato il dì 13. febbrajo 1777. concernente le arre campestri sono già incluse, comprese, ed ampliate le facoltà al giudice, e tribunale de' poveri mercenarj di campagna di giudicar colle solite facoltà, e privilegj per ogni, e qualunque somma anche le cause de' mercenarj medesimi, ed ordinare altresì, che dai decreti, e risoluzioni economici del medesimo giudice, e tribunale non si attendino, e non si prezzino citazioni, ed inibizioni di qualunque altro giudice, e tribunale, se non quelle, che saranno segnate da monsignore uditore pro tempore della Santità Vostra tanto in linea di pertinenza di cause, che di appellazioni, o ricorsi conforme si praticava per lo passato.

E siccome queste vertenze di mercedi hanno una quasi indissolubile connessione colle rappresaglie, che frequentemente si fanno dai caporali, capocci, fattori, ed altri ministri di campagna, di ritenere le vesti, e robbe spettanti ai loro subalterni operai, o per obbligarli a non partire dal servizio, o sotto pretesto di crediti, e da questi medesimi subalterni colla retenzione, e distrazione dei stigli dell' arte a loro consegnati per i lavori; supplica umilmente la Santità Vostra a volergli comunicare le opportune facoltà di giudicare ancora sopra tali incidenti.

Che dalla grazia ec.

Foris

Alla Santità di Nostro Signore Pio PP. VI.

Per il giudice de' poveri mercenari dell' arte agraria.

Die 4. decembris 1796.

Ex audientia sanctissimi.

Rescriptum editum ab auditore sanctissimi.

§. 8. » Sanctissimus mature perpensis rationum momentis ab oratore expositis, ne pauperum mercenariorum conditio deterior sit privilegio jam concesso eorum ductoribus, atque etiam agricolis in chirographo die 13. feb. 1777. benigne mandavit, ut orator, ejusque in hoc munere successores procedant in omnibus causis mercedum campestrium cujuscumque summae, quantitatis, et qualitatis, pariterque procedant super restitutione rerum, quas ipsis mercenariis, eorumque ductoribus auferri, ac retineri contingat occasione agriculturae cum omnibus adnexis, et connexis juxta petita; ita tamen, ut in his causis procedant semper gratis, nullo accepto honorario, seu emolumento, quod tantummodo debeatur in aliis causis vigore memorati chirographi cognoscendis juxta modum statutum in rescriptis diei 22. aug. 1793. et 21. junii 1795. In omnibus autem causis ad judicem mercenariorum pertinentibus tam vigore literarum apostolicarum in forma brevis, quam vigore praefati chirographi, ac praesentis rescripti, ipse judex procedet semper cum suis facultatibus oeconomicis ei tributis in dictis literis apostolicis, ita ut nulla omnino attendatur cujuscumque judicis, ac tribunalis citatio, aut inhibitio nisi signata manu ss., sive ejus pro tempore auditoris. Et ita contrariis quibuscumque non obstantibus. Praesens autem rescriptum adnectatur praememorato chirographo ».

Loco ✠ signi.

J. Donati vice-auditor.

Quae quidem exhibitio fuit per me etc. adnotata in positione supradicti chirographi etc. prout latius in actis meis etc. In fidem etc. Romae hac die 7. decembris 1796.

Ita est Laurentius Felci AC. ac r. p. d. auditoris ss. notarius.

Utraque rescripta confirmantur, et exequenda decernitur.

§. 9. Quumque dilectus filius Gherardus de Rossi modernus mercenariorum judex, sicut Nobis exponi fecit, praeinsertum chirographum, atque rescriptum, quae prodiere divisim, nunc colligi in unum, ac uno veluti speculo, ubi quid sibi, quid successoribus suis habendum prae oculis sit, tutoque sectandum, apostolicis Nostris literis in forma brevis comprehendi, et communiri desideret, ac humiliter flagitet; Nos ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, tam chirographum, quam rescriptum praedicta, ac omnia et singula, quae in eis continentur, apostolica auctoritate tenore praesen-

Digitized by Google

tium rata, et valida habemus, recognoscimus, et declaramus, illisque quatenus opus sit, novum firmitatis apostolicae robur adjicimus, ac defectus, si quos quomodolibet excidisse contigerit, plenarie sanamus, atque supplemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 10. Decernentes has Nostras literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac praedicto judici, ejusque in officio successoribus in omnibus, et per omnia perpetuo suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 11. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, etiam speciali, et expressa mentione, ac derogatione dignis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesima martii millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 30. martii 1802. Anno III.

CXVI.

Indulgetur, ut in ecclesia sanctae Mariae della Granada nullius dioecesis provinciae Compostellanae in omnibus diebus octavae Assumptionis B. M. V. officium ejusdem octavae recitari possit.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio concessionis.

§. 1. Cum, sicut dilecti filii moderni parochi, rectores, et clerus ecclesiae parochialis sub titulo sanctae Mariae vulgo della Granada oppidi civitatis nuncupati in communi ditione de Llerena prioratus s. Jacobi de Spatha nullius dioecesis provinciae Compostellanae Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quo erga Deiparam afficiuntur devotionis affectu, ejusdem cultum, et venerationem in dies augeri summopere desiderent; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, audito etiam dilecto filio magistro Julio de Carpineo sac. rituum congregationis secretario, ut in posterum quotannis in eadem ecclesia in omnibus diebus octavae festi Assumptionis beatae Mariae virginis recitari possit officium ejusdem octavae, exceptis diebus, in quibus occurrat festum primae, vel secundae classis etiam translatis; ac propterea, ut in primo die post dictam octavam, dummodo pariter non occurrat festum primae, vel secundae classis, celebrari possit una tantum missa cum cantu propria de eodem festo Assumptionis cum gloria, et credo, auctoritate apostolica, tenore praesentium indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae ecclesiae consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesima martii millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 1. aprilis 1802. Anno III.

CXVII.

Confirmatio literarum a fel. rec. Pio pp. VI. expeditarum super erectione in civitatem communitatis Vetrallae Viterbiensis dioecesis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium. §. 1. Paterna, quam de Nostris, et apostolicae Sedis in temporalibus subditis gerimus, cura, et solicitudo Nos urget, ut eorum votis, quantum cum Domino possumus, benigne annuamus, illosque specialibus gratiis libenter afficiamus.

Expositio precum. §. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni conservatores communitatis Vetrallae, Viterbiensis dioecesis, quod dudum a felicis recordationis Pio pp. VI. praedecessore Nostro, sub certis modo, et forma tunc expressis auctoritate apostolica indultum fuit, ut ipsa civitatis titulo, eique correspondentibus honoribus gauderet, ac praeterea illius pro tempore existentibus magistratibus, ut ipsi togam oblongam ex teloserico raso nigro cum zona simili publice gestare, ita tamen, ut a zona primi conservatoris duo flocci auro contexti, a zona vero secundi, et tertii flocci simpliciter nigri penderent concessum fuit, ac alias, prout in ejusdem Pii praedecessoris desuper in simili forma brevis die IV. aprilis MDCCLXXXIII. expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, fusius continetur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ipsi exponentes omnia praemissa per Nos confirmari, et honorificentias magistratibus hujusmodi concessas ampliari summopere desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos communitatem praedictam plurimi facientes, ac magistratum hujusmodi aliquo apostolicae beneficentiae munere donare, atque amplioris honoris praerogativa decorare cupientes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, erectionem dictae communitatis in civitatem a Pio praedecessore, ut praefertur, factam cum omnibus, et singulis in ejusdem praedecessoris literis contentis, et expressis honoribus, et privilegiis auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, et quatenus opus sit, denuo erigimus, et respective concedimus; ac praeterea, ut deinceps perpetuis futuris temporibus primus ejusdem civitatis conservator praedictae oblongae togae partes inversas — vulgo mostre — auratas habere et gestare, secundus vero, et tertius conservatores eamdem zonam nigram praedictam cum floccis auro serico contextis publice gerere libere, et licite possint, et valeant, servata in reliquis earumdem Pii praedecessoris literarum forma, et dispositione, auctoritate et tenore praedictis concedimus, et indulgemus, illosque desuper a quoquam impediri, vel perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, aliarum civitatum, ac terrarum ditionis Nostrae ecclesiasticae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; illisque omnibus, et singulis, quae a memorato Pio praedecessore concessa sunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die prima aprilis millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio. Derogatio contrariorum.

CXVIII.

Dat. die 1. aprilis 1802. Anno III.

Instantibus nonnullis monialibus monasteriorum ordinis sancti Augustini dioecesis Valentinae assignatur dies XIV. januarii festo, et officio beati Joannis de Ribera loco ultimae Dominicae augusti.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Cum sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilectae in Christo filiae abbatissae, seu priorissae, et moniales ordinis eremitarum sancti Augustini excalceatarum nuncupatarum monasteriorum sanctae Ursulae civitatis Valenti- Ratio concessionis.

by Google

nae, et villarum vulgo Alcoy, Xavea, Olleria, et Benigamin, nec non oppidi civitatis nuncupati de Denia, in dominica ultima augusti assignata pro officio, et missa beati Joannis de Ribera fundatoris coincidant saepe beatae Mariae virginis de Cintura, et sancti patris Augustini festi dies, ideoque festum, et officium, praedictum ad alium anni diem transferri, et fixari plurimum desiderent.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur dictas exponentes specialibus gratiis, et favoribus, prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, referente dilecto filio magistro Julio De Carpineo sacrorum Rituum congregationis secretario, loco dominicae ultimae mensis augusti alias assignatae, diem decimam quartam mensis januarii festo cum officio, et missa beati Joannis de Ribera pro iisdem monialibus supplicantibus auctoritate apostolica tenore praesentium assignamus; et quando eadem die XIV. januarii occurrerit festum sanctissimi nominis Jesu, ipsi festo beati Joannis diem XV. sequentem auctoritate, et tenore praedictis assignamus.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictorum monasteriorum, et ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die secunda aprilis millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

CXIX.

Dat. die 9. aprilis 1802. Anno III.

Facultas regi catholico suspendendi nominationes duorum prioratuum militiae de Calatrava, eorumque fructus interim applicandi pro expensis faciendis in translatione communitatis conventus de Calatrava.

Carissimo in Christo filio Nostro Carolo Hispaniarum regi catholico.

Pius PP. VII.

Carissime in Christo fili Noster salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Majestatis tuae nomine nuper expositum fuit, quod cum duo prioratus, seu praeceptoriae vel commendae sancti Benedicti de Jaen, et sanctae Mariae Magdalenae de Alcaniz militiae de Calatrava, cujus administrator perpetuus apostolica auctoritate deputatus existis, vacaverint, et vacent de praesenti per obitum bonae memoriae Francisci de Losa y Boxas, et Joannis Francisci Carrasco Suarez de Figueroa ultimorum illorum respective priorum, seu praeceptorum, vel commendatorum, cumque communitas conventus de Calatrava dictae militiae se ad locum de Almagro vulgo nuncupatum se quamprimum, transferre debeat, ad quam translationem efficiendam plurimi occurrant sumptus, et impensae, tu, ut communitati praedictae consulas dictorum prioratuum collationes ad aliquod tempus suspendere, atque interim illorum fructus, redditus, et proventus ad memoratam communitatis translationem hujusmodi perficiendam applicare et convertere intendis, si Nostra, et hujus sanctae Sedis tibi super his licentia suffragetur, et facultas. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate Nostra apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur majestatis tuae votis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et conventus singulares personas a quibusvis excommunicationis, et in-

terdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, majestatis tuae collationes dictorum duorum prioratuum, seu praeceptoriarum, vel commendarum sancti Benedicti, et sanctae Mariae Magdalenae suspendendi, illorumque, seu illarum fructus, redditus, et proventus quoscumque ferendis sumptibus, et expensis in translatione communitatis praedicti conventus de Calatrava faciendis, necessitatibus hujusmodi durantibus dumtaxat, persolutisque omnibus oneribus, quae quolibet anno super ambobus prioratibus praedictis distribuenda sunt, auctoritate Nostra apostolica applicandi, et convertendi, nec non unum, vel plures eorumdem prioratuum particulares administratores interinos ad id eligendi plenam, et amplam facultatem eadem auctoritate, tenore praesentium concedimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus praemissis, et quatenus opus sit, fel. rec. Alexandri pp. VII. praedecessoris Nostri die XVIII. novembris MDCLXI. expeditis literis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ejusdem militiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda aprilis millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Notri anno tertio.

CXX.

Dat. die 2. aprilis 1802. Anno III.

Indultum utendi habitu praelatitio cum privilegiis praelatorum domesticorum in perpetuum pro duabus primis dignitatibus cathedralis ecclesiae Spoletanae.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. In summo apostolatus apice, meritis licet imparibus, constituti ad statum ecclesiarum omnium, quarum Nobis a Domino commissa est cura, personarumque in eis Altissimo famulantium propensis studiis animum intendimus, ac primorum earumdem ministrorum decori, et honorificentiae praesertim consulimus.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecit venerabilis frater Franciscus Maria episcopus Spoletanus, cathedralis ecclesia ipsius Spoletanae civitatis antiquitatis laude, templi majestate, patrimonii amplitudine, dignitatum, et canonicorum probitate, et scientia non mediocriter floreat, multum splendoris, et ornamento ad ipsam ecclesiam accederet, ac divinus in ea cultus, populique devotio majora susciperet incrementa, si primae ejusdem ecclesiae dignitates, prioratus, et archidiaconatus nuncupatae, quas de praesenti dilecti filii Caesar Lauri, et Franciscus Ridolfi respective obtinent, novis decorationibus, et honorificentiis donentur. Nobis propterea idem episcopus humiliter supplicari fe-

Digitized by Google

cit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur dignitates praedictas nova, ampliorique praerogativa exornare volentes, ac dictorum Caesaris, et Francisci singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus hujusmodi eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, eisdem Caesari priori, et Francisco archidiacono, eorumque successoribus in perpetuum dignitates hujusmodi pro tempore obtinentibus, ut habitum praelatitium, vestem scilicet talarem oblongam cum mantelletta violacei coloris, et rocchetto tam in ecclesia praedicta, ejusque choro, et capitulo, quam extra eam in processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illoque uti cum omnibus praerogativis, privilegiis, et praeeminentiis, quibus praelati Nostri domestici utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere possunt, et poterunt in futurum, libere et licite possint, et valeant auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus et indulgemus; dignitatesque praedictas desuper a quoquam impediri, molestari, vel perturbari nullatenus posse, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus fel. rec. Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictae ecclesiae cathedralis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, ex expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda aprilis millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

CXXI.

Dat. die 4. aprilis 1802. Anno III.

Decretum absolutionis, et dispensationis ab eminentissimo card. legato elargitae iis ex novis Galliarum episcopis, qui pridem episcopales sedes absque Sedis apostolicae institutione occuparunt.

Claudio Francisco Mariae Primat occupante primum Cameracensem, postea Lugdunensem sedem.

Joanni Claudio le Blanc de Beaulieu, Rothomagensem.

Joanni Francisco Perrier dicto episcopo vulgo *du Puy de Domo*.

Claudio le Coz, Rhedonensem.

Joanni Baptistae Saurine dicto episcopo vulgo *des landes* exaratum in forma gratiosa, eminentissimi domini cardinalis legati manu subscriptum, signoque munitum, atque unicuique eorum per reverendiss. dominum episcopum Aurelianensem consignandum, postquam resipiscientiae signa quisque exhibuisset, eique se conformasset.

Nos Joannes Baptista tituli sancti Honuphrii S. R. E. presbyter cardinalis Caprara archiepiscopus, episcopus Æsinus ss. domini nostri Pii papae VII. et s. Sedis apostolicae ad primum Galliarum reipublicae consulem a latere legatus.

Cum r. d. (cujusque nomen et cognomen, atque archiepiscopalis aut episcopalis sedes exprimebatur) absque apostolicae Sedis institutione jam occupatam abjecerit, et ab illius ecclesiae regimine prorsus cessaverit; nec non debitam Romano pontifici obedientiam, et submissionem professus sit, atque judiciis apostolicae Sedis super ecclesiasticis Galliarum negotiis emanatis sincero animo se adhaerere, ac plane subjectum esse declaraverit.

Digitized by Google

Nos qui Sanctitatis Suae, et sanctae Sedis de latere legati potestate fungimur, memoratum N. N. catholicae unitati adhaerentem, a quibusvis sententiis, censuris, et poenis ecclesiasticis, tam a jure, quam ab homine, quavis causa et occasione latis, et quomodolibet respective incursis, speciali et apostolica expressa auctoritate in utroque foro absolvimus, et absolutum declaramus; cum poenitentia semel recitandi septem psalmos poenitentiales, et cum obligatione sollicite servandi unitatem in vinculo pacis; et cum praefato N. N. suffragante ei merito suae conformitatis Sanctitatis Suae hortatibus, super quacumque irregularitate, quavis causa et occasione quomodolibet contracta, pari apostolica speciali et expressa auctoritate, in utroque similiter foro, misericorditer dispensamus. Constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque in contrariis facientibus speciali etiam et individua mentione dignis non obstantibus. Datum Parisiis ex aedibus nostrae residentiae die 4. aprilis 1802.

Loco ✠ signi.

J. B. card. legat.

V. Ducci a secretis in ecclesiast.

Gratis etiam quoad scripturam.

Ego subsignatus episcopus Aurelianensis, ab eminentissimo domino cardinale legato designatus, ut decretum in forma gratiosa, ut supra conceptum tum absolutionis a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis, tum dispensationis super quacumque irregularitate elargiretur quinque superius recensitis, ac ad archiepiscopales, et episcopales sedes respective nominatis a primo Galliarum reipublicae consule; postquam tamen resipiscientiae signa quisque exhibuisset, et ipsius decreti conditionibus ac tenori se conformasset, fidem facio, me die decima sexta currentis, singulis praefatis nominatis, resipiscientiae signa exhibentibus, et decreti conditionibus, ac tenori sese conformantibus, memoratum absolutionis et dispensationis decretum tradidisse, quod a singulis ea qua par erat reverentia exceptum fuit. In quorum fidem praesentes mea manu subscripsi. Datum Parisiis die

Stephanus episcopus Aurelianensis.

CXXII.

Dat. die 6. aprilis 1802. Anno III.

Confirmatio concessionis juris praesentandi parochum in ecclesia s. Elpidii castri hujus nominis in dioecesi Firmana facta ab archiepiscopo Firmano favore familiae Spaccasassi Orticinii ejusdem dioecesis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Pastoralis Nostra sollicitudo postulat, ut Christi fidelium praesertim temporali Nostro, et S. R. E. dominio subditorum tranquillitatem, quantum in Nobis est, tueamur, ut ipsi omni litium, et discordiarum metu sublato, mutua charitate devincti, pastori aeterno valeant jugiter famulari.

Expositio precum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilectus filius Franciscus parochus, et alii filii, ac nepotes bo. me. Josephi Spaccasassi de Orticinio Firmanae dioecesis, quod cum venerabilis frater Andreas archiepiscopus Firmanus a fel. rec. Pio pp. VI. praedecessore Nostro hospitalis s. Mariae Charitatis vulgo Projectorum nuncupati Firmanae civitatis visitator, et delegatus apostolicus esset constitutus, ut hospitale praefatum a magnis sumptibus pro restauratione ecclesiae parochialis s. Elpidii in castro ejusdem denominationis s. Elpidii Morici ipsius Firmanae dioecesis faciendis ad quos sumptus hospitale praefatum tenebatur ratione ejusdem sui juris nominandi, et praesentandi dictae ecclesiae parochum, juspatronatus hujusmodi cum omnibus, et singulis honoribus, et oneribus ad memoratum Josephum, suosque transtulit, concessit, et donavit, prout ex ipsius visitatoris apostolici die XVIII. februarii MDCCLXXXIV. emanato decreto, cujus tenorem pro expresso haberi volumus, uberius continetur. Quo autem, sicut eadem expositio subjungebat, decretum concessionis hujusmodi firmius subsistat, et servetur exactius ipsi exponentes apostolica auctoritate omnia confirmari summopere desiderant.

Tenor confirmationis.

§. 3. Nos ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poe-

Digitized by Google

nis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, idem visitatoris, et delegati apostolici concessionis praedictae decretum una cum omnibus, et singulis in eo contentis, et expressis, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis, ac perpetuae apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque juris, et facti solemnitatum defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint, auctoritate, et tenore praesentis supplemus, et sanamus.

Clausulae sublatae, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum plenissime suffragari, ac ab omnibus respective inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus fel. rec. Pauli II. et aliorum Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit, hospitalis praefati etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Caeterum per praesentes juspatronatus praedictum non intendimus in aliquo approbare. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die sexta aprilis millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

CXXIII.

Dat. die 9. aprilis 1802. Anno III.

Reductio festorum in dioecesibus Galliarum.

Nos Joannes Baptista, tituli sancti Honuphrii, Sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis Caprara, archiepiscopus, episcopus Æsinus, sanctissimi domini nostri Pii papae VII., et sanctae Sedis apostolicae ad primum Galliarum reipublicae consulem a latere legatus.

Prooemium.

§. 1. Apostolicae Sedis, cui ecclesiarum omnium sollicitudo a Domino Nostro Jesu Christo imposita fuit, officium est, servandae ecclesiasticae disciplinae rationem ita moderari, ut locorum ac temporum circumstantiis opportune, ac suaviter provideatur. Id prae oculis habens sanctissimus dominus noster Pius divina providentia papa VII., ad caeteras animi sui curas, quas pro Gallicanis ecclesiis suscepit, eam quoque adjecit, ut, quid in novo hoc rerum ordine, quod ad festos dies constituere oporteret, deliberandum sibi proponeret.

Ratio decernendae reductionis.

§. 2. Notum siquidem Sanctitati Suae in primis erat, in tanta regionum latitudine, quae Gallicanae reipublicae territorium constituunt, non unam hac in re, eamdemque consuetudinem viguisse, sed alios in aliis dioecesibus festos dies custoditos fuisse. Animadvertebat praeterea, populis, qui ejusdem reipublicae gubernio subjacent, magnam esse, post tantos bellorum eventus, earum rerum reparandarum necessitatem, quae ad commercium pertinent, ac vitae usus; quibus quidem reparandis, propter interdictum diebus festis manuum laborem, eorumdemque dierum numerum, non ita facilis via pateret. Denique et illud, non sine magno animi dolore expendebat, non eadem ubique pietate hisce in regionibus festos huc usque dies observatos fuisse; ut propterea ob neglectam pluribus in locis festorum dierum religionem, non parvum in bonos, piosque fideles scandalum dimanaret.

Facultates legato a latere concessae pro decernenda reductione.

§. 3. His ergo omnibus perpensis, et mature libratis, factum est, ut e re tum christiana, tum publica futurum judicaverit, si status quidam festorum dierum numerus, (isque quo contractior fieri posset) in toto reipublicae territorio retinendus constitueretur, ut et om-

nes qui iisdem legibus continentur, aequalitate firmata, eamdem disciplinam tenerent, et eorum dierum imminutione cum levari multorum necessitas, tum facilior eorum qui reliqui fierent, observatio redderetur. Quare cum ad haec primi etiam reipublicae consulis desideria, et postulata accesserint, Nobis uti ejusdem Sanctitatis Suae a latere legato injunxit, ut de apostolicae potestatis plenitudine, festorum dierum, qui iidem dominici non sint, numerum ad eos tantum in universo Galliarum reipublicae territorio contractos esse declararemus, quos ad calcem indulti hujus enumerabimus, ita ut posthac in reliquis festis diebus omnes ejusdem incolae non solum a praecepto audiendi missam, vacandique ab operibus servilibus, sed a jejunii etiam obligatione in diebus, qui festa hujusmodi proxime praecedunt, prorsus absoluti censeantur et sint. Eam tamen legem adjectam esse voluit, ut in festis diebus, vigiliisque eos praecedentibus, quae suppressae decernuntur, in omnibus ecclesiis nihil de consueto divinorum officiorum, sacrarumque caeremoniarum ordine ac ritu innovetur, sed omnia ea prorsus ratione peragantur, qua hactenus consueverunt, exceptis tamen festis Epiphaniae Domini, sanctissimi Corporis Christi, ss. apostolorum Petri et Pauli, et sanctorum patronorum cujuslibet dioecesis et paraeciae, quae in Dominica proxime occurrente in omnibus ecclesiis celebrabuntur.

Commemoratio facienda de solemnitatibus abrogatis.

§. 4. Ad honorem autem ss. apostolorum, et martyrum Sanctitas Sua praecipit, ut tum in publica, tum in privata horarum canonicarum recitatione, omnes qui ad illas tenentur, in solemnitate ss. apostolorum Petri et Pauli, sanctorum omnium apostolorum; in festivitate vero s. Stephani protomartyris, omnium sanctorum martyrum commemorationem faciant, quod idem in missis omnibus iisdem diebus celebrandis agendum erit. Eadem pariter Sanctitas Sua mandat, ut anniversarium dedicationis templorum, quae in ejusdem Gallicanae reipublicae territorio erecta sunt, in dominica quae octavam festivitatis omnium sanctorum proxime sequetur, in cunctis Gallicanis ecclesiis celebretur.

Monitum circa praeceptum audiendi missam.

§. 5. Quamvis vero aequum esset, ut in diebus festis sic abrogatis praeceptum saltem audiendi missam retineretur, ut tamen Galliarum populi vere paternam Sanctitatis Suae in omnes charitatem magis agnoscant, hortatur solum, atque eos praesertim qui victum parare sibi labore manuum minime coguntur, ut iis diebus sacrosancto missae sacrificio haud negligant interesse.

De observantia jejuniorum servandorum.

§. 6. Illud denique Sanctitas Sua a religione, ac pietate Gallorum sibi pollicetur, ut quo minor in posterum futurus erit tum dierum festorum, tum jejuniorum numerus, eo majori studio, fervore, ac diligentia paucos illos, qui supererunt, observaturi sint, illud sedulo animo reputantes, Christiano nomine indignum esse quisquis Christi, et Ecclesiae ejus mandata, qua par est cura non custodit. Ut enim praeclare scriptum est ab apostolo Joanne: *qui dicit se nosse eum, et mandata ejus non custodit, mendax est, et in hoc veritas non est.*

Dies festi praeter dominicos in Galliis observandi.

Nativitas D. N. J. C.
Ascensio.
Assumptio B. M. V.
Festum sanctorum omnium.

Datum Parisiis, ex aedibus Nostrae residentiae, hac die 9. aprilis 1802.

J. B. card. Caprara, legatus.
I. A. Sala, apostolicae legat. secret.

Verba cardinalis legati in prima ejus publica admissione die 9. aprilis 1802. ad primum consulem reipublicae Gallicanae.

Général premier consul.

C'est au nom du souverain pontife, et sous vos auspices, général prémier consul, que je viens remplir au milieu des Français les augustes functions de legat a latere.

Je viens au milieu d'une grande, et belliqueuse nation, dont vous avez rehaussé la gloire par vos conquêtes, et assuré la tranquillité exterieure par une paix universelle, et au bonheur de la quelle vous allez mettre le comble, en lui rendant le libre exercice de la religion catholique. Cette gloire vous étoit reservée général consul. Le même bras, qui gagna des batailles, qui signa la paix avec toutes les nations, redonne de la splendeur aux temples du vrai Dieu, releve les autels, et raffermit son culte.

Digitized by Google

Consommez, général consul, cette oeuvre de sagesse si longtems desirée par vos administrés. Je ne negligerai rien pour y concourir.

Interprete fidel des sentiments du souverain pontife, le prémièr, et le plus doux de mes devoirs, est de vous exprimer ses tendres sentiments pour vous, et son amour pour tous les Français. Vos desirs regleront la durée de ma demeure auprès de vous. Je ne m'en eloignerai, qu'en deposant entre vos mains les monuments de celte importante mission, pendant la quelle, vous pouvez être sur, que je ne me permettrai rien, qui soit contraire aux droits du gouvernement, et de la nation. Je vous donne pour garant de ma sincerité, et de la fidelité de ma promesse, mon titre, ma franchise connue, et j'ose le dire, la confiance, que le souverain pontife, et vous même m'avez temoignée.

Verba promissionis, quam cardinalis legatus in praefata prima admissione e scripto recitavit.

Promitto primo consuli, me legati munere non functurum, nec facultatibus mihi a s. Sede concessis usurum, nisi quamdiu in republica ero, et ipsi primo consuli placuerit; adeo ut certior factus de illius voluntate, illi convenienter legati nomen, et jus continuo sim depositurus; simulque omnium, quae a me gerantur, legatione finita, codicillos relicturum in manibus ejus, quem voluerit primus consul. Item servaturum statuta, et consuetudines reipublicae, et nunquam jurisdictioni, ac juribus gubernii derogaturum. In quorum testimonium praesentem meam promissionem publice perlegi.

Exemplum epistolae ad sanctissimum dominum nostrum Pium pp. VII. datae ab iis ex novis Galliarum episcopis a primo reipublicae consule nominatis, qui prius occupaverant sedes episcopales absque institutione Sedis apostolicae.

Beatissime Pater

A primo Galliarum consule in episcopum ..... nominatus, nihil antiquius habeo quam ut ea omnia discordiarum semina penitus extinguere possim, quae ex Gallicanae revolutionis inevitabili serie dimanarunt. Quapropter, ne quid Sanctitati Vestrae dubii in hac parte, circa mentis meae propositum existere possit, sincero corde profiteor me constitutionem, ut ajunt, civilem cleri Gallicani ultro deserere, novae conventionis inter Sanctitatem Vestram, et gubernium Gallicanum initae, me dispositiones et articulos admittere et admissurum, profiteri et professurum; veramque Sanctitati Vestrae, ac successoribus ejus obedientiam servaturum. Sanctitatem Vestram enixe rogo, ut haec pro invariabili mentis meae proposito habens, me tamquam Ecclesiae Catholicae filium obedientissimum respicere velit, mihique canonicam institutionem, quam ab ipsa humiliter efflagito, concedere dignetur.

Interim benedictionem apostolicam ab ipsa petit, tanquam charitatis ejus erga se pretiosum pignus.

Sanctitatis Vestrae.

Beatissime Pater

Humillimus, et obsequentissimus filius ....
Parisiis.

Sequitur subscriptio cum testimonio de subscriptione a binis episcopis Aurelianensi, et Venetensi dato.

CXXIV. Dat. die 9. aprilis 1802. Anno III.

Indulgentia plenaria in forma jubilaei assequenda ab eis, qui in novarum dioecesum erectione peccatorum facta confessione visitaverint ecclesias ab novis episcopis designandas.

Nos Joannes Baptista, tituli sancti Homphrii, Sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis Caprara, archiepiscopus, episcopus Æsinus, sanctissimi Domini Nostri Pii papae VII., et sanctae Sedis apostolicae ad primum Galliarum reipublicae consulem, a latere legatus.

§. 1. Sublata tandem calamitate bellorum, quibus diu tam magna orbis pars miserandum in modum jactata fuit, miseratione, et clementia Dei, primique reipublicae vestrae consulis sapientia, et pax Galliis nuper est reddita, quae incensis omnium desideriis et votis Prooemium.

Digitized by Google

jamdudum expetebatur. Ea, patriae cives, liberos parentibus, uxoribus viros, agris cultores, opifices artibus, reipublicae denique universae pristinam restituit tranquillitatem. Exultant propterea Gallorum animi, cum ex omni civium ordine nemo fere sit, quin sibi quoque communem esse sentiat tantam hanc reipublicae utilitatem. Sed quamquam bonum hoc magnum sit atque insigne, illud tamen longe majus debet videri vobis, quod, remotis difficultatibus, quas tantae perturbationes rerum ac temporum instruxerunt, compositisque omnibus animorum discordiis, catholicae religionis cultus antiquae libertati restituitur, omnesque ad unum ovile et eorumdem pastorum regimen revocantur. Explicare profecto satis non possumus quantam paternus sanctissimi Domini nostri animus inde capiat consolationem, qui cum vix ad apostolatus officium evectus, sollicitudinem suam in vos converterit, nullisque aut laboribus, aut curis pepercerit, ut florentissimae nationi vestrae cumulum hunc felicitatis imponeret, earum tandem fructum uberrimum se percepisse laetanter cognoscit.

Gratiarum actio erga Deum.

§. 2. Itaque Deo primum, qui misericordiae suae recordatus in vos benignus respexit, cum omni humilitate gratias agentes, in tanta hujus diei laetitia gratulamur inclyto vestrae reipublicae primo consuli, cujus potissimum opera usus est Deus, ad tantum bonum vobis comparandum; gratulamur vobis omnibus, qui boni hujus possessores facti estis; nobismetipsis denique gratulamur, qui in his regionibus, Deo disponente, constituti, cum utilitatis vestrae adjutores, tum participes quoque gaudiorum vestrorum effecti sumus.

De festorum celebratione, templorum cultu, et caeremoniarum apparatu servando.

§. 3. Hoc autem datum vere optimum et donum perfectum quod in vos a Deo collatum est, omni ratione postulat, ut divinae bonitati atque clementiae, quam diligentissime respondeatis, ne inde districtius judicemini, unde majora ad aeternam salutem praesidia capere debuissetis. Ad has autem explendas partes sic existimare debetis, satis minime esse, quae pertinent ad splendorem, cultumque templorum, caeremoniarum apparatum, festorum celebrationem, aliaque hujus generis, quae cum sanctissime sint ad honorandum Deum instituta, sunt illa quidem studiose ac ferventer colenda, ut sublatus Deo, diuturna intermissione, honor aliqua ex parte reparetur. At si externis hisce religionis significationibus contenti, nullas esse reliquas partes vestras ducatis, nae vos inanem ac vacuam christianae professionis umbram ac nomen tenebitis. Quid enim restitutam vobis patrum vestrorum religionem esse profuturam arbitramini, si ea tantum parte, quae se prodit in lucem et conspectum hominum ipsam retineatis, neglecta illa, quae in solida erga Deum pietate, atque interno cultu consistit: in spiritu enim et veritate est Deus potissimum adorandus, in quo primum illud est, ut charitatem, sine qua nec oblationes, nec holocausta, nec ritus illi apud Deum accepti esse possunt, animis Nostris foveamus.

De peccatorum confessione curanda.

§. 4. Sed cum nihil sit quod charitati tam adversetur, quam ea novarum inquinamenta, quibus nos promissae Christo fidelitatis immemores, Deum turpiter deserentes, in diaboli transimus servitutem, ab eo exordium est sumendum, ut virtute poenitentiae, crimina Nostra abstergentes, in Dei amicitiam et gratiam revertamur. Eja, igitur, Galliarum populi, quoniam dies propitiationis advenit, secundam illam post naufragium tabulam, quam divina vobis benignitas offert, quaeque peccatorum fluctibus mersos prolevare et in portum divinae clementiae valeat deducere (1), sollicito animo amplectamini. Ad hanc vos pastorum princeps, cui dictum in persona Petri fuit: *Quaecumque solveris super terram, erunt soluta et in coelis*, quam maximo potest studio exhortatur, et impellit. Non aliam a vobis ille, tot curis laboribusque, quos pro inclyta natione vestra pertulit, grati animi postulat significationem, nisi ut in jejunio, in fletu, in planctu, in toto denique corde vestro ad Deum convertamini. Thesaurus ille Ecclesiae omnes, quorum custos et distributor a Deo datus est, vobis omnibus pandit, ut non modo nullum sit flagitii, aut iniquitatis genus, quod deletum esse non velit, sed a temporalibus etiam poenis, quas propter eas contraxistis, quoad per Ecclesiae indulgentiam fieri potest, levati ac liberati sitis.

Publicatio indulgentiae

§. 5. Itaque indulgentiam in forma jubilaei apostolica ejus auctoritate et mandato solemniter promulgamus, quam Sanctitas Sua com-

(1) Tertull

Digitized by Google

munem esse vult incolis omnibus universi, qua late patet, Gallicanae reipublicae territorii, cujus ut utilitas, in tanta populorum frequentia, commodius capi possit ab omnibus, a die qua praesentes Nostrae literae in singulis locis a novis archiepiscopis et episcopis mox canonice instituendis publicabuntur, spatio dierum triginta perdurabit. His autem diebus, idem sanctissimus Dominus Noster Pius, divina providentia papa septimus, de omnipotentis Dei ac redemptoris Nostri misericordia, et beatorum apostolorum ejus Petri et Pauli precibus et auctoritate confisus, omnibus et singulis christifidelibus, qui humili corde ad D. N. J. C. conversi, sacramentaliter confessi, et s. communione refecti, ecclesiam a singulis archiepiscopis et episcopis, vel eorum vicariis, aut aliis ab iisdem ad hoc deputatis, designatam devote visitantes, in ea pro tam magno beneficio, Deo omnipotenti gratias egerint, et pro exaltatione Sanctae Matris Ecclesiae, pro felici statu Sanctitatis Suae, pro reipublicae hujus, et magistratuum suorum omnium felicitate, pias ad Deum preces fuderint, plenariam omnium peccatorum indulgentiam et remissionem, sicut anno jubilaei concedi solet, in Domino misericorditer elargitur. Fidelibus vero omnibus utriusque sexus et cujuscumque status et conditionis liberum erit quemcumque ex confessariis ad hunc effectum deputandis ab archiepiscopis et episcopis dioecesium, in quibus domicilium eis habere contingat, sacerdotem eligere, cui peccata sua sacramentaliter confiteantur: quibus omnibus sacerdotibus extraordinarias, amplissimasque de praefata apostolica auctoritate, per singulos locorum ordinarios concessimus facultates, ut necessitatibus omnium in poenitentiali foro valeant providere. Senes vero, infirmi, vel alio rationabili impedimento detenti, qui injunctis precibus vacare in ecclesiis non poterunt, ut in propriis oratoriis, vel domibus, de parochi consensu, et confessarii ab se electi judicio, eas perficere, et caeteris adimpletis, similes indulgentias consequi possint, eadem auctoritate apostolica indulgemus.

Collecta pro gratiarum actione in missa recitanda.

§. 6. Denique ut speciali quodam modo gratiae Deo, pro his collatis beneficiis reddantur a clero, mandamus, ut per integrum triginta dierum spatium, quos hujusmodi indulgentiae, in jubilaei forma lucrandae, praescripsimus, in missis omnibus per totam reipublicae ditionem, addatur collecta pro gratiarum actione, juxta rubricas.

Publicatio concessionis.

§. 7. Ut autem praesentes literae ad omnium, qui in Gallicanae reipublicae territorio degunt, notitiam deducantur, omnes et singulos praefatos archiepiscopos et episcopos in Domino monemus, iisque injungimus, ut, cum primum, praesentibus nostris acceptis, opportunum judicaverint, iis omnibus constitutis, quae eorum arbitrio commissa sunt, earum exemplar ubique per eorum dioeceses et ecclesias faciant promulgare. Datum Parisiis ex aedibus Nostrae residentiae hac die 9. aprilis 1802.

J. B. Cardinalis Caprara legatus.

CXXV.

Dat. die 9. aprilis 1802. Anno III.

Facultas supprimendi sodalitium s. Joseph, et Charitatis, ac bona illius incorporandi orphanotrophio puellarum periclitantium Senogalliae pro cardinali episcopo dictae civitatis.

Venerabili fratri episcopo Senogalliensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Nihil sane quidquam apostolica Sedes habuit antiquius, quam praesto esse pastoribus, qui ad ecclesias sibi concreditas recte gerendas ejus interdum indigent ope, praesidiumque obtestantur. Hinc quemadmodum ven. mem. Pius pp. VI. praedecessor Noster te suis de pastoralibus curis exorantem benigne excepit, atque complexus est, ita et Nos tibi omni, quo cum Domino possumus, favore peramanter obsecundabimus.

Expositio precum.

§. 2. Siquidem, sicut Nobis tuo nomine expositum est, opus novae cathedralis ecclesiae, quae ut ampliori forma ac magnificentiori aedificaretur, eidem praedecessori placuerat, quum tu esses aggressus, haud quidem tantae aedi extruendae tibi satis fuere redditus sodalitii dicti de sancto Joseph et Charitate, quos sodalitio isto ob ecclesiae sibi propriae defectum jam a triginta annis et ultra suspenso manente, ipse idem praedecessor rescripto

die decima septima maji, millesimo septingentesimo octuagesimo tertio in memoratam cathedralem aedificandam applicaverat. Quamobrem opere jam expleto, tunc propter alienum aes ingens, quo te nimiae aedificationis expensae onerari compulerant, necesse fuit altero ejus rescripto die decima secunda novembris millesimo septingentesimo nonagesimo secundo rodditum hujusmodi applicationem favore tui ad quinquennium prorogare. At vix dum bini anni, binique intercesserant menses, tot tantisque urgeri cepit angustiis orphanotrophium istud puellarum periclitantium, ut ne puellae exsiccatis alimoniae fontibus, inde dimissae scopulos saeculi offenderent, boni tu incensus zelo pastoris, eos sodalitii redditus, qui ad dissolvendum aes alienum paulo ante fuerant tibi attributi, extemplo pro puellis tuendis converti, impendique ad decennium per novum praedecessoris indultum curaveris.

Ratio concessionis.

§. 3. Brevi tamen perstitisse haec doluisti ob teterrimam cladem armorum, quae supervenit, ac una cum publicis privatis quoque res perturbavit, et cuncta ad sodalitium spectantia, id vero temporis orphanotrophio addicta, velut gurges absorbuit, mox cladem illam excepit annonae charitas, cui in diem ingravescenti ut ea, qua par erat, ope posset occurri, de s. Sedis licentia ecclesiastica sunt venundata bona usque ad scutatorum trium et viginti millium summam. Eam in venditionem praedia quoque sodalitii abiere, unaque praesens, quo miserae fulciebantur puellae praesidium corruit, abiitque. Nam licet, juxta quod cautum in licentia apostolica fuit, Senogalliae communitas ista onus solvendi scutata quatuor pro singulis centenis pretii bonorum, quae venditioni subjici oportuit per sponsionem suscepit, sponsio tamen haec futurum respexit, quum adhuc communitas prope impar suscepto sit oneri. Nihilominus spes adest et via puellas levandi, scilicet quum sancti Joseph et Charitatis sodalitas tamdiu ecclesiastica, tamdiu confratribus, modo autem et bonis adeoque modis fere omnibus se erigendi destituta remanserit, neminem umquam pigere poterit, si illa tandem penitus supprimatur. Gaudebunt e contra, ac juvabuntur puellae periclitantes, si superius recensiti fructus ex alienatis bonis, quae ad sodalitatem spectabant, orphanotrophio in perpetuum adscribantur, eique simul adjiciatur, cum facultate illud vendendi, aedificium ecclesiae quod incepit sodalitas, sed umquam ad finem perduxit. Hinc Nobis humiliter supplicari fecisti, ut orphanotrophio in praemissis indulgere, ac opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 4. Nos igitur, orphanotrophium praedictum gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac puellas, quae in eo degunt, et alios quoscumque, qui ad illud quomodolibet pertinent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis, censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, porrectis Nobis suo nomine supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium Tridentini concilii interpretum consilio, qui relationem a te super his ad eosdem transmissam attenderunt, fraternitati tuae ut, veris existentibus praenarratis, sodalitium s. Joseph et Charitatis ista in Senogalliae civitate institutum primo supprimere, deinde ad unionem bonorum ipsius sodalitii favore orphanotrophii puellarum periclitantium ejusdem civitatis pro tui prudentia, et arbitrio gratis devenire possis et valeas ita tamen, ut omnibus ac singulis oneribus, quae sodalitii bonis extant infixa, per orphanotrophium satisfiat, ac satisfieri debeat, facultates omnes, quae opus sunt, auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus ac impartimur.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus Nostrae cancellariae regulis, etiam de jure quaesito non tollendo, ac quibusdam, quatenus opus sit, felicis rec. Benedicti pp. XIV. praedec. Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non memorati sodalitii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis.

Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die nona aprilis millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 12. aprilis 1802. Anno III.

CXXVI.

Facultas Joanni ab Incarnatione canonico regulari congregationis s. Crucis in civitate Colimbriensi constituendi quinque mille cruciatos, ac reliquos in posterum a se in suo publico docendi munere acquirendos nummos in dotationem bibliothecae monasterii, ubi ipse decesserit, addita poena privationis vocis activae, et passivae in eos, qui dotem hanc in alios usus convertere audent.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Pastoralis Nostra sollicitudo postulat, ut sacrae religiosorum virorum eruditioni, quantum in Nobis est, consulamus, ut ipsi testimonium habentes bonum ab iis, qui foris sunt, possint etiam exhortari alios in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, voce, aut scriptis arguere.

Expositio precum. §. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes ab Incarnatione, quod ipse, qui (ut asserit) canonicus regularis ordinis s. Augustini congregat. s. Crucis Colimbriensis expresse professus, ac in academia Colimbriensi publicus Æbraicae linguae et theologiae professor existit, proventus in summa quatuor, vel quinque millium circiter cruciatorum probatae monetae illarum partium ad praesens consistentes ex suis magisteriis praesens adhuc dimanatos cum aliis proventibus hujusmodi in posterum dimanaturis, qui in die suae decessionis extiterint, ac ad ipsum quomodolibet privatim spectaverint statim ac ipse decesserit, in dotationem perpetuam bibliothecae monasterii, ubi extremum clauserit diem constituere, et assignare plurimum cupit. Verum quia, sicut eadem expositio subjungebat, per dicti ordinis constitutiones auctoritate apostolica confirmatas expresse cavetur, ne quis ex canonicis regularibus hujusmodi de rebus a se acquisitis disponere ullo modo possit, atque capitulum congregationis praedictae generale proventus hujusmodi in alios usus convertendos suum praestiterat assensum, desiderii sui hujusmodi compos fieri nequit absque speciali Nostra, et hujus s. Sedis facultate, seu indulto. Nobis propterea idem Joannes humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur ipsum Joannem in suo laudabili proposito confovere, ac specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, eidem Joanni, ut non obstante regulari professione ab ipso expresse emissa, neque obstante consensu diverso capituli generalis praedicto, nihilominus de dicta summa quatuor, vel quinque millium circiter cruciatorum per se licite acquisitorum, ac de reliquis nummis, et rebus a se in posterum similiter acquirendis tam inter vivos, quam causa mortis etiam in ultima voluntate, ac in una, seu pluribus vicibus favore bibliothecae praedictae monasterii ubi ipse erit decessus dumtaxat disponere, et testari libere, et licite possit et valeat, quamcumque necessariam, et opportunam auctoritate apostolica, tenore praesentium tribuimus facultatem.

Conditiones adnexae. §. 4. Volumus autem, ut pro tempore existens bibliothecarius, ac alii duo religiosi viri expresse professi a monasterii praedicti praelato eligendi, ad sui libitum amovendi dotationem praedictam bibliothecae, annuosque ejus redditus simul administrent, ita tamen, ut in nullos alios usus, nisi ad emendos probatae doctrinae libros tantum redditus hujusmodi impendi debeant. Quicumque vero hos redditus distrahere, aut in alios usus convertere audeant, seu converti eos praecipiant, poenam privationis vocis activae, et passivae ipso facto, et absque alia declaratione incur-

runt. Volumus etiam, ut tres administratores praedicti notulas recepti, et expensi ab ipsis subsignatas quotannis monasterii praelato, et consiliariis tradere teneantur revisendas, atque hujusmodi notulae ad ejusdem monasterii visitatores, ac demum ad capitulum generale deferantur subscriptae cum respectiva declaratione approbationis, vel reprobationis eo plane modo, quo constitutiones ordinis de sumptibus communibus praescribunt, ac si quid in eis correctione dignum inventum fuerit, judices, ad quos per ordinem deferuntur, corrigant ad formam constitutionum de sumptibus communibus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac monasterio, et bibliothecae praedictis, aliisque ad quos spectat, et pro tempore spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective observari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, et S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpetrandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac ordinis, et congregationis hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro pleno, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima tertia aprilis millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

CXXVII.

Dat. die 27. aprilis 1802. Anno III.

Instantibus monialibus nonnullorum monasteriorum ordinis Eremitarum excalceatarum s. Augustini civitatis, et dioecesis Valentinae elevatur ritus officii beati Joannis De Ribera eorumdem monasteriorum fundatoris a duplici majori ad duplex secundae classis sine octava.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio concessionis.

§. 1. Cum, sicut dilectae in Christo filiae abbatissa, seu priorissa, et moniales ordinis eremitarum excalceatarum sancti Augustini monasteriorum sanctae Ursulae civitatis Valentinae, nec non oppidi civitatis nuncupat. Deniae, et villarum de Alcoy, Xavea, Olleria, et Benigamin Nobis nuper exponi fecerunt, ipsae pro eo, quem erga beatum Joannem De Ribera archiepiscopum Valentinum eorumdem monasteriorum fundatorem praeseferunt devotionis affectum, ejusdem cultum, et venerationem in dies augeri summopere desiderant; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, audito etiam dilecto filio magistro Julio De Carpineo sacrorum rituum congregationis secretario, ritum officii ipsius beati Joannis De Ribera a duplici majore ad duplex secundae classis sine octava pro iisdem exponentibus tantum auctoritate apostolica, tenore praesentium elevamus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictorum monasteriorum, et ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam dorogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hæc vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die vigesima septima aprilis millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 4. maji 1802. Anno III.

CXXVIII.

Indultum utendi in perpetuum cappis loco almutiarum, firmis tamen remanentibus oneribus ex lege fundationis eisdem mansionaribus adnexis, pro quatuor mansionariis Pellicani cathedralis Maceratensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Quantum venerationis ipsa sacra indumenta oculis, animisque Christifidelium ingerere valeant optime tenens Apostolica Mater Ecclesia, in templis magis conspicuis, ubi major est Christiani populi frequentia, sacerdotibus ibi Altissimo famulantibus saepe particularia insignia deferenda concessit.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii quatuor moderni mansionarii Pellicani nuncupati, cathedralis ecclesiae Maceratensis antiquitatis laude, patrimonii amplitudine, et templi magnificentia, et canonicorum numero, pietate, et scientia non mediocriter floreat, quidquam tamen honorificentiae ad eam accederet, ac divinus in ea cultus, populique devotio quidquam incrementi susciperet, si ejusdem cathedralis mansionarii praedicti novis decorentur insigniis. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum futuris quatuor mansionariis praedictis Pellicani cathedralis hujusmodi, ut loco almutiarum, quas adhuc deferre consueverunt, cappam violaceam cum pellibus armellinis cineracei coloris hyberno tempore, aestivo autem cum tela serica ejusdem cineracei coloris sine pellibus supra cottam sine manicis tam in ecclesia praedicta, ejusque choro, quam extra eam in processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque uti libere, et licite possint, et valeant auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque mansionarios desuper a quoquam impediri, molestari, vel perturbari nullatenus posse, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae cathedralis ecclesiae, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum inser-

Digitized by Google

tis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque in contrarium quibuscumque.

Declaratio specialis. §. 5. Volumus autem, et declaramus, quod omnia, et singula onera eisdem mansionariatibus ex lege fundationis adnexa expleri per ipsos etiam in posterum debeant eodem plane modo, quo hactenus consueverunt. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quarta maji millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 7. maji 1802. Anno III.

CXXIX.

Confirmatio aggregationis confraternitat. Orationis Calaritanae civitatis huic archiconfraternitati s. Mariae de Oratione urbis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Pietatis, et charitatis operae, quae a christifidelium confraternitatibus sancte, et laudabiliter exercentur, ut in posterum ferventius quoque, auxiliante Domino, peragantur, pro commisso Nobis divinitus pastoralis officii munere jugiter optantes privilegia, ac indulta a praedecessoribus Nostris Romanis pontificibus archiconfraternitatibus, et confraternitatibus hujusmodi concessa novo Nostrae confirmationis praesidio communimus.

Expositio precum. §. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales, et confratres confraternitatis della Morte nuncupatae, et Orationis in ecclesia sancti Sepulcri civitatis Calaritanae canonice, ut asseritur, erectae, quod alias eadem confraternitas huic archiconfraternitati sanctae Mariae Orationis vulgo della Morte pariter nuncupatae de urbe fuit legitime adgregata, ideoque omnium, et singulorum privilegiorum archiconfraternitatis hujusmodi particeps effecta, praesertim vero privilegio associandi, et sepeliendi derelicta pauperum cadavera in suo oratorio, ac etiam alia, quae respectivi parochi sibi concederent, vel quia viginti horae post obitum excesserant, quin essent asportata, ac alias, prout statuit felicis recordationis Urbanus pp. VIII. praedecessor Noster in suis desuper sub plumbo expeditis literis, quarum tenorem praesentibus, pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus, fusius asseritur contineri. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, nuperrimis hisce temporibus quidquam contra privilegia hujusmodi fuerit attentatum non sine populi christiani scandalo, et hujus eximiae charitatis detrimento, idcirco officiales, et confratres praedicti ad tollenda radicitus omnia contradictionum semina adgregationem praedictam cum suis adnexis privilegiis auctoritate apostolica firmari, et communiri summopere desiderant.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, adgregationem confraternitatis praedictae Calaritanae huic archiconfraternitati Orationis de urbe, ut praefertur, factam, et participationem, atque communicationem omnium, et singulorum privilegiorum praedictorum inde secuta auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et adprobamus, illisque inviolabilis, ac perpetuae apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque juris, et facti, ac etiam solemnitatum defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, auctoritate, et tenore praedictis supplemus et sanamus. Tenor concessionis.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas, firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac officialibus, confratribus, et confraternitati praedictae, aliisque ad quos spectat, et pro tempore spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Clausulae sublata, et decretum irritans.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Ma- Derogatio contrariorum.

riam Majorem sub annulo piscatoris die septima maji, millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 7. maji 1802. Anno III.

CXXX.

Confirmatio incorporationis inter confraternitatem sanctissimi Sacramenti Pergulae Eugubinae dioecesis, et quamdam piam unionem personarum ejusdem civitatis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii sodales confraternitatis, quae sub augusto sanctissimi Sacramenti nomine in ecclesia sanctae Catharinae virginis et martyris civitatis Pergulae Eugubinae dioecesis canonice, ut asseritur, existit erecta, quod quum alii sodales alterius piae unionis recens exortae sub invocatione sancti Secundi martyris, qui principalis est dictae civitatis patronus, praevia congregatione ac deliberatione formali se Sacramenti confraternitati praedictae copulari et incorporari expostulassent, ipsi ob utilitatem communem, majusque Sacramenti decus per congregationem similiter habitam suum omnes postulationi hujusmodi praestitere consensum, eamque formaliter acceptarunt. Quin immo ut perpetua facti, quo duo haec corpora conjunxere se et coalerunt in unum, memoria maneret, statutum concorditer est, quod confratres linteam tunicam, seu ut nuncupant saccum album, quo ad praesens utuntur, retinentes, assumant in posterum loco caerulei rubrum palliolum seu mozzettam ad recolendum, designandumque martyrium sancti patroni, cum globulis tamen et cingulo coloris viridis, quo palmae alludatur sanctae Catharinae virginis et martyris; sancitumque est pariter, ut dicto palliolo seu mozzettae sanctissimi Sacramenti simbolum apponatur, ubi simul genibus ante illud flexis repraesententur sancti Secundus dextera, et s. Catharina sinistra. Verum ut incorporatio haec canonice fiat, firmiusque subsistat, apostolica approbatione et confirmatione eam roborari summopere desiderant; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos sodales tam confraternitatis, quam piae unionis praedictarum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati auctoritate apostolica tenore praesentium incorporationem, conjunctionem et unionem praedictam, caeteraque praemissa approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac praedictis exponentibus, aliisque ad quos spectat, ac pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et quatenus opus sit dictae confraternitatis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima maji millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

Digitized by Google

Dat. die 24. maji 1802 Anno III.

CXXXI.

Allocutio habita in consistorio secreto die 24. maji 1802. super conventione inita de praesentibus Galliarum negociis ecclesiasticis.

Venerabiles fratres.

Quam luctuosam in conditionem intestinis perturbationibus, quae multis jam annis Galliam agitaverant, in florentissimis illius regionibus catholica religio adducta esset, non Europae solum apertum est, verum etiam patet orbi terrarum universo, ac vobis multo magis, venerabiles fratres, qui testes ac socii fuistis apostolicarum curarum Nostrarum, et antea Pii VI. fel. rec. decessoris Nostri; flentesque saepe nobiscum vota Deo fecistis, ut ecclesiae res in pristinum verterent, tantaeque prohiberentur calamitates.

Qui catholicae religionis studio tenebantur, in vastissimis illis regionibus abditi, inclusique, in omni amaritudine ac labore una cum bonis externorum regnorum lacrimas precesque indesinenter jungentes Deum obsecrabant, ut iram indignationis averteret, ac ut flagella suae iracundiae procul amoveret.

Nos et quo tempore Forocorneliensem ecclesiam regebamus, et multo magis postquam ad Ecclesiam universam gubernandam in hac Petri cathedra, licet immerentes, collocati fuimus, quibusnam gemitibus tanta domus Dei damna, tanta animarum in certum interitum in dies ruentium exitia sumus deprecati.

Placuit tandem patri misericordiarum Deo supplicum preces audire, fecitque ut illustris vir, cui non magis suos triumphos, quam suam prosperitatem, quietem ac pacem Gallia refert acceptas, illud animo concipere efficeretque, (ex quo ei summa praeter omnia celebritas apud omnem posteritatem erit futura) nimirum ut tot millibus millium hominum, quot continet Gallia, avita majorum religio, atque una cum ea vera ac solida felicitatis ipsorum fundamenta restituerentur. Nos hic, ut videtis, primum reipublicae Gallicanae consulem indicamus, Napoleonem Bonaparte. Sapienter ille animadvertens veram felicitatem ac tranquillitatem tantae nationis a restitutione catholicae religionis omnino pendere, ultro desideriis Nostris occurrens, officiis ejus ingenio atque animo dignis significavit Nobis se agere nobiscum velle de ratione qua, catholica religione in Galliis restituta, felicitas simul illa, quae tam luctuosis temporum vicibus inde sublata fuerat, revocari posset.

Noscit Deus, noscitis vos, venerabiles fratres, qui assidui socii ac participes paternarum Nostrarum sollicitudinum fuistis; quanta Nos alacritate tantae rei ac tam salutari operam navaverimus; scitis quantas curas susceperimus, quanta obstacula superaverimus, quo studio diu noctuque vigilantes nunquam ab ea oculos, mentemque dejecerimus, ut rationes inveniremus, quibus ad optatum exitum adduci posset.

Adfuit tandem aliquando idem miserator Deus sollicitudinibus Nostris, ejusque potenti auxilio factum est, ut tot tristibus procellarum diebus, aurora pacis, nuncia optatae serenitatis succederet. Cum perspexerimus, id a Nobis Ecclesiae, atque unitatis bonum postulare, ut paternae Nostrae charitatis viscera dilatantes apostolicam potestatem ad ea proferremus, quae ad religionem iterum in Gallia restituendam necessaria viderentur, facta est inter Nos, primumque Gallicanae reipublicae consulem conventio septemdecim articulis constans. Eadem subscripta ac firmata fuit tum a plenipotentiariis Nostris, quos ea quae constituenda erant docueramus, et omni potestate Nostra instruxeramus, tum a plenipotentiariis reipublicae Gallicanae die xv. julii anni superioris MDCCCI.

Tenor septemdecim articulorum iterum deinde expensus, atque ad examen vobiscum una a Nobis vocatus est antequam rati fierent subscriptione Nostra, ex eaque vim suam, atque auctoritatem acciperent. Mox assiduis votis catholicae religionis restitutionem, quam unam propositam semper ante oculos habebamus, properantes, nulla per Nos interposita mora, die xv. augusti ejusdem anni, quae dies sacra est sanctissimae Dei Genitrici in caelum assumptae, Galliarum patronae, apostolica constitutio, in qua enunciati septemdecim articuli continentur, in Galliam, ut illic (quod summa cupiditate expetebamus) quamprimum fieri posset promulgaretur, est missa.

Non multo post ad optatam catholicae religionis restitutionem ad effectum perducendam, alias etiam litoras in forma brevis, alias

Digitized by Google

apostolicas constitutiones dare non praetermisimus. Prospeximus circumscriptioni novarum dioecesium, canonicae institutioni dandae a Nobis episcopis earumdem, reconciliationi cum ecclesia eorum, qui aberraverant, collationi necessariae potestatis legato Nostro a latere dilecto filio Nostro Joanni Baptistae cardinali Caprara, quem ad tantas res conficiendas in Galliam miseramus, tandem iis omnibus, quae aut necessaria, aut opportuna esse ad sanctissimi hujus operis perfectionem judicavimus. Proponimus vobis ob oculos, venerabiles fratres, acta, quae sive immediate, sive mediate ad hanc rem conficiendam sunt a Nobis profecta. Vos ea legetis in sylloge, quae hic Nostra auctoritate est typis vulgata, in eaque quae ab apostolica hac Sede in hac causa facta sunt, et in quibus partem habuit, reperietis.

Tandem aliquando dies tamdiu exoptatus promulgandae praefatae conventionis, cumque eo tempus restituendae in Gallia catholicae religionis advenit. Cardinalis Noster a latere legatus solemni pompa exceptus est a gubernio reipublicae Gallicanae, a quo luculentiores obsequii, honoris, reverentiae significationes in hanc apostolicam Sedem sunt editae, quemadmodum superioribus legationibus in Gallia factum fuerat. Legatus vero Noster per se fiduciae respondere studuit quam gubernium in eodem ad gravissimi muneris functionem admittendo in eo se habere declaravit. Conscius ille sensuum Nostrorum, qui sunt omnes ad una spiritualia conversi, et ad religionem in Gallia restituendam, certum fecit gubernium nunquam in suo legationis munere attentatum iri contra jura gubernii ac nationis, statuta, ac consuetudines reipublicae, seque ad gubernii beneplacitum in eodem munere continuaturum esse, prout ex enunciata sylloge cognoscere potestis.

Post hanc solemnem caeremoniam die sacra humani generis redemptioni maxima solemnitate ac pompa septemdecim articuli conventionis inter hanc apostolicam Sedem, et Gallicanum gubernium promulgati sunt. Promulgata item apostolica constitutio Nostra, in qua iidem continentur, ratique habentur a Nobis. Consules reipublicae cum caeteris gubernii magistratibus magnificentiori amplitudinis ac potentiae suae apparatu augustis caeremoniis adfuere ejus religionis, quam profitentur, gratiasque solemniter egere Deo de maximo beneficio in Galliam collato, catholica religione illi reddita, et cum religione etiam pace inter eam orbemque terrarum constituta.

Ex hoc auspicatissimo die, quam novam speciem non exhibet Gallia orbi terrarum universo! Templa Altissimi iterum patefacta, in eorumque frontibus augustum Dei nomen, sanctorumque suorum signatum; ministri sanctuarii Deo operaturi iterum cum fidelibus ad aras congregati; oves sub legitimis pastoribus iterum collectae; Ecclesiae sacramenta iterum libere, ac reverenter administrata; publicum catholicae religionis exercitium firmiter constabilitum; supremum Ecclesiae caput, cum quo qui non colligit dispergit, solemniter agnitum; vexillum Crucis denuo elatum; dies Domini iterum sanctificata; luctuosissimum denique schisma, ex quo cum propter Gallicanarum regionum magnitudinem, tum propter populorum, oppidorumque illorum celebritatem infinita mala in catholicam religionem erant pertimescenda, amotum atque sublatum. Haec aliaque bona magna ac salutaria memoratus ille dies habuit, de quibus Nos laetari in Domino, ac gaudere omnino debemus.

Gaudeamus igitur, venerabililes fratres, eaque laetitia gaudeamus, qua Nos religionis amor, studiaque spiritualis boni tam multarum animarum jure jubent gaudere. Et quoniam omne bonum a Deo est, atque hoc potissimum ei uni acceptum referri debet, (neque enim sine divina ejus misericordia, ac sine praepotenti ejus ope tanta obstacula, difficultatesque superari potuissent, quae superandae omnino fuerunt, ut eo, unde tam longe aberant, res reverti possent), volumus ut, cumulati iis beneficiis, quae superius enunciavimus, celebraturi propediem solemnia gloriosa Ascensionis divini reparatoris Nostri, sanctissimaeque ejus religionis auctoris, quae nunc denuo in Gallia est constituta, solemnes ei gratiae a Nobis agantur pro memoratis iis bonis, quae ejus ope per promulgationem praefatae Nostrae constitutionis, et articulorum conventionis, qui in ea continentur, consecuti sumus.

Haud ita tamen venerabiles fratres gaudio laetitiaque perfundimur, ut nihil Nobis ante oculos obversetur, quod sollicitudinem No-

Digitized by Google

stram non excitet, curasque Nostras (quae sunt muneris Nostri partes) non exposcat. Qua tamen sollicitudine Nos liberari confidimus per sapientiam ac religionem primi consulis, nationisque Gallicanae, quae et optime tot saeculorum spatio de catholica religione merita est, et eam nunc denuo in Galliae sinu restitutam tanta cum alacritate complectitur. Siquidem animadvertimus una cum praefata conventione Nostra nonnullos alios articulos ignotos Nobis promulgatos esse, quos, vestigiis praedecessorum Nostrorum inhaerentes, haud possumus non expetere, ut opportunas ac necessarias modificationes ac mutationes accipiant. Nos certe officia Nostra apud primum consulem omni studio adhibebimus, ut ab ejus religione id tribuatur Nobis. Quod non sine causa confidimus tum ab eo, tum a Gallica natione tam perspicaci ac sapienti Nos esse consequuturos. Etenim gubernium Gallicanum in catholica religione restituenda, in ejus sanctitate, atque utilitate agnoscenda, nolle non potest, ut ea, quae restitutae religionis sanctissima constitutio exposcit, executioni demandentur, atque omnia cum illa salutari disciplina plene consentiant, quae ab Ecclesiae legibus est stabilita.

Avertat Deus, neque illud sinat umquam, ut ullum temporalis commodi studium, ulla cupiditas occupandi quidpiam, quod ad Ecclesiam non pertinet, Nos ipsos occupet, aut pastores, quos Christus subdidit auctoritati Nostrae. Divinum illud semper ante oculos habeamus, *quae sunt Caesaris Caesari, quae sunt Dei Deo*. Exemplo omnibus in hoc erimus semper, dabimusque operam, ut episcopi, caeterique, qui in vinea Domini, juxta vocationem qua vocati sunt, laborant, verbis atque opere unis religionis officiis, uni animarum ipsorum fidei concreditarum saluti se intentos ostendant, nec iis, quae ad ipsos non spectant, se implicantes, ullas religionis hostibus occasiones ministros ejus calumniandi praebeant. Hortabimur eos omni studio, ut praeceptis sanctorum apostolorum, qui magistri sunt Nostri, arcte inhaerentes, non concionibus solum, verum etiam exemplis debitam obedientiam civilibus potestatibus inculcent, propter quam vel a primis Ecclesiae exordiis christiani homines submissionis praepositis suis, ac fidelitatis exempla habebantur.

Superest venerabiles fratres, ut de pastoribus, qui nuper dioecesibus Galliae gubernandis in nova earumdem restitutione praepositi sunt, vos doceamus. Agnoscetis vos inter eos haud exiguum numerum eorum vigilantissimorum pastorum, qui ante novam dioecesium circumscriptionem, recentesque mutationes in Galliis factas, semper centro unitatis, nimirum huic sanctae Sedi, adhaerentes, praeclarissimis fidei, patientiae, pastoralis vigilantiae, virtutumque omnium exemplis, quibus Ecclesiam Dei illustraverunt (rogati a Nobis, quod ita Ecclesiae bonum postulabat) voluntarium sedium suarum sacrificium tanta cum laude addiderunt. Invenietis praeterea magnum numerum dignorum ecclesiasticorum, qui nunc primum ad Ecclesiam Dei regendam vocati, laudabili anteactae vitae ratione (quemadmodum de iis Nobis relatum est) illud certo pollicentur Ecclesiae, optimos se gregis ipsorum fidei commissi pastores esse extituros. Nonnullos etiam denique inter eos reperietis, qui cum in superiori temporum conversione absque apostolicae hujus Sedis institutione archiepiscopales, seu episcopales sedes occupatas habuerint, in unitate Ecclesiae, atque hujus apostolicae Sedis non fuerunt, quae tamen, ut nostis, ab iis ad maternos amplexus revocandis materna charitate nunquam destitit. Nolite perturbari venerabiles fratres. Institutionem eorum ad officia legitimorum pastorum novarum dioecesium, quae iis concreditae fuerunt, praecessit ipsorum cum hac apostolica Sede reconciliatio. Ex actis, quae legenda vobis exhibemus intelligetis vos, eos viros necessarium hoc debitum Ecclesiae persolvisse. Spiritus charitatis, quo dilecta Christi sponsa flagrat, effecit, ut in hoc etiam ea benignitate in eos uteremur, qua (incolumi rerum substantia) uti poteramus, ut tanta res, quanta est restitutio religionis in tam vastis Galliarum regionibus, perfici, et funestissimum schisma extingui posset. Exempla Nostrorum praedecessorum, amor pacis, efficacia gubernii studia, a quo ad concordiam restituendam id postulatum est, Nos ad hanc rationem ineundam adduxerunt; cujus facti vehementer in Deo confidimus, cui est integritas mentis, ac studiorum Nostrorum perspecta, nunquam fore ut Nos poeniteat. Etenim dubitare nolumus quin pastores hi, quos tanta Nos charitate complexi sumus, singulari, ac paterna Nostra

benignitate legitime novas sedes obtinentes, in ovibus ipsorum fidei commissis pascendis, in doctrinae sanctitate, in morum integritate, in excolenda vinea Domini, in aemulanda fratrum suorum vigilantia, in vera fidei, ac charitatis nobiscum conjunctione, omni pastorali officio sint perfuncturi.

Verum cum optime vos intelligatis perfectionem tantorum operum ac bonorum, quae huc usque recensuimus, et quorum consequendorum tanta flagramus cupiditate, a Deo proficisci (etenim *nisi Dominus aedificaverit domum in vanum laborant qui aedificant eam*), ad eum Nos convertere in humilitate spiritus, et in contritione cordis, Nostrasque preces cum vestris, atque Ecclesiae precibus conjungere constituimus, ad illud impetrandum, ut gratias agentes Deo, quod in tam feraci solo vineam Domini iterum plantare concessit (quod maximum beneficium fuit), illud addat etiam, ut ea, divina ejus gratia rorante de coelo desuper, alte radices agat, crescat, ac fructificet in domo ejus, a quo uno id impetrandum est. Nam *neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*.

At eum igitur, venerabiles fratres, cum omni fiducia adeamus, ab eo consolationem ac cumulatum gaudium imploremus: ab eo denique postulemus, *ut bonum opus, quod incepit, ipse perficiat*.

Itaque et ad gratias Deo agendas de religione in Gallia restituta, et ad impetrandum ut in tanta re vota Nostra penitus expleantur, et ad divinam opem pro praesentibus Ecclesiae necessitatibus implorandam, thesauros Ecclesiae reserabimus, et quemadmodum per cardinalem legatum Nostrum a latere in Gallia fecimus, ita hic etiam per cardinalem vicarium Nostrum jubilaeum publicabimus, et quae ad ejus consecutionem peragenda sunt praescribemus.

CXXXII.

Dat. die 10. maji 1802. Anno III.

Confirmatio decreti congregationis Rituum cum ejusdem insertione, pro clero populoque loci de los Berchules Granatensis dioecesis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii clerus saecularis, et populus loci vulgo nuncupati de los Berchules Granatensis dioecesis, quod ipsi ab infrascripta cardinalium congregatione obtinuerunt decretum tenoris sequentis, videlicet.

Tenor decreti lati a sacra congregatione Rituum.

§. 2. Electo nuper a clero saeculari, et populo loci vulgo nuncupati de los Berchules dioecesis Granatensis sancto Pantaleone martyre in patronum principalem dicti loci, modo ex parte eorundem pro confirmatione praefatae electioni sacrorum rituum congregationi humillime supplicatum fuit, et sac. congregatio, accedente reverendissimi archiepiscopi assensu, ad relationem eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis de Lorenzana ponentis, attento quod hujusmodi electio servatis servandis, et juxta praescriptum in decreto jussu sa. me. Urbani papae VIII. die 23. martii 1630. edito legitime facta fuerit, eamdem confirmavit, et approbavit, praedictique s. Pantaleonis sic in patronum principalem electi festivitati praerogativas omnes sanctorum protectorum principalium festis competentes attribuit, atque concessit. Die 27. martii 1802.

Loco ✠ signi.

J. M. card. De Somalia S. R. C. praef.
J. De Carpineo secr.

Confirmatio apostolica.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes, quo praeinsertum decretum firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae Nostrae confirmationis subsidio muniri summopere desiderent; Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, idem decretum, et singula in eo contenta auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, et omnes, et singulos juris, et fa-

cti, si qui desuper in esse intervenerint supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii nostri apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti loci etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima octava maji millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

CXXXIII.

Dat. die 1. junii 1802. Anno III.

Ut in ecclesia sodalitatis animarum Purgatorii Villaceiz Ovetensis dioecesis singulis feriis secundis non impeditis ab officio ritus duplicis primae, vel secundae classis una missa propria defunctorum cum cantu celebrari possit.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio concessionis.

§. 1. Cum sicut dilecti filii moderni moderatores sodalitatis sub titulo animarum Purgatorii canonice, ut asseritur, erectae in parochiali ecclesia s. Cypriani loci vulgo Villaceix Ovetensis dioecesis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quo flagrant animas in Purgatorio degentes suffragandi studio, suffragia hujusmodi in dies augeri summopere desiderent; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, referente dilecto filio magistro Julio de Carpineo sac. rituum congregationis secretario, ut in posterum quotannis in quibus sodales praedictae sodalitatis convenire assolent ad preces fundendas pro defunctis, dummodo ipsae feriae non sint ex privilegiatis, vel festivae cum praecepto adstandi sacro, vel impedito officio rit. dupl. primae, vel secundae classis, ibi celebrari possit una missa propria defunctorum cum cantu auctoritate apostolica, tenore praesentium, indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti loci, et dioecesis consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus et singulis illorum tenores, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die prima junii millesimo octingentesimo secundo pontificatus Nostri anno tertio.

Digitized by Google

Dat. die 4. junii 1849. Anno III.

CXXXIV.

Instantibus sororibus oblatis conservatorii ss. Trinitatis Hispalensis civitatis erigitur conservatorium hujusmodi in verum monasterium, et oratrices in veras moniales: confirmantur quoque regulae, seu constitutiones.

Dilecto filio Nostro Aloisio Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali de Bourbon nuncupato administratori ecclesiae Hispalensis auctoritate apostolica deputato.

Pius episcopus

Dilecte fili Noster salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae sorores tertiariae ordinis Sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum nuncupat., quod ipsae praesunt collegio, seu conservatorio pro egenis puellis colligendis, alendis, et educandis Hispali erecto, ubi dicti ordinis induentes habitum ac profitentes institutum, ordinarii jurisdictioni subjiciuntur, vota castitatis, paupertatis, et obedientiae simplicia emittunt, nunquam e septis collegii exeunt, et quotidie in choro officium parvum Beatae Mariae Virginis recitant, licet horum nihil praescribatur a constitutionibus, quibus reguntur, quarumque tenor est prout sequitur nempe.

Tenor constitutionum de numero religiosarum.

I. §. 2. Sorores debent esse duodecim: verum crescente numero puellarum, de quibus curam suscipiunt, poterit et augeri sororum numerus, si id bene videbitur. Ætas receptionis sororum, seu, ut in Hispania vulgo inquiunt, beatarum, sit a decimo octavo anno usque ad vigesimum quintum, praevio examine utrum sciant legere, scribere, christianae fidei rudimenta, ac manuum opera, quae et foeminei sexus sunt propria, et instructioni praebendae accomodata. Curetur autem, ut bonae sint vitae, et pietatis notoriae.

De vicaria, ejusque electione, et munere.

II. §. 3. Mater major, et vicaria eligendae erunt ab ipsis beatis de triennio in triennium prima die decembris. Mater major beaterio gubernando incumbet, et dicto eodem die quotannis eliget magistras quae puellas doceant rudimenta christiana, ac saltem legere, et omne laborum genus, idest nere, struere caligas, texere, suere, et acu pingere; quidquid vero ad victum et triclinium attinet, curae erit vicariae.

De orationibus nocturnae, ac diurno tempore habendis.

III. §. 4. A primo die aprilis usque ad ultimum septembris mane hora quinta post mediam noctem surgent e lecto sorores atque puellae, eae potissimum, quae sacrae sunt communionis participes. Horabunt per horae dimidium, audient missam, et recitabunt partem rosarii, atque trisagium. Ab una usque ad tertiam post meridiem horam dormient. Tunc exurgentes alteram recitabunt rosarii partem, ac tertiam tandem vesperascente die. Reliquum tempus in occupationibus assignatis impendent. Hora quarta ante meridiem jentaculum sument: prandebunt meridie, et novem post oras coenabunt: inde dormitum ibunt. A prima die mensis octobris ad finem usque martii surgent post mediam noctem hora quinta et semis; caetera vero proportionaliter ut supra. Secunda post meridiem hora redibunt ad chorum, et juxta dicta superius pergent. Singulis octo diebus, seu quolibet die dominico puellae omnes accedent ad confessionem sacramentalem; illae vero, quae et aetate et instructione capaciores sunt, etiam ad sacram communionem. Magistrae praecipuam adhibeant operam, ut id puellae adimpleant, et rudimenta ad id necessaria, addiscant. Erit cappellanus, qui missam celebret, et sacram communionem ministret, ac pridie, vel mane ante communionem audiat confessiones puellarum, quae se confiteri postulent.

De conclave ubi erit schola pro puellis de civitate venientibus.

IV. §. 5. Erit conclave, quod extra communicet cum publica via, et intus cum beaterio, ubi gratis habebitur schola pro cunctis puellis ad illam de civitate convenire volentibus, sed maneant seorsum ab aliis, quae aluntur in seminario. Mater major designabit quotannis ad hujusmodi munus beatam, quae illo fungetur per tres horas mane, et totidem vespere; horas tamen diversis anni temporibus apte ordinando. In hac publica schola docebitur christiana doctrina, legere, ac res, quae conveniunt foeminis, factitare.

De puellis in collegio recipiendis.

V. §. 6. Hoc in collegium seu seminarium excipientur puellae quotquot excipi poterunt quum civitas adeo abundet egenis. Puellae excipiendae debent necessario esse orphanae, pauperes, et derelictae, semperque praeferantur, quae patre et matre carent, et potis-

Digitized by Google

simum quae se tradunt mendicitati, notoriae origini exitiorum; ad quae praecavenda rogabitur, si opus fuerit, assistens, seu gubernator urbis, ut eas in seminarium conjici faciat. Non intrabunt puellae nisi a septimo usque ad decimum aetatis annum; nam haec educationis, non correctionis est domus. Retinebuntur usque ad annum aetatis vigesimum, quin umquam possint repetia matribus ante id tempus; quo quidem elapso, tunc una cum rebus suis restituentur. Et quoniam compertum est experientia puellas multas ingredi impulsu matrum, quae quum vident filias adoctas, clamant, et obstrepunt, ut eas secum abducant, idcirco statuitur, quod moneantur matres tempore, quo filiae introeunt, has omnimode remanere debere in beaterio usque ad praedictam aetatem viginti annorum, nec ullatenus ante id tempus posse matres recurrere, aut attendi quum nec justum nec rationabile sit, puellam dum plus proficit sibi ac educationi suae, plusque etiam utilitatis confert ad subsistentiam beaterii, posse extrahi a matre, educatione nondum absoluta, ac cum periculo incidendi in mala, unde fuit praerepta. Puella, quae orbata sit matre, postquam praedictos viginti annos exegit, tradetur in famulam alicui domui, quae pietatem ac honestatem redoleat: quod si tali in famulatu vel sibi, vel domui futura sit aegritudini, recipietur in beaterium, cujus oneri semper erit classis haec puellarum, donec statum, ut dicunt, susceperint, quo in casu ducata quinquaginta tribuentur singulis a beaterio pro dote. Erit liber, quo exacte notetur dies ingressus et egressus puellae, cujusque nomen, patria, aetas, ac nomen quoque parentum; ad quem effectum exhibebitur aut exquiretur fides baptismi. Item notabitur in hoc libro dies, domus et pretium stipendii, quando puella in famulam conducetur.

De iis, qui regalium solvere tenentur.

VI. §. 7. Quamquam primaria beaterii hujus intentio ac institutio sit pro puellis pauperibus, orphanis, ac derelictis, nihilominus recipi poterunt vel aliae non orphanae: verum debebunt hae solvere quatuor regalia in singulos dies, ac docebuntur ut reliquae, eamdemque vitam agent.

De administratione redituum a congregatione praestanda.

VII. §. 8. Administratio redituum beaterii fiet per congregationem, quae constabit ex matre majori, et duobus beatis, cum assistentia alterius personae conscientia et probitate praestantis, quae ratiocinatoris fungens officium, referat rationes cujuscumque rei, tam redituum, qui ex bonis domus proveniant, quam eleemosynarum, quas fideles in subsidium largiantur. Huic congregationi singulis omnino habendae mensibus aderit quoque exactor, ut rationem de omnibus reddat, prout est in more penes alias communitates, quae per congregationem pariter gubernantur. Ultimae anni congregationi, seu cuilibet aliae si convenire censuerit, assistet etiam ordinarius conventuum et beateriorum visitator, ut de administratione hac se informet, et quid quid correctione fuerit dignum, corrigat.

De sorore ad petendam stipem deputanda, et de erogatione eleemosynarum.

VIII. §. 9. Una ex sororibus maturae aetatis, cognitae gravitatis, atque virtutis deputabitur a matre majori, ut tribus per hebdomadam diebus civitatem excurrat ad petendam stipem pro puellis pauperibus, orphanis ac derelictis, sed pernoctare omnino debebit in beaterio. Curabit quoque mater major, inito cum cappellano consilio, ut duo vel quatuor ecclesiastici viri bono nomine praediti velint charitatis gratia emendicare ad eumdem finem per loca publica urbis, maxime sabbato, prout fieri die ejusmodi solent: atque hae eleemosynae condentur quolibet mense in capsam congregationis, ubi omnium habebitur ratio, quum duo ad id libri existant, alter pro introitu, et alter pro exitu.

Ratio novae concessionis.

§. 10. His itaque regulis ad praedicta charitatis officia institutum conservatorium hujusmodi, et si paucis ab hinc annis inceperit, (incepit enim anno 1789.) ac perexigua primordia habuerit, mirum tamen in modum favente Deo processit feliciter, auctumque ita est, ut quae initio erat erecta domuncula, mox in magnum cum adnexa ecclesia collegium excreverit; quaeque primitus tres sorores, duaeque tantum extitere puellae, nunc plus quam viginti sorores, centum et ultra puellae, pluresque ex his aliae, quae pensionem seu expensas victus persolvunt, numerentur. Siquidem pia ista domus jam stabiles fundos annuum ducatorum octingentorum fructum afferentes adepta est, annuisque assignationibus gaudet tum ex munificentia catholici regis, tum ex praeteritorum archiepiscoporum liberalitate, a te quoque continuata et aucta, tum ex metropolitanae ecclesiae istius capituli pietate et gratia: quae assignationes omnes una collatae magnam quidem summam constituunt, praeter eleemosynas et largitates

singulis undique mensibus confluentes, ac magis magisque expectandas in diem, quum Hispalensium erga beaterium zelus eo usque pervenerit, ut unum ex coactivis legatis in testamentis pro beaterii puellis curaverint assignari. Quapropter exponentes sui beaterii, seu conservatorii domum adeo ad praesens dotatam in verum monasterium erigi, et declarari, ac ipsas ad regularem professionem ab aliis Sanctissimae Trinitatis ordinis monialibus solemniter fieri consuetam admitti, et in veras moniales institui, expositasque superius regulas a Sede apostolica approbari, ac ratas haberi summopere cupiunt una cum nonnullis additionibus, videlicet.

Tenor novarum additionum, et praecipue de voto gratis recipiendi puellas pauperes.

I. §. 11. Ut praeter communia vota castitatis, paupertatis, et obedientiae, votum quoque de pauperibus puellis gratis educandis expresse ab ipsis nuncupetur.

De communicatione privilegiorum quibus moniales utuntur.

II. §. 12. Ut gratiis et privilegiis omnibus, quibus caeterae dicti ejusdem ordinis moniales utuntur et gaudent, ipsae similiter perfruantur.

De requisitis necessariis ad solemnem professionem.

III. §. 13. Ut ad professionem solemnem nullae in posterum admittantur, nisi quae per arduum educandi votum et onus bene nosse potuerint, idest quae vigesimum aetatis annum expleverint, et biennium novitiatus praemiserint; sed in praesentiarum, absque etiam novitiatu et tota aetate praedicta possint admitti omnes, quae in beaterio jam existentes solemniter profiteri voluerint.

De munere priorissae a solis professis obeundo.

IV. §. 14. Ut post hujusmodi professionem munera priorissae, sub priorissae et magistrae novitiarum solae professae valeant obire.

De iis quae legata, dotes, aliasque donationes recipere possunt.

V. §. 15. Ut illis, quae ibi vota tantum simplicia emiserint, liceat assequi legata, dotes, ac alias donationes, quae puellis in statu, ut ajunt, locandis dari solent atque relinqui.

De ingressu directori concedendo in monasterio.

VI. §. 16. Ut etiam liceat directori pro tempore monasterii libere ingredi in illud congruis horis, prout opus vel utile directioni communitatis fore judicaverit. Hinc Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 17. Nos igitur omni, quo possumus, studio religionem, pietatem, ac maxime charitatem, spiritualemque animarum progressum promovere in christifidelibus cupientes, praedictasque sorores specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, circumspectioni tuae per praesentes plenam, et amplam, facultatem, qua, constito tibi de narratis, auctoritate Nostra apostolica conservatorium praedictum in verum monasterium erigere, praedictasque sorores ad professionem regularem per alias moniales dicti ordinis ss. Trinitatis nuncupati emitti consuetam expresse emittendam recipere, easque in veras moniales instituere, nec non superius descriptas regulas, seu constitutiones approbare, illisque apostolicae auctoritatis robur adjicere, ac recensitas quoque additiones, cunctasque petitiones admittere, atque concedere in toto, aut in parte juxta inditam tibi a Deo sapientiam possis et valeas, ita tamen ut omnia, quae in praemissis indulseris, atque statueris, cum ecclesiasticis sanctionibus circa moniales et monialium monasteria editis congruant, atque consentiant, auctoritate praedicta tribuimus ac impertimur.

§. 18. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die quarta junii, millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

Derogatio contrariorum.

CXXXV.

Dat. die 18. junii 1802. Anno III.

Confirmatio prohibitionis regularibus non vendendi pharmaca cum declaratione, alios quoque locorum piorum rectores in eadem prohibitione comprehendi pro collegio pharmacopolarum provinciae Marchiae Anconitanae.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii pharmacopolae, seu pharmacopolarum collegium Anconitanae, aliarumque civitatum, et terrarum provinciae Nostrae Marchiae Anconitanae, quod dudum fel. rec. Benedictus

Expositio precum.

Digitized by Google

pp. XIV., praedecessor Noster sub certis modo, et forma tunc expressis auctoritate apostolica prohibuit omnibus, et singulis regularibus utriusque sexus cujusvis ordinis, congregationis, et instituti etiam mendicantium in quibusvis dictae provinciae Marchiae locis tam tunc temporis praesentibus, quam futuris, ne artem aromatariam, nisi ad proprios usus, et conventuum, ac monasteriorum commodum exercerent, et poenas in contraventores prohibitionis hujusmodi addidit, ac alias, prout in ipsius Benedicti praedecessoris in simili forma brevis di XVIII. septembris millesimo septingentesimo quadragesimo quinto expeditis literis, quarum tenorem praesentibus, pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus, fusius continetur. Verum quia sicut eadem expositio subjungebat, nuperrimis hisce temporibus nonnulli loci pii, seu hospitalis rectores artem aromatariam praedictam per se, vel per alios palam exercere, ac medicamenta publice vendere faciant, cumque id non sine magno pharmacopolarum detrimento, idcirco ipsi exponentes Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate Nostra apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur eosdem exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine, Nobis humiliter porrectis inclinati, prohibitionem praedictam non vendendi cujuslibet generis, et speciei pharmaca, et medicamenta a Benedicto praedecessore, ut praefertur, factam cum omnibus, et singulis in memoratis ipsius praedecessoris literis contentis, et expressis poenis eadem auctoritate, tenore praesentium, confirmamus, et approbamus, et, quatenus opus sit, ipsas Benedicti literas ad alios quoscumque locorum piorum etiam hospitalium superiores, rectores, et officiales quomodolibet nuncupatos pertinere, atque ab ipsis omnibus et singulis sub iisdem, aliisque arbitrio Nostro infligendis poenis servari volumus, atque auctoritate, et tenore praedictis statuimus, et declaramus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus omnibus, et singulis iis, quae a memorato Benedicto praedecessore concessa sunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus publici notarii, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima octava junii millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

CXXXVI.

Dat. die 18. junii 1802. Anno III.

Facultas archiepiscopo Toletano alienandi nonnulla bona ad mensam archiepiscopalem spectantia, et investiendi pretium favore nonnullarum portionariarum cathedralis.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Venerabili fratri Ludovico archiepiscopo Toletano, S. R. E. tituli sanctae Mariae de Scala nuncupatae presbytero cardinali de Bourbon, etiam nuncupato, salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Officium sacrosancti apostolatus, quod ineffabilis sapientiae, atque clementiae Dei altitudo humilitati Nostrae, meritis licet et viribus longe imparibus, imponere dignata est, salubriter exequi adjuvante Domino jugiter satagentes, ad ea, cum praecipue sacrorum praesulum vota ad divini servitii decorem accedunt, per quae ecclesiasticorum ministro-

rum, in templis Altissimo in divinis famulatum praestantium, congruae substentationi consulitur, libenter intendimus, supremique pastoralis Nostri muneris partes libenter interponimus, sicut personarum, rerum, et temporum qualitatibus mature pensatis, ad omnipotentis Dei gloriam et religionis incrementum expedire in Domino arbitramur.

Expositio precum.

§. 2. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod cum fructus redditus, et proventus triginta sex perpetuorum simplicium, personalem tamen residentiam requirentium beneficiorum ecclesiasticorum portionariarum nuncupatorum, non tamen de numero cantorum, metropolitanae ecclesiae Toletanae, cui praees, quorum, seu quarum dum pro tempore vacant, nominatio seu praesentatio personarum idonearum, in eis ad nominationem, seu praesentationem hujusmodi, per ordinarium loci, aut alias instituendarum, tam ad carissimum in Christo filium Nostrum Carolum Hispaniarum, et Indiarum regem catholicum, quam ad pro tempore existentem dictae metropolitanae ecclesiae archiepiscopum, alternative spectat, et pertinet, adeo tenues existunt, ut pro personarum ea, seu eas respective obtinentium congrua, decentique substentatione impares omnino dignoscantur; ad consulendum aliqua in parte tenuitati reddituum portionariarum hujusmodi, et ad hoc, ut metropolitanae ecclesiae praedictae ministri decenter substentari valeant, opportunum infrascriptae dismembrationis, alienationis, et applicationis remedium, a Nobis et Sede apostolica postulare provide desideres.

Ratio concessionis.

§. 3. Cum itaque silva et Castrum de Aldovea nuncupatum, ex donatione usque et de anno Domini millesimo centesimo sexagesimo tertio a clarae memoriae Alfonso hoc nomine septimo Hispaniarum rege, mensae archiepiscopali praedictae sponte et libere facta, inter caetera bona ad mensam archiepiscopalem praedictam legitime spectantia, et pertinentia respective reperiantur, quorum fructus, redditus, et proventus eidem archiepiscopali mensae non magni momenti existunt, si praevio infrascripto consensu, silva, et castrum hujusmodi cum suis jurisdictionibus, et dependentiis a praefatae mensae archiepiscopalis bonis disjungerentur, et separarentur, ac juxta et secundum peritorum aestimationem, respective utiliter alienarentur, illorumque pretium regio aerario communi annua responsione, trium pro quolibet centenario illius moneta foeneraretur, et ab hujusmodi foenore annuatim relatum lucrum hujusmodi portionariis praefatis perpetuo ut infra applicarentur, ex hoc profecto dictarum portionariarum tenuitati reddituum opportune consuleretur.

Conceditur ut fieri possit implorata dismembratio.

§. 4. Nos igitur, qui quantum cum Domino possumus ecclesiarum decorem paternis, et sinceris desiderantes affectibus, innixis supplicum votis, benigne annuimus, eaque favoribus prosequimur opportunis, quique dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri tenerentur exprimere verum annuum valorem, secundum communem aestimationem, tam beneficii uniendi, quam illius cui uniri peteretur, et in unionibus semper commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, idemque servetur in quibusvis perpetuis dismembrationibus, ac concessionibus etiam de quibuscumque fructibus ecclesiasticis, tibi, ad hoc ut in metropolitana ecclesia praefata divinarum rerum cultus suo quoque par sit decori, ejusque fulgor et majestas elucescat, quatenus vocatis qui fuerint ad id evocandi, silvam hujusmodi, et castrum praefatum, suasque jurisdictiones, et dependentias de consensu praefati Caroli regis, et dilectorum filiorum capituli, et canonicorum dictae metropolitanae ecclesiae, a caeteris praefatae mensae bonis dismembrare, illaque sic dismembrata, et disjuncta libere, ac licite, ut supra majori qua fieri poterit utilitate alienare, illiusque pretium pariter, ut supra regio aerario, foenerare, et hujus investimenti annuum redditum in augmentum fructuum, reddituum, et proventuum supradictorum triginta sex beneficiorum portionariarum nuncupatorum, exceptis semper aliis quatuordecim portionariis, qui sunt de numero cantorum, quique ad id nullum umquam jus habere poterunt, constituere, applicare, seu assignare possis, et valeas, plenam, ac liberam facultatem, apostolica, auctoritate, tenore praesentium, concedimus, et impertimur.

Confirmatur dismembratio facienda cum respectiva futura assignatione, et applicatione bonorum.

§. 5. Et insuper si dismembrationem, separationem, alienationem, investitionem, constitutionem, assignationem, et applicationem hujusmodi, aliaque praemissa per te earumdem praesentium vigore fieri contigerit, ut

praefertur, easdem praesentes semper et perpetuo validas, et efficaces existere, ac nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel quacumque causa, quantumvis juridica, et legitima, pia, privilegiata, ac de necessitate juris vel facti, omnino exprimenda, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, seu quopiam alio defectu notari, impugnari, invalidari, seu alias quomodolibet infringi, retardari, annullari, seu per Nos, et successores Nostros Romanos pontifices, pro tempore existentes, ac Sedem camdem, seu praefatae S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios, vel quosvis alios quavis auctoritate fungentes suspendi, revocari, restringi, limitari, ad viam, et terminos juris reduci, seu adversus illas restitutionis in integrum aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiae remedium impetrari, aut alias motu proprio, et ex certa scientia concedi, seu illis etiam in aliquo derogari, aut quidquam aliud in contrarium disponi nullatenus umquam posse, nec illas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam, ut praefertur, vel alias quomodolibet, etiam per cancellariae apostolicae regulas, aut constitutiones apostolicas pro tempore factis, et faciendis, ac concessis, et concedendis comprehendi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per pro tempore existentes capitulum, et canonicos dictae metropolitanae ecclesiae quandocumque eligendos concessas esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac praedictae Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales praefatos, etiam de latere legatos, dictosque ejusdem Sedis nuncios, judicari, et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus priori voluntate Nostra praefata, ac quocumque juramento, per te, dum archiepiscopali ecclesiae hujusmodi praefecimus, quomodolibet praestito, nec non quatenus opus sit Nostra, et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, nec non Lateranensis statuta concilii novissime celebrati, dismembrationes perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque etiam in synodalibus provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis, vel edendis, specialibus vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictaeque metropolitanae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis in genere vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis, et pluries innovatis; quibus omnibus, et singulis etiam si de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia, etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, illorumque omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide ad praemissorum validissimum effectum, hac vice dumtaxat harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo secundo, decimo quarto kalendas julii, pontificatus Nostri anno tertio.

CXXXVII.

Dat. die 25. junii 1802. Anno III.

Facultas magistratibus Asculanis, ut ipsi partibus togae inversis toccam auream sericam addere possint.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Paterna Nostra erga Nostros, et apostolicae Sedis in temporalibus subditos solici-

tudo, et cura Nos movet, ut eorum votis, quantum cum Domino possumus, benigne annuamus, eosque specialibus gratiis, et favoribus libenter prosequamur.

Laudes civitatis, et magistratus Asculani, in cujus gratiam concessio indulgetur.

§. 2. Cum itaque inter caeteras ditionis Nostrae ecclesiasticae civitates Asculana civitas antiquitatis laude, populique frequentia non mediocriter floreat, et constanti in Romanos pontifices, ac Sedem praedictam fide emineat, magistratusque habeat in rebus publicis gerendis prudentia, moderatione, et integritate pollentes, Nos, qui civitatem ipsam, ejusque communitatem, et homines praemissorum meritorum intuitu propensione quodam benevolentiae Nostrae complectimur affectu, dilectos filios senatum seu magistratus dictae civitatis aliquo beneficentiae Nostrae munere donare, et amplioris honorificentiae praerogativa decorare volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum extituris dictae civitatis Asculanae magistratibus, ut ipsi, quam gestare solent, togae oblongae partes inversas circa collum vulgo *baveri*, ac anteriores, et manicarum etiam ipsius togae extremitates vulgo *mostre avanti, e rivolti* in posterum ex tocca auro-serica cum inducula vulgo *camiciuola*, similiter publice gestare, et addere libere, et licite possint, ac valeant auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque magistratus desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae civitatis Asculanae, aliarumque civitatum status Nostri ecclesiastici etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quinta junii millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

CXXXVIII.

Dat. die 25. junii 1802. Anno III.

Nonnulla insignia et ornamenta pro vexillario et consulibus civitatis Eugubiensis conceduntur.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Paterna Nostra erga Nostros, et apostolicae Sedis in temporalibus subditos sollicitudo, et cura Nos movet, ut eorum votis, quantum cum Domino possumus, benigne annuamus, eosque specialibus gratiis, et favoribus libenter prosequamur.

Ratio, et tenor concessionis.

§. 2. Cum itaque inter caeteras ditionis Nostrae ecclesiasticae civitates Eugubina civitas antiquitatis laude, populique frequentia non mediocriter floreat, et constanti in Romanos pontifices, ac Sedem praedictam fide emineat, magistratusque habeat in rebus publicis gerendis prudentia, moderatione, et integritate pollentes, Nos, qui civitatem ipsam, ejusque communitatem, et homines praemissorum meritorum intuitu propensiore quodam benevolentiae Nostrae complectimur affectu, dilectos filios senatum, seu magistratus civitatis hujusmodi, vexillarium justitiae scilicet, et tres consules aliquo beneficentiae Nostrae munere donare, et amplioris honorificentiae praerogativa decorare volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus

tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus ipsorum, et generalium ejusdem civitatis comitiorum nomine, Nobis humiliter porrectis inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum extituris vexillario hujusmodi, ut ipse suam nigram oblongam sericam togam in posterum cum listis flavis aurosericis, ad instar primi ex magistratibus alterius civitatis Nostrae Perusinae publice gestare; tribus vero consulibus praedictis, ut ipsi loco palliorum, quibus adhuc usi sunt, togam oblongam vulgo di *camelotto* violacei coloris in quibuscumque actibus, et functionibus publicis deferre libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque vexillarium, et consules desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae civitatis Eugubinae, aliarumque civitatum status Nostri ecclesiastici etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes; illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die vigesima quinta junii, millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

CXXXIX.

Dat. die 25. junii 1802. Anno III.

Facultas capitulo, et canonicis collegiatae s. Laurentii oppidi Drepani Mazariensis dioecesis, utendi cappa magna alternatim cum mozzeta.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Quantum dignitatis, quantum splendoris, et venerationis ipsa sacra indumenta oculis, animisque Christifidelium ingerere valeant optime tenens Apostolica Mater Ecclesia non solum varias pro varietate festorum, et solemnitatum sacerdotibus suis praescripsit vestes, sed etiam in templis magis conspicuis, ubi major est christiani populi frequentia, sacris praecipuis ministris ibi Altissimo famulantibus saepe particularia, et ad eorum dignitatem exprimendam aptissima insignia deferenda materna benignitate concessit.

Expositio precum.

§. 2. Quoniam vero, sicuti Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici insignis, ut asseritur, et auctoritate apostolica erectae collegiatae et parochialis ecclesiae sub titulo s. Laurentii oppidi civitatis nuncupati Drepani Mazariensis dioecesis, in qua duae dignitates, cantoratus scilicet, ac decanatus, et novemdecim canonici existunt, ipsa collegiata antiquitatis laude, patrimonii amplitudine, templi magnificentia, sacrarum supellectilium copia, canonicorum probitate, et doctrina, populique frequentia, et devotione ita floreat, et jure merito una ex illustrioribus dictae dioecesis ecclesiis habeatur, non exigua dignitatis, et ornamenti ad eam fieret accessio, divinusque cultus majora in ea susciperet incrementa, si ejusdem collegiatae dignitates, et canonici novis insigniis, novisque decorationibus donentur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum futuris dignitatibus, et canonicis dictae collegiatae s. Laurentii, ut ipsi mozzetam violaceam, quam adhuc

Digitized by Google

supra rocchetum deferre consueverunt, in nigram mozzetam ad instar aliarum Siciliae collegiatarum adventus, et quadragesimae temporibus permutare, ac praeterea reliquo anni tempore loco mozzetae hujusmodi etiam cappam magnam supra rocchetum praedictum gestare, ita ut vel mozzetam, vel cappam magnam hujusmodi pro temporum, et solemnitatum ratione, tam in ecclesia praedicta, ejusque choro, et capitulo, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque deferre, illisque promiscue, et alternatim (servata tamen uniformitate) uti libere, et licite possint, et valeant auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque dignitates, et canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae collegiatae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die vigesima quinta junii, millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

CXL.

Dat. die 25. junii 1802. Anno III.

Permutatio mozzetae violaceae in nigram pro capitulo collegiatae s. Petri oppidi Drepani Mazariensis dioecesis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium. §. 1. Quantum dignitatis, quantum splendoris, et venerationis ipsa sacra indumenta oculis, animisque Christifidelium ingerere valeant optime tenens Apostolica Mater Ecclesia non solum varias pro varietate festorum, et solemnitatum sacerdotibus suis praescripsit vestes, sed etiam in templis magis conspicuis, ubi major est christiani populi frequentia, sacris praecipuis ministris ibi Altissimo famulantibus saepe particularia, et ad eorum dignitatem exprimendam aptissima insignia deferenda materna benignitate concessit.

Expositio precum. §. 2. Quoniam vero, sicuti Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici insignis, ut asseritur, et auctoritate apostolica erectae collegiatae, et parochialis ecclesiae sub titulo s. Petri archipresbyteratus nuncupat. oppidi civitatis pariter nuncupati Drepani Mazariensis dioecesis, in qua tres dignitates archipresbyteratus scilicet, decanatus, ac thesaurariatus, et undecim canonici existunt, ipsa collegiata antiquitatis laude, patrimonii amplitudine, templi magnificentia, sacrarum supellectilium copia, canonicorum probitate, et doctrina, populique frequentia, et devotione ita floreat, ut jure merito una ex illustribus dictae dioecesis ecclesiis habeatur, non exigua dignitatis, et ornamenti ad eam fieret accessio, divinusque cultus majora in ea susciperet incrementa, si ejusdem collegiatae dignitates, et canonici novis insigniis, novisque decorationibus donentur Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum futuris dignitatibus, et canonicis dictae collegiatae sancti Petri, ut mozzetam violaceam, quam adhuc supra rocchetum deferre consueverunt, in nigram moz-

Digitized by Google

zetam ad instar aliarum Siciliae collegiatarum adventus, et quadragesimae temporibus permutare, ac praeterea reliquo anni tempore, loco mozzetae hujusmodi etiam cappam magnam supra rocchetum praedictum gestare, ita ut vel mozzetam, vel cappam magnam hujusmodi pro temporum et solemnitatum ratione, tam in ecclesia praedicta, ejusque choro, et capitulo, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque deferre, illisque promiscue, et alternatim (servata tamen uniformitate) uti libere, et licite possint, et valeant auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictasque dignitates, et canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae collegiatae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quinta junii millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

CXLI.

Dat. die 25. junii 1802. Anno III.

Instante universitate Vetrallae confirmatur rescriptum sacrae congregationis Boni Regiminis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii populus, et homines civitatis Nostrae Vetrallae Viterbiensis dioecesis, quod ipsi, uti asserunt, ab immemorabili tempore eam possident montis, montique adjacentium terrarum partem, quae a Bledano flumine citra Vetrallam versus protenditur, quaeque olim tenimentum Vici vulgo nominabatur, hodie vero silva montis Foliani communiter dicitur: quod possessionem locorum hujusmodi declaravit favore eorum recolendae memoriae Eugenius pp. IV. praedecessor Noster per apostolicas literas datas primo martii 1431. confirmaruntque deinceps Paulus II. et Xistus IV. praedecessores itidem Nostri per alias in simili forma brevis expeditas literas primo septembris 1465. et sexto novembris 1470. prout latius in eisdem literis, quarum tenores praesentibus, pro plene, et sufficienter expressis, et insertis haberi volumus, fusius asseritur contineri: quodque eamdem possessionem suo demum asseruit, et comprobavit judicio sacra congregatio venerabilium fratrum Nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium bono regimini communitatum et universitatum status Nostri ecclesiastici praeposita, rescribens die 24. aprilis currentis anni his scilicet verbis.

Tenor rescripti sacrae congregationis Boni Regiminis.

§. 2. Nemus montis Foliani non esse comprehensum in dispositione motus proprii diei 19. martii 1801. Hinc quo haec magis magisque valida, ac firma subsistant, postquam die 8. proxime praeteriti maji a publicis universitatis repraesentantibus pro parte et nomine universi populi solemniter inita, seu iterum capta, et celebrata esset dicti montis possessio, ac de actu possessionis istius publicum instrumentum conscriptum et stipulatum fuisset tota populi Vetrallae universitas in generalem conventum, seu ut ajunt, consilium, congregata quinque elegit, deputavitque consiliarios viros, qui Nobis supplicarentur, quemadmodum humiliter supplicari fecerunt, ut cohaerenter ad praedictorum praedecessorum literas praeinsertum laudatae congregationis rescriptum Nos approbare et confirmare, nec non deputatis ipsis quidquid pro recta dictae silvae, adjacentiumque terrarum administratione propositum ab eis, et approbatum a con-

Digitized by Google

silio fuerit, gerendi facultatem concedere et indulgere benigne dignarentur.

Confirmatio apostolica.

§. 3. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus, prosequi volentes, et eorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, praememoratum dictae sacrae congregationis rescriptum auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, ratumque et validum habemus et declaramus, illique apostolicae Nostrae firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris et facti defectus, si quos quomodolibet intervenisse contigerit, sanamus, atque supplemus: praeterea quinque deputatis praedictis ut ea, quae ipsi ad dictam silvam montis Foliani, terrasque silvae, ut praefertur, adnexas utiliter administrandas proposuerint, et proposita generale consilium universitatis populi per suffragiorum pluralitatem probaverit, exequi, gerere, et curare libere ac licite possint et valeant, auctoritate et tenore praedictis concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac praedictis exponentibus in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quinta junii millesimo octingentesimo secundo pontificatus Nostri anno tertio.

CXLII.

Dat. die 25. junii 1802. Anno III.

Facultas confraternitati ss. Sacramenti civitatis Beneventanae liberandi quotannis unum reum capitali poena damnatum.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii confratres confraternitatis sanctissimi Sacramenti in metropolitana ecclesia Beneventana canonice, ut asseritur, instituta, quod alias felicis recordationis Paulus pp. V. praedecessor Noster per suas in simili forma brevis, die 12. septembris anni 1605. expeditas literas tunc, et pro tempore existentibus confratribus dictae confraternitatis, ut quotannis feria sexta majoris hebdomadae unum reum, quem petiissent a pro tempore existente gubernatore civitatis Beneventanae, et ab eo obtinuissent, capitali poena, citra tamen certa tunc expressa crimina, damnatum liberare et absolvere, dummodo tamen pacem ab offensis habuisset libere ac licite valerent, facultatem auctoritate apostolica impertitus fuit, ac alias prout in iisdem literis, quarum tenor est, qui sequitur videlicet.

Dilectis filiis confratribus confraternitatis ss. Sacramenti in cathedrali ecclesia civitatis Nostrae Beneventanae canonice institutae.

Paulus PP. V.

Dilecte fili Noster salutem, et apostolicam benedictionem.

Tenor indulti concessi a Paulo pp. V.

§. 2. Pias Christifidelium societates, ad charitatis opera exercenda canonice institutas ut in eorumdem operum exercitio magis confoveantur, specialibus favoribus, et gratiis libenter prosequimur, prout in Domino salubriter conspicimus expedire: proinde vestram confraternitatem specialis gratiae favore benigne prosequi volentes, ac vos, ac vestrum quemlibet a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus vestro nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, vobis, vestraeque confraternitati, ut singulis annis in feria sexta majoris hebdomadae, unum

Digitized by Google

reum, quem petieritis, et a dilecto filio nunc, et pro tempore existente civitatis Nostrae gubernatore obtinueritis, capitali poena (praeterquam occasione criminis laesae majestatis, falsificationis monetae, aut literarum apostolicarum, assassinii, aut sacrilegii) damnatum liberare, et absolvere, dummodo tamen pacem ab offensis habuerit, libere, et licite valeatis, auctoritate apostolica, tenore praesentium facultatem, et auctoritatem concedimus et impertimur: mandantes propterea eidem moderno, et pro tempore existenti dictae civitatis gubernatori, ut singulis annis in perpetuum vobis unum ex hujusmodi poena capitali damnatis, liberum dimittat, et concedat: ipsumque per vos pro tempore liberatum, ab omni poena capitali eo ipso absolutum, ac ad patriam, gradus, honores, et bona quaecumque, praeterquam fisco incorporata, plenarie restitutum, et reintegratum esse, et censeri, nec illum super praeteritis delictis, et excessibus ulterius molestari, et perturbari posse decernimus, et declaramus. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Marcum sub annulo piscatoris die duodecima septembris millesimo sexcentesimo quinto pontificatus Nostri anno primo.

Veteres confirmationes induiti.

§. 3. Quod quidem indultum, seu privilegium hujusmodi a memorato Paulo praedecessore sicut praemittitur concessum, subsequenter rec. mem. Benedictus pp. XIII. Benedictus XIV. ac novissime pius pp. VI. praedecessores itidem Nostri per respectivas suas in pari forma brevis die v. octobris MDCCXXIV. die XXIX. novembris MDCCXXXX. et die XVII. julii MDCCLXXVI. expeditas literas approbarunt et confirmarunt, prout in iisdem praedictorum praedecessorum literis, quarum tenores praesentibus pro expressis et insertis haberi volumus, plenius continetur. Quum autem moderni confratres confraternitatis praedictae, quo indulta et privilegia hujusmodi firmius subsistant, exactiusque serventur, apostolicae confirmationis Nostrae praesidio communiri desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor novae confirmationis.

§. 4. Nos igitur exponentes magis magisque in charitatis operibus exercendis confovere, ac specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eosque, ac eorum singulos a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, eisdem exponentibus facultatem absolvendi et liberandi quotannis feria sexta majoris hebdomadae unum reum capitali poena damnatum a memorato Paulo concessam, et a Benedicto XIII. Bened. XIV. et Pio VI. praedecessoribus praedictis confirmatam seu innovatam, ut praefertur, expeditasque desuper eorumdem Pauli, utriusque Benedicti, et Pii praedecessorum literas cum omnibus et singulis in eis contentis auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, approbamus, et quatenus opus sit, de novo concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes ipsas praesentes, ac praeinsertas literas semper firmas, validas, efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac nunc, et pro tempore existentibus confratribus dictae confraternitatis in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus quibusvis posterioribus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non omnibus et singulis, quae in literis praeinsertis concessa sunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus tamen, ac declaramus expresse, quod quidquid per dictos praedecessores concessum est in praemissis quoad restitutionem et reintegrationem etiam honorum et graduum reis liberatis largiendam, posthac suspensum remaneat, et in casibus particularibus recurratur pro honoribus, et gradibus hujusmodi ad sanctam Sedem, et sacram consultam, ut particulariter provideatur juxta eorum exigentiam. Datum Romae apud s. Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die vigesima

quinta junii millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 25. junii 1802. Anno III.

CXLIII.

Instante pia unione Matronarum ministrantium infirmis hospitalis Caesaraugustani indulgetur, ut exponi facere valeant sanctissimum Eucharistiae sacramentum in oratorio dicti hospitalis.

Ven. fratri archiepiscopo Caesaraugustano.

Pius PP. VII.

Ven. frater, salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Pro parte sodalitatis, seu piae unionis dilectarum in Christo filiarum matronarum ministrantium infirmis pauperibus hospitalis Mariae sanctissimae de Gratia Caesaraugustanae civitatis, expositum nuper est Nobis, quod ipsae actae zelo inflammandi corda infirmorum erga augustissimum Eucharistiae sacramentum, illud in hospitalis ejusdem oratorio totis diebus Domini redemptoris, ac Beatae Mariae Virginis ejus matris principalibus festis exponi facere posse summopere desiderant; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus constito tibi de narratis, eisdem exponentibus, ut ipsae per cunctos praedictos dies in memorato oratorio, dummodo illud satis ad id idoneum, et ornatum, sacrisque supellectilibus necessariis instructum cognoveris, augustissimum Eucharistiae sacramentum exponi, proviso tamen quod expositio, ea semper, qua par est juxta Ecclesiae leges ac regulas, decentia, reverentia, et assistentia fiat, libere ac licite facere possint et valeant, licentiam, et facultatem, perpetuis etiam futuris temporibus duraturam, auctoritate Nostra apostolica pro tui arbitrio, et conscientia concedas atque indulgeas.

Derogatio contrariorum. §. 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem, sub annulo piscatoris, die vigesima quinta junii, millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 25. junii 1802. Anno III.

CXLIV.

Decisio quaestionis inter capitulum et canonicos metropolitanae Urbinatensis, et monachos monasterii s. Petri Eugubin. congregationis Olivetanae per confirmationem contractus emptionis, et venditionis bonorum alias ad dictum monasterium spectantium initi.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Pastoralis Nostra solicitudo postulat, ut ecclesiasticorum praesertim, et religiosorum virorum quieti, et concordiae, quantum cum Domino possumus, consulamus, ut, sublatis inter ipsos dissidiis, mutua charitate devincti, supremo numini unanimiter magis deserviant, suarumque virtutum splendore omnibus, qui in domo sunt, lucere valeant.

Exponitur status quaestionis. §. 2. Cum igitur, sicut accepimus, in superioribus totius Italiae, et status ecclesiastici vicissitudinibus omnia, et singula bona ad monasterium vulgo de Gaifa nuncupatum civitatis Urbinatensis ordinis monachorum sancti Benedicti congregationis Olivetanae a felicis recordationis Pio pp. VI. auctoritate apostolica suppressum, ac monasterio s. Petri ejusdem ordinis civitatis Eugubinae incorporatum spectantia municipes Urbinatenses sibi (ejecto monacho bonorum hujusmodi administratore) adscripsissent, previa tamen vener. fratris archiepiscopi Urbinatensis venia sub reservatione beneplaciti apostolici in posterum ejus cura obtinendi impertita, ut ope eorumdem bono-

rum militaribus contributionibus, aliisque publicis necessitatibus occurrere possent, ideoque omnia vendere decrevissent, nemoque esset, qui emeret, in dies vero augeretur necessitas colligendi pecuniam ad praepedienda majora mala Urbinatibus imminentia ab iis, apud quos summa vis erat, atque potestas; cumque clerus, et cives Urbinatenses solvendo pares non essent, memorato monasterio Eugubino iisdem fluctibus obruto, in eam sententiam devenire oportuit, ut dilecti filii capitulum, et canonici metropolitanae ecclesiae Urbinatensis nonnulla praedia in Feretrano territorio existentia venderent, eorumque pretium decem millium scutorum argenteorum monetae Romanae inde perceptum summum imperium tunc temporis exercentibus traderent, prout revera traditum fuit, ac pro compensatione ipsum capitulum totidem bona monasterii praedicti de Gaifa reciperet, prout cum licentiis, quas per temporum quantum vix dici potest calamitosorum circumstantias interponere fas erat, initis venditionis, et emptionis hujusmodi respectivis contractibus per publice die XVIII. aprilis MDCCXCVIII. exaratum instrumentum recepit, ac alias, ut ex eodem emptionis, seu concessionis hujusmodi instrumento, cujus tenorem praesentibus, pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus uberius continetur.

Exitus judicii acti penes congregationem deputatam.

§. 3. Tandem aliquando rebus divina providentia restitutis, ac dilectis filiis abbate, et monachis in sancti Petri monasterium praedictum ex Nostro delegationis rescripto reversis, hi coram venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium praepositis agere coeperunt; ut bona hujusmodi monasterii de Gaifa capitulo, ut praefertur, vendita, et assignata sibi redderentur; cumque proposito dubio, *an reddi, vel non reddi deberent*, cardinales praedicti in diversa abeuntes respondissent *dilata* Nos, attentis peculiaribus in casu concurrentibus circumstantiis animum Nostrum merito moventibus, causam non amplius proponi decrevimus, eamque cum juribus universis tam ex parte monachorum, quam capituli praedictorum deductis a quocumque tribunali, et congregatione signanter autem a deputata super revisione bonorum alienatorum, et emphyteuticorum congregatione, ad quam causae hujusmodi cognitionem monachi praedicti deferri curaverant, ad Nos evocavimus.

Avocatam quaestionem decidens pontifex, servandam esse mandat sequutam venditionem nec restitutioni locum fieri deberi decernit.

§. 4. Nobis propterea idem capitulum et, canonici humiliter supplicari fecerunt, ut mentem Nostram super praemissis aperire, quaestionemque hujusmodi persolvere dignaremur. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, juribus praedictis hinc inde deductis serio ad trutinam revocatis, auditisque subscripto dilecto filio Nostro Romualdo Sanctae Romanae Ecclesiae diacono cardinali Braschio de Honestis nuncupato a brevibus secretario, ac dilecto filio magistro Hieronymo Napulioni dictae congregationis deputatae pro revisione bonorum alienatorum, et emphyteuticorum itidem secretario, motu proprio, ac matura scientia, et deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine contractum emptionis, et venditionis praedictum bonorum monasterii Gaifa favore capituli, et canonicorum metropolit. ecclesiae Urbinatensis cum omnibus, et singulis in publico instrumento contractus hujusmodi confirmamus, convalidamus, et adprobamus, illique inviolabilis, ac perpetuae apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque juris, et facti, ac solemnitatum, si qui desuper quomodolibet intervenerint, nec non quatenus opus sit, quoscumque facultatum defectus potestate, et tenore praedictis supplemus, et sanamus.

Clausulae sanlutares, et irritantes.

§. 5. Decernentes easdem praesentes literas, et in eis contenta etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, neque causae, propter quas ipsae praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae, et justificatae fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis legitima, juridica, et privilegiata causa, colore, praetextu et capite etiam in corpore juris clauso nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus, alioque quolibet, quantumvis magno, et sub-

Google

stantiali, ac individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, aut ad terminos juris reduci, sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suumque plenarium, et integrum effectum sortiri, et obtinere, ac dictis capitulo, et canonicis plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpetrandi facultate, et auctoritate judicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus quatenus opus sit Nostra, et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die vigesima quinta junii millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

CXLV.

Dat. die 6. julii 1802. Anno III.

Ut abbas Bethlehemitici monasterii civitatis Lisbonensis ornamentis pontificalibus, et habitu praelatio uti possit.

Venerabili fratri Laurentio archiepiscopo Nisibensi in Portugalliae, et Algarbiorum regnis Nostro, et apostolicae Sedis nuntio.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum perrectarum a regente regnorum Portugalliae, et Algarbiorum.

§. 1. Cum sicut Nobis pro parte dilectissimi in Christo filii Nostri Joannis Brasiliae principis, nec non Portugalliae, et Algarbiorum regnorum regentis expositum nuper fuit, ob dismembrationem monasterii sanctae Mariae de Bethlehem Lisbonensis monachorum ordinis sancti Hieronymi congregationis Lusitanae e reliquo ejusdem congregationis corpore per Nostras in simili forma brevis die VI. novembris superioris anni expeditas literas auctoritate apostolica concessam dicti monasterii abbas non amplius in posterum particeps esse possit privilegiorum, et facultatum, quae alias abbati generali dictae congregationis per decretum congregationis S. R. E. cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium praepositorum die XXVIII. mensis septembris anno MDCCXXXVI. editum, et a felicis recordationis Clemente pp. XII. praedecessore Nostro die VIII. octobris ejusdem anni adprobatum elargitae fuerant pro usu pontificalium cum facultate gestandi pontificalia insignia, mitram videlicet, baculum, annulum pastoralem, crucem, sandala, aliaque pontificalia ornamenta, quibus hujusmodi dignitates utuntur sacra facientes; nec non habitum praelatitium cum usu mantellettae, et mozzetae, tam extra, quam in Romana curia, ac facultate conferendi clericalem tonsuram, et quatuor ordines minores suae congregationis subditis, et alias, prout ex eodem decreto, ac etiam ex ipsius Clementis praedecessoris pro executione decreti hujusmodi sub plumbo XIII. kalendas decembris ejusdem anni expeditis literis, cujus et quarum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis haberi volumus, fusius continetur: cum-

que sicut in eadem expositione additum erat idem Bethlehemiticum monasterium unum ex illustrioribus sui ordinis sit, non modo ex ipsius fundatione a clarae memoriae Emmanuele, dum vixit, rege fidelissimo, ut asseritur, effecta in sui erga Deum grati animi testimonium pro tunc temporis sequuta Americae detectione, sed etiam, quia in dicti monasterii ecclesia defunctorum regum fidelissimorum etiam de catholica religione, atque de hac apostolica Sede valde meritorum ossa requiescunt, Nobis propterea idem Joannes princeps, et regens humiliter supplicari fecit, ut dicto Bethlehemitico abbati in praemissis, opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur ipsius Joannis principis, et regentis votis hac in re quantum cum Domino possumus benigne annuere volentes, et dictum modernum Bethlehemiticum abbatem a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut modernus, et pro tempore in perpetuum existens dicti monasterii sanctae Mariae de Bethlehem abbas omnibus, et singulis praerogativis, et insignibus, quae abbati generali memoratae congregationis Lusitanae, ut praefertur concessa fuerant, ac etiam facultatibus conferendi clericalem tonsuram, et quatuor minores ordines pro subditis sui monasterii dumtaxat libere, et licite uti, frui, et gaudere, servata in reliquis dicti decreti episcoporum, et regularium forma, et dispositione, servatisque alias servandis, auctoritate Nostra apostolica decernas, atque declares. Nos enim pro faciliore etiam praemissorum executione, et observantia quamcumque necessariam, et opportunam facultatem tibi harum serie de apostolicae potestatis plenitudine tribuimus, et impertimur: ac impugnantes quoque, seu impugnare praetendentes, omnesque alios, quos opus erit etiam per edictum publicum, constito de non tuto accessu, citandi, illisque, et quibus videbitur, sub sententiis, censuris, et poenis inhibendi, contradictores in illas, servata concilii Tridentini forma incidisse declarandi, aggravandi, reggravandi, et interdicendi, auxiliumque brachii saecularis, si ad hoc opus fuerit, invocandi, aliaque in praemissis, et circa ea quomodolibet necessaria, et opportuna faciendi, dicendi, gerendi, et exequendi plenam, et liberam facultatem eadem auctoritate, tenore praesentium concedimus.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac dicto moderno abbati, ejusque successoribus, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et apostolicae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Clementis papae XIII. decreto, ac Benedicti papae XIV. praedecessorum Nostrorum super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictorum monasterii, ordinis, et congregationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Declaratio specialis. §. 5. Volumus autem, et declaramus, quod nullum praejudicium abbati generali congre-

Digitized by Google

gationis hujusmodi, illiusque privilegiis praedictis per praesentes illatum esse censeatur. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die sexta julii millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 16. julii 1802. Anno III.

CXLVI.

Facultas capitulo cathedralis ecclesiae Elborensis commutandi visitationem ad sanctuaria ex statuto quovis anno faciendam.

Dilecto filio Hyacintho Carolo Silveira vicario capitulari ecclesiae Elborensis, illius sede archiepiscopali vacante, legitime deputato.

Pius PP. VII.

Dilecte fili Noster salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii capitulares cathedralis ecclesiae Elborensis quod ipsi vigore statuti auctoritate apostolica confirmati, et per duo saecula et ultra usque ad praesens vigentis, facultatem habent distitandi a cathedrali per annum, si ad sancta Jerosolymorum loca peregrinantur; per sex menses si apostolica Romae limina petunt; per mensem et semis, si ad sancti Jacobi apostoli corpus Compostellam pergunt; per mensem tantum, si sanctuarium Nostrae Dominae de Guadalupe in Hispania adeunt; per tres vero hebdomadas, si Ulyssiponem ad s. Vincentii templum contendunt. Prima peregrinatio semel in vita conceditur: secunda de quinquennio in quinquennium indulgetur: tertia post lapsum septennii rursus annuitur: reliquae tandem singulis duobus annis permittuntur. Injungitur tamen, ut authenticas literas, quae de visitato sanctuarii loco fidem certam faciant, uniusquisque post reditum capitulo exhibeat; et ne quis binas simul peregrinationes capessat, sed una absoluta novam pro altera licentiam a capitulo referat. Verum pervetusta, nec umquam interrupta facultate hujusmodi ipsi haud semper libere uti possunt, et gaudere ob circumstantias temporum atque ob difficultates, et pericula itinerum, etiam quoad sanctuaria in Hispaniis manentia. Hinc exponentes magnopere cupiunt, ut visitatio templorum sancti Jacobi apostoli, et beatae Mariae virginis de Guadalupe commutetur per Nos in visitationem ecclesiarum Nostrae Dominae de Nazaret, ac de Lapa, quae et sat magnam habent celebritatem, et intra Lusitaniae fines extant erectae, idque per tantumdem etiam temporis, quo in statuto praedicto pro s. Jacobo Compostellae, et beatae Mariae virginis de Guadalupe visitandis est assignatum: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes; supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati; tibi, attento quod, sedes archiepiscopalis ecclesiae Elborensis ad praesens vacat, per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus praenarratis eisdem exponentibus petitam commutationem visitationis templorum s. Jacobi apostoli Compostellae, et beatae Mariae virginis de Guadalupe in visitationem praedictarum ecclesiarum Nostrae Dominae de Nazaret, et de Lapa in Lusitania cum facultate etiam fruendi in commutatis hisce visitationibus eodem temporis spatio, quod juxta statutum Hispaniam adeundo, et s. Jacobum, aut beatam Mariam virginem de Guadalupe visitando possent impendere, quodque praefinitum per te fuerit respective, firmis tamen quoad reliqua remanentibus conditionibus eodem in statuto praescriptis, auctoritate Nostra apostolica pro tui arbitrio, et prudentia impertiaris.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus statuto, ejusque confirmatione praememorata, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die decima sexta julii, millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 20. julii 1802. Anno III.

CXLVII.

Facultas dignitatibus, et canonicis cathedralis ecclesiae Brigantiensis gestandi pileum

cum torulo, et lemniscis coloris viridis, ac zonam cum lemniscis, et caligas coloris violacei.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ratio concessionis.

§. 1. Dum insignis cathedralis ecclesiae civitatis Brigantiensis, quae inter caeteras Portugalliae regni enitere videtur, dignitatem ac singularis fidei constantiam, eximiaeque devotionis affectum, quo dilecti filii ejusdem cathedralis ecclesiae capitulum, dignitates, et canonici erga Nos et hanc sanctam Sedem gerere comprobantur, pensamus, dignum arbitramur illorum petitionibus, quae ad ipsius ecclesiae splendorem augendum, ejusque dignitates, et canonicos novis honoribus decorandos pertinere noscuntur, congruum dare suffragium, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur easdem dignitates, quae septem, et eosdem canonicos qui novem esse asseruntur, specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut omnes, et singulae septem dignitates, ac omnes et singuli novem canonici praebendati dictae cathedralis Ecclesiae Brigantiensis, nec non dignitatum, et canonicorum hujusmodi coadjutores legitime deputati, ac pro tempore existentes, perpetuis futuris temporibus pileum ornatum torulo cum lemniscis, seu ut Lusitano dicitur idiomate *Cordoens com borlas pendentes*, coloris viridis, ac zonam cum lemniscis, et caligas, seu prout eadem lingua *Cinto com borlas e meyas*, coloris violacei gestare in quibusvis functionibus, et actibus publicis, et privatis, tam in dicta civitate Brigantiensi, quam extra illam, et ubique locorum, libere ac licite valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Clausulae solitae.

§. 3. Decernentes has praesentes literas semper firmas validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective, inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae cathedralis ecclesiae Brigantiensis etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima julii millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

CXLVIII.

Dat. die 20. julii 1802. Anno III.

Instante confraternitate, seu congregatione Conceptionis B. M. Virginis civitatis Barchinonensis confirmantur statuta ejusdem confraternitatis, ejusque aggregatio archiconfraternitati ss. Laurentii et Damasi de urbe.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Pietatis, charitatisque opera, quae a confratribus, et consororibus confraternitatum laudabiliter, sancteque exercentur pro commisso Nobis divinitus pastoralis officii munere excitari, ac in dies augeri optantes, et Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, non modo de coelestibus Ecclesiae thesauris eosdem confratres, et sorores libenter locupletamus, sed etiam eorum statuta in posterum quoque servanda Nostrae confirmationis praesidio, cum recte condita sunt, communimus, ut quemad-

Digitized by Google

modum prunae simul collectae majorem concipiunt, atque emittunt ardorem, sic ipsi in unum congregati vehementioribus charitatis flammis, benedicente Domino, exardescant, proximosque incendant suos.

Expositio precum. §. 2. Exponi itaque Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni administratores, et confratres confraternitatis, seu congreg. purissimae Conceptionis sub titulo, et nomine Coronae septem gaudiorum immaculatae Virginis Mariae in privilegiata Lateranensi camera Mariali nuncupata conventus fratrum minorum s. Francisci de observantia nuncupatorum civitatis Barchinonensis canonice, ut asseritur, erectae, quod eadem confraternitas, seu congregatio archiconfraternitati ejusdem Beatae Mariae Virginis sine labe conceptae basilicae ss. Laurentii, et Damasi hujus almae urbis Nostrae, ac successive die XII. aprilis superioris anni basilicae Nostrae Lateranensi rite fuit adgregata, quarum adgregationum primodictam recolendae memoriae Pius pp. VI. praedecessor Noster per suas in simili forma brevis die XVIII. maji anno MDCCXCIII., expeditas literas auctoritate apostolica confirmavit, atque pro optimo, et firmo ipsius congregationis regimine quatuordecim constitutiones conditae sunt sequentis tenoris, videlicet.

STATUTO I.

Tenor constitutionum. §. 3. L'istituto di detta congregazione egli è il difendere, e mantenere il mistero dell'immacolata Concezione, e procurare ai loro congregati la maggiore consolazione spirituale, sì in vita, che nell'avvicinarsi la morte, offrendo all'immacolata Signora i loro divoti ossequi di messe, corone, e comunioni di ogni mese, pregando in tutti questi esercizj Iddio Signor Nostro, e la sua immacolata Madre per l'esaltazione della cattolica religione, per il sommo pontefice, per la salute della nostra reale persona, e di tutta la famiglia reale (che Iddio conservi) e giacchè la Spagna sta sotto il patrocinio, e protezione dell'immacolata madre, la faccia essa fiorire nella fede, nella pietà, ed in tutte le altre felicità.

STATUTO II.

Degli officiali.

De officialibus. §. 4. Gli offiziali della detta congregazione saranno un protettore, un presidente, sei amministratori, un ministro per le funzioni da farsi in chiesa, un prefetto, tre cassieri, due revisori dei conti, un segretario, sei sagrestani, ed un mandataro.

STATUTO III.

Del protettore.

§. 5. Sarà protettore di detta congregazione il padre provinciale della provincia di Catalogna della religione del serafico s. Francesco di Assisi, che attualmente sia, e nel tempo che ne sarà, il quale s'informerà, ed esaminerà gli affari della congregazione, dei quali gli sarà stata fatta relazione, e se abbisognasse, interporrà la sua protezione per l'esito felice, che sia più conveniente alla maggior devozione, e culto dell'immacolata Madre. De protectore.

STATUTO IV.

Del presidente.

§. 6. Il presidente della detta congregazione sarà il padre guardiano del convento di s. Francesco di Assisi della suddetta città di Barcellona, che attualmente sia, e sarà in avvenire; ed in mancanza sua, quello, che farà le sue veci. Il presidente interverrà a tutti i congressi: avrà facoltà di convocare congresso straordinario ogni volta che lo richieda qualche affare speciale, ed avrà voto in tutte le materie, che si tratteranno. Avrà egli cura dell'osservanza degli statuti, e del buon ordine, e armonia tra li congressi, usando a questo fine quei mezzi, che gli detterà la sua prudenza. De praeside.

STATUTO V.

Degli am inistratori.

§. 7. Oltre il presidente vi saranno sei amministratori per il governo di detta congregazione, i quali continueranno lo spazio di tre anni nel loro impiego, facendosi la scelta dopo di quelli, che primieramente restino nominati, due per ogni anno, secondo il maggior numero de' voti di quelli, che ne hanno nel congresso, col ternario proposto dagli due, che termineranno il suo impiego. Avranno voto in tutto quanto si delibererà, e tratterà, ed insie- De administratoribus, eorumque munere.

Digitized by Google

ne la facoltà di deciderne: convocheranno il congresso, e adunanza generale due volte l'anno, cioè il primo gennajo, ed il primo luglio, e nel giorno che assegnasse, intervenendo nel congresso generale tutti gli officiali della congregazione, e col fine di proporsi in essa tutto quanto vi sia occorso, e di manifestare i conti dell' entrate dell' elemosine dei congregati, e della spesa fatta per le funzioni del culto dell'immacolata Madre, e suffragi dell'anime dei congregati defonti, sottoscrivendo i corrispondenti saldi. Saranno obbligati ad assistere nella tavola, e banco, che sarà destinato nella chiesa di s. Francesco di Assisi in tutte le funzioni, che farà la congregazione, e nelle domeniche al dopo pranzo, e negli altri giorni, nel tempo che si canta la corona, e nella predica susseguente, raccogliendo l' elemosine, che i divoti gli consegnassero, notandole nel libro, che sarà per questo preparato. Convocheranno congresso ogni mese, degli officiali, che siano necessarj per regolare i conti particolari, e trattare degli affari, che occorressero, e sarà pure di sua particolare ispezione l' avere cura del libro generale, nel quale sono scritti i nomi di tutti gl' individui della congregazione, nel quale si scrivono l' elemosine dei congregati, restando detto libro custodito nella tavola o banco nel quale possa essere più sicuro.

STATUTO VI.

Del ministro per le funzioni della chiesa.

De ministro functionum in ecclesia.

§. 8. Per le funzioni, che tra l'anno farà la congregazione nella chiesa di s. Francesco di Assisi, si nominerà un religioso della sua comunità, che sia confessore, restando per adesso nominato il padre Giovanni Llambi, atteso che da molti anni sino al presente, ha esercitato questo ministero, quale carica eserciterà durante il beneplacito dei vocali del congresso, e mediante l' approvazione del suo legittimo superiore. Sarà di sua ispezione il confessare, celebrare la s. messa nelle comunioni d' ogni mese, o fare un discorso preparatorio; come anche nella comunione generale del giorno in cui si fa festa principale dell' immacolata Concezione, che sarà la terza, o quarta domenica di maggio d' ogni anno, in memoria del giorno, in cui si diede principio a questa pia divozione, e morendo nell' impiego di confessore gli saranno fatti li suffragi, come agli altri congregati.

STATUTO VII.

Del prefetto.

§. 9. Un religioso dello stesso convento di s. Francesco di Assisi, sarà prefetto della congregazione, restando per ora nominato durante la sua vita, ed intervenendo il suo beneplacito, fr. Cosimo Pages, atteso che dal principio di questa pia divozione, fu egli uno dei promotori; e dopo la sua morte, o quando non voglia, e che le sue forze non le permettessero, sarà nominato un altro a pluralità di voti secreti, ed eserciterà pure quest' impiego lo spazio di tre anni con approvazione del suo legittimo superiore. Sarà di sua ispezione l' intervenire a tutte le funzioni della chiesa, che farà la congregazione, sedendo in detto banco, e tavola, non avendo posto di preferenza, come nemmeno l' avranno gli amministratori, sicché dovranno tutti sedere a mano a mano, che arriveranno; e noterà pure nel libro l' elemosine dei divoti, e procurerà col maggior zelo, che tutte le funzioni della chiesa, si facciano con tutta la maggiore divozione, che richiedono le solennità del santuario: e che quando sarà avvisato di fare informazione di chi pretende entrare nella congregazione, procuri indagare, per quanto gli sia possibile, se concorrono nel pretendente i buoni costumi, e gli altri requisiti, che il facciano degno di essere ammesso, e che invigili per la maggiore puntuale osservanza degli statuti della congregazione, e di tutto quanto in esse si previene, e morendo in attuale esercizio, gli si faranno i suffragi, come agli altri congregati. — De praefecto.

STATUTO VIII.

Dei cassieri.

§. 10. Vi saranno pure tre cassieri, i quali eserciteranno il loro impiego per lo spazio di tre anni, facendosi l' elezione dopo di quelli, che primieramente si nominassero: ogni anno uno, a pluralità di voti. Sarà di sua ispezione di custodire l' elemosine in una cassa a tre chiavi, delle quali ne averà una ogni cassiere; qual cassa verrà custodita nella sala, dove si faranno i congressi, e non potranno pa- — De aerarii praefectis.

Digitized by Google

-gare somma alcuna, senza ordine sottoscritto degli amministratori, che assisteranno al congresso, e notando tutte l'entrate, e pagamenti in un libro, che avranno dentro l'istessa cassa: e dei detti tre cassieri nominati, sarà scelto dai vocali uno in qualità di maggiore, e come tale avrà voto in tutti i congressi, come gli altri vocali.

STATUTO IX.

Dei revisori de' conti.

De revisoribus computorum.

§. 11. Saranno due i revisori de' conti, che dureranno due anni, eleggendosi uno ogni anno: interverranno nei congressi generali, che si faranno, e nella revisione de' conti, esaminandoli minutamente, ed indagando la sua veracità nelle partite d'entrata, ed uscita, e trovandole vere le sottoscriveranno.

STATUTO X.

Del segretario.

De secretario.

§. 12. Il segretario, il quale dovrà essere uno degli individui della congregazione, ed insieme notaro pubblico, eserciterà il suo impiego, durante il beneplacito del congresso. Terrà un libro dove siano scritti tutti gl' impiegati, ed un altro per continuare, ed autorizzare le risoluzioni dei congressi: custodirà tutte le carte appartenenti alla congregazione, mettendole in diverse filze, per continuarle ognuna nella sua classe, e non potrà farle vedere a veruno, senza il permesso degli amministratori avuto in scritto a piè del memoriale; il quale sarà presentato a questo fine da quello che le desidera vedere, e sempre in presenza dello stesso notaro, nè potrà dar copia alcuna di esse senza espressa licenza del presidente, amministratori, ed altri vocali.

STATUTO XI.

Dei sagrestani.

De aedituis.

§. 13. Sono necessari sei sagrestani, i quali dureranno lo spazio di tre anni, e facendosi la scelta due ogni anno con terna proposta dai medesimi. Interverranno colla maggiore puntualità, e prima di cominciare gli esercizj di pietà della congregazione, metteranno in ordine ciò, che sia più conveniente al maggiore culto dell' immacolata Madre, ed uno dei sagrestani di già nominati, che sarà scelto dal congresso in qualità di maggiore, avrà cura di custodire la cera in un arca della congregazione, e come sagrestano maggiore avrà voto nelli congressi, come gli altri vocali.

STATUTO XII.

Del mandataro.

De mandatario.

§. 14. Il mandataro, che sarà scelto, servirà durante il beneplacito dei vocali del congresso, e ha da essere soggetto di provata legalità, dovendo egli raccogliere l' elemosine d' ogni mese, e rendere conto minutamente sul fine d' ogni mese di quelle che avrà raccolto, indicando i devoti, che volontariamente abbiano contribuito, per poter continuarsi nel libro corrispondente. Sarà pure obbligo suo preparare la tavola, ed il banco, che vi sarà già nella chiesa di s. Francesco d' Assisi, per le funzioni, che si fanno in detta chiesa, come pure i libri, e tutt' altro, che sarà necessario per il maggiore accrescimento del culto della Vergine purissima.

STATUTO XIII.

Dell' ingresso degl' individui alla congregazione, e dei loro esercizj.

De ingressu individuorum in congregationem, eorumque munere.

§. 15. I congregati sì dell' uno, che dell' altro sesso, dovranno confessarsi, e comunicarsi nel giorno in cui saranno ammessi alla congregazione, e faranno votò di difendere, e mantenere il mistero dell' immacolata Concezione, e lo rinnoveranno ogni sabato dell' anno, e diranno ogni giorno tre ave Maria, con tre gloria Patri in riverenza della santissima Trinità, e dell' immacolata madre; e porteranno seco una medaglia della loro immacolata Madre, la quale sarà ad essi consegnata insieme alla formola del voto: e similmente dovranno assistere, per quanto sarà loro possibile, al divoto esercizio della santa corona, che si farà il dopo pranzo, in tutte le domeniche dell' anno non impedite, ed alla predica susseguente. Contribuiranno coll' elemosina di cinque bajocchi ogni mese, e non saranno fatti loro i suffragj soliti se non che dopo sei mesi dal loro ingresso; e se mai non contribuissero colla solita elemosina per le

Digitized by Google

spazio di sei mesi, non saranno fatti loro i suffragj dopo morte, fintanto che si verifichi la paga dovuta dei mesi scorsi; coll' avvertenza che qualunque congregato abbandonasse volontariamente la congregazione, non gli saranno fatti li suffragj, ancorchè il suo erede volesse pagare i mesi arretrati. Interverranno ogni anno nella terza, o quarta domenica di maggio alla comunione generale, che si farà, come ancora a tutte l' altre dell' anno, quali si fanno ogni seconda domenica d' ogni mese; e similmente interverranno alla solenne annuale festa, che si fa nella terza, o quarta domenica di maggio, prestando i dovuti ossequj alla purissima Madre nel mistero della sua immacolata Concezione, in memoria del giorno, che si diede principio a sì pia devozione; e nel giorno susseguente all' anniversario, che si farà in suffragio di tutti i congregati defonti, e similmente a quello che si fa per ognuno, che muore, dovendo allora ogni congregato dire un Pater, ed Ave per l' anima del suo fratello defonto: avvertendo, che ancorchè nessuno di questi esercizj sia obbligatorio, ciò non ostante è di gran merito, poichè in ognuno di essi si acquistano molte indulgenze concesse da più sommi pontefici, ed altri prelati, avendo la bolla della crociata.

Statuto XIV.

De observantia statutorum.

§. 16. Tutti ed ognuno dei congregati sì dell' uno, che dell' altro sesso, dovranno osservare questi statuti, e quello, o quella, che non volesse conformarsi ad essi, o si facesse indegno di tal nome, sarà espulso dalla congregazione, mediante i voti segreti degl' impiegati; e nessun eletto a qualunque impiego, potrà prenderne possesso senza che prima prometta l' osservanza di questi statuti.

Confirmatio apostolica.

§. 17. Cum autem sicut in eadem expositione additum erat, quo praedictae adgregationes firmius subsistant, et praeinsertae constitutiones serventur exactius, omnia per Nos confirmari, et adprobari, novasque spirituales gratias, ut infra indulgeri summopere desiderent; Nos eorumdem confratrum votis, quantum cum Domino possumus benigne annuere, eosque specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac singulares personas, quibus praesentes Nostrae literae favent a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, ac respectivas dictarum adgregationum literas praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et de verbo ad verbum pro insertis habentes, tam easdem adgregationes dictae congregationis archiconfraternitati ss. Laurentii, et Damasi, ac basilicae Nostrae Lateranensis rite, ut praefertur, effectas, quam supra descripta ejusdem congregationis statuta, una cum omnibus, et singulis in eis respective contentis, et expressis, auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus, et adprobamus, illisque inviolabilis, ac perpetuae apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque juris, et facti, si qui desuper quomodolibet intervenerint auctoritate, et tenore praedictis supplemus, et sanamus.

Concessio privilegiorum.

§. 18. Praeterea indulta, privilegia, et gratias omnes, et singulas eidem congregationi a Nobis, et ab hac apostolica Sede alias in genere, vel in specie eidem congregationi quomodolibet concessas, juxta tamen concessionum hujusmodi respectivas formas, et dispositiones, ac etiam caeremoniale ipsius congregationis in hac alma urbe Nostra currentis anni initio editum adprobamus, auctoritate, et tenore similibus confirmamus, et quatenus opus sit denuo concedimus. Insuper ipsius congregationis nunc, et pro tempore in perpetuum existenti praesidi in sacro presbyteratus ordine constituto facultatem benedicendi quolibet anno trecentas dumtaxat cruces, seu sacra numismata cum applicatione indulgentiae plenariae in articulo mortis, vel coronas precatorias cum applicatione indulgentiarum sanctae Birgittae nuncupatarum ejus arbitrio confratribus, et consororibus hujusmodi distribuendas, et ab unoquoque eorum lucrandi in forma consueta, et ab hac apostolica Sede praescripta, ac demum facultatem impertiendi eisdem confratribus, et consororibus in articulo mortis constitutis benedictionem cum indulgentiae plenariae applicatione concedimus.

Derogatio contrariorum.

§. 19. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae confraternitatis seu congregationis etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus;

privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die trigesima julii millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

CII.

Dat. die 13. aug. 1802. Anno III.

Indulgetur Ubaldo Cassina archipresbytero Placentinae civitatis, ejusque successoribus in archipresbyteratu hujusmodi in perpetuum, ut uti valeant habitu praelatitio ad instar praelatorum domesticorum Suae Sanctitatis.

Dilecto filio Ubaldo Cassina archipresbytero Placentino.

Pius PP. VII.

Dilecte fili salutem, et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§. 1. Religionis zelus, vitae, ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, et virtutum merita, super quibus apud Nos fide dignis commendaris testimoniis, Nos adducunt, ut honorificentiae tuae benigne consultum velimus. Cum itaque sicut Nobis nuper exponi fecisti, tu, qui, ut asseris, in sacra theologia doctor, et parochialis plebaniae, ac, ut asseritur, collegiatae ecclesiae de Pomamario nuncupatae sub titulo sancti Vitalis Placentinae civitatis prima dignitas existis, atque ita dilectissimo in Christo filio Nostro Ferdinando Hispaniarum infanti acceptus es, et gratus, ut te, successoresque tuos ob tua singularia in dictam ecclesiam beneficia, et obsequia Placentina nobilitate donavit, cupias modo ad majorem Dei gloriam aliqua per Nos, et hanc apostolicam Sedem praerogativa, et insigni honorificentia decorari.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos te praemissorum meritorum tuorum, ac etiam ipsius Ferdinandi infantis, qui te Nobis plurimum commendavit, intuitu, specialibus favoribus et gratiis, prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, tibi, successoribusque tuis in archipresbyteratu hujusmodi in perpetuum, ut habitu praelatitio violacei coloris ad instar praelatorum Nostrorum domesticorum uti, illumque gestare in choro, et aliis quibuscumque functionibus, et actibus publicis tam intra, quam extra ecclesiam praedictam libere, et licite possis, et valeas auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus; teque, successoresque praedictos desuper a quoquam impediri, molestari, vel perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus fel. rec. Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictae, et aliarum ecclesiarum ejusdem Placentinae civitatis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roratis statutis, et consuetudinibus; caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima tertia augusti millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

CIII.

Dat. die 20. aug. 1802. Anno III.

Confirmatio decreti congregationis Rituum, quo adprobatur electio B. M. V. titulo de Pace in patronam principalem oppidi Medinae Sidoniae Gadicensis dioecesis pro clero et populo ejusdem civitatis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii clerus, magistratus, populusque oppidi civitatis nuncupatae Medinae Sidoniae Gadicensis dioecesis, quod ipsi ab infrascripta cardinalium congregatione decretum obtinuerunt, tenoris sequentis, videlicet:

Tenor decreti editi a sacra congregatione Rituum.

§. 2. Relatis ad sacrorum Rituum congregationem ab eminent. et reverend. d. cardinali de Lorenzana humillimis precibus cleri, magistratus, et populi oppidi Medinae Sidoniae civitatis nuncupatae dioecesis Gadicensis supplicantium pro confirmatione electionis B. Mariae Virginis titulo de Pace in patronam principalem ejusdem oppidi sacra eadem congregatio, comperiens eamdem electionem servatis servandis, et juxta praescriptum in decreto felicis recordationis Urbani pp. VIII. legitime factam, ac consensu quoque reverend. episcopi roboratam fuisse, eam confirmavit, et approbavit, atque festivitati ipsius B. M. V. titulo de Pace in patronam principalem electae praerogativas omnes sanctorum patronorum principalium festis competentes attribuit, atque concessit. Die decima julii millesimo octingentesimo secundo.

Julius M. card. de Somalia S. R. C. praef.

Loco ✠ signi.

J. De Carpineo S. R. C. secr.

Confirmatio apostolica.

§. 3. Cum autem sicut in eadem expositione additum erat, dicti exponentes, quo praeinsertum decretum firmius subsistat, et servetur exactius, apostolicae Nostrae confirmationis subsidio muniri summopere desiderent, Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, idem decretum, et singula in eo contenta auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris et facti, si qui desuper in eo intervenerint defectus supplemus, et sanamus.

Clausulae sublatae, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, et S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpetrandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti oppidi consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima augusti, millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

CLI.

Dat. die 20 aug. 1802 Anno III.

Facultas episcopo, et capitulo cathedralis eccles. Seguntinae disponendi de tribus praebendis jam alias auctoritate apostolica suppressis favore musicorum ecclesiae, ac ipsius capituli.

Venerabili fratri episcopo Seguntino.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum

§. 1. Expositum Nobis nomine fraternitatis tuae, ac nomine simul dilectorum filiorum capituli Seguntini tuae ecclesiae cathedralis nuper fuit, duas cathedralis ejusdem praebendas, suffragante, ut asseritur, felicis recordationis Clementis pp. VII. praedecessoris Nostri auctoritate suppressas, et alteram praecentori chori, alteram primo organistae ecclesiae praedictae in salarium assignatas fuisse: fructus autem praebendarum istarum sat uberes esse, adeoque temporum conditione mutata, nunc rectius videri, ut impendantur in plures, quod nunc visum est duobus tantum personis attribui, augeaturque hoc modo commodum, et decus ecclesiae, quae impar alioquin foret novis assignandis stipendiis ob suae paupertatem fabricae: hinc te, et capitulum de suppressis dictis praebendis ad alios dotandos musicos, sicut et de alia tertia praebenda, quae, ut itidem asseritur, per auctoritatem apostolicam ad cappellae magistrum statuendum suppressa fuit, aliter, ut infra, disponere posse plurimum exoptare, enixeque a Nobis expetere.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ecclesiarum cultum, et ornamentum omni, quo possumus studio promovere cupientes, teque, ac dictum capitulum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristis, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, tibi, ac eidem capitulo, licet quoad duas recensitas praebendas secus, ut praemittitur, laudatus Clemens praedecessor ordinaverit, nihilominus quum primum officia tum praecentoris chori, tum primi organistae praedictorum vacaverint, ut earum praebendarum fructus dividere, ac novo praecentori, novoque primo organistae congrua portione relicta, illud, quod de eisdem supererit, in dotationem, seu partem dotationis aliorum musicorum, qui vel vocis cantu, vel musicae instrumentis cathedrali deserviant, erogare: praeterea licet alia tertia praebenda ex auctoritate apostolica similiter, ut praefertur, suppressa, ejusque integer fructus praefecto musicorum, seu, ut vulgo ajunt, magistro cappellae assignatus extiterit, si tamen vel ob magistri hujusmodi qualitatis minus forte in arte praestantis, vel alias ob rationes aliquando visurum sit, quod de suppressa praebenda non omnes fructus ei persolvere expediat, tunc ut reliquos fructus, qui exuberent, ac donec exuberare duraverint, tamquam mensae capitularis partem propriam, beneficioque capituli retinere, ac distribuere libere, ac licite possitis, et valeatis, ea tamen sub lege, quod musici tam cantores, quam instrumentales, ac musicorum ipse praefectus, seu magister cappellae, qui in dictae ecclesiae assumentur servitium, debeant esse clerici coelibes, aut laici non habentes uxorem, nec, nisi quandiu in coelibatu permanserint, serviendi ecclesiae munere gaudeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus memorati Clementis praedecessoris, et quatenus opus sit, Benedicti pp. XIV. praedecessoris pariter Nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae ecclesiae cathedralis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die vigesima augusti millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

Digitized by Google

Dat. die 22. aug. 1802. Anno III.

CLII.

Suspensio collationis quatuor ex quinquaginta duobus beneficiis apostolicae Sedi vigore concordati inter Benedictum XIV. et regem Hispaniarum reservatis, et applicatio fructuum favore hospitii pauperum civitatis Matriti.

Pius episcopus
servus servorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Charitas illa, quam Christus Dominus dum inter homines versabatur in terris, in egenos, et pauperes, quorum dixit esse regnum Dei, tantopere commendavit, Nos quidem urget, et excitat, ut de mediis, quibus locorum piorum pro pauperibus alendis, atque curandis institutorum necessitatibus valeat occurri, praesertim cum principum catholicorum christiana pietas id a Nobis expostulat, paterno, quo tenemur, excogitemus affectu, ut pauperes ipsi reperto consolatori, qui super eos intellexit, sempiternam a Deo optimo maximo beatitudinem effusis precibus valeant auspicari.

Ratio novae concessionis §. 2. Porro cum carissimus in Christo filius Noster Carolus Hispaniarum rex catholicus Nobis significaverit, regium hospitium pauperum in civitate Matriti constitutum, prout et caeteras pias locorum institutiones in sua ditione existentes, transacta temporum calamitate, tantis fuisse damnis labefactatum, ut fieri non possit, ut in sua institutione pergere valeat, nisi ea praesentiora subventionis media afferantur: cumque idem Carolus rex, qui de hujusce operis pii conservatione, et incremento maximo afficitur studio, habens exploratum, quod unus de sancta Tessia cathedralis Compostellanae, et alter de Castro respective nuncupati archidiaconatus cathedralis Cordubensis, respective inibi dignitates non tamen post pontificalem majores existentes, ac perpetuum simplex beneficium ecclesiasticum in parochiali ecclesia villae, seu loci de Albazete Carthaginensis dioecesis, quas, ac quod bo. mem. Franciscus Xaverius, dum viveret, Sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis de Zelada nuncupatus etiam dum viveret; nec non thesaurariatus dignitas etiam non major praedictae cathedralis Compostellanae, quem venerabilis frater Noster Franciscus Xaverius de Mierre e Campillo episcopus Almeriensis tempore promotionis de sui persona ad ipsam Almeriensem ecclesiam apostolica auctoritate factae, respective obtinebant, ac quorum dum pro tempore, ubicumque, et quomodocumque vacant, collatio, provisio, et omnimoda alia dispositio ad Nos, et Romanum pontificem pro tempore existentem, nec non Sedem apostolicam vigore recentium concordatorum inter felicis recordationis Benedictum pp. XIV. praedecessorem Nostrum, et Sedem praedictam ex una, et clarae memoriae Ferdinandum Hispaniarum regem catholicum ex altera parte initorum, spectat, et pertinet, archidiaconatus scilicet tam primo, quam secundodicti, ac praedictum beneficium per obitum dicti Francisci Xaverii cardinalis, ac thesaurariatus praefatus per Francisci Xaverii episcopi promotionem hujusmodi respective vacarunt, et vacant ad praesens: noscens gravissimis hospitii hujusmodi necessitatibus nil fore magis expediturum, quam ut vacantium beneficiorum hujusmodi respective fructuum per viginti annos per Nos illius favore fieret applicatio, eam a Nobis enixis precibus efflagitavit.

§. 3. Nos igitur rerum hujusmodi circumstantiis mature perpensis, et in illis optimi principis in Deum, ac populos sibi commissos pietate, studio, ac vigilantia perspectis, ac praesertim intuitu publicae utilitatis, in quam hujusmodi dispositio per Nos ut infra, exequenda noscitur collimare, ipsius Caroli regis Nobis ad id porrectis votis, ex gratia specialissima, ac ex apostolicae Sedis indulgentia benigne annuere volentes, motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes, et singulos utriusque archidiaconatus, ac beneficii, et thesaurariatus ut praefertur, vacantium respective fructus, redditus, et proventus cujuscumque generis, et speciei, detracta tamen ex fructibus thesaurariatus sexta illorum parte in summa per Nos in posterum declaranda pro reservatione pensionis annuae dilecto filio Antonio Enriquez Calderon, per Nos, seu Romanum pontificem pro tempore existentem in posterum assignanda, supradicto pauperum hospitio ad viginti annos dumtaxat a die utriusque archidiaconatus, ac beneficii, et thesaurariatus praedictorum respective vacationis computan- Tenor concessionis.

dos, suspensa interim remanente, utriusque archidiaconatus, ac beneficii, et thesaurariatus praedictorum respective collatione; ita quod liceat dilectis filiis modernis ac pro tempore existentibus dicti hospitii administratoribus, aut rectoribus, vel deputatis quovis nomine nuncupatis, dictis viginti annis tantum durantibus per se, vel alium, seu alios, supradictos fructus, redditus, et proventus percipere, exigere, levare, ac satisfactis tamen prius per eos omnibus, et singulis utriusque archidiaconatus, ac beneficii, et thesaurariatus praedictorum, et cujuslibet eorum respectivis oneribus, ac pensionibus, in ejusdem hospitii usus, et utilitatem convertere dioecesani loci, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita apostolica auctoritate ad praedictos viginti annos tantum, et non ultra applicamus, et appropriamus; ita tamen, ut statim elapsis praedictis viginti annis, de utroque archidiaconatu, ac beneficio, et thesaurariatu praedictis per Sedem apostolicam ad formam concordatorum hujusmodi libere disponi denuo debeat.

Nuncio apostolico committitur proventorum administratio durante tempore applicationis.

§. 4. Ut autem haec Nostra dispositio rite observetur, dilecto filio Nostro, et Sedis apostolicae nuncio in Hispaniarum regnis commorante per praesentes mandamus, ut supradictorum fructuum, redditum, et proventuum administrationi, et onerum praedictorum adimplemento, convenienti modo vigilet, et durante tempore applicationis praedictae omnia fideliter expleantur.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 5. Decernentes praesentes Nostras literas apostolicas nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, et legitima, pia privilegiata, ac speciali nota digna, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae seu quopiam alio defectu notari, impugnari, invalidari, in jus vel controversiam vocari, aut adversus illas quodcumque juris, vel facti, aut gratiae, vel justitiae remedium impetrari, aut quidpiam aliud in contrarium disponi nullatenus posse sed eas firmas, validas et efficaces esse, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere; sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, et praedictae Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et vice-legatos, dictaeque Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis vel edendis, specialibus vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non Compostellanae, et Cordubensis respective ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudibus contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suspensionis, applicationis, appropriationis, decreti derogationis et mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo secundo, nono kalendas septembris pontificatus Nostri anno tertio.

CLIII.

Dat. die 24. aug. 1802. Anno III.

Confirmantur conventiones inter civitatem Maceratensem ex una, et clericos regulares Barnabitas ex altera partibus initae super erectione universitatis studii generalis in eadem civitate facienda.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. In summo apostolatus apice meritis licet imparibus constituti, illud quoque curandum Nobis esse arbitramur, ut literarum studia, ex quibus religio catholica illustratur, et supremi numinis cultum augetur, in Nostris praesertim, et Sanctae Romanae Ecclesiae civitatibus magis in dies floreant: ideoque si quando praestantes viri ad hujusmodi studia promovenda operam suam conferant, Nos libenter ipsis subsidio esse, eorumque suscepta consilia auctoritate Nostra roborare solemus:

Digitized by Google

Expositio precum.

§. 2. Nobis siquidem nuper exposuit dilectus filius Noster Joseph Sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis ab Auria nuncupatus Noster, et ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae pro-camerarius, ac civitatis Nostrae Maceratensis apud Nos, et apostolicam Sedem protector, quod cum ejusdem civitatis literaria universitas propter superiores notissimas Italiae vicissitudines, maxima redditum parte privata remaneat, et necessariis sumptibus ferendis impar sit facta, venerabilis frater Vincentius Maria ipsius civitatis episcopus, ad dilecti filii moderni ejusdem magistratus per suos deputatos egerunt apud ibi degentes clericos regulares congregationis sancti Pauli Decollati Barnabitarum nuncupat., ut hi juvenum convictum, seu ephebium aperirent, et scholas, cathedrasque pro eadem universitate haberent; cumque dicti clerici regulares de consensu dilecti filii praepositi generalis ejusdem congregationis pro grati sui animi erga eamdem civitatem significatione ad id, quod magis nunc urget, ad publicam nempe institutionem suscipiendam, universitatisque splendorem sustinendum paratos se, promptosque exhibuerint, propositis, et acceptatis utrumque sequentibus pactis, et conditionibus, videlicet.

Tenor pactorum conventorum.

§. 3. Desiderando efficacemente la congregazione de' chierici regolari di san Paolo di prestarsi alle brame umiliate da questa città al santo Padre, che riguardano l' incarico delle pubbliche scuole, e l' apertura di un convitto, i sottoscritti di lei deputati per facilitare la trattativa da intraprendersi a questo fine propongono sul primo oggetto il seguente piano da esaminarsi da monsignor vescovo, e dai signori deputati della città medesima, e da convalidarsi in appresso con le solite formalità.

De erectione convictus facienda in collegio s. Pauli.

I. §. 4. E primieramente avendo riflettuto i sottoscritti deputati non essere possibile di aprire in s. Giovanni un convitto, che sia amplo, e decoroso, e di far servire nel tempo medesimo lo stesso locale ad uso di università, non tanto perchè questo verrebbesi così oltremodo a restringere, quanto perchè il migliore ordine, e il regolamento della gioventù non lo comporterebbero; essi a nome della loro congregazione esibiscono un locale nel collegio di s. Paolo d' adattarsi per il nuovo anno scolastico a spese del medesimo ad uso di pubbliche scuole: ben inteso però, che la proprietà del locale suddetto rimanga in perpetuo alla congregazione come parte integrante del menzionato collegio.

De professorum electione.

II. §. 5. Essi di più a nome della congregazione medesima somministreranno i professori da eleggersi dal loro padre generale per coprire le cattedre qui sotto enumerate.

Teologia dogmatica; teologia morale; logica e metafisica; giurisprudenza naturale; matematica e fisica; chimica e storia naturale; poesia e storia generale; eloquenza; grammatica superiore ed inferiore; un suppletore alle scuole; un prefetto delle scuole, e direttore delle congregazioni.

De annua grati animi significatione professoribus praebenda.

III. § 6. Per i soggetti, che dovran coprire le suddette scuole non richiedono essi alcuno assegnamento, od onorario; volendo prestarsi disinteressatamente al vantaggio di questa città cui per più titoli a nome della congregazione si professano attaccatissimi. Non si opporranno però a qualunque gratificazione volesse assegnarsi dalla città medesima agl' individui, che dovran coprire le cattedre menzionate, purchè peraltro passi a titolo per lo appunto di gratificazione, o regalia. Cui articulo per dictos deputatos ita responsum fuit — *approvato* — e fissata dai sigg. deputati della città una gratificazione annua di scudi 25. a ciascuno de' suddetti individui.

De magistris a civitate subministrandis.

IV. §. 7. E siccome alle cattedre mentovate mancano il maestro degli elementi grammaticali, il maestro di leggere, e scrivere, ed il maestro di carattere, e conti, nè è dell' istituto nostro l' addossarci tal' incarichi; così i sottoscritti deputati lasciano alla città il pensiero di stipendiarne i maestri, e di eleggerli, a riserva di quello degli elementi grammaticali, il quale dovrà essere eletto dal prefetto delle scuole colla intelligenza de' signori deputati, e dovrà star soggetto alla di lui vigilanza. Ad essa similmente apparterrà il fissare un locale per le due ultime scuole, non essendo possibile di preparare nel collegio di san Paolo più di sette vani, o cameroni, quanti per lo appunto si richieggono per le suddette cattedre, compresovi la scuola degli elementi grammaticali, e le altre inerenti all' università, nè qui menzionate. — Cui pariter responsum fuit — *approvato*—ed assegnati sc. 60. a ciascuno dei due maestri di leggere, e scrivere, e di carattere, e conti, e sc. 80. al maestro degli elementi.

De janitore.

V. §. 8. Richiedendosi inoltre per il mantenimento della polizia delle scuole un portinajo, e scopatore, la città medesima s' incaricherà di pagare l' individuo addetto a questo doppio impiego — responsum — *approvato, ed assegnati scudi* 30.

De instrumentis ab civitate subministrandis.

VI. §. 9. Nè essendo possibile di porre in certo qual lustro questa pubblica università, nè d' istruire la gioventù nelle fisiche sperimentali, e nello studio della chimica, e della storia naturale, quando manchino i due gabinetti, che devono racchiudere le macchine, e i pezzi necessarj a queste facoltà; quindi la città destinerà in s. Giovanni un locale a questo doppio oggetto; assegnerà una certa somma per la pronta formazione delle scanzie onde potervi collocare, e distribuire le macchine, ed i pezzi di storia naturale, che già esistono; e fisserà un' annua dote di scudi venticinque per gabinetto, da erogarsi coll' intelligenza dei signori deputati alli studj, e curatori della biblioteca a dei nuovi acquisti. Ai due professori di dette facoltà verrà rilasciata una chiave de' due gabinetti per esserne i custodi — Huic articulo responsum est sequentibus verbis — *Approvato, e fissate le camere dell' interno della biblioteca per i due gabinetti; per le prime spese poi si assegnerà un sussidio proporzionato.*

De expensis ferendis in physicis experimentis.

VII. §. 10. E siccome senza l' appresto del gabinetto di chimica, e di storia naturale non può dare il professore le sue lezioni; quindi onde dar tempo a preparare per lo meno il più necessario, per il primo anno non si aprirà questa cattedra. Aperta poi che sia, gli verranno passati dalla città scudi ventiquattro effettivi all' anno per le spese occorrenti per l' esperienze.

De cessione privilegiorum.

VIII. §. 11. Venendo a cedere la città, in vigore di queste, o di altre condizioni da stipolarsi senza alcuna clausola, o legame le scuole enunciate, essa cederà similmente alla congregazione de' chierici regolari di s. Paolo tutti i diritti, e gli onori annessi alle respettive cattedre giusta li statuti dell' università, siccome di conferire le lauree, e simili.

De distributione praemiorum.

IX. §. 12. La deputazione de' studj interverrà ai pubblici saggi da darsi nel fine di ciascuno anno, tanto dai scuolari di belle lettere, quanto da quelli delle facoltà superiori. Sì ai primi, che ai secondi verranno pubblicamente distribuiti de' premj, e il loro nome verrà pubblicato colle stampe. Il giovine allievo di ciascuna delle quattro facoltà filosofiche, che si sarà distinto con una dissertazione avrà in dono una medaglia di argento dorata; e gli scuolari di belle lettere, che avranno meritato in ciascuna classe saranno ricompensati per mano dei sigg. deputati con premj di minor valore. Per accorrere o queste spese la città destinerà scudi trenta annui effettivi.

De exercitiis pietatis suppeditandis.

X. §. 13. E interessando il pubblico bene, anche più della istruzione scientifica, l' educazione cristiana de' giovani; perciò la congregazione de' chierici regolari di s. Paolo, cui si l' una, che l' altra vien confidata, si obbliga nell' ultima ora di ciascun sabbato della settimana, di farli istruire nelle scuole di belle lettere nella dottrina cristiana; in ciascuna festa poi di riunirli nella mattina, e trattenerli nella congregazione in offizj di pietà, e nel dopo pranzo col catechismo; e finalmente farà loro dare in ciascun' anno un triduo di spirituali esercizj. La congregazione medesima farà apparecchiare a proprie spese nel collegio di s. Paolo un locale sufficiente, e adattato a questi oggetti.

Reservatio approbationis.

§. 14. I sottoscritti deputati protestano, che queste, e qualunque altra condizione verrà fissata, prima che abbia forza a loro riguardo di convenzione propriamente detta, dovrà essere sanzionata in Roma dal loro superiore generale, e dalla sua consulta.

D. Prospero Prosperi provinciale deputato.

D. Giuseppe Colizzi deputato.

Vincenzo Maria vescovo di Macerata, e Tolentino approvo come sopra.

Commendatore Filippucci deputato da pubblici signori rappresentanti con espressa loro intelligenza approvo come sopra mano propria.

Consalvo marchese Consalvi deputato dei pubblici sigg. residenti con espressa loro intelligenza approvo come sopra mano propria.

D. Prospero provinciale de' Barnabiti deputato dal suo reverendo padre generale, e sua venerabile consulta approvo come sopra mano propria.

D. Giuseppe Colizzi deputato dal reverendo padre generale, e sua consulta approvo quanto sopra mano propria.

Confirmatio apostolica.

§. 15. Nobis propterea idem Joseph cardinalis humiliter supplicavit, quo conditiones, et responsiones praedictae firmius subsistant, et serventur exactius, ut apostolica auctoritate omnia munire dignaremur. Nos igitur ejusdem cardinalis etiam intuitu civitatem, et clericos praedictos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et singulares personas, quibus praesentes Nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, praeinsertas conditiones, seu articulos, et responsiones una cum omnibus, et singulis in ipsis contentis, et expressis; ita tamen, ut nunc, et pro tempore existens episcopus Maceratensis, sede autem episcopali vacante, vicarius capitularis studiorum universitati hujusmodi praesit cum facultate subdelegandi alium in ecclesiastica dignitate constitutum virum, atque in consilium adhibendi duos, vel plures deputatos probos, et eruditos per publica ipsius civitatis comitia eligendos, qui et ipsi invigilent, auxiliumque praebeant, ut omnia recte procedant, ac si, et quando quidpiam emendatione, aut correctione, vel mutatione dignum compererint, universitatis praesidentem praedictum sedulo moneant, ut ipse provideat, firmis caeteroquin remanentibus ejusdem universitatis statutis, et privilegiis, firmaque remanente in consueta prima hora s. theologiae in via divi Thomae nuncupata (cathedra pro uno ex ordinis fratrum Praedicatorum lectore instituta) auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis, ac perpetuae apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque juris, et facti, si qui desuper quomodolibet intervenerint defectus supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 16. Decernentes praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 17. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, congregationis, civitatis, et universitatis praedictarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quarta augusti millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

CLIV.

Dat. die 24. aug. 1802. Anno III.

Instantibus superioribus Carmelitis congregationis Hispanae moderantur constitutiones dictae congregationis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Pro pastorali munere, quo Ecclesiae catholicae divina dispositione praesidemus, eorum praesertim Christifidelium statui, prout res, tempusque postulat, consulendum Nobis esse arbitramur, qui e saeculi fluctibus ad aliquem regularem ordinem, veluti in portum confugerunt, ut ipsi in charitatis vinculo, pacisque amoenitate gubernati, quam strenue professi sunt altissimam christianam perfectionem, hanc assequi possint.

Expositio precum.

§. 2. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni superiores generales fratrum or-

Digitized by Google

dinis Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo excalceatorum nuncupatorum congregationis Hispanae, quod quam ipsius ordinis constitutiones affabre conditae, et a rec. mem. Pio pp. VI. praedecessore Nostro per suas in simili forma brevis die decima quarta martii millesimo septingentesimo octogesimo sexto expeditas literas confirmatae sunt, rerum tamen usus, edocuit, omnia non recte procedere, in iis, quae super officiorum distributione praescripta reperiuntur, ac quidquam esse per Nos addendum, vel moderandum, ut mala, et incommoda in dies gliscentia radicitus tollantur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, illorumque, ac dictae congregationis fratrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, motu proprio, ac certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia, et singula sequentia capita statuimus videlicet.

De facultatibus definitorii generalis.

I. §. 4. Generalis, et definitorium generale congregationis Hispanae facultatem habeant deputandi in quibuscumque provincialibus comitiis praesidentem, qui eorum nomine adsit, suffragium ferat, et electiones ibi faciendas confirmet.

De eligendis ad praesidentias.

II. §. 5. Ad praesidentias hujusmodi fratres idonei deputari debeant, qui licet suffragium in singulis electionibus faciendis ferant, ipsi tamen in eodem capitulo ad nullum superioris gradus officium eligi queant.

De electione per definitorium facienda.

III. §. 6. Eorumdem praesidentium electio per definitorium fieri possit de confratre vel ejusdem, vel diversae provinciae, si id ad aliquod incommodum tollendum visum fuerit opportunum; ita tamen, ut electio, quoad capitulum congregabitur, occulta remaneat, quo anfractus, et perturbationes evitentur.

De forma servanda in capitulis, et electis.

IV. §. 7. Dicti praesidentes a definitorio generali delecti nomine ipsius definitorii in capitulis semper agere, ac juxta ejusdem definitorii accepta mandata se gerere debeant, electiones confirmando ad definitorii mentem.

De approbatione decretorum capituli provincialis.

V. §. 8. Decreta, et acta in dictis provincialibus capitulis facienda nullum robur, nullum effectum habeant, donec approbata fuerint, et confirmata a generali definitorio, cui id spectare debebit. Atque omnia, et singula statuta hujusmodi perpetuo servari, et custodiri debere volumus perinde ac si dicti ordinis constitutionibus praeinserta fuissent, prout motu, et potestate similibus pro in illis insertis haberi decernimus, et declaramus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 9. Decernentes praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 10. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis, et congregationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut generalis, et definitorium generale ad praesidentis hujusmodi nominationem devenientes illud exploratum habeant,

ut ejus persona carissimo in Christo filio Nostro Carolo Hispaniarum regi catholico grata sit, et accepta. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quarta augusti millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 26. aug. 1802. Anno III.

CLV.

Confirmatio suppressionis monasterii Lacromensis ordinis s. Benedicti congregationis Cassinensis, et applicationis illius bonorum favore piorum operum, et institutionum civitatis Ragusiae.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Vener. fratri archiepiscopo Ragusino salutem, et apostolicam benedictionem.

Procemium.

§. 1. In omnes agri Dominici partes, vigilis more pastoris oculos Nostrae mentis intendentes, ne Christifidelibus, tam spiritualia, quam temporalia subsidia deficiant, omnem impendimus operam, ita ut nedum ea, quae ad eorum salutem a praedecessoribus Nostris disposita, et ordinata fuisse comperimus, ut firma, et inconcussa remaneant apostolicae confirmationis robore satagimus communire, sed et alia de novo statuimus, et ordinamus, quae illorum opportunitatibus conspicimus in Domino plurimum expedire.

Expositio precum porrectarum a rectore, et consiliariis reipublicae Ragusinae.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii rector, et consiliarii reipublicae Ragusinae, quod alias videlicet usque et de anno Domini millesimo septingentesimo nonagesimo octavo inspiciens senatus ejusdem reipublicae pias illius urbis institutiones, attentis temporum calamitatibus ob reddituum, et oblationum deficientiam, maximas in angustias esse redactas, adeo ut quantum fieri posset, ad servandam, et alendam in Christifidelium cordibus catholicam religionem, pia opera, piaeque institutiones in ditione Ragusinae reipublicae fundatae conservarentur, felicis recordationis Pio pp. VI. praedecessori Nostro exposuit, quod tantummodo opportunum remedium futurum, si praevia monasterii monachorum ordinis sancti Benedicti congregationis Cassinensis de la Croma nuncupatae suppressione, omnia, et singula bona in ditione ejusdem reipublicae existentia, ad monasterium hujusmodi legitime spectantia, et pertinentia, piis operibus, et institutionibus praefatis applicata, et appropriata fuissent. Praefatus vero Pius praedecessor, qui gregis Dominici salutem semper curavit, necessitatibus piorum operum hujusmodi perspiciens occurrere esse opus, insigni que ordini sancti Benedicti, congregationique Cassinensi ex deficientia unius monasterii nullum damnum esse profecturum, sub die vigesima septima mensis septembris supradicti anni Domini millesimi septingentesimi nonagesimi octavi, speciali ejus rescripto supra sibi porrecto supplici libello exarato, eisdem rectori, et consiliariis, vendendi bona in territorio ejusdem reipublicae existentia ad monasterium Lacromense praefatum pertinentia, et ab illorum pretio detracta pensione annua pro alimento monachorum in ipso tunc degentium, ad eorum vitam pro unoquoque, non minori centum viginti scutorum monetae Romanae assignanda, reliquam summam in operum piorum utilitatem erogandi facultatem tribuerat.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, rector, et consiliarii praefati Nobis significaverint, quod praedictum monasterium alia bona, et praecipue duas domus, tresque officinas sitas in via sancti Bartholomaei nuncupata civitatis Venetiarum, a quodam Marino di Goze in testamentaria ejus dispositione Lacromensi xenodochio relictas, et postmodum eidem monasterio a sa. me. Paulo pp. II. similiter praedecessore Nostro usque et de anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo sexto assignatas, et applicatas, etiam possidebat; ideoque ad eorumdem piorum operum, et institutionum conservationem, et ad evitandam in posterum quamcumque difficultatem, et disputationem, quae oriri posset, summopere in votis habeant, ut praedictae domus, et officinae, omniaque alia bona extra ditionem Ragusinam posita, et ad idem monasterium alias pertinentia pariter pro conservatione piorum operum hujusmodi applicentur, ac praemissa omnia per te in vim potestatis tibi a praedicto Pio praedecessore Nostro factae gesta, et peracta pro majori illorum validitate, ac subsistentia, per Nos etiam, ut infra, approbentur. — Ratio concessionis.

§. 4. Nos igitur votis, ac precibus ex parte eorumdem rectoris, et consiliariorum praedi- — Tenor concessionis.

Digitized by Google

§. 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate, alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die vigesima octava septembris millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 1. octob. 1802. Anno III.

CLXVI.

EDITTO

Giuseppe del titolo di s. Cecilia prete cardinal Doria Pamphilj della S. R. C. pro-camerlengo.

Publicatio chirographi facta a cardinali pro camerario.

§. 1. Mentre la Santità di Nostro Signore papa Pio VII. estende le sue benefiche paterne cure a tutti gli oggetti delle arti produttrici, e di manifattura, per aumentare con i loro prodotti la opulenza, e la prosperità dei suoi amatissimi sudditi, non perde di vista un altro ramo d' industria, che quasi proprio, e particolare di questa popolazione, e di questo suolo non che concorre, e gareggia con quelli, ma ne supera l' attività, e la influenza non meno nel promuovere i vantaggi, che nell'accrescere il decoro, e la celebrità di questa metropoli, ed anche dello stato. Riconoscendo la Santità Sua nelle produzioni delle belle arti, che nate nella Grecia hanno da tanti secoli trasportato, e fissato il loro proprio, e quasi unico domicilio in Roma, uno dei pregi più singolari, che distingue da tutte le altre questa città, ed insieme una delle più utili, e più interessanti occupazioni dei suoi sudditi, e di tutti quelli, che vi concorrono, ha rivolti efficacemente i suoi pensieri a procurare, che i monumenti, e le belle opere dell' antichità, che servono di alimento alle arti stesse, e di esemplare, di guida, e di eccitamento a quelli, che le professano, si conservino quasi i veri prototipi, ed esemplari del bello religiosamente per ornamento, e per istruzione pubblica, e si aumentino ancora con il discuoprimento di altre rarità, che in qualche parte compensino la perdita di quelle che le vicende dei tempi ci hanno involate. A questo oggetto della conservazione dei monumenti, che esistono, e del discuoprimento dei nuovi; ed all' altro egualmente d'incoraggire, ed animare le arti del disegno, e quei, che si dedicano alle medesime, ha stabiliti i più energici, ed opportuni provvedimenti con ispecial chirografo segnato il primo ottobre, a noi diretto per l' esecuzione, e del tenore seguente, cioè

Reverendiss. card. Giuseppe Doria Pamphilj pro-camerlengo.

Deputatio sculptoris Canova ad munus inspectoris bonarum artium.

§. 2. La conservazione dei monumenti, e delle produzioni delle belle arti, che ad onta dell' edacità del tempo sono a Noi pervenute, è stata sempre considerata dai Nostri predecessori per uno degli oggetti i più interessanti ed i più meritevoli delle loro impegnate providenze. Questi preziosi avanzi della culta antichità forniscono alla città di Roma un ornamento, che la distingue tra tutte le altre più insigni città dell' Europa, somministrano i soggetti li più importanti alle meditazioni degli eruditi, ed i modelli, e gli esemplari i più pregiati agli artisti, per sollevare li loro ingegni alle idee del bello, e del sublime; chiamano a questa città il concorso dei forastieri,

Digitized by Google

attratti dal piacere di osservare queste singolari rarità, alimentano una grande quantità d'individui impiegati nell'esercizio delle belle arti, e finalmente nelle nuove produzioni, che sortono dalle loro mani, animano un ramo di commercio, e d'industria più d'ogni altro utile al pubblico, ed allo stato, perchè interamente attivo, e di semplice produzione come quello che tutto è dovuto alla mano, ed all'ingegno dell'uomo. Nel vortice delle passate vicende, immensi sono stati li danni, che questa Nostra dilettissima città ha sofferti nella perdita dei più rari monumenti, e delle più illustri opere dell'antichità. Lungi però dall'illanguidirsi per questo, si è anzi maggiormente impegnata la paterna Nostra sollecitudine a procurare tutti i mezzi, sia per impedire che alle perdite sofferte nuove se ne aggiungano, sia per riparare con il discuoprimento di nuovi monumenti alla mancanza di quelli, che sonosi perduti. Sono state queste le riflessioni, che dappresso all'illustre esempio, che la san. mem. di Leone X. diede nella persona del gran Raffaello d'Urbino, ci hanno recentemente determinati ad eleggere l'incomparabile scultore Canova, emulo dei Fidia, e dei Prassiteli, come quello lo fu degli Apelli, e dei Zeusi in ispettore generale di tutte le belle arti, e di tutto ciò, che alle medesime appartiene; ed a lui durante la sua vita abbiamo conferite, colla sola dipendenza da voi, le più estese, e superiori facoltà per invigilare sopra tutto quello, che può influire al mantenimento, ed alla felice propagazione delle arti del disegno, e di quelli, che lo professano. Queste stesse riflessioni, facendoci sempre più conoscere di quanto interesse sia per i vantaggi dei Nostri amatissimi sudditi, per il pubblico bene, unico scopo delle incessanti Nostre sollecitudini, e per il decoro, e per la celebrità di questa Nostra metropoli il procurare tutti i mezzi onde conservare, ed accrescere a comune istruzione, i monumenti dell'antichità, ed i bei modelli delle arti, ed animare insieme i benemeriti cultori delle medesime, hanno richiamata la Nostra attenzione a rinnovare le antiche, ed aggiungere nuove energiche, ed efficaci providenze dirette a questi interessantissimi oggetti. Inerendo quindi alle costituzioni dei Nostri predecessori, e segnatamente all'editto del cardinal Silvio Valenti, vostro predecessore nella dignità di camerlengo, dei 5. gennajo 1750., pubblicato di ordine della santa memoria di Benedetto XIV., di Nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della Nostra sovrana, ed apostolica potestà, ordiniamo, e prescriviamo ciò, che siegue.

I. §. 3. In primo luogo proibiamo l'estrazione di qualunque statua, bassorilievo, o altro simile lavoro rappresentante figure umane, o di animali, in marmo, in bronzo, in avorio, ed in qualunque altra materia, ed altresì di pitture antiche, Greche, o Romane, o segate, o levate dai muri; mosaici, vasi, detti etruschi, vetri ed altre opere colorite, ed anche di qualunque opera d'intaglio, vasi antichi, gemme, e pietre incise, camei, medaglie, piombi, bronzi, e generalmente di tutti quelli lavori, o di grande, o di piccolo modulo, che sono conosciuti sotto il nome di antichità, pubbliche, o private, sacre, o profane, niuna eccettuata, ancorchè si trattasse di semplici frammenti, da' quali ancora grandi lumi ricevono le arti, e gli artisti; ed eziandio di qualunque antico monumento, cioè di lapidi, o iscrizioni, cippi, urne, candelabri, lampadi, sarcofagi, olle cinerarie, ed altre cose antiche di simil genere, e di qualunque materia siano composte, comprese anche le semplici figuline. Questa proibizione vogliamo, che si estenda ancora alle opere asportabili di architettura, cioè colonne, capitelli, basi, architravi, fregi, cornici intagliate, ed altri ornamenti qualsivogliano di antiche fabbriche ed anche alle pietre dure, plasme, lapislazuli, verdi, rossi, gialli antichi, alabastri orientali, ancorchè grezzi, e non lavorati, porfidi, graniti, basalti, serpentini, ed altri simili fuori del semplice marmo bianco. De vetita extractione ab urbe rerum ad pulcras artes spectantium.

II. §. 4. La stessa generale proibizione di estrarre, vogliamo che si estenda anche alle pitture in tavola, o in tela, le quali o siano opere di autori classici, che hanno fiorito dopo il risorgimento delle arti, o interessino le arti stesse, le scuole, la erudizione, o in fine per altre ragioni siansi rese celebri; incaricando sotto la loro più stretta responsabilità le persone destinate a presiedere alle belle arti, a non permettere, che si confondano queste opere, di cui non sarà mai permessa l'estrazione, con le altre, che con le cautele e licenze da riferirsi in appresso, potranno estrarsi. Idem ut supra.

Idem ut supra.

III. §. 5. Ad oggetto poi, che questa proibizione assoluta di estrazione riguardo agli oggetti descritti abbia la sua piena, ed inviolabile esecuzione in ogni tempo, e restino radicalmente estirpati gli abusi, che nei tempi passati hanno deluse le più accurate provvidenze dei Nostri antecessori; proibiamo a chiunque, ed anche a voi, di concedere in avvenire qualunque licenza di estrarre gli oggetti suddetti; assoggettiamo a questa proibizione le persone tutte, di qualunque privilegio fornite, o di qualunque dignità decorate, compresi anche li rever. cardinali benchè titolari, protettori di chiese, ed altri privilegiatissimi, ancorchè richiedessero per essere compresi specifica, ed individuale menzione, ed ancorchè fossero rivestiti di qualsivoglia carattere, quanto più si possa concepire eminente; vogliamo che anche i possessori esteri degli enunciati oggetti esistenti in Roma siano alla stessa proibizione sottoposti; come ancora, che la medesima comprenda per tutti gli effetti anche li forastieri, che non abbiano fissato domicilio alcuno in Roma.

Poenae contra inobedientes.

IV. §. 6. Quelli poi, che estrarranno da Roma, o dallo stato, o per la via di mare, o per quella di terra gli oggetti anzidetti; come ancora quelli che scientemente gli avranno a loro venduti, ed i sensali, e complici della vendita, oltre la perdita degli oggetti stessi, saranno ciascuno singolarmente soggetti alla multa pecuniaria di cinquecento ducati d' oro di camera, e cumulativamente ad altre pene afflittive del corpo a vostro arbitrio, da estendersi fino alla galera per cinque anni, secondo la qualità delle persone, la importanza dell' oggetto, e la malizia, che avrà accompagnata la fraudolenta estrazione. Anche quelli, che avranno prestato mano alla estrazione, cioè i facchini, falegnami, ed altri artefici, da cui siansi scientemente formate le casse, imperiali, ed ogni simile continente, atto a rinchiudere il contrabando, o che avranno fatto l' incassatura, o l' imballaggio, i carrettieri, mulattieri, barcaroli, ed altri condottieri, che avranno dato mano al trasporto, si considereranno tutti per complici dell'estrazione; bastando in loro ad indurre la mala fede l' atto stesso della estrazione vietata, e la mancanza della non mai concedibile licenza; e come tali, oltre alla perdita dei rispettivi ordegni, animali, ed istromenti, carri, barche inservienti al trasporto, ed alla estrazione, incorreranno anche la pena di ducati dieci in quanto agli artieri, e facchini; e di ducati cento rispetto ai condottieri, oltre le pene corporali, che riserviamo al vostro arbitrio.

De libera venditione rerum hujusmodi in urbe facienda.

V. §. 7. Sarà però permessa la vendita, ed il commercio di tutti gli accennati monumenti, ed oggetti di arti liberamente, se seguirà dentro Roma, e con la vostra licenza nel caso di trasportarli ad altro luogo dello stato, la quale licenza concederete premessa sempre la visita dell' ispettore delle belle arti, e del commissario delle antichità, e in luogo di quest' ultimo dei suoi assessori, e con obbligare l' asportante a dare idonea cauzione di riportare dentro un termine, che gli farete prescrivere, il documento in forma provante, di avere recato, e collocato l' oggetto asportato nel luogo della sua destinazione dentro lo stato; e mancando, sarà tenuto non solo alla convenzionale, ma ben anche ad altre pene corporali a vostro arbitrio.

De operibus auctorum viventium, ac aliis minus praestantibus.

VI. §. 8. Provveduto così alla conservazione delle opere, che devono rimanere perennemente ad ornamento insieme della città, e per servire allo studio, ed alla istruzione degli artisti, e degli eruditi, per animare maggiormente le arti, ed i loro cultori, vogliamo che tutte le produzioni di autori viventi, sia in scultura, sia in pittura, o in altri oggetti di belle arti, possino vendere, ed estrarsi anche fuori di stato, e che ugualmente estrarre si possano le pitture di autori morti, purchè non siano del pregio, e della classe descritta di sopra, premessa però sempre la licenza da darsi in iscritto da voi, o dai vostri successori, alla quale dovrà immancabilmente precedere la visita, e la relazione dell' ispettore, e del commissario suddetto, e di uno de' suoi assessori il tutto da darsi gratis, e senza alcun pagamento. E ad effetto che i suddetti assessori, sempre con la totale dipendenza, e subordinazione all' ispettore, e commissario delle antichità esercitino il loro uficio con maggior puntualità, ed esattezza, abbiamo ordinato, che sia dato loro un onorario fisso di scudi venti per mese; proibendo però ad essi di ricevere qualunque cosa, anche a titolo di ricognizione, o di gratificazione volontaria; ed abolendo qualunque esazione si facesse da loro a titolo di stima, di regalia, di

propina, o per qualunque altro motivo. Li avvertirete poi, che qualunque negligenza, nell' esercizio del loro importante officio sarà irremissibilmente punita con la perdita dell' impiego; e qualunque contravvenzione sarà oltre questa castigata ancora con pene corporali anche gravi, e gravissime a vostro arbitrio; e ciò senza togliere le pene, che potessero meritare per loro stessi i delitti, i quali venissero a cumularsi, e congiungersi con la contravvenzione, e la delinquenza in officio.

De vetita destructione rerum ad praedictas pulcras artes spectantium.

VII. §. 9. Collimando sempre allo stesso oggetto della conservazione delle preziose memorie dell' antichità, proibiamo a chiunque di mutilare, spezzare, o in altra guisa alterare, e guastare le statue, bassirilievi, cippi, lapidi, o altri antichi monumenti, e molto più lo squagliare li metalli antichi figurati, o anche di semplice ornato, le medaglie di ogni sorta, le iscrizioni in metalli, e qualunque altra cosa di simil genere, ancorchè tali monumenti non fossero che frammenti; dando a voi facoltà di punire li contravventori, o con pene pecuniarie, o anche con pene afflittive del corpo, da estendersi fino all' opera per un anno, secondo il vostro prudente arbitrio. Sarà poi cura speciale dell' ispettore delle belle arti, e del commissario, l' invigilare acciò non seguino tali abusi; acquistando anche quando occorra gli oggetti per i pubblici musei: e nel solo caso, in cui eglino crederanno, che questi non siano di alcun momento, e che si possino senza danno convertire in altri usi, loro unitamente, e non divisamente sarà permesso di dare le opportune licenze per isquagliarli, o adoprarli in altra guisa.

De conservatione reliquiarum aedificiorum antiquorum.

VIII. §. 10. Rinnovando la costituzione della san. mem. di Pio II. *Cum almam Nostram urbem* del 1462., proibiamo sotto le stesse pene a chiunque di demolire o in tutto, o in parte qualunque avanzo di antichi edifici o dentro, o fuori di Roma, ancorchè esistenti nei predj o urbani, o rustici, di privata sua, o altrui proprietà; riservando a voi per via di visita dell' ispettore, e del commissario la facoltà di accordare la licenza per ruinare quelli ruderi, la conservazione delli quali si conoscesse non essere di alcuna importanza nè per le arti, nè per la erudizione. Inculcherete poi seriamente in Nostro nome tanto ai conservatori del Nostro popolo Romano, quanto all' ispettore, e commissario suddetto delle antichità d' invigilare tanto per la osservanza di questa Nostra prescrizione, quanto perchè siano le antiche fabbriche ristaurate, ripulite nelle occorrenze, e conservate colla maggiore esattezza.

De vetita remotione lapidum, aliorumque ornamentorum ab ecclesiis.

IX. §. 11. Richiamando del pari al suo pieno vigore l' altra costituzione della san. mem. di Sisto IV. nostro predecessore, che comincia *Quum provida*, dell' anno 1474., sotto le stesse pene nella medesima contenute, e sotto altre o pecuniarie, o corporali a vostro arbitrio, proibiamo di togliere dalle chiese pubbliche, e fabbriche annesse, compresi anche i semplici oratorj, marmi antichi scolpiti, o lisci di qualunque sorta, iscrizioni, mosaici, urne, terre cotte, ed altri ornamenti, o monumenti di qualunque specie, esposti alla pubblica vista, o ascosi, e sepolti; sottoponendo alle stesse pene i venditori, i compratori, ed i cooperatori. Ed acciò abbia questa proibizione il suo pieno effetto, togliamo ai rettori, o amministratori di dette chiese, di qualunque grado, e dignità, e di qualunque privilegio muniti; compresi anche i reverendiss. cardinali titolari, e protettori, e i patroni o laici, o ecclesiastici, le congregazioni de' Vescovi e Regolari, del Concilio, della disciplina regolare, ed altre, e lo stesso Nostro reverendissimo cardinal vicario, la facoltà di accordare sotto qualunque pretesto alcuna licenza di levare dal loro luogo, e molto più di distrarre i detti ornamenti delle chiese, e fabbriche annesse, la quale facoltà riserviamo a voi solo; previo però sempre l' esame, e la relazione dell' ispettore delle belle arti, e del commissario delle antichità.

Idem pro tabulis pictis.

X. §. 12. La stessa proibizione vogliamo, che abbia luogo per i quadri delle chiese, i quali non solo non potranno togliersi dal luogo, in cui sono collocati, o alienarsi; ma nè anche farsi ristaurare o sul luogo, o fuori, e neppure levarsi per copiarli senza la intelligenza, e consenso dell' ispettore delle belle arti, e del commissario delle antichità, chè ne dovranno a voi fare la relazione.

De notulis exhibendis a possessoribus rerum ad pulcras artes spectantium.

XI. §. 13. Acciò poi le Nostre provvidenze non restino deluse, o defraudate, ordiniamo, che tutti i privati, che hanno gallerie di statue, e di pitture, musei di antichità sacre, o profane, o semplici raccolte dell' uno, e dell' altro genere, ed anche quelli, che senza avere o gallerie, o musei, o raccolte hanno

attualmente presso di loro uno, o più oggetti antichi, o in altro modo pregievoli di arte, particolarmente in genere di scultura, o di pittura in Roma, e in tutto lo stato, debbano dare un' esatta assegna, distinguendo ciascun pezzo, dentro il termine di un mese in Roma negli atti di uno de' segretari della Nostra camera, che voi destinerete, e nello stato presso il cancelliere della comunità dentro il termine di due mesi da computarsi dalla data dell' editto, che voi pubblicherete. In seguito si farà ogni anno, e anche più sovente, credendolo voi opportuno, in Roma la visita dall' ispettore delle belle arti, e dal commissario delle antichità, ovvero dagli assessori, previa però sempre la intelligenza dell' ispettore medesimo; e nello stato, dalle persone, che da voi si destineranno per riconoscere se si conservano gli oggetti assegnati presso i possessori; e respettivamente nel caso, che ne abbiano disposto, per sapere quale disposizione abbiano data ai medesimi. Chiunque o non darà nel termine prefisso l'assegna, o la darà mancante, perderà gli oggetti non assegnati, se saranno di libera sua proprietà, o ne pagherà il loro valore se saranno fideicommissarj; e gli oggetti in questo caso rimarranno sempre nella stessa maniera vincolati. Chi poi nelle visite ricuserà di dare preciso sfogo alle disposizioni prese degli oggetti mancanti, o dandolo non si verificherà, ovvero lo darà vago, e tale, che non ammetta verificazione, si considererà per contravventore alle leggi della proibita estrazione, e come tale sarà punito.

De sepulchris in viis publicis existentibus.

XII. §. 14. Niuno, che accomoderà strade pubbliche, o vicinali, sia in città, sia in campagna, ardirà sotto le pene comminate ai devastatori dei pubblici monumenti, di demolire gli edifizj antichi vicini per toglierne i materiali; e siccome avviene, che lavorando nelle strade per allargarle, o mutar loro direzione, spesso gli operaj trovano sepolcri, ed antiche fabbriche: che devastano, oppure oggetti di belle arti, che distruggono, o si appropriano, o alienano a loro vantaggio contra ogni ragione, essendo queste cose riservate al principe, perciò vogliamo, che chiunque caderà in questi delitti, sia punito con le stesse pene comminate contro i devastatori dei pubblici monumenti; e le antichità ricuperate dalle loro mani, o da chi con qualunque titolo le riterrà, vogliamo che siano applicate ai pubblici musei.

De notitia danda rerum inventarum in sinu terrae.

XIII. §. 15. Chiunque, sia padrone, sia lavorante, che nel cavare i fondamenti delle case, o fare scassati, o altri lavori nelli terreni troverà cose antiche asportabili, sarà tenuto darne subito la denuncia in Roma presso il segretario di camera, che sarà da voi deputato; e nelle provincie negli atti della cancelleria locale, e non dandola dentro dieci giorni dalla seguita riperizione, sarà punito con la perdita della roba trovata, e con altre pene a vostro arbitrio, da aumentarsi maggiormente quando all'omessa denuncia si unisse la fraudolente alienazione. Sarà poi in libertà vostra, e dell' ispettore delle belle arti, e del commissario delle antichità di fare per i pubblici musei acquisto dell' oggetto denunciato, a prezzi ragionevoli, per la qual causa dovrà dopo la denuncia passare il termine di un mese prima che il possessore possa disporne. La stessa denuncia dovrà darsi, se si troveranno, cavando come sopra, avanzi di case antiche, o altre fabbriche Romane, ancorchè non vi si trovino oggetti di antichità.

De licentia obtinenda antequam thesaurorum abditorum, et antiquitatum exquisitio fiat.

XIV. §. 16. Niuno potrà neppure nei suoi privati fondi fare scavi per ritrovare antichità, e tesori nascosti, senza vostra particolar licenza, in cui si preserveranno sempre i soliti diritti fiscali sulla porzione degli oggetti ritrovati: ottenuta la licenza, si dovrà avvertire dallo scavatore, e dal deputato assistente, l'ispettore delle belle arti, ed il commissario delle antichità del giorno preciso, in cui si comincia lo scavo. Sarà poi in loro libertà o per se medesimi, o per mezzo dell' assessore della scultura, o trattandosi di scavi lontani da Roma, di altre persone, che da voi saranno destinate, di assistere allo scavo medesimo, quando a voi parerà: su di che v' incarichiamo di usare la maggiore vigilanza. Si dovrà dare dallo scavatore una esatta denuncia degli oggetti ritrovati, presso il segretario di camera da voi destinato in Roma, e nelle provincie presso il cancelliere della comunità, e trovandosi quella mancante, sarà l'uno, e l'altro punito a misura della commessa infedeltà. Chiunque intraprenderà scavi senza la vostra licenza, o non eseguirà la succennata prescrizione, oltre la perdita della roba in caso, che l' abbia trovata, caderà nella pena di cinquecento ducati d' oro, ancorchè nulla avesse rinvenuto.

De jurisdictione cardi-

XV. §. 17. Vogliamo, che per la esecuzio-

nalis camerarii circa res respicientes pulcras artes, et quaestiones de illis movendas, fraudibus patratis, et similibus.

ne di queste ordinazioni, e di altre, che sopra questa materia sono state promulgate dai Nostri predecessori, le quali intendiamo, che seguitino ad avere il loro vigore in tutte le parti, nelle quali non si oppongono al presente Nostro chirografo, voi, ed i vostri successori abbiate una piena, e privativa giurisdizione esclusivamente da qualunque altro tribunale ancorchè camerale; con il che per altro non intendiamo d' impedire, anzi vogliamo animare i capi di qualunque tribunale, ed azienda, ed i loro ministri, ed esecutori, a cooperare, ed a dare ogni ajuto per lo scuoprimento, ed arresto dei contrabandi, e per l' apprensione dei contraventori, tutto riferendo in appresso al vostro tribunale. Ed acciò che in tutto quello, che riguarda le belle arti si usi la massima vigilanza, vogliamo che voi, in figura di supremo, ed indipendente magistrato, abbiate una assoluta giurisdizione, vigilanza, e presidenza sopra le antichità sacre, e profane, sopra le belle arti, e quei, che le professano, sopra gli oggetti delle medesime, non solo in Roma, ma anche nello stato ecclesiastico, e sopra le chiese, accademie non addette a nazioni estere, ed altre società relative alle arti medesime, niente affatto eccettuato, e con piena indipendenza da qualunque persona ornata di qualunque dignità anche cardinalizia, e fornita di qualunque giurisdizione, e privilegio, cosicchè neppure si eccettuino i reverendissimi cardinali, vescovi, abbati, titolari, e protettori delle chiese, con darvi anche facoltà di rinnovare editti, di promulgarne dei nuovi, e di prendere tutte quelle provvidenze, che di tempo in tempo crederete opportune, perchè le belle arti prosperino maggiormente, e gli amatori siano più animati a coltivarle.

De processu adhibendo summarie, etiam per inquisitionem.

XVI. §. 18. Comandiamo che contro quelli, che contravverranno alle presenti, o ad altre antiche prescrizioni, si possa da voi per mezzo dei vostri ministri procedere sommariamente, e con le facoltà economiche, ed anche per inquisizione, e per officio, ancorchè gli oggetti, su i quali cade la inquisizione, più non esistessero, nel qual caso vogliamo che oltre le pene comminate nei respettivi casi, se ne debba dai contravventori pagare il prezzo alla stima, anche di credulità, e di affezione, che ne farà l' ispettore delle belle arti, ed il commissario delle antichità: con accordarvi la facoltà di procedere alla condanna con il detto anche di un sol testimonio, unito a quello del denunciante; o ad altri amminicoli, tolto di mezzo ogni ricorso, inibizione, ed appellazione, che non fosse stragiudizialmente segnata di Nostra propria mano.

Destinatio pecuniae in scutis decem millium pro emptione rerum praestantium.

XVII. §. 19. Mentre poi Noi raccomandiamo col maggior fervore del Nostro spirito alla vostra vigilanza l' adempimento di queste Nostre disposizioni, non lasciamo di occuparci seriamente, per quanto le circostanze dei tempi, e le forze del Nostro erario lo permettono, a rinvenire tutti i mezzi onde riparare coll' acquisto di nuovi oggetti preziosi, alle perdite sofferte nei pubblici musei, ai quali perciò applichiamo per la porzione spettante al Nostro erario, tutti i monumenti, che si devolveranno al medesimo, e tutte le pene, eccettuata la porzione dovuta secondo le vigenti leggi al denunciante, ed agli esecutori. Nello stesso tempo, e per la stessa causa proporzionando l' importanza dell' oggetto alle scarse forze del Nostro erario, abbiamo destinata la somma annua di piastre diecimila per l' acquisto delle cose interessanti in aumento dei Nostri musei; sicuri che la spesa diretta al fine di promovere le belle arti, è largamente compensata dagl' immensi vantaggi, che ne ritraggono i sudditi, e lo stato, la di cui causa non può essere da quella dell' erario disgiunta; ed animati ancora dalla giusta considerazione di aprire un esito ai possessori, ed ai raccoglitori di cose antiche, delle quali la estrazione è affatto proibita. Maggiore poi è anche il Nostro impegno, d' incoraggire quei, che professano le belle arti con premj, e con onori proporzionati al loro merito, e di agevolare loro tutte le strade per giungere alla perfezione nell' esercizio della loro nobile professione, la quale nell' unire l' utile al dilettevole, forma l' ornamento della Nostra città, l' ammirazione di quei, che vi concorrono, ed il vantaggio di moltissimi Nostri sudditi, che vi si occupano. Sarà dunque vostra cura, che questa pagina della Nostra volontà abbia il suo pieno effetto.

Clausulae, salutares, et irritantes.

§. 20. Volendo, e decretando, che al presente Nostro chirografo, benchè non esibito, nè registrato in camera e nei suoi libri, non possa mai darsi, nè opporsi di surrezione, orrezione, nè di alcun altro vizio, o difetto della Nostra volontà, ed intenzione, nè che mai

sotto tali, o altri pretesti quantunque validi, e validissimi, e giuridici, anche di jus quesito, o pregiudizio del terzo, possa essere impugnata, revocata, o moderata, ridotta *ad viam juris*, e concedersi contro di essa *l'aperitione oris*, o altro qualunque rimedio, e che così, e non altrimenti debba giudicarsi, definirsi, ed interpretarsi da qualsivoglia giudice, e tribunale, benchè collegiale, congregazioni anche di reverendissimi cardinali, legati a latere, vice legati, camerlengo di s. Chiesa, tesoriere, rota, camera, e qualunque altro, togliendo loro ogni facoltà, e giurisdizione di definire, ed interpretare in contrario. Dichiarando Noi fin d' adesso preventivamente nullo, irrito, ed invalido tuttociò, che da ciascuno di essi con qualsivoglia autorità, scientemente, o ignorantemente fosse in qualunque tempo giudicato, o si tentasse di giudicare contro la forma, e disposizioni del presente Nostro chirografo quale vogliamo, che vaglia, e debba avere sempre ed in perpetuo il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore colla semplice Nostra sottoscrizione, ancorchè non ci siano state chiamate, sentite, o citate qual si siano persone ancorchè privilegiate, privilegiatissime, ecclesiastiche, e luoghi pii, che avessero o pretendessero avervi interesse, e per comprenderle fosse bisogno di special menzione.

Derogatio contrariorum. §. 21. Non ostante la bolla di Pio IV. *de registrandis*, la regola della Nostra cancelleria *de jure quaesito non tollendo*, e non ostante ancora tutti, e qualsisiano chirografi, brevi, ordinazioni, e costituzioni apostoliche Nostre, e de' Nostri predecessori, bandi, editti in virtù di essi, ed in qualunque modo emanati, affissi, e pubblicati, leggi, statuti, riforme, stili, e consuetudini, e qualunque altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario, alle quali tutte, e singole avendone il tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto, e registrato, e supplendo colla pienezza della Nostra suprema potestà pontificia ad ogni vizio, e difetto, quantunque sostanziale, o formale, che vi potesse intervenire per questa sola volta per la piena, e totale esecuzione di quanto si contiene nel presente Nostro chirografo ampiamente, ed in ogni più valida forma deroghiamo. Dato dal Nostro palazzo apostolico Quirinale questo di 1. ottobre 1802.

Pius PP. VII.

§. 22. Acciò dunque le benefiche provvidenze ordinate da Sua Beatitudine con il surriferito chirografo abbiano la loro piena esecuzione, e produchino quegli utili effetti, che la Santità Sua si è proposti della conservazione, ed accrescimento dei monumenti, e delle opere antiche, e dell' incoraggimento, e propagazione delle belle arti, dopo avere analogamente alle facoltà nel medesimo accordateci destinato l'officio del segretario di camera Francesco Gregorj in Roma, e nelle provincie le respettive cancellerie dei governatori locali, per ricevere le assegne, ed eseguire tutti quegli atti, che trovansi nel suddetto chirografo prescritti, vogliamo, ed ordiniamo, acciò niuno possa allegare ignoranza delle sovrane disposizioni, che le medesime si deducano a notizia del pubblico con il presente nostro editto, il quale affisso, e pubblicato nei luoghi soliti di questa dominante, e delle provincie suddette obbligherà ciascuno nella città medesima, e nello stato come se fosse stato a tutti personalmente intimato. Ed affinchè in avvenire possa egualmente essere a notizia di tutti, nè possa mai in tempo alcuno allegarsene ignoranza, ordiniamo, che lo stesso editto si tenga, e conservi perpetuamente affisso presso il suddetto segretario di camera in Roma; e nello stato presso le dette cancellerie rendendone responsabile non solo i cancellieri; ma anche i respettivi governatori delle città, e paesi. Avverta pertanto ognuno di uniformarsi esattamente alle prescrizioni ordinate nel preinserto chirografo, e pubblicate con il presente Nostro editto: giacchè contra quelli, che contravverranno, si procederà irremissibilmente alla esecuzione delle pene nel medesimo contenute. Dato in camera apostolica questo di 2. ottobre 1802. Executio.

G. card. Doria Pamphilj pro-camerlengo.

P. Ferrari uditore.

G. Pecci commiss. generale della R. C. A.

F. Gregorj segret. e cancel. della R. C. A.

CLXVII.

Dat. die 1. octob. 1802. Anno III.

Damnatio consecrationis factae in personam Joannis Nieuwenhuys a pseudo archiepiscopo Ultrajectino.

Dilectis filiis universis catholicis in Batava republica commorantibus.

Pius PP. VII.

Dilecti filii salutem, et apostolicam benedictionem.

Memoratur prima damnatio pseudo archiepiscopi Ultrajectini decreta a Pio PP. VI.

§. 1. Dum, urgente universi Dominici gregis sollicitudine, pro pastorali officio Nostro, nihil majori studio contendimus, quam ut Ecclesiae Catholicae unitas, quae summum in discrimen vocatur, firma atque incolumis ubique conservetur, vehementer animum Nostrum perturbarunt eae literae, quae, perseverante apud vos luctuoso schismate, isthinc ad Nos fuerunt allatae. Idem ille Jacobus Van-Rhyn, quem Pius VI. fel. rec. decessor Noster per apostolicas literas datas die xxvi. augusti anno MDCCXCVII. canonicis poenis obnoxium sacris interdixit, atque ecclesiae communione privatum, vitandumque declaravit, quod nullo jure, contra hujus apostolicae Sedis decreta eligi, ac consecrari pseudo-archiepiscopus Ultrajectensis non reformidaverit, nova iterum prodidit exempla obstinatae pertinaciae suae. Perinde quasi sacrilega ejus electio, ac ementita jurisdictio gravissimis illis apostolicae Sedis decretis, quibus ei omne exercitium eorum, quae ordinis ac jurisdictionis sunt, interdicebatur, fuissent confirmatae, arrogato sibi metropolitani nuspiam existentis jure, significavit Nobis, se, vacante Sede Harlemensi, ob decessum Adriani Joannis Broekman pseudo-suffraganei sui, (quod capitulares illi novum episcopum, sic enim scripsit, in defuncti locum eligere neglexerint) jure devolutionis Joannem Nieuwenhuys elegisse, ac specie quadam submissionis huic apostolicae Sedi simulata, quo tempore idem novo ac aperto pertinaciae documento palam faciebat eam omnem excussisse, petiit a Nobis non solum ut eam electionem ratam faceremus, verum etiam ut electum consecrari a se, assistente uno tantum episcopo, atque etiam sine ullo episcopo permitteremus.

Nova sacrilega consecratio ab eodem expleta refertur.

§. 2. Gravissimo dolore effecti fuimus, dilecti filii, hujusmodi literis acceptis. Nam cum ad tollendum tandem aliquando luctuosissimum schisma nihil vehementius optaremus, quam certa sincerae resipiscentiae, atque obedientiae documenta accipere ab iis, qui in eo tamdiu tamque obfirmato animo perseverant, illud contra vota Nostra cognovimus nec eos a via perditionis deflectere velle, nec Nos in canonica poena iisdem infligenda a pristino Ecclesiae more posse discedere. Ad consueta itaque remedia jam venire parabamus, quae pontifices praedecessores Nostri semper contra homines hujusmodi adhibuerunt, ut qui in fide Ecclesiae permanent, horum simulationes, atque artificia possent praecavere: cum ecce alterae ad Nos literae ab ipso Joanne Nieuwenhuys haud absimiles superioribus, quibus et is simulata verbo ea Ecclesiae submissione, quam reapse nullam se habere apertissime declarat, illud Nos docet, se non solum ab Joanne Van-Ryn asserto archiepiscopo Ultrajectino consecratum fuisse, sed etiam nullo episcopo assistente, contra ea, quae in pontificali Romano juxta sacros canones praescripta sunt, consecrationem suam ab eodem fuisse peractam. Atque ut culpam in culpa cognoscamus, exemplum etiam fidei professionis a se emissae adjicit, quam juxta formulam a Pio IV. fel. rec. praedecessore Nostro praescriptam pronunciavit, omisso tamen verbo *juro*, quod bis in illa formula continetur.

Damnatio electionis, et consecrationis cum poenarum inflictione.

§. 3. Non opus est Nobis, dilecti filii, docere vos quantum criminis tum haec electio, tum haec consecratio habeant; non enim nunc primum haec monstra fiunt in regionibus istis ad experimentum fidei, ac religionis vestrae; nec ii estis vos, qui cum qua ratione res haec tota se habuerit, intellexeritis, non illud etiam intelligatis omnia haec contra Ecclesiae leges, nulla legitima auctoritate, adeoque illicite, sacrilege ab utroque esse facta. Verum ne si in re tanti momenti taceamus, quispiam rerum ignarus putare possit, jure aliquo fieri ab iis potuisse ea, quae contra omnes Ecclesiae leges commissa sunt, ac probari silentio Nostro eos cum Catholica Ecclesia communicare, decessorum Nostrorum exemplis inhaerentes, apostolici judicii Nostri auctoritate declaramus, tam electionem Joannis Nienwenhuys in episcopum Harlemensem illicitam, irritam, atque adeo nullam, quam ejusdem consecrationem illegitimam, sacrilegam, ac contra ss. Romanae Ecclesiae sanctiones esse, ac proinde tam Joannem Jacobum Van-Ryn electorem, quam Joannem Nienwenhuys, ac caeteros omnes, qui partem aliquam in

sacrilega hac electione, ac consecratione habuerunt, iisque opem, operam, consensum, consilium quomodolibet praebuerunt, excommunicamus, anathematizamus, atque ab Ecclesiae communione segregatos, et tamquam schismaticos habendos, et vitandos esse pronunciamus, constituimus, et mandamus: eumdemque Joannem Nieuwenhuys temere nulloque jure electum, illicite, ac sacrilege consecratum, omni ecclesiastica, et spirituali jurisdictione ad animarum regimen carere declaramus. Edicimus praeterea sub poena excommunicationis ipso facto, ac sine ulla declaratione incurrendae, ne is audeat jurisdictionem ullam sibi arrogare, vel dimissoriales literas pro suscipiendis ordinibus dare, pastores, missionarios, ministros, aut alios quocumque nomine nuncupatos ad animarum curam, et sacramentorum administrationem, quovis etiam necessitatis praetextu constituere, ac deputare; declarantes praeterea omnes, et singulas horum officiorum deputationes pro animarum regimine quodcumque nomine jam factas, aut fortasse faciendas cum omnibus inde secutis prorsus irritas esse, ac nullius roboris et momenti. Item eidem Joanni Niewenhuys praecipimus, sub simili excommunicationis poena, ne audeat umquam chrisma conficere, virgines consecrare, confirmationis sacramentum, aut ordines conferre, aut ullo modo ordinem episcopalem, a quo prorsus suspensus est, exercere. Declarantes insuper illicitos, nefarios, sacrilegos omnes et singulos alios actus ordinis, quos attentare praesumpserit. Qui vero ab eo ecclesiasticis ordinibus initiati fuerint, noverint suspensionis vinculo se obstrictos, atque irregularitati propterea obnoxios, si eosdem exercuerint.

Monitum ad episcopos, et archiepiscopos, ut pro reorum conversione supplices ad Deum preces effundant.

§. 4. Vos vero, dilecti filii, quo studio ab hujusmodi hominibus cavebitis, quo cum ab Ecclesia desciverint, nihil cupidius expetunt, quam ut quanto plures possunt simulatione, ac dolo deceptos sacrilegae defectionis sibi socios adjungant, eumdem Deum patrem luminum, ac misericordiarum indesinenter rogabitis, ne patiatur tam multorum animas, pro quibus unigenitus ejus filius Dominus Noster Jesus Christus pretiosissimum sanguinem suum effundere non recusavit, pertinacia sua fructibus ejus redemptionis carere, qua salus humani generis parta ac constituta est; sed obcoecatas mentes eorum illustret, cor lapideum molliat, ut agnoscentes tandem aliquando quanto in errore versentur, ac quid timere sibi debeant ii, qui a soliditate petrae defecerunt, quid vero sperare, qui in ea fidenter permanent, a perditionis via discedant, Ecclesiae auctoritatem non verbo tantum, ut solent, sed re etiam se revereri ostendant, ejus jussa docili, atque obsequenti animo facessant, veniam implorent. Nihil enim optatius accidere Ecclesiae poterit, quam manus supplicantibus porrigere, nihil jucundius Nobis, quam eos ad osculum pacis amanter admittere. Quae gaudia Nos Ecclesiae, Nobisque ex animo a Deo apprecantes, vobis, dilecti filii, apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die prima octobris MDCCCII. pontificatus Nostri anno tertio.

CCLXVIII.

Dat. die 6. octob. 1802. Anno III.

Confirmatio decreti commissarii generalis ordinis fratrum minorum sancti Francisci de observantia, quo Turritana provincia in duplicem custodiam dividitur.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Pastoralis Nostra, et paterna sollicitudo postulat, ut religiosarum familiarum quietem, et tranquillitatem, quantum in Nobis est, tueamur, atque ea avertamus, quae discordias, et controversias excitare possunt, quo sublatis dissidiis, ipsae familiae unanimi consensu, et mutua charitate devinctae pastori aeterno jugiter famulari, suarumque virtutum splendore omnibus, qui in domo sunt, praelucere valeant. Quam ob rem si quando familiarum hujusmodi superiores ad exortas controversias componendas quidquam provide, sapienterque constituunt, Nos libenter eorum decreta auctoritate Nostra firmare solemus.

Expositio precum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Joseph Sechi fratrum ordinis minorum s. Francisci de observantia nuncupato-

rum professor, et actualis definitor provinciae Turritanae s. Mariae Gratiarum in Sardinia, quod ipse per discretorium, et definitorium ipsius provinciae ad dilectum filium modernum commissarium generale dicti ordinis expresse missus est, ut ad concordiam magis in memorata provincia stabiliendam ab eodem commissario decretum obtineret tenoris sequentis videlicet.

Fr. Hilarius De Montemagno ordinis minorum S. P. N. Francisci lector jubilatus, coram summo pontifice episcoporum examinator, et in universa Cismontana familia tam observantium, quam reformatorum commissarius generalis, visitator, reformator apostolicus, et in Domino servus.

Tenor decreti.

§. 3. Cum ad firmius constabiliendam in provincia nostra observanti Turritana s. Mariae Gratiarum Sardiniae tranquillitatem, et pacem, nec non magis, magisque inibi confovendam, promovendamque regularem observantiam, et disciplinam, Nos ipsi existimemus in Domino maxime conducere, quam Nobis considerandam, atque probandam per supplicem libellum propria singulorum manu obsignatum nuper exhibuerunt definitorii, et discretorii patres, provinciae ejusdem partitionem in duplicem custodiam Saxaris nimirum, et Algherii, cui debita respondeat in cunctis primariis provinciae officiis alternativa; Nos Deum, tantumque provinciae bonum prae oculis unice habentes, approbandam censemus, et de facto approbamus, vigore praesentis decreti auctoritate apostolica editi, praedictas provinciae partitionem in duplicem Saxaris et Algherii custodiam, nec non alternativam sub modis, et formis sequentibus, inposterum perpetuo servandis sub poena nullitatis cujuscumque attentati contrarii. Videlicet bipartita provincia in custodiam Saxaris, et Algherii, alternativa deinceps inviolabiliter observabitur in provincialatu, custodiatu, et definitoriatu ita, ut ex una custodia eligatur provincialis cum duobus definitoribus, dum custos cum aliis duobus definitoribus eligitur ex alia, et viceversa ex hac dein eligetur provincialis cum duobus definitoribus, dum ex illa eligetur cum duobus reliquis definitoribus, custos, et sic alternando in perpetuum, quaeque alternativa initium sumet in primo proximiori capitulo, quando minister provincialis cum duobus definitoribus eligetur e custodia Saxaris, ceu dignore.

De conventibus singulis custodiis adsignandis.

§. 4. Quaelibet autem custodia sex numerabit conventus, quibus praeerunt guardiani, et vicarii ex eadem selecti, nimirum custodia Saxaris numerabit conventus s. Petri apostoli ejusdem urbis, s. Francisci Ittari Cannedis, s. Mariae Angelorum Padriae, s. Mariae Angelorum Santuluxurgiae, s. Pauli Nuori, et s. Antonii Bonorvae. Custodia vero Algherii numerabit conventus s. Mariae Misericordiae ejusdem civitatis, s. Mariae Istriae Sorsi, s. Bonaventurae Nulli, s. Francisci Templi, s. Francisci Ozerii, et s. Joannis Baptistae Orani.

De novitiatu in uno tantum convente erigendo.

§. 5. In uno tantum utriusque custodiae conventu semper existet novitiatus, vel si multiplicandus erit in una custodia (servatis servandis) multiplicabitur et in alia. Nec provincialis pro tempore poterit admittere ad habitum, et probationem plures juvenes, sive pro clericis, sive pro laicis, ex una, quam ex altera custodia, sed semper servabitur aequalitas in numero.

De electione professorum ad cathedras.

§. 6. Item cathedrae tum philosophiae, cum theologiae, cum respectivis lectoribus instituentur semper in utraque custodia ad paritatem, et hoc idem dicendum de annalistis, et concionatoribus.

De alternativa servanda in electione patris commissarii.

§. 7. Tandem alternativa servabitur etiam circa p. commissarium terrae sanctae, quatenus nimirum actuali, quacumque de causa cessanti, alter succedet alterius custodiae.

De officiis minoribus.

§. 8. In reliquis autem minoribus officiis, et ministeriis nihil novi decernitur; sed tantum statuitur heic ad calcem, non esse licitum provinciae patribus ex propria custodia transire ad conventum principaliorem alterius custodiae, et ibidem domicilium sumere; id enim vetat nimium gravamen, quod praefato conventui alias ipsi afferre deprehenduntur.

Praeceptum de obediendo.

§. 9. Praecipimus autem per sanctam obedientiam, sub poena privationis officiorum, ac perpetuae inhabilitatis ad illa, omnibus, et singulis praefatae nostrae provinciae patribus, ac fratribus, quatenus hoc nostrum apostolicum decretum, portans ut petet legitimam provinciae partitionem in duplicem custodiam, nec non congruam alternativam, ac reliqua praesignata, admittere, exequi, et servare absque ulla haesitatione teneantur.

Datum Romae ex Aracoeli die vigesima se-

Digitized by Google

cunda septembris, millesimo octingentesimo secundo.

Fr. Hilarius de Monte Magno comm. gen.

De mandato reverendissimi in Christo patris.

Loco ✠ signi.

Fr. Joseph Andreoli a Cerreto pro sec. gen.

Confirmatio apostolica.

§. 10. Cum autem, sicut in eadem expositione additum erat, dictus exponens, quo praeinsertum decretum firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae Nostrae confirmationis subsidio muniri summopere desideret; Nos ipsum exponentem, nec non discretorium et definitorium hujusmodi specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, idem decretum, et singula in eo contenta auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis, ac perpetuae apostolicae firmitatis robur adjicimus, atque omnes, et singulos juris, et facti, si qui desuper quomodolibet in eo intervenerint defectus supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 11. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 12. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis, et provinciae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die sexta octobris millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

CLXIX.

Dat. die 10. octob. 1802. Anno III.

Suppressio oppidi civitatis nuncupati Oliventia cum toto suo territorio, suisque dependentiis annexis, et connexis a jurisdictione spirituali episcopi Elvensis, ejusdemque oppidi, atque annexorum unio et subjectio spirituali jurisdictioni episcopi Pacensis.

Pius episcopus

Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Eximia catholicorum principum reverentia, et devotio, qua in hanc divi Petri cathedram se gerunt, ita excitant cor Nostrum, ut ea, quae ab ipsis pie, religioseque petuntur, apostolica benignitate excipere impellamus, prout tantorum principum ad id exigunt preces, et apostolicae Sedis ad eas gratas habendas convenit inclinatio.

Ratio decernendae segregationis, et respectivae unionis.

§. 2. Cum itaque Nobis significaverit carissimus in Christo filius Noster Carolus Hispaniarum rex catholicus, quod vigore concordatorum inter ipsum ex una, et dilectissimum in Christo filium Nostrum Joannem principem regnorum Portugalliae et Algarbiorum Regentem ex altera partibus sub die 6. mensis junii proxime praeteriti anni Domini millesimi octingentesimi primi initorum, eorumdem respective regnorum confines ad Anae, vulgo Guadianae, fluminis ripas, fuerint designati, ita ut oppidum civitas nuncupatum Oliventia, totumque suum territorium cum omnibus, et singulis dependentiis, et annexis in dioecesi El-

vensi alias sub fidelissimorum regum dominio existens, nunc vigore concordatorum hujusmodi in ejusdem Caroli regis catholici ditionem in posterum transierit. Cumque propterea eidem Carolo regi opportunum esse videatur, ut omnes, et singuli habitatores, tam praefati oppidi, quam aliorum locorum in hujusmodi territorio existentium, omnes tam ecclesiasticae, quam laicae personae in illo, seu illis degentes, illius episcopi spirituali jurisdictioni subjecti existant, qui eodem in regno commoratur, cujus temporali dominio ad praesens incorporantur. Ideoque praedictus Carolus rex noscens quod si oppidum praefatum, totumque territorium hujusmodi ab ecclesia, et dioecesi Elvensi, illiusque praesulis pro tempore existentis ordinaria jurisdictione una cum suis dependentiis annexis, et connexis, juribus, redditibus, et proventibus etiam ad episcopalem ecclesiam Elvensem antea quomodolibet pertinentibus, ut infra sejungerentur, et separarentur, illique sic sejuncti, et separati, dioecesi Pacensi, ac spirituali jurisdictioni episcopi Pacensis per Nos, et Sedem Apostolicam, ut infra unirentur, incorporarentur et submitterentur, et hoc profecto personarum tam ecclesiasticarum, quam laicarum, in territorio hujusmodi degentium quieti, et tranquillitati, animarumque etiam saluti opportune consuleretur.

Tenor decretae dismembrationis, et successivae unionis.

§. 3. Nos igitur ipsius Caroli regis Nobis ad id porrectis votis, et apostolicae Sedis indulgentia benigne annuere volentes, motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, oppidum praedictum, totumque territorium hujusmodi, omniaque in eo contenta loca, et in illis respective consistentes ecclesias etiam parochiales, ac monasteria, conventus, et beneficia, ac jura, nec non cujuscumque generis redditus, proventus, et emolumenta quaecumque, tam ecclesiae sive episcopali mensae, aut ipsi pro tempore existenti Elvensi episcopo, et illo, seu illis quomodolibet spectantia, et pertinentia, nec non etiam utriusque sexus personas, habitatores, et incolas, tam laicos, quam clericos, presbyteros, beneficiatos, et religiosos quoscumque, et cujuscumque etiam status, gradus, ordinis, et conditionis existant, ab ordinaria venerabilis fratris Nostri moderni, ac dilectorum etiam filiorum modernorum, ac pro tempore existentium episcopi, ac capituli, et canonicorum dictae ecclesiae Elvensis jurisdictione, potestate, et superioritate, etiamsi praefati episcopi ad hoc minime accedat assensus, cui Nos ad effectum praemissum motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, apostolica auctoritate supplemus, eadem apostolica auctoritate dismembramus, disjungimus, ac separamus, nec non integrum territorium supradictum sic dismembratum, sejunctum, et separatum, ac in eo consistentia loca, ecclesias, etiam parochiales, conventus, monasteria, et beneficia, ac superius expressa jura, et cujuscumque generis, speciei, et qualitatis redditus, proventus, ac emolumenta quaecumque, ut praefertur, tam ecclesiae, sive episcopali mensae, aut ipsi pro tempore existenti episcopo Elvensi quomodolibet spectantia, et pertinentia, omnesque, et singulas tam laicas, quam ecclesiasticas utriusque sexus personas, episcopali ecclesiae, et dioecesi Pacensi dicta apostolica auctoritate similiter perpetuo adjungimus, et incorporamus, ac omnimodae jurisdictioni, superioritati, visitationi, et correctioni ipsius moderni, et pro tempore existentis episcopi Pacensis, ita quod liceat ei per se, vel alium, seu alios ejus nomine in supradicto oppido, aliisque totius territorii praefati locis, ac in eis contentis ecclesiis, et monasteriis, eorumque pertinentiis, juribus, et annexis praefatis veram, realem, actualem, et corporalem possessionem, seu quasi possessionem administrationis spiritualis, et omnimodi juris dioecesani, propria auctoritate libere apprehendere, cujusvis licentia desuper minime requisita, apostolica auctoritate praefata, tenore praesentium etiam perpetuo supponimus, atque subjicimus.

Submovetur omne remedium juris, quod facere posset pro impedienda executione praesentium literarum.

§. 4. Praesentes quoque, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis, seu in eorum aliquo jus, aut interesse habentes, vel habere praetendentes etiam quomodolibet in futurum, cujusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae, et ecclesiasticae, vel mundanae dignitatis sint, etiam specifica, et individua mentione, et expressione digni, illis non consenserint, seu quod aliqui ex ipsis ad praemissa minime vocati, vel etiam nullimode, aut non satis, vel sufficienter auditi fuerint, aut ex alia qualibet etiam juridica, et privilegiata, ac privilegiatissima causa, de necessitate juris, vel

facti omnino exprimenda de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, seu quopiam alio etiam magno, et substantiali defectu notari, impugnari, invalidari, vel alias quomodolibet infringi, retardari, annullari, seu per Nos, et successores Nostros Romanos pontifices pro tempore existentes, ac Sedem praefatam, seu S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et vice legatos, dictaeque Sedis nuncios, vel quosvis alios quavis auctoritate fungentes, suspendi, revocari, restringi, limitari, aut alias etiam motu pari concedi, seu illis etiam in aliquo derogari, aut quidquam aliud in contrarium disponi nullatenus umquam posse, sed eas semper, et perpetuo validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos, ac praefatos S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios praefatos, et quosvis alios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et potestate, judicari, et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus de jure quaesito non tollendo, aliisque Nostris, et cancellariae apostolicae regula nec non, quatenus opus sit, Lateranensis concilii novissime celebrati, dismembrationes perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictarumque Elvensis, et Pacensis respective ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis: quibus omnibus et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, et singulorum tenores, formas, et causas etiam quantumvis pias, et privilegiatas, praesentibus pro plene et sufficienter, ac de verbo ad verbum nihil penitus omisso, insertis, expressis, ac specificatis habentes, illis alias in suo robore permansuris latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide, hac vice dumtaxat ad praemissorum validissimum effectum, specialiter, et expresse motu simili harum quoque serie derogamus, ac sufficienter derogatum esse, et censeri etiam decernimus, contrariis quibuscumque.

Deputatio executoris apostolici.

§. 6. In executorem vero praesentium Nostrarum literarum deputamus dilectum filium Nostrum, et Sedis apostolicae nuncium in Hispaniarum regnis commorantem, cum potestate quamcumque aliam idoneam personam in ecclesiastica dignitate constitutam subdelegandi, et cum omnibus, et singulis facultatibus ad praemissorum omnium plenarium effectum necessariis, et opportunis.

Sanctio poenalis.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae dismembrationis, disjunctionis, separationis, adjunctionis, unionis, incorporationis, subjectionis, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae, millesimo octingentesimo secundo, sexto idus octobris pontificatus Nostri anno tertio.

CLXX.

Dat. die [illegible] nov. 1802. Anno III.

Approbatio articulorum cum insertione instantibus sutoribus civitatis Eugubinae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi nuper fecerunt Nobis dilecti filii sutores Eugubinae civitatis, quod ipsi, ut asserunt, quum alias sub uno artis corpore consociati universitatem formarent, mox tamen ut prodiit edictum motus proprii Nostri, quo cunctas universitates artium jussimus abo-

leri, suae universitatis corpus tamquam dissolutum, ac de medio sublatum omnes deseruerunt, verum ad provisoriam rerum administrationem nonnulli relicti sunt, quos demandatam ante abolitionem rebus ipsis gerendis recensita praefecerat universitas, utpote quae bona possidebat non pauca empta, et acquisita ex donis, oblationibusque longo saeculorum spatio per quamplures sutores ultro porrectis; redditusque bonorum hujusmodi impendebat ad fructus censuum solvendos, ad collabentes fundos reparandos et conservandos, ad onerum cameralium ac communitativorum satisfactionem, ad hospitale peregrinorum, aliasque annuas pias causas: quumque exponentibus valde sit cordi ea perpetuo tueri, quae religionem, et pietatem respiciunt, quorumque navare curae per §. 4. dicti motus proprii indulgetur, huc ipsi idcirco animum intenderunt, novamque excogitarunt rerum dispositionem, quae eidem motui proprio nullatenus, ut inquiunt, adversatur, quaeque digesta, ac explanata est prout sequitur.

NUOVO PIANO

Tenor novarum dispositionum a sutoribus digestarum.

§. 2. Per l'amministrazione dei beni de' calzolari di Gubbio a tenore del motu proprio di nostro signore papa Pio VII. felicemente regnante.

Quod bona universitatis pertinerent ad cappellaniam erectam in altare Pietatis.

I. §. 3. Tutti i beni spettanti all'estinta università de' calzolari di Gubbio saranno di proprietà perpetua della cappella laicale, ed altare del ss. Crocifisso, o sia della Pietà, da due secoli eretta dai medesimi calzolari nella chiesa de' pp. Minori Conventuali della stessa città.

Quod cappella evadat jurispatronatus artificum sutorum.

II. §. 4. La medesima cappella, ed altare sarà di perpetuo gius padronato degli artieri calzolari della medesima città.

Quod cappella recipiatur sub protectione cardinalis eligendi.

III. §. 5. Questa cappella, ed altare rimarrà sotto l'immediata protezione dell'eminentiss. cardin. Gio. Francesco Albani, già protettore dell'arte de' calzolari, dopo la di cui morte, che Iddio tenga lontana, passerà sotto altro eminentissimo cardinale da eleggersi in protettore degli stessi calzolari.

Quod administratio bonorum perficiatur a duobus prioribus.

IV. §. 6. L'amministrazione de' medesimi beni si farà da due priori, un ministro, e depositario, da eleggersi di anno in anno dagli stessi calzolari per il primo di novembre.

Quod administratores teneantur reddere rationem administrationis.

V. §. 7. Che i suddetti priori, e ministro, in fin d'ogni anno, debbano rendere esatto conto dell'entrate, ed esito, e di ciò debbasi formar tabella da presentarsi all'eminentiss. protettore, onde ottenere la necessaria approvazione.

Quod depositarius mercedem habeat in scutis octo annuis.

VI. §. 8. Il ministro, e depositario debba avere il solito emolumento di scudi otto grossi annualmente.

Quod fructus census solvendi ab hospitali magno civitatis Gubii cedant in comodum camerae apostolicae.

VII. §. 9. Il frutto annuo del censo in sorte di scudi cinquecento imposto da questo spedale grande di Gubbio a favore de' calzolari debba presentarsi ogni anno in perpetuo alla reverenda camera apostolica, che diverrà proprietaria anche dell'intiera sorte di detto censo nel momento della nuova amministrazione.

Quod bona debeant exacte manuteneri.

VIII. §. 10. Dovrà impiegarsi una somma corrispondente al bisogno del mantenimento de' fondi di anno in anno, e loro necessari buonifici.

Quod onera cameralia eruant solvenda.

IX. §. 11. Verranno soddisfatte le gravezze alla camera apostolica, e comunità.

Item et fructus censum.

X. §. 12. Altra somma si eroghi in pagamento de' frutti de' censi passivi.

Quod scuta quinquaginta erogentur in festo protectoris.

XI. §. 13. Scudi cinquanta s'impieghino per la solita festa di s. Crispino, e suo consecutivo offizio pe' defonti calzolari.

Quod dos in festo protectoris detur uni filiae sutoris.

XII. §. 14. Nella detta festa si conferirà una dote di scudi sedici ad una zitella figlia di un artiere calzolaro, secondo il solito.

Quod pp. Conventualibus solitae concedantur oblationes.

XIII. §. 15. Ai pp. Conventuali di s. Francesco si daranno le solite mine sei grano, some quattro mosto, e paoli venti annualmente.

Et pp. Mendicantibus consuetae eleemosynae.

XIV. §. 16. Alli pp. Mendicanti, si passerà la solita limosina di paoli trenta all'anno.

De suppellectili praebenda.

XV. §. 17. Sarà provveduta sempre la stessa cappella de' necessari suppellettili, cera, ed olio.

De cereis mittendis in processionibus statutis.

XVI. §. 18. Continueranno a mandarsi i soliti doppieri alle pubbliche processioni, e v'interverranno i calzolari a quella di s. Ubaldo, s. Giovanni, e Corpus Domini.

De associatione mortuorum.

XVII. §. 19. Ogni defonto calzolaro sarà associato, secondo il solito dagli altri artieri al tumulo innanzi la divisata loro cappella con i consueti suffragi.

De frumento pauperibus dando.

XVIII. §. 20. Si spianeranno mine quindici grano, da distribuirsi in tanto pane a poveri nel dì di s. Crispino.

De manutentione hospitalis.

XIX. §. 21. L'ospedale dell'arte dovrà mantenersi secondo il solito, di pagliacci, coperte, e biancheria.

De conferentiis sutorum in loco sacro faciendis.

XX. §. 22. L'adunanze de' calzolari si faranno nella sagrestia de' pp. Minori Conventuali al novembre e maggio, ed i priori, e depositario dureranno ad annum.

De erogatione redditaum superextantium.

XXI. §. 23. Se vi saranno avanzi nelle rendite dovranno impiegarsi in estinzione di debiti ed in mantenimento de' poveri artieri calzolari vecchi, ed invalidi.

De oblatione facienda ecclesiae sancti Ubaldi.

XXII. §. 24. Nell'anno santo ossia ogni 25. anni si darà la solita offerta alla chiesa di s. Ubaldo, per mantenimento della medesima nella somma di scudi 100. per essere il lodato santo protettore di Gubbio.

Confirmatio apostolica.

§. 25. Quo autem praeinserta haec capitula, seu articuli firmiter subsistant, optatumque sortiantur effectum, ea exponentes per Nos rata, ac valida haberi, et declarari summopere desiderant; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, auctoritate apostolica tenore praesentium omnia, et singula superius descripta capitula seu articulos, tamen, ut praefertur, cum dicto motu proprio non sint repugnantia, approbamus, et confirmamus, illisque robur apostolicae firmitatis adjicimus, ac cunctos juris, et facti defectus, si quos quomodolibet desuper intervenisse contigerit, plenarie sanamus atque supplemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 26. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, ac spectabit pro tempore in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 27. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praeter protectorem S. R. E. cardinalem sit etiam convisitator in praemissis ordinarius loci pro tempore juxta eamdem methodum vigentem ad praesens penes laicalem sodalitatem Eugubii, quae dicitur de Misericordia. Datum Romae apud s. Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die decima nona novembris millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

CLXXI.

Dat. die 19. nov. 1802. Anno III.

Facultas vexillario, et antianis reipublicae Lucanae vendendi bona stabilia ex bonis consistorialibus pro summa circiter scutorum 66,000. cum licentia annuam taxam constituendi scutorum 3000. super universa bona ecclesiastica tamdiu duratura, quam diu res ecclesiasticae fuerint ibi in integrum restitutae.

Pius PP. VII.

Venerabili fratri Philippo archiepisc. Lucano.

Venerabilis frater salutem,
et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii vexillarius, et antiani reipublicae Lucanae, quod jam ab anno MDCCXCVIII. ex publico dictae civitatis aerario summam sex, et sexaginta circiter mille scutatorum monetae Romanae persolvi necesse fuit ad liberanda beneficia consistorialia nuncupata in ejusdem civitatis territorio existentia ab eorum occupatione. Cum autem sicut in eadem expositione additum erat, publicae ipsius civitatis res ita ad incitas successive redactae sint, ut sine ulteriori mora eamdem pecuniae vim eidem aerario rependi omnino oporteat, ideo per Nos, et hanc apostolicam Sedem concedi desiderant, ut tot bona hujusmodi consistorialia vendantur, quot satis erunt ad impensam pecuniam aequiparandam, ut in re tam gravi ea, qua pars est maturitate, procederemus, preces hujusmodi suffragio etiam tuo suffultas expendendas commisimus peculiari nonnullorum venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium ad

id specialiter deputatae congregationi, quae ad evitandam, quo fieri posset modo, bonorum hujusmodi venditionem, prius censuit dandam esse operam, ut summa praedicta pecuniae cum foenore a nummosis viris acciperetur. Id consilii libenter probavimus, tibique ab ejusdem congregationis secretario per literas pridie idus junii datas significari mandavimus, additis praeterea fraternitati tuae facultatibus necessariis, et opportunis ad haec explenda, ac trium mensium praefixo termino, cum edictorum adfixione, quo facilius deliberatio hujusmodi ad pecuniosorum etiam extraneorum aures perveniret. Quibus peractis a te, ac ab ipsis vexillario, et antianis inviti accepimus, ne unum quidem adhuc extitisse, qui nummum foenori hujusmodi dandum afferret. Cum itaque nulla alia supersit via ad pecuniam colligendam, nisi totidem bonorum consistorialium hujusmodi venditio, cumque vexillarius, et antiani praedicti, iterum, ac vehementius ad maximas publicas necessitates levandas Nobis humiliter supplicari fecerint, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis

§. 2. Nos attentis peculiaribus gravissimis dictae civitatis circumstantiis, eorumdem exponentium votis quantum cum Domino possumus benigne annuere, eosque specialibus, gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine, Nobis humiliter porrectis inclinati, de peculiaris memoratae congregationis consilio eidem fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut depurata prius pecuniae summa, quae strictim pro bonorum consistorialium hujusmodi liberatione, ut praefertur, impensa fuit, ac praevia edictorum affixione, servatisque alias servandis, totidem bona stabilia quaecumque ex praedictis consistorialibus bonis, quot ad praecisam pecuniae summam hujusmodi reddendam dumtaxat sufficient, sive ad tempus, sive etiam in perpetuum alienari, et majoribus, melioribusque oblatoribus, salvo tamen ubique jure vigesimae, et sextae absque ullo censurarum, e poenarum ecclesiasticarum incursu vendi libere, et licite posse, ita tamen, ut ad parochiarum bonis hujusmodi consistorialibus adnexarum, et personarum, quae de praesenti bona hujusmodi alienanda possident, provisionem, nec non ad eorumdem bonorum vendendorum reparationem taxam annuam trium mille scutorum monetae memoratae super fructus, redditus, et proventus ecclesiasticos universos etiam mensae istius archiepiscopalis, metropolitanae, et collegiatarum ecclesiarum, conventuum, monasteriorum etiam exemptorum, beneficiorum, cappellaniarum, ac quorumvis locorum piorum constituas tamdiu duraturam, quamdiu res ecclesiasticae praedictae in ista civitate fuerint in integrum restitutae, auctoritate Nostra apostolica concedas, et quamcumque necessariam, et opportunam facultatem tribuas.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus fel. rec. Pauli II. et reliquorum Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum de rebus ecclesiasticis non alienandis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non istius metropolitanae, et aliarum ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, eorumque ordinum etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die decima nona novembris millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 26. nov. 1801. Anno II.

CLXXII.

Confirmatio resolutionis consiliaris cum insertione, pro communitate civitatis Velitrarum.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii conservatores, consiliarii, et communitas civitatis Nostrae Velitrarum, quod attenta varietate notariorum quibus Romana in curia indiscriminatim uti pro rebus ad communitatem ipsam spectantibus, consuevere Velitrarum episcopi cardinales, et gubernatores, factum saepe saepius est, ut neque paucis, neque levibus detrimentis obnoxia communitas fuerit, quum haec aut illa documenta sibi ad rem necessaria, utpote quae hic aut illic seorsim in variis notariorum officiis delitescerent, nisi magno cum labore et impendio, ac etiam serius aequo inveniri non possent. Hinc populo adversus mala ac incommoda hujusmodi crebris clamoribus remedium flagitante, excogitatum tandem ac propositum fuit, ut in posterum cancellaria pro negociis communitatis praedictae cardinalibus episcopis, et gubernatoribus Veliternensi urbi inservienda manere solummodo, ac perpetuo debeat penes notarium capitolinum pro tempore, qui una sit notarius loci pii, quem vocant sanctissimae Annunciatae, quique in platea dicta de s. Clara nunc residet: eo vel magis quod is quinque et viginti ab hinc annis jugiter venerabilis fratris Nostri Joannis Francisci Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis Albani nuncupati moderni episcopi Velitrarum, atque gubernatoris cancellarius extitit, ac existere pergit: quod quidem et consilium majus, ut ajunt, communitatis solemni deliberatione decrevit, ac idem venerabilis frater Noster suo deinceps assensu ratum habuit, ac declaravit modo, et forma ut sequitur.

Tenor resolutionis consiliaris.

§. 2. Die secunda octobris 1796.

Coram illustrissimis dominis

Claudio D'Enghien vice gubernatore.

Stefano Straccalini, et Constantino Salimei consulibus residentibus.

Habito in aula magna hujus palatii communalis consilio majori, cui pridie intim. etiam quoad d. canonicum Mazzoni procuratorem fiscalem pro transmissione duorum deputatorum ecclesiasticorum, mihi pret. Sbordone med. ac campana de more pulsata, interfuerunt, atque sederunt infrascripti.

Illustrissimi domini

Dominicus Colonnesi sindicus.
Tenens Franciscus Fabri assessor fiscalis.
Carolus Maria Gagliardi.
Tenens Joannes Salimei.
Cap. Jo. Baptista Straccalini.
Aloisius Macioti.
Carolus Joseph Antonius eques Gagliardi.
Eques Joseph Maria Caldaroni.
Eques Octavius Colonnesi.
Joseph Fabri.
Joannes Tersenghi.
Vincentius Gregni.
Eques Paulus Maria Toruzzi.
Cap. Geraldus Colonnesi.
Cap. Carolus Cella.
Jo. Baptista Mazzoni.
Cap. Justinianus Giorgi.
Jo. Bapt. Prosperi.
Petrus Santini.
Cap. Dominicus Colonnesi.
Eques Philippus Borgia.
Tenens Joannes Franciscus Pollicani.

Quibus sic coadunatis recitata prius solita oratione *Actiones nostras* etc. acta sunt, quae sequuntur, videlicet — et omissis aliis propositionibus, fuit propositum, et resolutum prout infra ec.

Constituitur ut officium notarii pro communitate in urbe sit illud nuncupatum sanctissimae Annunciationis.

§. 3. Avendo suggerito il suddetto sig. cavalier Ottavio Colonnesi, che per comodo di tutti di questa città sia cosa molto utile, e comoda di aver fisso un officio in Roma, che essendo il notaro cancelliere perpetuo dell' eminentissimo, e reverendissimo sig. cardinale governatore di Ostia, e Velletri, possa con più facilità, utilità, e prontezza aversi quegli atti, e documenti, de' quali ciascuno abbisogni, senza essere astretto andare indagando per Roma i notari, e gli officj de' respettivi eminentissimi governatori nostri: e siccome ha riferito d'averne anche prevenuto

l' eminentissimo porporato suddetto, il quale siaglisi espresso, che sebbene non sia di lui assoluta facoltà, pur tutta volta quando vi sia la risoluzione di questa città, non s' incontrerà per parte sua difficoltà per aderirvi: perciò volendovisi sentire il sentimento delle signorie vostre illustrissime si propone.

A chi pare, e piace, che condiscendendovi l' eminentissimo e reverendissimo sig. cardinale governatore, e riservata l' approvazione del supremo principe, in avvenire sia sempre cancelliere dell' eminentissimo vescovo, e governatore d' Ostia, e Velletri, l' officio in Roma alla santissima Annunziata, senza alcuna cura e spesa di questa comunità, o sia di breve, beneplacito, e tutt' altro, che possa occorrere per l' effetto suddetto.

Et datis, recollectisque etc. suffragia nigra duo, alba viginti duo, et obtinuit.

Tenor literarum eminentissimi domini.

Illustrissimi signori

Tenor literarum eminentissimi episcopi electionem probantis.

§. 4. Premessa la convalidazione del consiglio celebrato li due corrente, in cui si è determinato di prendere ad interesse li scudi 4000. promessi di prestanza al nuovo affittuario de' macelli, come le signorie vostre illustrissime mi riscontrano, approvo la stessa risoluzione a seconda della loro istanza; e ciò bastando in risposta alla di loro lettera su tal oggetto, con i soliti sentimenti di affettuosa stima mi confermo.

Delle signorie vostre illustrissime

Signori consiglieri di Velletri

Roma 5. ottobre 1796.

Affezionatiss. per servirle sempre
G. Francesco card. Albani.

In quorum fidem etc. Not. Velitris ex secretaria conservatoriali hac die 22. sept. 1801.

Ita est

J. Folignoli I. V. D. not. pub. et inclytae civitatis Velitrarum secret. rogatus in fidem etc.

Loco ✠ signi.

Per quanto a noi spetta appprovando la retroscritta risoluzione consiliare dei 2. ottobre 1796. riguardo alla perpetua fissazione qui in Roma dell' officio della santissima Annunziata a s. Chiara in cancellaria degli eminentissimi vescovi, e governatori di Ostia, e Velletri, vi prestiamo il pieno nostro assenso. Roma dal nostro palazzo alle quattro fontane questo di 10. dicembre 1801.

Gio. Francesco card. vesc. di Ostia, e Velletri.

Confirmatio apostolica.

§. 5. Ut autem quae hic superius inserta, ac enarrata sunt, subsistant, exactiusque serventur, ea exponentes per Nos approbari, ac apostolicae Nostrae confirmationis patrocinio communiri summopere desiderant; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, praeinsertam consiliarem resolutionem cum omnibus et singulis in ea contentis adjunctis, ac expressis auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illique, ac illis perpetuae, et inviolabilis firmitatis robur adjicimus, atque omnes, et singulos sive juris, sive facti defectus si quos desuper quomodolibet intervenisse contigerit, sanamus atque supplemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat ac spectabit pro tempore, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima sexta novembris millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

Digitized by Google

Dat. die 7. dec. 1802. Anno III.

CLXXIII.

Facultas utroque clero civitatis et dioecesis Popajacensis saeculari, et regulari calendario dioecesano utentibus recitandi in dicta civitate et dioecesi officium cum missa in honorem sancti Æmygdii jam approbat. pro civitate Asculana.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Cum sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii clerus saecularis, et regularis civitatis, et dioecesis Popajacensis, ipsi pro suo erga s. Æmygdium episcopum, et martyrem devotionis affectu, ejus cultum et venerationem in dies augeri summopere desiderent.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes; supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, referente dilecto filio magistro Julio de Carpineo sac. rit. congregationis secretario, ut quotannis in eadem civitate, et dioecesi in die semel fixa ab ordinario destinanda, ab universo praedicto clero saeculari, nec non a religiosis, et monialibus utentibus calendario dioecesano recitari possit ritu dupl. min. officium cum missa in honorem s. Æmygdii episcopi, et martyris jam approbat. pro civitate, et dioecesi Asculana, exceptis lectionibus primi nocturni, quae erunt de scriptura occurrente, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictarum civitatis, et dioecesis capitulorum saecularium et regularium statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die septima decembris millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 7. dec. 1802. Anno III.

CLXXIV.

Facultas capitulo collegiatae ecclesiae sancti Joannis et Reparatae civitatis Lucensis abessendi a choro alternatim pro una hebdomada intra novem menses cujuslibet anni, ac percipiendi distributiones hebdomadae hujusmodi.

Venerabili fratri archiepiscopo Lucensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi nuper fecerunt Nobis dilecti filii capitulum, et canonici insignis, ut asseritur, collegiatae, et parochialis ecclesiae ss. Joannis, et Reparatae civitatis Lucensis, quod capitulum istius ecclesiae octo canonicis, et quindecim cappellanis choralibus constat, quarum pars una ex suae institutionis praescripto per mensis dimidium choro, et ecclesiae quotidie inservit, altera vero pars per idem tempus ab omni servitio vacat. Verum tot, tantaque inter annum concurrunt servitio strictae obligationis, cunctisque communia, ut nemo umquam integra vacationis suae hebdomada gaudere libere valeat. Quapropter inito capitulari consilio unanimiter decreverunt, si decreto tamen hujusmodi apostolica suffragetur facultas, alteros alternatim post alteros per hebdomadam integram se a choro penitus abstinere, nec ullam interim distributionum etiam a solis praesentibus lucrandarum jacturam facere. Nobis propterea humiliter sup-

Digitized by Google

plicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati; fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut constito tibi de narratis, ac proviso, ut officia divina aliquid ibi detrimenti, praesertim festis solemnioribus, patiantur, eisdem canonicis, et cappellanis petitam facultatem, cujus vigore tam ipsi, quam ipsorum pro tempore successores alternis invicem vicibus per gyrum novem dumtaxat mensium anni, quos tu designaveris, singuli eorum a choro dictae ecclesiae spatio unius integrae hebdomadae abesse, eaque in hebdomada omnes et singulas distributiones cujuscumque generis et naturae, ac quacumque vi legis, et praecepti, sive usus, et consuetudinis, aut fundationis, legati, census, funeralium, seu anniversariorum, vel alterius cujuslibet tituli, a solis praesentibus percipi solitas, aut solis praesentibus nominatim, ac expresse assignatas, exigere, percipere, ac in suos usus, et utilitatem convertere libere ac licite valeant, auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium pro tuo arbitrio impertiaris.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus fel. rec. Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima decembris millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

CLXXV.

Dat. die 17. dec. 1802. Anno III.

Facultas magistratibus civitatis Firmanae, ut sub rubone tunicam vulgo di tocca d'oro cum zona simili, et floccis auro sericis in functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare possint.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Paterna, quam de Nostris, et apostolicae Sedis in temporalibus subditis gerimus, cura et solicitudo Nos urget, ut eorum votis, quantum cum Domino possumus, benigne annuamus.

Ratio et tenor concessionis.

§. 2. Cum itaque inter caeteras ditionis Nostrae ecclesiasticae civitates Firmana civitas antiquitatis laude, familiarum splendore, populi frequentia, ac constanti in Romanos pontifices, et sedem praedictam observantia, et fide non mediocriter floreat, ac senatum, seu magistratus habeat in publicis rebus gerendis prudentia, et integritate praestantes, Nos qui civitatem praedictam, illiusque communitatem, et homines praemissorum meritorum intuitu propensiore quodam benevolentiae Nostrae complectimur affectu, dilectos filios magistratus hujusmodi aliquo apostolicae beneficentiae Nostrae munere donare, et amplioris honorificentiae praerogativa decorare volentes, ac ipsorum magistratuum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter por-

rectis inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus magistratibus ejusdem civitatis Firmanae, ut ipsi sub rubone tunicam vulgo di tocca d' oro cum zona simili, et floccis auro sericis, nec non fasces vulgo mazza nuncupat. cum umbella in publicis functionibus, et aliis actibus publicis quibuscumque gestare, illisque uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus; dictosque magistratus desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae civitatis etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, nec non, quatenus opus sit, aliarum civitatum ditionis Nostrae ecclesiasticae consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima septima decembris millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

CLXXVI.

Dat. die 18. dec. 1802. Anno III.

Suppressio trium dignitatum cathedralis Lisbonensis, et nonnullorum archidiaconatuum aliarum ecclesiarum, illorumque fructuum applicatio in substentationem conventus reformatorum sancti Francisci in regali palatio regis Portugalliae de Mafra nuncupato.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Ineffabilis Dei providentia, quae in sua dispositione non fallitur, atque hominibus cunctis, vitae praesertim evangelicae professoribus, se nihil habentes, possessuros omnia promisit, quemadmodum corda regum, et principum, ut eos alant mediis undique conquisitis, suaviter urget, animum ita pulsat, et paterna insinuatione commovet Nostrum, ut quae de sacro Ecclesiae thesauro, vel patrimonio fuerint ad id opus vel extrahi partim, vel prorsus adhiberi provide excogitata, rite postmodum ministerio Nostro exequantur, ita quidem, ut tandem in iis omnibus tum Dei omnipotentis gloria, tum principum laus, tum simul apostolicae Sedis honor valeant mirifice relucere.

Expositio precum, et ratio decernendae suppressionis.

§. 2. Et sane cum dilectus filius Alexander de Souza et Holstein dilectissimi in Christo filii Nostri Joannis Brasiliae principis, ac regnorum Portugalliae, et Algarbiorum regentis, apud Nos, et Sedem apostolicam orator exposuerit; quod clarae memoriae Joannes eo nomine quintus, dum viveret eorumdem Portugalliae, et Algarbiorum rex fidelissimus ad comparandam magis suorum subditorum animarum salutem opportunum noscens, ut penes ipsum regium palatium de Mafra quidam constitueretur ecclesiasticorum virorum coetus, qui divini cultus propagationi ita flagranter incumberent, ut per eorum verba, et exempla, fidelium animi, ad pietatem, et religionem magis magisque excitati condignos bonorum operum fructus, et virtutum flores uberius reddere possent, cum in religiosos ordinis fratrum s. Francisci reformatorum s. Petri de Alcantara nuncupatorum provinciae de Arabida oculos injecisset, conventum inibi ejusdem ordinis statuit, illique tot annua emolumenta, seu certa charitativa subsidia comparavit, quot pro trecentorum religiosorum numero in eo alendo, et signanter pro illius ecclesiae decenti manutentione sufficerent. Post autem memorandum terraemotum, qui de anno Domini millesimo septingentesimo quinquagesimo quinto in illis partibus evenit, quique caedem undique intulit, et successive ob perpessa bellorum infortunia, emolumenta, et subsidia praedicta adeo decreverunt, ut religiosorum numerus ad centum sexaginta solummodo redactus fuerit, qui tamen ali minime potuissent, nisi vires aerarii regis copiosis subventionibus illorum substentationi huc usque supplevissent. Ac cum rerum, ac temporum circumstantiae non sinant, amplius aerarium illud, tot expensis obrutum, hujusmodi subministrationum oneribus de caetero gravari; secus vero dictus Joannes princeps, ac regens, de illius optimae institutionis utilitate apprime conscius, atque optans, ut illius conservationi, et incremento pro eorumdem subditorum spirituali profectu, hac vel maxime

Digitized by Google

tempestate, qui infensissimus ille animarum hostis tantam super terris seminavit zizaniam, modis omnibus occurratur, aciem proinde suae considerationis convertens ad media, quae firmum, ac stabile subsidium annuum praelaudato conventui constituere valerent, novit aliunde haberi non posse nisi, ut a patriarchali scilicet Lisbonensi tribus ex dignitatibus principalibus, praelaturis nuncupatis, quae prout et canonicatus, et praebendae, aliaque beneficia ecclesiastica ejusdem patriarchalis ecclesiae Lisbonensis de jurepatronatus pro tempore existentis Portugalliae, et Algarbiorum hujusmodi regis fidelissimi respective existunt, primo loco respective vacaturis: nec non in Bracharensi uno de Barozzo, ac alio sanctae Christinae, ac alio de Fonteacorda ac alio de Lambruge, ac alio de Niva, ac alio de Villanova de Cerveira, et alio de Vermoim, et reliquo de Braga: ac in Elborensi uno de Seixa, et altero de Bago, seu Baculo: ac in Visensi uno sancti Petri de Franza, et altero etiam de Baculo: ac in Ægitaniensi uno de Guarda, ac alio de Salovito, et reliquo de Corillam. Et in Lamacensi uno etiam de Baculo, seu di Valdiguera, et altero de Cova; ac in Portugallensi respective cathedralibus ecclesiis uno etiam de Baculo, et altero de Olvejra respective nuncupatis archidiaconatibus, in dictis respective cathedralibus ecclesiis dignitatibus, non tamen post pontificalem majoribus, aliisque similibus archidiaconatibus in supradictis vel aliis regnorum Portugalliae ecclesiis forsan sub specialibus aliis denominationibus respective existentibus: quorum tamen archidiaconatuum, videlicet illorum de Vermoim, et de Braga in praefata Bracharensi, ac illius de Baculo in praedicta Visensi, ac illorum de Guarda, et de Salovito, et de Corillam in supradictae Ægitaniensi, ac illorum de Baculo, seu de Valdiguera, et de Cova in dicta Lamacensi, ac illius etiam de Baculo in praedicta Portugallensi cathedralibus ecclesiis hujusmodi respective tertia pars, illius vero de Olivejra in eadem cathedrali Portugallensi, medietas respective fructuum, reddituum, et proventuum: illorum vero de Barozzo, ac sanctae Christinae, et de Fonteacorda, et de Labruge, et de Niva, et de Villanova de Cerveira, in supradicta Bracharensi, ac illorum de Seixa, ac de Bago, seu Baculo in praefata Elborensi, et illius s. Petri de Franza in praedicta Visensi cathedralibus ecclesiis hujusmodi, omnes et singuli illorum respective fructus, redditus, et proventus, alias per felicis recordationis Clementem pp. XII. praedecessorem Nostrum dignitatibus atque canonicatibus, et praebendis praedictae patriarchalis ecclesiae Lisbonensis apostolica auctoritate perpetuo respective applicatae, et applicati fuerunt, onere tamen pro tempore existentibus dignitatibus, et canonicis dictae patriarchalis ecclesiae Lisbonensis injuncto, annuam summam centum, et septuaginta unius ducatorum auri de camera, et juliorum septem monetae Romanae cum dimidio alterius julii similis cuilibet ex illorum archidiaconatuum possessoribus etiam pro tempore existentibus, quorum omnes fructus, ut praefertur, applicati fuerunt quotannis in perpetuum solvendi, in hujusmodi archidiaconatuum respective vacationum eventus: et insuper uno canonicatu, et una integra praebenda in qualibet ex Ægitaniensi, et Portugallensi, et Visensi, et Lamacensi praefatis, et aliis etiam Elvensi, Pharaonensi, et Leyriensi respective cathedralibus ecclesiis, primo loco pariter vacaturis: ac duobus dimidiis canonicatibus nuncupatis in qualibet ex Bracharensi, et Elborensi praefatis, et in altera etiam Colimbriensi respective cathedralibus ecclesiis, itidem primo loco respective vacaturis, in perpetuum respective suppressis, et extinctis, usque dum ex eorum redditibus annua constituatur summa tresdecim millium septingentorum quatuordecim ducatorum auri de camera hujusmodi, et juliorum quinque monetae Romanae summae sexaginta millium cruciatorum monetae regni Portugalliae respondentium, quae pro supradicti conventus, illiusque ecclesiae manutentione (exclusis tamen expensis pro regii supradicti palatii, aedium conservatione occurrentibus, quarum dictus Joannes princeps, ac regens, regiae coronae Portugalliae, onus reservavit) necessaria dignoscitur: omnia et singula praedictarum trium dignitatum principalium, ac archidiaconatuum, et canonicatuum, et integrarum praebendarum, nec non dimidiorum canonicatuum hujusmodi respective bona, res, proprietates, ac fructus, redditus, et proventus, jura, obventiones, et emolumenta quaecumque, quovis nomine nuncupata in subventionem praelaudati conventus,

modo tamen et forma infrascriptis, perpetuo similiter adsignentur. — Cumque dictus Alexander nomine ipsius Joannis principis ac regentis supplex oraverit, ut hanc dispositionem utpote dei gloriam respicientem, supremae Nostrae auctoritatis auxilio ad optatum effectum perducere dignaremur.

Nuncio apostolico committitur tot vacantia beneficia supprimentia designare, quot requiruntur ad implendam summam requisitam.

§. 3. Nos igitur, qui ex muneris Nostri debito ad ea intendere non desistimus, quae divini cultus incremento, et animarum quoque saluti plurimum expedire conspicimus, votis ac precibus ipsius Joannis principis et regentis ad Nos per dictum Alexandrum nomine praedicto delatis in praemissis de speciali Sedis apostolicae benignitate favorabiliter annuere volentes: ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, dilecto filio moderno, et pro tempore existenti, Nostro et Sedis apostolicae nuncio in civitate Lisbonensi commoranti per praesentes committimus, ut ipse tot ex superius expressis vacaturis beneficiis ecclesiasticis supprimendis designet, quod opus erunt ad conflandam summam praedictorum tresdecim millium septingentorum quatuordecim ducatorum auri hujusmodi, et juliorum quinque praefatae monetae, videlicet, praedictas tres ex dictis principalibus dignitatibus ipsius patriarchalis ecclesiae Lisbonensis primo loco, ut praefertur, vacaturas, ac pariter superius expressos archidiaconatus in supramemoratis, aliisque ecclesiis in Portugalliae regnis respective existentes, itemque unum canonicatum, et unam integram praebendam in qualibet, ex Ægitaniensi, et Lamacensi, et Portugallensi, nec non Elvensi, Pharaonensi, et Leyriensi respective etiam cathedralibus ecclesiis praedictis, primo loco pariter vacatura.

Tituli beneficiorum supprimuntur pro tempore respectivae vacationis.

§. 4. Ac praeterea duos dimidios canonicatus nuncupatos, in qualibet ex Bracharensi, et Elborensi, et Colimbriensi respective cathedralibus ecclesiis praefatis, itidem, primo loco respective vacaturos, firmis tamen remanentibus respectivis fructuum partialibus applicationibus, siquae forsan antea super aliquo ex dictis canonicatibus, seu dimidiis canonicatibus ab apostolica Sede factae fuerint, ex nunc prout ex tunc, et e contra postquam tamen illae tres dignitates principales, et archidiaconatus praedicti, ac canonicatus, et integrae praebendae, nec non dimidii canonicatus hujusmodi per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum, seu privationem, aut quamvis aliam amissionem, seu religionis ingressum et professionis in ea emissionem, dictas tres principales dignitates, ac singulos archidiaconatus praedictos, nec non canonicatus, et integras praebendas, ac dimidios canonicatus, hujusmodi nunc respective obtinentium, aut alias quovis modo, dispositioni apostolicae specialiter reservatae, ac reservati existant, etiam in aliquo ex mensibus Nobis, et Romano pontifici pro tempore existenti, Sedique praefatae, etiam per quascumque constitutiones apostolicas, aut cancellariae apostolicae regulas editas, vel edendas, aut alias quomodolibet reservatis, salvo tamen, atque integro semper in posterum remanente apostolicae Sedis jure admittendi pro libitu in supradictis omnibus ecclesiis canonicatuum, et dimidiorum canonicatuum resignationes, atque cum futura successione coadjutorias quavis remota limitatione, seu ordinariis collatoribus, etiam per constitutiones, et regulas easdem, seu literas alternativarum, aut alia privilegia, et indulta hactenus concessa, et in posterum concedenda, competentibus vacare contigerit, illarumque, et illorum respective titulum collativum, nomen, denominationem, naturam, et essentiam dignitatum principalium, atque archidiaconatuum, et canonicatuum, et integrarum praebendarum ac dimidiorum canonicatuum, respective collativarum, et collativorum hujusmodi: ita quod illae, atque illi, ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativae, et collativi respective esse desinant, et de caetero uti tales in titulum collativum quavis auctoritate conferri, aut impetrari, vel alias de illis quovis modo disponi amplius nequeat; et si praedictas tres principales dignitates, ac archidiaconatus, et canonicatus, et integras praebendas, ac dimidios canonicatus hujusmodi ullo umquam tempore conferri, aut impetrari, vel alias de illis quovis modo disponi contigerit, collationes provisiones, impetrationes, aliaeque dispositiones de illis pro tempore quomodolibet factae nullae, et invalidae, nulliusque roboris vel momenti existant, neminique suffragentur, nec cuiquam jus, vel coloratum titulum possidendi tribuant, apostolica sibi ad id specialiter, et expresse delegata auctoritate, donec tamen, et quousque supradicta summa tresde-

cim millium septingentorum quatuordecim ducatorum auri de camera praefatorum, et juliorum quinque monetae Romanae summae sexaginta millium cruciatorum monetae regni Portugalliae, ut praefertur, respondentium in totum ab aliis oneribus libera completa fuerit, et non ultra, apostolica, ut praefertur, delegata auctoritate, debitis modo et forma, perpetuo supprimat, et extinguat.

Bona suppressorum beneficiorum assignantur in manutentionem conventus, et ecclesiae religiosorum.

§. 5. Illisque respective suppressis, omnia, et singula eorumdem trium dignitatum principalium, ac archidiaconatuum, et canonicatuum et integrarum praebendarum, nec non dimidiorum canonicatuum hujusmodi qui necessarie supprimendi erunt, respective bona, res, proprietates, fructus, redditus, proventus, distributiones quotidianas, jura, obventiones, et emolumenta quaecumque, quovis nomine nuncupata, in quacumque re consistentia, et undecumque provenientia, et quoad praedictos archidiaconatus, pro quantitate unicuique eorum superextante, detractis iis, qui dignitatibus, et canonicatibus, et praebendis dictae patriarchalis ecclesiae Lisbonensis alias, ut praefertur, applicati fuerunt: ex nunc pariter prout ex tunc et e contra in superius expressos eventus, in praelaudati conventus, illiusque ecclesiae, ac religiosorum stabilem manutentionem, et substentationem, in modum tamen, ut administratio bonorum, ac fructuum, redditnum, et proventuum praefatorum per personam ecclesiasticam ab ipso Joanne principe, ac regente, ad id pro tempore ad sui libitum deputandam, et successive ab eodem moderno, et pro tempore existente nuncio praefato in officio hujusmodi instituendam integre exerceri debeat, absque eo quod pro tempore existentes fratres ejusdem conventus in administratione hujusmodi ullo modo se ingerere vel intromittere possint: liceatque personae sic deputandae hujusmodi, per se vel alium, seu alios administratoris nomine, dictarum trium dignitatum principalium, ac archidiaconatuum, et canonicatuum, et integrarum praebendarum, nec non dimidiorum canonicatuum, ut praefertur, qui supprimendi erunt, illarumque et illorum respective bonorum, rerum, proprietatum, ac fructuum, redditmum, et proventuum, distributionum quotidianarum, jurium, obventionum, et emolumentorum praefatorum, veram, realem, corporalem, et actualem possessionem propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, dictaque bona, res, proprietates locare dislocare, arrendare, fructus quoque, redditus, et proventus praefatos percipere exigere, levare, ac satisfactis tamen prius omnibus et singulis, non tamen personale servitium requirentibus oneribus, ipsis tribus dignitatibus, archidiaconatibus et canonicatibus, et integris praebendis, nec non dimidiis canonicatibus, qui, ut praefertur, supprimentur, annuatim respective incumbentibus, annuisque etiam pensionibus, siquae sint, ejusdem conventus syndaco apostolico nunc et pro tempore existenti libere persolvere, ut per eum in ipsius conventus, illiusque ecclesiae praefatae substentationem, manutentionem, et utilitatem integre convertantur, eadem apostolica sibi ad id ut supra delegata auctoritate, etiam perpetuo applicet, et appropriet ita tamen, ut si minori tum archidiaconatuum, tum canonicatuum, et integrarum praebendarum, vel dimidiorum canonicatuum per ipsum nuncium, ut praefertur, supprimendorum, et supprimendarum numero praedictam summam tresdecim millium septingentorum, et quatuordecim ducatorum auri hujusmodi, et juliorum quinque dictae monetae Romanae summae sexaginta millium cruciatorum monetae Portugalliae praedictae respondentium conflari contigerit, tunc illorum superextantium vel archidiaconatuum, vel canonicatuum, et integrarum praebendarum, aut dimidiorum canonicatuum status, natura, et essentia integra omnino, et illaesa remaneant, ipseque modernus, ac pro tempore existens nuncius praefatus, occurrente pro tempore cujuslibet ex praefatis tribus principalibus dignitatibus, ac alicujus ex archidiaconatibus, et canonicatibus, et integris praebendis, nec non dimidiis canonicatibus hujusmodi respective vacatione praefata, inspectis prius, et recognitis propriis uniuscujusque illorum veris redditibus, et onerum ei incumbentium qualitate, et quantitate, ac debitis per eum desuper captis informationibus, ad supradictas suppressionem, et unionem, usque ad complementum praecitatae summae tantum, et non ultra, debitis modo et forma, super quo ipsius conscientiam oneramus, procedat, exprimendo in singulis applicationum decretis veram annuam liberam summam, quae ad finem hujusmodi successive constituatur.

Confirmantur omnia quae erunt statuta a praedicto nuncio apostolico super suppressione, et respectiva applicatione beneficiorum

§. 6. Nos enim si suppressionem, extinctionem, applicationem, et appropriationem hujusmodi, aliaque praemissa per dictum nuncium praesentium vigore fieri contigerit, ut praefertur, easdem praesentes nullo umquam tempore, ex quocumque capite, vel qualibet causa, quantumvis juridica, et legittima, pia, privilegiata, ac speciali nota digna, etiam ex eo, quod causae propter quas praemissa emanarunt, coram Nobis adductae, justificatae, et verificatae non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, aut quolibet alio substantiali, substantialissimo, et inexcogitato, ac specialem, et individuam mentionem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, aut alias quomodolibet infringi, retardari, aut ad viam, et terminos juris reduci, aut adversus illas quodcumque juris vel facti, aut gratiae, vel justitiae remedium impetrari, aut alias concedi, seu illis etiam in aliquo derogari, aut quidquam aliud in contrarium disponi ullatenus posse, nec illas sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam, ut praefertur, vel alias quomodolibet, etiam per cancellariae praefatae regulas, ac constitutiones apostolicas praefatas pro tempore factis, et faciendis, ac concessis et concedendis comprehendi, vel confundi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data, quandocumque eligenda concessas esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, et sic ab omnibus censeri.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 7. Et ita per quoscumque judices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palalii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis apostolicae nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Deputatio judicis privativi pro dirimendis quaestionibus quae oriri possent in actu executionis.

§. 8. Et insuper eidem moderno, et pro tempore existenti nuncio praefato facultatem, ut ipse super quacumque quaestione, quae adversus praemissa in earumdem praesentium executionis actu quomodolibet oriri poterit, servatis tamen iis, quae fuerint de jure servandis, etiam definitive, quacumque appellatione postposita pronunciare possit et valeat, scientia, et potestatis plenitudine paribus per praesentes concedimus, atque impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus Nostris, et cancellariae apostolicae regula de unionibus, et applicationibus ad partes committendis, ac de exprimendo in literis apostolicis vero annuo beneficiorum ecclesiasticorum valore, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, et applicationes, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis, vel edendis, specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac Lisbonensis, et Bracharensis, et Elborensis, et Visensis, et Pharaonensis, et Egitaniensis, et Lamacensis, et Portugallensis, nec non Elvensis, et Leyrensis cathedralium aliarum supradictarum in Portugalliae regnis existentium ecclesiarum praefatarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis in genere vel in specie, quavis auctoritate fungentibus, aut dignitate fulgentibus sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis, et pluries innovatis: quibus omnibus et singulis etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide ad praemissorum validissimum effectum, hac vice dumtaxat, scientia, et potestatis plenitudine paribus, harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 10. Volumus autem, quod earumdem praesentium transumptis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo munitis, aut alicujus curiae ecclesiasticae, seu personae in dignitate ecclesiastica constitutae eadem prorsus fides in judicio, et extra illud, ac alias ubicumque opus fuerit habeatur, quae iisdem praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae commissionis, decreti, facultatis, concessionis, impertitionis, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud s. Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo secundo, quinto decimo kalendas januarii, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 18. dec. 1802. Anno III.

CLXXVII.

Suppressio archidiaconatus de Regoa nuncupati cathedralis ecclesiae Portugallensis, ac cappellaniarum regiae cappellae de villa Vicosa Elborensis dioecesis, illiusque cappellae in collegiatam ecclesiam, et in ea duae dignitates et cappellaniae canonicatus nuncupandae de viginti et una respectiva erectio, illisque applicatio beneficiorum ut supra suppressorum.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Romanorum pontificum sollicitudo erga inclytos Ecclesiae filios, qui saeculari licet principatus honore fulti, ceu pretiosae lampades oleo fidei jugiter plenae in ea luxerunt, aemula semper adeo fuit, ut quo ipsi praestantius de christiana republica se benemeritos obtulerint, majorique animi contentione sacrorum ministrorum, divinique cultus assertores huic apostolicae Sedi, cunctoque terrarum orbi apparuerint, eo libentius eosdem gratiis, et favoribus studuerint cumulare.

Expositio precum porrectarum a regente Portugalliae et Algarbiorum.

§. 2. Cum itaque dilectus filius Alexander de Souza, et Holstein dilectissimi in Christo filii Nostri Joannis Brasiliae principis, ac regnorum Portugalliae, et Algarbiorum regentis apud Nos, et Sedem apostolicam orator nomine ipsius Joannis principis, ac regentis exposuerit, quod inter eximia praestantissimorum hominum gesta in Ecclesiae fastis recensita, regalis illa cappella in villa Vicosa Elborensis dioecesis, a praeclarissimis Brigantiae ducibus, fidelissimorum regum illustribus avis erecta, congruisque redditibus dotata, praecipuum praestat monumentum; neque minus laude dignum videtur fuisse studium quo successores duces, veterum suorum vestigia sectando illius cappellae regimini, et gubernio, reique oeconomicae administrationi peculiariter incumbere, ita ut quidquid illius cappellae conservationi, et incremento, tum illius vetera statuta moderando, tum ampliando, profuturum dignoverint, huic non destiterint, implorata Sedis apostolicae auctoritate, strenuam dare operam, ac manum admovere opportunam. Et quamvis cappella isthaec non satis amplo patrimonio potiatur, cum vix illius redditus annuam summam millium et quingentorum ducatorum auri de camera attingant, ex industri tamen, perspicacique illorum administratione factum est, ut nihil umquam divini cultus honori defecerit, nec illum in aliquo decrevisse apparuerit, verum cum in ipsa, cappellanorum coetus, qui in primaeva ejus institutione sexdecim tantum numero constabat, ad quinquaginta modo cappellanorum numerum fuerit ampliatus, huic vero accedat, quod jam anteactis temporibus necessitas exegit, ut a singulis beneficiis, juris patronatus regiae domus de Brigantia, tertia pars fructuum apostolica auctoritate perpetuo respective distracta, ac separata, illaque patriarchali ecclesiae Lisbonensi, eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo fuisset applicata, quin eorumdem beneficiorum indemnitati aliter consultum fuerit: res modo ita se habet, ut praedicta dotatio mille et quingentorum ducatorum hujusmodi, impar in praesentiarum omnino sit ad congruum personarum ecclesiasticarum numerum in ea servandum, atque manutenendum; eapropter Joannes princeps ac regens praefatus, qui non inferiori quidem studio, animique alacritate suorum

majorum curam, vigilantiam, atque sollicitudinem, quas illi de ipsius cappellae, divinique cultus decoris conservatione gerebant, aemulari contendit, cupiens quam maxime ejusdem cappellae statui, reique illius oeconomicae ita prospicere, ut illa nedum in eo quo semper effulsit splendore permaneat, sed novis etiam bonorum augumentis, atque praerogativis illustretur, optimum fore consilium duxit, si regia ipsa cappella in insignem collegiatam ecclesiam ad instar illarum de Ourem, ac de Barcellos, in dictis regnis existentium, regalique denominatione fulgentium erigatur, ac suppressis in illa singulis ad praesens extantibus cappellaniis, duae in ipsa collegiata sic erigenda dignitates, quarum prima decanatus, secunda vero thesaurariatus major nuncupandae, ac viginti et unae cappellaniae canonicatus nuncupandae una cum collegio quatuordecim cantoribus, duobus phonascis, unoque magistro musices composito, instituantur. Atque ut expensis tum pro ipsius cappellae in collegiatam ecclesiam sic erigendae fabrica, tum collegii praedicti cantorum, et seminarii regis nuncupati in dicta villa, intuitu servitii supradictae cappellae existentis manutentione, tum quoque pro dignitatum, et singularum cappellaniarum canonicatuum, ut praefertur, nuncupandarum, erigendarum, respectiva dotis assignatione necessariis facere satis possit, nullum aliud ad id magis opportunum foret medium arbitratus est, quam si praevia tum perpetui simplicis, archidiaconatus de Regoa nuncupati, beneficii ecclesiastici, seu dignitatis forsan residentialis in cathedrali ecclesia Portugallensi, quod ad praesens vacat, et ex cujus fructibus, redditibus, et proventibus universis, alias per felicis recordationis Clementem pp. XII. praedecessorem Nostrum, tres ex quatuor illorum partibus auctoritate apostolica perpetuo dismembratae, ac dignitatibus, et canonicatibus, et praebendis patriarchalis ecclesiae Lisbonensis eadem apostolica auctoritate etiam perpetuo applicatae fuerunt, tum aliorum perpetuorum simplicium ac personalem residentiam non requirentium beneficiorum ecclesiasticorum, in quibusvis ecclesiis civitatum, et dioecesum regnorum Portugalliae, et Algarbiorum hujusmodi respective existentium, primo loco vacaturorum, quae ordinariae liberae collationis esse contigat, illorumque respective tituli collativi perpetua suppressione, usquedum ex illorum redditibus, annua conficiatur summa viginti quinque millium cruciatorum monetae illarum partium, quae una cum praedictis mille et quingentis ducatis auri hujusmodi, quibus jam ad praesens potitur, pro supplendis praemissis expensis, necessaria esse dignoscitur, ab apostolica Sede respective facienda, bona res, proprietates, ac fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, et emolumenta quaecumque in quibusvis rebus consistentia, tam ad praedictum archidiaconatum vacantem quoad superextantem unam ex quatuor partibus omnium et singulorum ejus fructuum praefatorum, ad eumdem archidiaconatum, modo spectantem, quam ad singula beneficia praefata, ut praefertur, vacatura, quomodocumque etiam spectantia, in ejusdem cappellae in collegiatam ecclesiam sic erigendae, illiusque respective fabricae, ac singularum dignitatum, et cappellaniarum respective erigendarum, ac collegii cantorum, et seminarii praedicti dotem, respective perpetuo, quoad archidiaconatum videlicet usque nunc, et quoad beneficia vacatura praefata, in illorum respective vacationis eventus, ab eadem Sede apostolica unirentur, atque applicarentur.

Cumque dictus Alexander nomine praedicto enixas Nobis detulerit preces, ut providam hanc praefati Joannis principis, ac regentis dispositionem, deque ipsius cappellae regiae sublimitate, ac splendoris incremento capta consilia, apostolicae Sedis patrocinio, ac favore prosequi dignaremur.

Supprimuntur tot cappellaniae quot necessariae erunt ad implendum redditum ducatorum quinque millium septingentorum.

§. 3. Nos igitur omnibus circumstantiis consideratis, ipsius Joannis principis, ac regentis pie conceptis votis pontificiae benignitatis memores, quantum in Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, ex certa scientia deque apostolicae potestatis plenitudine, infrascriptis tamen modo ac forma, juxta speciale mandatum dilecto filio Nostro, et Sedis apostolicae nuntio in civitate Lisbonensis commoranti commissum, omnes, et singulas in dicta regia cappella nunc existente cappellanias, illarumque naturam, et essentiam, ac similiter, praedictum archidiaconatum, ut praefertur, vacantem, respective ex nunc; ac insuper tot perpetua simplicia beneficia hujusmodi, quae ordinariae liberae collationis existant, quot ad conflandam summam ducatorum quin-

Digitized by Google

quinmillium septingentorum quatuordecim, et juliorum quinque monetae Romanae, respondentium supradictae summae viginti quinque millium cruciatorum monetae Portugalliae, necessaria erunt, videlicet ex nunc, prout ex tunc, et e contra, cum primum beneficia hujusmodi per cessum, vel decessum, seu privationem, aut quamvis aliam dimissionem vel amissionem, seu religionis ingressum, et professionis in ea emissionem personarum ea beneficia nunc respective obtinentium, aut alias quovis modo, etiam apud Sedem apostolicam praedictam, etiam ex quocumque decreto vacationis, seu cessionis juris in provisionibus de aliis beneficiis ecclesiasticis eis apostolica auctoritate faciendis, seu tunc apposito, vel alias ex eorum personis dispositioni apostolicae ad praesens specialiter reservata, vel affecta existant, etiam in aliquo ex mensibus, Nobis et Romano pontifici pro tempore existenti, Sedique praefatae per quascumque constitutiones apostolicas, aut cancellariae apostolicae regulas, editas, vel edendas, aut alias quomodolibet reservatis, seu ordinariis collatoribus, etiam per constitutiones et regulas easdem, seu literas alternativarum, aut alia privilegia, et indulta hactenus concessa, et imposterum concedenda, competentibus vacare contigerit: illorumque pariter respective titulum collativum, nomen, denominationem, naturam, et essentiam archidiaconatus collativi, et beneficiorum collativorum; ita quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativus, et collativa esse desinant, et uti talis, ac talia in titulum collativum quavis auctoritate conferri, aut impetrari, vel alias de illo, et illis quovis modo disponi amplius nequeat; et si dictum archidiaconatum, et beneficia hujusmodi deinceps conferri, aut impetrari, vel alias de illo et illis quovis modo disponi contigerit, collationes, provisiones, impetrationes; aliaeque dispositiones de illo, et illis pro tempore quomodolibet factae nullae, et invalidae, nulliusque roboris, vel momenti existant, neminique suffragentur, nec cuiquam jus vel coloratum titulum possidendi tribuant, apostolica auctoritate perpetuo respective supprimimus, et extinguimus.

Erigitur in collegiatam cappella, et ei nomen tribuitur ecclesiae, cum erectione capituli, et concessione privilegiorum.

§. 4. His suppressis, praefatam regiam cappellam ad Dei omnipotentis laudem et honorem, divinique cultus augmentum, in saecularem, atque insignem collegiatam, regiam nuncupandam ecclesiam, cum suis capitulo, mensa capitulari, arca, bursa, et sigillo communibus, omnibusque aliis collegialibus signis, insigniis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praeeminentiis, antelationibus, concessionibus, et gratiis, aliis saecularibus, et insignibus collegiatis regalibus nuncupatis ecclesiis, et praesertim illis de Ourem, et de Barcellos praedictis, de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet competentibus, et in ea unum decanatum, qui inibi principalis, pro uno presbytero iis praedito qualitatibus, quae juxta canonicas leges requiruntur, futuro in eo decano, qui praedictae cappellae in collegiatam ecclesiam sic erigendae, caput existat, atque in choro, capitulo, processionibus, aliisque actibus capitularibus, tam publicis, quam privatis praeeminentiam, ac primum locum habeat; nec non thesaurariatum, majorem nuncupandum, qui inibi secunda respective dignitates existant, pro uno clerico, seu presbytero futuro in ipsa thesaurario majori nuncupando, et viginti et unam cappellanias canonicatus respective nuncupandas, pro viginti et uno pariter clericis seu presbyteris futuris itidem in illa cappellanis, canonicis nuncupandis, qui una cum decano, ac thesaurario praedictis capitulum dictae regiae cappellae in collegiatam ecclesiam, ut infra erigendae constituant, et apud illam iii diebus statuendis personaliter residere, ibique horas canonicas diurnas, et nocturnas, caeteraque divina officia solita, et consueta cum debita mentis attentione, servataque ecclesiastica disciplina recitare, decantare, et psallere, nec non missam conventualem, seu majorem, juxta sacrorum rituum formam celebrare, ac alias eidem regiae cappellae in collegiatam ecclesiam, ut infra, erigendae in divinis laudabiliter deservire teneantur. Et insuper in ea collegium quatuordecim cantorum numero quibus onus canendi in choro, prout antea cappellanis ipsius regiae cappellae incumbat, injunctum sit, ac duobus phonassis, et uno magistro musices compositum apostolica auctoritate praefata perpetuo quoque erigimus atque instituimus.

Dotatio ecclesiae, capituli, et collegii cantorum.

§. 5. Ut autem fabricae saepe dictae regiae cappellae in collegiatam ecclesiam, per Nos sic, ut praefertur, erectae, ac dignita-

Digitized by Google

tes, et singulas cappellanias canonicatus, ut praefertur, nuncupandas pro tempore respective obtinentibus, ipsique collegio cantorum, et seminario praedicto, pro onerum unicuique eorum incumbentium supportatione, congrue, convenientisque dotis fundamenta valeant constitui, omnia et singula, tam praedicti archidiaconatus pro reliqua ei superextante una ex quatuor partibus omnium et singulorum fructuum praefatorum tantum, salvis, et firmis remanentibus reliquis tribus partibus eisdem dignitatibus, et canonicatibus, et praebendis, ejusdem patriarchalis ecclesiae Lisbonensis, alias ut praefertur in perpetuum applicatis, eisdemque dignitatibus, et canonicis dictae patriarchalis ecclesiae ad formam literarum apostolicarum dicti Clementis praedecessoris, annuatim persolvendis, ex nunc, quam illorum omnium, et singulorum beneficiorum per Nos, ut praefertur, suppressorum, in illorum tamen respective vacationum eventus, respective bona, res, proprietates, fructus, redditus, et proventus, jura, obventiones, et emolumenta, quaecumque quovis nomine nuncupata, ac cujusvis generis, et speciei, et in quibusvis rebus consistentia, una cum singulis tum archidiaconatus, tum singulorum beneficiorum hujusmodi respective fundationum oneribus, massae redditluum praedictae regiae cappellae, in collegiatam, ut praefertur, erectae ita quod liceat futuris, ac pro tempore existentibus illius capitulo, et cappellanis, ut praefertur, canonicis nuncupandis, vel quibusvis aliis personis per se, vel alium, seu alios, ejusdem regiae cappellae in collegiatam erectae nomine, tam praedicti archidiaconatus, quam singulorum beneficiorum hujusmodi per Nos, ut praefertur, suppressorum, illorumque respective bonorum, rerum, proprietatum, fructuum, redditurum, proventuum, jurium, obventionum, et emolumentorum praefatorum, veram, realem, corporalem, et actualem possessionem propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, dictaque bona, res, proprietates locare, dislocare, arrendare, fructus quoque, redditus, et proventus praefatos percipere, exigere, levare, ac satisfactis tamen prius omnibus, et singulis dictarum fundationum oneribus, ac solutis pensionibus annuis, quatenus illae super aliquo ex hujusmodi beneficiis ecclesiasticis, ut praefertur suppressis, apostolica auctoritate quomodolibet reservatae reperiantur, in supradictos usus, et utilitatem convertere, eadem apostolica auctoritate itidem perpetuo unimus, annectimus, atque applicamus.

Privilegia capitulo concessa.

§. 6. Et insuper eidem regiae cappellae in collegiatam ecclesiam, ut praefertur, erectae, illiusque dignitatibus, et cappellanis, canonicis, ut praefertur, nuncupandis pro tempore existentibus praefatis, ut ipsi eorumque officiales, et ministri, res, bona, et proprietates omnibus, et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praeeminentiis, praerogativis, antelationibus, concessionibus, indultis, favoribus, et gratiis tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus aliae saeculares, et insignes regiae collegiatae ecclesiae, ac praesertim dictae de Ourem, et de Barcellos, earumque capitula, canonici, et dignitates in eis existentes, et ministri, ac illorum bona, res, et proprietates, de jure, usu, consuetudine, aut privilegio utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum, similiter, et pariformiter, et absque ulla prorsus differentia in omnibus, et per omnia, ac si illa eis principaliter, et in specie concessa essent, dummodo tamen sint in usu, et non revocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa, sacrisque canonibus, et concilii Tridentini decretis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis non repugnent, uti, frui, potiri et gaudere possint, et valeant, dicta auctoritate apostolica etiam perpetuo concedimus et indulgemus.

Eidem capitulo conceditur jus condendi statuta capitularia servatis decretis Concilii Tridentini.

§. 7. Eisdem futuris capitulo, et cappellanis, canonicis, ut praefertur, nuncupandis praedictae regiae cappellae in collegiatam ecclesiam, ut praefertur, erectae, ut ipsi capitulariter congregati pro ejusdem regiae collegiatae ecclesiae, ut supra erectae, illiusque decani et thesaurarii, et singulorum cappellanorum canonicorum, ut praefertur, nuncupandorum, sacrarii, illorumque omnium rerum, et bonorum tam spiritualium, quam temporalium prospero, et felici regimine, gubernio, et directione, onerumque illis pro tempore respective incumbentium supportatione, divinorum officiorum, processionum, funeralium, anniversariorum, et aliorum suffragiorum celebratione, ac distributionum quoti-

dianarum, et aliorum emolumentorum quorumcumque exactione, perceptione, repartitione, divisione, poenarum per absentes, et divinis officiis non interessentes, seu onera, et munera eis, et eorum cuilibet incumbentia subire negligentes incurrendarum incursu, singulorum praesentiis, et absentiis notandis, caeremoniis, et ritibus in ecclesia, choro, et processionibus, et aliis actibus praefatis servandis, officialibus, et ministris in dicta regia cappella in collegiatam ecclesiam, ut praefertur, erecta necessariis deputandis, et amovendis, servitiis, et ministeriis per ipsos obeundis, eisque salariis, et stipendiis praestandis, et quibusvis aliis rebus in praemissis, et circa ea quomodolibet necessariis, et opportunis; quaecumque statuta, ordinationes, capitula, et decreta licita tamen, et honesta, sacrisque canonibus, et concilii Tridentini decretis, ac constitutionibus apostolicis praefatis minime contraria, ac per ordinarium loci prius examinanda, et approbanda edere, et edita, praevia approbatione ordinarii praefati declarare, et interpretari, et ad meliorem formam redigere, ac reformare, seu alia de novo ex integro, ac ut praefertur eisdem sacris canonibus, ac decretis concilii hujusmodi, et constitutionibus apostolicis praedictis minime adversantia, ac ut praefertur examinanda, et approbanda, et ab eis ad quos pro tempore spectabit sub poenis in contravenientes statuendis observanda, et adimplenda condere, et postquam condita fuerint, toties quoties pro rerum ac temporum conditione, et qualitate, vel alias expediens videbitur, illa in toto vel parte corrigere, alterare, mutare, et in melius reformare, aliaque etiam ex integro de novo, de simili ejusdem ordinarii approbatione condere etiam libere, et licite possint, et valeant, dummodo tamen correctio, alteratio, immutatio, et de novo condenda statuta hujusmodi, sacris canonibus, et constitutionibus apostolicis, ac concilii Tridentini decretis hujusmodi contraria ut praefertur, non sint, eadem apostolica auctoritate licentiam, et facultatem, tenore praesentium concedimus, et impertimur.

Jus nominandi dignitates et canonicos ordinario conceditur.

§. 8. Demum considerantes quod regia domus de Bragantia jure nominandi, et deputandi cappellanos dictae regiae cappellae in collegiatam ecclesiam per Nos, ut praefertur, erectae, huc usque gavisa est, de speciali Sedis apostolicae beneficentia, eidem regiae domui de Bragantia, illiusque pro tempore existentibus regiis successoribus, jus nominandi coram ordinario loci personas idoneas, tam ad decanatum et thesaurariatum, quam ad singulas cappellanias, canonicatus, ut praefertur, nuncupandas per Nos ut supra erectos, et erectas, ac institutos, et institutas, tam pro hac prima vice a primaevis illorum, et illarum erectione, et institutione hujusmodi respective vacantes, quam in singulis futuris illorum respective vacationibus, et quoties decanatum, et thesaurariatum, et singulas cappellanias canonicatus, ut praefertur, nuncupandas praefatas ubicumque, quandocumque, et quomodocumque, ex personis illos pro tempore respective obtinentibus quovis modo vacare contigerit per ordinarium loci in illis ad nominationem hujusmodi respective instituendas, scientia et potestatis plenitudine paribus apostolica auctoritate praefata, in perpetuum quoque reservamus, concedimus, atque assignamus.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 9. Praesentes autem Nostras literas apostolicas nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa, quantumvis juridica et legitima, pia, privilegiata, ac speciali nota digna de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, seu quopiam alio defectu notari, quantumvis maximo et substantiali, substantialissimo, ac specialem, et individuam mentionem requirente, impugnari, invalidari, seu alias quomodolibet infringi, retardari, annullari, seu per Nos, et successores Nostros Romanos pontifices pro tempore existentes, ac Sedem praefatam, seu S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios, vel quosvis alios quavis auctoritate fungentes, suspendi, revocari, restringi, limitari, ad viam et terminos juris reduci, seu adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiae remedium impetrari, aut alias etiam motu proprio concedi, seu illis etiam in aliquo derogari, aut quidquam aliud in contrarium disponi ullatenus posse; nec illas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam, ut praefertur, aut alias quomodolibet, etiam per cancellariae prae-

Digitized by Google

dictae regulas, et constitutiones apostolicas praefatas pro tempore factis, et faciendis, ac concessis, et concedendis comprehendi vel confundi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ per futuros, et pro tempore existentes capitulum, et cappellanos, canonicos nuncupandos praefatos praedictae regiae cappellae in collegiatam ecclesiam, ut praefertur, erectae, quandocumque eligenda concessas esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et sic de omnibus censeri; et ita per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac praedictae S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncio praefatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

Consulitur respectivae adsignationi bonorum pro dignitatibus, et canonicis commendis.

§. 10. Ad hoc autem, ut omnia et singula supradicta a Nobis disposita, atque ordinata, et in praesentibus contenta et expressa debitis modo, et forma opportunae executioni demandentur, ac perpetuis futuris temporibus ab omnibus et singulis firmiter, et inviolabiliter observentur, eidem nuncio nunc et pro tempore existenti praefato, per praesentes committimus, et mandamus, ut ipse inspectis prius praedicti archidiaconatus liberis redditibus ad praelaudatam unionem fructuum dicti archidiaconatus, firmis remanentibus obligationibus, et oneribus eidem archidiaconatui incumbentibus, absque ulla mora deveniat, eaque peracta, quantitatem hujusmodi fructuum in ejus decreto desuper edendo referat, et enunciet, sicque pariter occurrente pro tempore supradictorum beneficiorum, per Nos in eventus praemissos, ut praefertur, suppressorum, respectiva vacatione, praeviis informationibus super illorum respective redditunm quantitate, et onerum illis incumbentium qualitate debite captis, redditus beneficiorum hujusmodi juxta illorum respective vacationum eventus firmis, ac salvis, ut supra remanentibus singulis illorum oneribus praedictis, non tamen servitii personalis, quatenus ipsis incumbat, massae antedictae cappellae regiae in collegiatam, ut praefertur, erectae modo et forma superius expressis conscientia ipsius super his onerata applicet et uniat, donec tantum modo compleatur summa dictorum quinque millium septingentorum quatuordecim ducatorum auri de camera hujusmodi, et juliorum quinque monetae Romanae, summae vigintiquinque millium cruciatorum monetae illius regni respondentium ultra supradictos mille et quingentos ducatos auri similes, quibus ipsa cappella in collegiatam erecta jam de praesenti, ut praefertur, gaudet; eidemque nuncio facultatem, ut ipse super quacumque quaestione, quae adversus eadem praemissa in hujusmodi executionis actu quomodolibet oriri poterit, servatis, quae fuerint de jure servanda, etiam definitive, quacumque appellatione postposita pronunciare possit, et valeat, apostolica auctoritate praedicta concedimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 11. Non obstantibus generalis concilii, ac Nostra et cancellariae praefatae regula de unionibus ad partes committendis, ac de exprimendo in eis vero annuo beneficiorum valore, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, ac quibusvis aliis, etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non cathedralis Portugallensis, et aliarum ecclesiarum, in quibus beneficia per Nos, ut praefertur, suppressa et extincta forsan fuerint, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis personis quavis auctoritate fungentibus, aut dignitate fulgentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis, et pluries innovatis; quibus omnibus et singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et

forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur eisdem praesentibus pro plene; et sufficienter expressis habentes, aliis alias in suo robore permansuris, latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide ad praemissorum validissimum effectum, hac vice dumtaxat, motu, scientia, et potestatis plenitudine, harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis. §. 12. Volumus autem, ut praesentium literarum exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et personae in ecclesiastica dignitate constitutae sigillo obsignatis, eadem prorsus fides ubique locorum adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si essent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis. §. 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis, extinctionis, erectionis, institutionis, unionis, annexionis, applicationis, concessionis, indulti, commissionis, licentiae, et facultatis impartitionis, reservationis, concessionis, assignationis, decreti, deputationis, atque derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae, millesimo octingentesimo secundo, quinto decimo kalendas januarii, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 19. dec. 1802, Anno III.

CLXXVIII.

Confirmatio rescripti, pro confraternitate Divini Amoris de urbe.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Exponi nuper fecerunt Nobis dilecti filii primicerius, guardiani, et officiales confraternitatis beatae Mariae virginis Divini Amoris de urbe, se a dilecto filio Nostro Julio S. R. E. presbytero cardinali de Somalia nuncupato almae Nostrae urbis vicario obtinuisse ecclesiam suppressae universitatis confectorum culcitrarum per ejus rescriptum tenoris prout sequitur.

Tenor rescripti editi a cardinali de Somalia vicarii generalis urbis. §. 2. Julius Maria tituli s. Mariae supra Minervam S. R. E. presbyter cardinal. de Somalia ss. d. n. pp. Pii VII. vicarius generalis, Romanaeque curiae ejusque districtus judex ordinarius. Auctoritate Nostra ordinaria, qua fungimur, ac omni meliori modo, quo possumus primicerio, custodibus, officialibus et confratribus vener. confraternit. beatissimae Virginis Divini Amoris nuncupatae usum tantum ecclesiae sancti Blasii suppressae universitatis culcitrarum confectorum, ejusque sacristiae, supellectilium, caeterorumque adnexorum, concedimus, damus, et impertimur, quae omnia sub dispositione Nostra remanere volumus. Superioribus vero praefatae confraternitatis erit cura adimplendi omnia onera, siqua sint, in dicta ecclesia, praestita idonea interim cautione pro integro complemento eorumdem, nec non confraternitas ipsa teneatur ad manutentionem fabricae, et supellectilium praevia earumdem authentica descriptione, per substitutum secretariae Nostri tribunalis de more facienda, quarum notulam a custodibus dictae confraternitatis tam in libro decretorum Nostrae secretariae, quam in archivio confraternitatis asservari mandamus; reservato etiam jure quoties Nobis, vel successoribus Nostris videbitur ecclesiam, ejusdemque adnexa, et supellectiles praedictas visitandi, ac in praefata ecclesia liberam, et omnimodam jurisdictionem pariter exercendi, contrariis quibuscumque non obstantibus. In quorum etc. Datum ex Nostris aedibus hac die vigesima prima junii millesimo octingentesimo secundo.

L. ✠ S.

J. M. card. vicarius.

§. 3. Ut autem rescriptum hujusmodi, jam a die septima julii proxime elapsi, ut asserunt executioni mandatum firmius subsistat, exactiusque servetur, memorati exponentes apostolicae confirmationis patrocinio communiri summopere desiderant; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favo- Confirmatio apostolica.

Digitized by Google

ribus prosequi volentes, ac eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis, censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes; supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, praeinsertum rescriptum cum omnibus et singulis in eo contentis auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis firmitatis robur adjicimus, et omnes ac singulos tam juris, quam facti defectus, si quos quomodolibet desuper intervenisse contigerit, plenarie sanamus, atque supplemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, ac spectabit pro tempore in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae ecclesiae, quatenus opus sit, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die decima nona novembris millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

CLXXIX.

Dat. die 20. dec. 1802. Anno III.

Nonnulla privilegia pro conservatorio, seu collegio puellarum a rege catholico erigendo Matriti.

Dilecto filio Nostro Aloisio S. R. E. presbytero cardinali de Bourbon nuncupato ecclesiae Toletanae ex concessione, et dispensatione apostolica praesuli.

Pius PP. VII.

Dilecte fili Noster salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Expositum Nobis nuper fuit pro parte carissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis catholici, quod ipsi ad majorem Dei gloriam, ac subditorum suorum utilitatem collegium puellarum charitatis vulgo de Las Ninas de la Paz in oppido civitatis nuncupato Matriti Toletanae dioecesis, ubi puellae recipiantur, et degant juxta institutum sancti Vincentii de Paolis per hanc apostolicam Sedem adprobatum, quae puellae in nosocomiis domorum Misericordiae, et expositorum pietatis opera exerceant fundare intendit, in quo etiam stabilis novitiatus constituatur ad idem pium opus in suis regnis ineunte tempore propagandum, et extendendum, atque in collegii hujusmodi ecclesia, seu oratorio rite erigere per probatae famae, et doctrinae sacerdotes ab eodem Carolo rege nominandos, a te autem, et a successoribus tuis super adprobandos, et confirmandos, omnes ecclesiasticas functiones ad instar ecclesiarum parochialium peragi, ac poenitentiae, eucharistiae, et extremae unctionis sacramenta puellis ibi pro tempore existentibus, aliisque ipsius collegii servitiis addictis personis in perpetuum administrari posse plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur piis ejusdem Caroli regis votis quantum cum Domino possumus benigne, libenterque annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, circumspectioni tuae per praesentes injungimus, ut post quam tibi constiterit, praedictum collegium cum sua

ecclesia, seu oratorio, et aliis necessariis fuisse absolutum, et suppellectili tam sacra, quam prophana sufficienter instructum, ejusdemque congruae manutentioni, ac substentationi esse satis, stabiliterque provisum, petitam etiam licentiam per dictos presbyteros ipsius collegii directioni admissos, omnes, et singulas functiones exercendi, nec non extremae unctionis puellis, earumque servitiis addictis personis secum insimul intra collegium hujusmodi habitantibus dumtaxat, et poenitentiae, atque eucharistiae sacramenta administrandi ad instar ecclesiarum a parochiali jurisdictione exemptarum, auctoritate Nostra apostolica, pro tuo arbitrio, et conscientia concedas, et indulgeas.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima decembris millesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 11. jan. 1803. Anno III.

CLXXX.

Facultas directori sodalitatis animarum purgatorii Melevitanae dioecesis utendi rocchetto et mozzetta violacei coloris pro se, et successoribus in forma.

Dilecto filio Salvatori Casha presbyteri directori sodalitatis sanctarum animarum in purgatorio degentium oppidi civitatis nuncupati Vallettae Melevitanae dioecesis.

Pius PP. VII.

Dilecte fili salutem, et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§. 1. Religionis zelus, vitae ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, et virtutum merita, super quibus apud Nos fide dignis commendaris testimoniis, Nos adducunt, ut honorificentiae tuae benigne consulamus.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecisti, tu, qui (ut asseris) spiritualis director sodalitatis sanctarum animarum in purgatorio degentium in filiali ecclesia s. Nicolai Barensis oppidi civitatis nuncupati Vallettae Melevitanae dioecesis canonice, ut asseritur, erectae ad praesens existis, cupias ad majorem Dei gloriam aliqua per Nos, et hanc apostolicam Sedem praerogativa decorari.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos te praemissorum meritorum tuorum intuitu, atque etiam ob sodalitatis, et ecclesiae hujusmodi splendorem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, tibi, successoribusque tuis directoris hujusmodi officio pro tempore in perpetuum fungentibus, ut rocchetto, et mozzetta violacea ad instar parochorum civitatis Melevitanae uti, illaque, durante dicto directoris officio, gestare in quibuscumque functionibus, et actibus publicis tam intra, quam extra ecclesiam praedictam celebrari consuetis libere, et licite possis, et valeas auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, teque, successoresque tuos desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus felicis recordationis Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, dictae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum in-

Digitized by Google

sertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima prima januarii millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 14. jan. 1803. Anno III.

CLXXXI.

Facultas concessa monachis ordinis beatae Mariae Virginis de monte Carmelo differendi ad tempus magis opportunum celebrationem capituli generalis, cum confirmatione graduatorum in propriis officiis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Rochus Melchior prior generalis ordinis fratrum beatae Mariae Virginis de monte Carmelo, quod, instante jam tempore generale capitulum ad formam dicti ordinis constitutionum, ac literarum apostolicarum alias desuper expeditarum convocandi, ipse ab assistente, et definitoribus generalibus Hispanis invitus accepit, eam adhuc esse, propter temporum circumstantias, plurimorum ejusdem ordinis conventuum in Italia, Germania, ac nonnullis aliis europae catholicae regionibus existentium conditionem, ut inde vocales ad capitulum hujusmodi celebrandum venire commode nequeant, ideoque ad aliud opportunius, Nobisque benevisum tempus ejusdem capituli celebrationem differre posse plurimum optari. Nobis propterea dictus Rochus prior generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsum priorem generalem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, celebrationem capituli generalis hujusmodi, quod de praesenti haberi debebat, ad Nostrum, et hujus sanctae Sedis apostolicae beneplacitum, auctoritate apostolica, tenore praesentium prorogamus. Praeterea eumdem Rochum priorem generalem, reliquosque omnes ex praecedenti generali capitulo graduatos fratres in suis respective muneribus, et officiis cum omnibus, et singulis praeeminentiis, praerogativis, facultatibus, auctoritate, privilegiis, gratiis, et indultis, ac honoribus, et oneribus solitis, et consuetis ad Nostrum itidem, et hujus sanctae Sedis beneplacitum, auctoritate, et tenore praefatis confirmamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes praesentes has literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, vice legatos, ac Sedis apostolicae nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus praemissis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 5. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica di-

gnitate constitutae, vel procuratoris generalis dicti ordinis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quarta januarii millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 14. jan. 1803. Anno III.

CLXXXII.

Facultas canonicis supranumerariis cathedralis Auximanae, ut loco almutiae, quam adhuc deferre consueverunt, cappam magnam ad instar beneficiatorum s. Petri de urbe gerere possint.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Quantum splendoris, ac dignitatis vel ipsa sacra indumenta oculis, animisque Christifidelium ingerere valeant optime tenens Apostolica Mater Ecclesia non solum varias pro varietate festorum, et sacrarum functionum praescripsit vestes, sed etiam in templis magis conspicuis, ubi major est populi christiani frequentia, sacris ministris ibidem Altissimo famulantibus saepe particularia, et ad eorum dignitatem exprimendam aptissima insignia deferenda concessit.

Expositio precum. §. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii moderni viginti canonici supranumerarii nuncupati, quorum novem parochi existunt, et reliqui undecim mansionarij appellantur, ecclesiae cathedralis Auximanae, in qua etiam duae dignitates, et decem canonici praeclaris insigniis ad instar canonicorum basilicae principis apostolorum hujus Nostrae almae urbis per hanc sanctam Sedem, ut asseritur, jamdiu decorati reperiuntur, divinus cultus, fideliumque devotio majora susciperet incrementa, si ejusdem ecclesiae supranumerarii praedicti novis decorationibus donentur; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus parochis, et mansionariis praedictis memoratae cathedralis ecclesiae Auximanae, ut loco almutiae, quam adhuc deferre consueverunt, cappam magnam ad instar beneficiatorum dictae basilicae principis apostolorum de urbe cum pellibus armellinis cineracei coloris hyemali; aestivo autem tempore eamdem almutiam tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque uti libere, et licite possint, et valeant auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque parochos, et mansionarios desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae cathedralis ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die decima quarta januarii millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 17. jan. 1803. Anno III.

CLXXXIII.

Allocutio habita in consistorio secreto super creatione plurium S. R. E. cardinalium.

Venerabiles fratres.

De cooptatione exterorum summorum virorum.

§. 1. Cooptatis jam superioribus in consistoriis ex nostratibus in collegium vestrum iis praecellentibus viris, quos pro eximiis eorum in Ecclesiam atque in hanc apostolicam Sedem meritis dignos hac amplitudine judicavimus; de exterorum etiam honoribus nunc cogitandum esse videtur, qui pari meritorum laude praestantes, paribus etiam virtutis praemiis sunt afficiendi.

Cur cooptatio exterorum virorum sit facienda declaratur.

§. 2. Quod si praeteritis temporibus (id sancto Bernardo inculcante, id ipsum Tridentina synodo summis pontificibus suadente) praedecessores Nostri in hujusmodi honoribus tribuendis magna cum rei christianae utilitate exterorum hominum, qui de Ecclesia benemeriti essent, semper rationem sibi habendam esse duxerunt, ut per amplitudinis communionem communia etiam in Ecclesiam, et in hanc apostolicam Sedem studiorum incrementa fierent, atque animorum conjunctio in dies augeretur; quanto magis nunc in tanto temporum motu unitatis solidius stabiliendae caussa id est faciendum, quae eo firmius stabit, quo apertius ostendetur a Nobis Romanam ecclesiam in communicandis honoribus nullam distantiam agnoscere, ubi sit confessionis consensio, ac fideles omnes, quasi unam domum inhabitantes, complecti?

De electione praesulum de Colloredo, Belloy, et Cadello.

§. 3. Atque utinam hodie eos viros omnes ex iis nationibus, quarum ratio ex more institutoque hujus apostolicae Sedis haberi solet, ornare possemus, quos ad hunc honorem, cum ipsorum merita, tum suorum principum officia commendant! Verum cum nec omnia nunc ita parata sint, ut hodie id a Nobis plene fieri possit, nec iis qui sunt in promptu differre diutius (meritis eorum, atque aetate praesertim nonnullorum id flagitante) hoc virtutis praemium possimus, hos quidem inter vos adlegere decrevimus; caeteris autem locum in collegio vestro reservamus, ut iis quoque idem honos deinde habeatur: quod putamus quamprimum Nos esse facturos. Adlegere igitur statuimus inter Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales venerabiles fratres.

Antonium Theodorum de Colloredo archiepiscopum Olomucensem.

Joannem Baptistam Belloy archiepiscopum Parisiensem.

Didacum Gregorium Cadello archiepiscopum Calaritanum viros spectabiles meritis, atque hoc honore dignos.

De electione quatuor episcoporum Gallicanorum in sequelam concordati facta.

§. 4. Hodiernum vero gaudium, venerabiles fratres, multiplex ac cumulatum futurum est, non iis solum ex exteris in collegium vestrum cooptatis, qui de more cooptari solent, sed aliis etiam, quos concordati gratia ad significationem laetitiae et conjunctionis Nostrae ex Gallicanis episcopis recenter constitutis extraordinaria promotione cooptare rogati fuimus.

Siquidem primus Gallicanae reipublicae consul Naupoleon Bonaparte, vir conciliandae concordiae cupidissimus, post concordatum Nostrum, per quod in tam difficilibus, ac turbulentis temporibus, cum actum pene in Gallia de catholica religione esset, eo occurrente ultro desideriis Nostris, res a summa desperatione tam brevi temporis spatio eum in locum traductae sunt, ut non modo unitas, quae prorsus sublata erat, restituta sit, sed magna spes etiam facta majora incrementa catholicam religionem illic in dies esse habituram, hic illustris vir omnia auxilia sua ad perfectionem tanti operis Nobis pollicitus scripsit ad Nos, se ad id facilius praestandum, valde opportunum judicare, quatuor ex Gallicanis episcopis recenter constitutis, extraordinaria promotione, concordati gratia, cardinales fieri; quae promotio dum communis gratulationis causas augebit, viam etiam faciliorem sternet ad uberiora illa religionis bona, quae per hanc communionem honorum, et animorum conjunctionem parari possunt.

Ratio cur electio de episcopis Gallicanis facta fuit.

§. 5. Desideria et postulationes ejus viri, cujus operae, ac studiis post Deum acceptum referimus non modo furentes illos procellarum impetus ab Ecclesia aversos, sed etiam catholicam religionem in tam late dominante populo restitutam; spes item ampliorum bonorum, quae idem auxilio suo Ecclesiae pollicetur, commoverunt, venerabiles fratres,

Digitized by Google

animum Nostrum, ac fecerunt, ut in testimonium gratulationis ac paterni amoris Nostri clero Gallicano etiam extraordinarium hunc honorem impertiremur.

Memoratur exemplum alterius similis concordati.

§. 6. Ut igitur olim compositis per concordatum rebus inter fel. rec. Leonem X. praedecessorem Nostrum, et Franciscum I. Francorum regem, nonnullos eximios ex ea natione viros sapientissimus ille pontifex extra ordinem cardinales fecit, ita Nos etiam hoc ipsum facere post concordatum Nostrum constituimus; idque eo etiam uberius, quo majora ea sunt, quae per hoc in tam difficilibus temporibus ad unitatis restitutionem sunt confecta. Itaque quatuor ex numero episcoporum, qui in hac rerum restitutione in Gallicanis dioecesibus constituti sunt, Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales creare decrevimus; nempe venerabiles fratres

Josephum Fesch archiepiscopum Lugdunensem, ipsius primi consulis avunculum.

Joannem de Deo Raymundum Boisgelin archiepiscopum Turonensem, et

Stephanum Ubertum Cambaceres archiepiscopum Rothomagensem spectabiles virtute viros, quos tales esse scimus, ut ex eorum opera magna illis in regionibus adjumenta catholica religio sit acceptura.

Reservatio unius in pectore.

§. 7. Quartum vero, dignum item hac honoris amplitudine virum, justis de causis nunc in pectore reservamus.

De electione patritii Veneti.

§. 8. Quod vero ad Venetos spectat, ut in augendo cardinalium numero ex nationibus exteris etiam eorum honoribus consulatur, et patritius Venetus, quem filium s. Marci appellant, inter vos adlegatur, cujus honori, ob vetera ac eximia Venetorum merita in hanc apostolicam Sedem, pontifices praedecessores Nostri semper in hujusmodi promotionibus consultum voluerunt, intelligitis vos, venerabiles fratres, quanto magis in hac promotione id fieri debeat a Nobis, qui, praeter caetera, quae in servando hoc praedecessorum Nostrorum more a Nobis considerata sunt, illud etiam peculiare habemus, quod Nos ex communi jactatione Nostra difficillimis Ecclesiae temporibus in nobilissimam Venetorum urbem, tamquam in tutissimum portum, Augusti Caesaris beneficio excepti, ut christiano gregi pastore suo orbato consuleremus, ibi ad hanc honoris sublimitatem, licet immerentes, suffragiis vestris evecti, tam multa religionis, amoris, reverentiae pignora a Venetis acceperimus, ut illorum temporum recordatio Nobis, vobisque semper jucundissima esse debeat. Tanto igitur lubentius in testimonium etiam gratissimae voluntatis Nostrae egregium antistitem

Petrum Antonium Zorzi ordinis clericorum regularium congregationis de Somascha archiepiscopum Utinensem in collegium vestrum adsciscere decrevimus, qui dignus visus est Nobis, quem ad hunc honorem promoveremus.

De electione praesulum Romanorum.

§. 9. Ne vero urbs Nostra dum exterorum honoribus gratulatur propria ac domestica suorum gratulatione careat, ad laetitiae cumulum, tres etiam egregios viros ex Nostris evulgabimus, quos jam in consistorio diei XXIII. februarii anni MDCCCI. creatos in pectore servabamus; nimirum venerabilem fratrem.

Franciscum Mariam Locatelli episcopum Spoletinum, et dilectos filios

Joannem Castiglioni praeceptorem generalem ordinis hospitalis s. Spiritus, et

Carolum Erskine auditorem Nostrum; quorum in hanc apostolicam Sedem merita, cum vobis satis perspecta esse noscamus, supervacaneum ducimus ea apud vos commemorare.

Memoratur mors unius cardinalis in pectore reservati.

§. 10. Illud restat, ut doceamus vos, vita esse functum unum presbyterum cardinalem ex iis, quos in consistorio superius enunciato diei XXIII. februarii anni MDCCCI. creatos in pectore servabamus.

Nunc de iis quos cardinales creare decrevimus, rogamus sententiam vestram.

Quid vobis videtur?

Creatio cardinalium.

§. 11. Auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra declaramus primum de more cardinales diaconos Sanctae Romanae Ecclesiae.

Franciscum M. Locatelli episc. Spoletinum.
Joannem Castiglioni.
Carolum Erskine.

Digitized by Google

Insuper creamus cardinales presbyteros.

Joannem de Deo Raymundum Boisgelin archiepiscopum Turonensem.
Antonium Theodorum de Colloredo archiepiscopum Olomucensem.
Petrum Antonium Zorzi archiepiscopum Utinensem.
Didacum Gregorium Cadello archiepiscopum Calaritanum.
Joannem Baptistam Belloy archiepiscopum Parisiensem.
Stephanum Ubertum Cambaceres archiepiscopum Rothomagensem.
Josephum Fesch archiepiscopum Lugdunensem.

Reservatio in pectore unius et noviter creatis.

§. 12. Alium item, ut supra dictum est, cardinalem creamus, et in pectore reservamus arbitrio Nostro quandocumque evulgandum. Cum dispensationibus, derogationibus, et clausulis necessariis, et opportunis. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus✠Sancti. Amen.

Dat. die 25. jan. 1803. Anno III.

CLXXXIV.

Erectio in archiconfraternitatem sanctissimi Cordis Jesu de urbe cum facultate adgregandi quascumque congregationes, et confraternitates ubique locorum existentes, servata tamen forma constitutionis Clementinae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni officiales, et saeculares presbyteri piae unionis s. Pauli apostoli de urbe nuncupatae quod cum ipsi congregationem, seu piam unionem sub titulo sanctissimi Cordis Jesu in ecclesia s. Mariae in Cappella de eadem urbe canonice, ut asseritur, erexerint, ad majorem Dei gloriam, ac spiritualem Christifidelium utilitatem, congregationem, seu piam unionem hujusmodi archiconfraternitatis titulo decorari plurimum desiderant.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes, et secundo dictae piae unionis congregatos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, congregationem, seu piam unionem sanctissimi Cordis Jesu in archiconfraternitatem cum omnibus, et singulis praerogativis, juribus, honoribus, et praeeminentiis solitis, et consuetis, auctoritate apostolica, tenore praesentium, sine cujusquam praejudicio, perpetuo erigimus, et instituimus, ac ipsius archiconfraternitatis sic erectae officialibus, et congregatis praesentibus, et futuris, ut ipsi alias quascumque congregationes, et confraternitates, seu pias uniones ejusdem instituti extra urbem ubique locorum erectas, et erigendas eidem archiconfraternitati, servata tamen forma constitutionis recolendae memoriae Clementis pp. VIII. praedecessoris Nostri editae, adgregare, illisque omnes, et singulas indulgentias, et peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes ipsi piae unioni, suae congregationi, sic in archiconfraternitatem a Nobis erectae concessas communicare libere, ac licite possint, et valeant auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, supradictae congregationis, seu piae unionis, aliisque etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque effica-

Digitized by Google

cioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quinta januarii millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 25. jan. 1803. Anno III.

CLXXXV.

Bina beneficia, et tres cappellaniae de jurepatronatu familiae Gerardini terrae s. Elpidii Firmanae dioecesis ad simplicia legata pia reducuntur.

Venerabili fratri archiepiscopo Firmano.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joseph Gerardini de terra sancti Elpidii Firmanae dioecesis, quod sua familia, quemadmodum asserit, juspatronatum possidet, activum simul, atque passivum super duobus beneficiis ecclesiasticis, quorum alterum sub invocatione s. Mariae in Platea in ecclesia s. Francisci fratrum minorum Conventualium, alterum sub titulo sanctorum Joannis Baptistae et Joannis evangelistae in collegiata ecclesia dictae terrae erectum existit, juspatronatum autem tantum passivum trium cappellaniarum, quae in ecclesia s. Catharinae Funariorum de urbe extant institutae, activum enim cappellaniarum hujusmodi patronatum penes ejus terrae communitatem residet, ita tamen, ut communitas tempore vacationis praeferre debeat aliquem semper ex enunciata familia, qui ad eas nominari, ac praesentari expostulet. Porro etsi familia Gerardini una ex antiquioribus, et clarioribus sit, quas dicta terra complectitur, ejus tamen subsistentia super dictorum beneficiorum, et cappellaniarum redditibus maxima ex parte innititur, ob tenuitatem patrimonii ex quo multo sane minus quam quod ejus exigit decus, quotannis retrahitur; quapropter exponens, qui solus de memorata familia in praesentiarum mares filios habet, tum ut levius numerosae prolis onera ferre, tum si liberos suos ab omni occasione clericalem statum invite forsan suscipiendi possit avertere, beneficia, et cappellanias praedictas ad simplicia legata pia reduci, eaque per ipsum, ac ipsius descendentes masculos administrari vehementer desiderat, eo vel magis, quod expetitum ad id consensum, tam ab iis, qui memorata beneficia, et cappellanías actualiter obtinent, quam a dicta communitate est assecutus, Nobisque propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Facultates archiepiscopo Firmano conceduntur ut gratiam pro suo arbitrio concedere possit.

§. 2. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, quatenus constito tibi de narratis, eidem exponenti, ejusque descendentibus masculis, ut duo beneficia, et tres cappellanias superius recensitas tamquam pura, et simplicia légata pia, quae sic in posterum illa, et illas haberi debere auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium decernes in administrationem suscipere, ac retinere, eorumque ac earum fructus, redditus, et proventus quoscumque percipere, et exigere, suosque in usus, et utilitatem convertere libere, ac licite possint et valeant, auctoritate, et tenore praesentis pro tui arbitrio, et conscientia concedas, atque indulgeas.

Lege imposita.

§. 3. Ea tamen sub lege, quod dictae communitati jus nominandi sejunctim ad totas tres cappellanias praememoratas illaesum remaneat, et omnia, et singula onera, quae eisdem beneficiis imposita sunt, ac illud potissimum, quod dicitur cathedratici, firma subsistant; et de adimplemento onerum hu-

jusmodi per exponentem, et descendentes ipsius masculos quotannis cancellariae tuae exhiberi omnino sub poenis a te praefigendis documenta legitima debeant; quodque, si et quando lineam masculinam in familia Gerardini praedicta deficere, ac extingui contingat, tunc beneficia et cappellaniae hujusmodi cessent eo ipso esse, ac haberi legata pia, et primaevam suae institutionis naturam absque ulla alia declaratione illico in omnibus, et per omnia induant denuo atque recipiant.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus felicis recordationis Benedicti pp. XIV. praedecess. Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non hujusmodi beneficiorum, et cappellaniarum fundationibus etiam juramento, confirmatione apostolica, aut firmitate alia roboratis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem, sub annulo piscatoris, die vigesima quinta januarii, millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 1. febr. 1803. Anno III.

CLXXXVI.

Nonnulla statuta pro restauratione fabricae cathedralis ecclesiae Urbevetanae.

Dilecto filio Nostro Caesari S. R. E. presbytero cardinali Brancadoro nuncupato ex concessione, et dispensatione apostolica ecclesiae Urbevetanae praesuli.

Pius episcopus

Dilecte fili salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Pastoris aeterni vices in terris, quamquam immeriti gerentes curis vigilamus assiduis, ut ea, quae a Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris pro sacrorum templorum reparatione, illorum praesertim, quae structura, et vetustate magis celebrantur, constituta sunt, non solum firma, et illibata remaneant, stricteque serventur, sed etiam eorumdem pontificum praescriptis, si quid opportune per Nos addendum esse videbitur, libenter addamus.

Expositio precum. §. 2. Expositum itaque Nobis tuo nomine nuper fuit, quod dudum pro restaurationibus istius celeberrimi templi cathedralis ecclesiae Urbevetanae felicis recordationis Pius pp. VI. praedecessor Noster auctoritate apostolica sub certis modo, et forma tunc expressis ad preces bon. mem. Pauli Francisci, dum vixit, S. R. E. cardinalis Antamoro nuncupati ex concessione, et dispensatione apostolica ejusdem ecclesiae Urbevetanae praesulis concessit, ut ipse super bonis fabricae dictae cathedralis unum, vel plures census passivos ad summam usque triginta millium scutorum monetae Romanae contrahere, et constituere posset; atque pro fructuum solutione, et censuum hujusmodi sortis principalis extinctione intra certum tempus, ac sine ulla bonorum fabricae praedictae jactura, aut reddituum imminutione facienda, eidem Paulo Francisco cardinali annuam praestationem, seu taxam imponendi super omnes, et singulos ecclesiasticos redditus civitatis, et dioecesis praedictae Urbevetanae facultatem tribuit, ac alias, prout in ejusdem Pii praedecessoris desuper in simili forma brevis die XXX. martii MDCCLXXXIV. expeditis literis, quarum tenorem praesentibus, pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus, uberius continetur. Cum autem, sicut in eadem expositione additum erat, tu literas praedictas per Nos confirmari, ac novas etiam concessiones ad rem hujusmodi conficiendam perutiles superaddi plurimum desideres.

Tenor concessionis. §. 3. Nos te in tuo laudabili proposito tam celebris templi restaurationes meliore, quo per temporum circumstantias fieri poterit modo, persequendi, et absolvendi confovere volentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, memoratas Pii praedecessoris literas juxta illarum formam, et tenorem cum omnibus, et singulis in eis contentis, et expressis, auctoritate apostolica, tenore praesentium adprobamus, et confirmamus, eosdemque literas omnino servari volumus, atque decernimus. Praeterea ad rem celerius perficiendam, circumspectioni tuae,

quidquid (expletis omnibus respectivis oneribus) supererit ex redditibus, et fructibus ecclesiarum suppressarum universitatum lignariorum, calceolariorum, fabrorum, caementariorum, seu aedium structorum, et mercatorum ipsius civitatis, et dioecesis Urbevetanae dicti templi reparationibus exequendis ad totalem usque aeris alieni praedicti, seu censuum extinctionem dumtaxat applicandi, et convertendi quamcumque opportunam, et necessariam, auctoritate, et tenore praedictis tribuimus facultatem.

Deputatio praesidis fabricae.

§. 4. Quo autem omnia rectius, expeditiusque procedant, te quoque in supremum fabricae praedictae redditutum, et expensarum hujusmodi faciendarum praesidentem, eadem auctoritate declaramus et constituimus: tibique statum activum, et passivum dictae fabricae pro data tibi a Domino prudentia, efformandi, quantum pecuniae pro aeris alieni praedicti extinctione, et fructuum solutione, quantumque pro memoratis restaurationibus efficiendis annuatim fuerit impendendum aequa lance praescribendi, sumptus superfluos resecandi, ac penitus tollendi, impensas moderandi, ministrorum numerum imminuendi, officiales ad tui libitum constituendi, et ejiciendi, ac demum duos, vel plures ecclesiasticos, ac etiam seculares spectatae integritatis viros, qui ad restaurationum praedictarum executionem sedulo incumbant pro tuo arbitrio delegandi, atque ab his, et aliis, ad quos spectabit, accepti, et expensi rationem bis in anno ac etiam saepius, si tibi in Domino ita expedire visum fuerit, omnino repetendi potestatem facimus.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quae ab eodem Pio praedecessore in suis memoratis literis concessa sunt non obstare, nec non motibus Nostris propriis in contrarium praemissorum editis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die prima februarii millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno tertio.

CLXXXVII.

Dat. die 4. martii 1803. Anno III.

Facultas episcopo Urbevetano uniendi unam parochiam cum altera, cum commutatione populanorum pro majori eorum commodo.

Venerabili fratri archiepiscopo episcopo Urbevetano.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Ratio decernendae unionis.

§. 1. Fraternitatis tuae nomine nuper Nobis expositum est, duas in civitate Urbevetana, easque fere conterminas inter se parochias esse, quae sufficienti congrua carent: alteram s. Stephani, cujus redditus annui, tam certi quam incerti, summam septuaginta scutorum minime excedunt, ac in ea biscentum et septuaginta capita numerantur: alteram s. Leonardi, quae de fructu, certo pariter atque incerto, tantum affert quotannis octoginta scutata, ibique quingenti, et octodecim fideles continentur. Quum autem paraecia s. Stephani vacet ad praesens, te cupere ex hinc occasionem arripere uniendi istarum alterutram paraeciarum, ita quidem ut unus in posterum per hanc unionem supersit parochus s. Leonardi, qui et sua, et illa etiam, quae ad parochiam s. Stephani pertinebat, congrua gaudeat; utque praeterea parochialis s. Leonardi reficiatur ecclesia, quae vetustate fatiscens ecclesiae ob imminens corruendi periculum subjecta est suspensioni, et clausa inaccessaque manet. Nequid porro ratione loci populo paroeciae s. Stephani ex hujusmodi unione contingat incommodi, te jam praecavisse de attribuendo populum istum proximiori parocho s. Angeli, qui lubens pro parte sua parocho s. Leonardi tantumdem proprii populi de domibus, quae parochiae illius magis accedunt, cessurum spopondit. Quapropter ut isthaec omnia rite et canonice exequi valeas, apostolicam, qua indiges, facultatem te enixe a Nobis expetere, ac humiliter obsecrare.

Tenor indultae facultatis.

§. 2. Nos igitur consilio, ac voto hujusmodi tuo benigne in Domino obsecundare, teque specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae libere ac licite praedictam

Digitized by Google

parochiam sancti Stephani, una cum ejus fructibus, redditibus, proventibus, juribus, privilegiis, honoribus et oneribus universis, parochiae s. Leonardi perpetuo uniendi, ac incorporandi, tum de modo quoque reparandae parochialis ecclesiae sancti Leonardi per ea, quae ex istiusmodi unione magis eruere, reservare, et ad id applicare censueris, pro tui prudentia, et arbitrio disponendi; demum paroeciae sancti Stephani populanos viciniori parocho sancti Angeli adjudicandi, totidemque de sancti Angeli sejungendi paraeciae, et parocho sancti Leonardi assignandi plenam, et amplam facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus fel. rec. Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non praedictarum parochiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quarta martii millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 8. martii 1803. Anno III.

CLXXXVIII.

Facultas congregationi cappellae regis catholici vulgo dicta dell' Alumbrado exponi faciendi ss. Eucharistiae sacramentum, illudque retinendi die, et nocte expositum a die trigesima aprilis usque ad diem nonam maji subsequentis in perpetuum.

Venerabili fratri patriarchae Indiarum cappellano majori exercituum regis catholici.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

§. 1. Exponi nuper fecerunt Nobis dilecti filii officiales piae congregationis, quae Matriti in regali cappella regis catholici sub vulgari nomine dell' Alumbrado y Vela adunatur, ac fraternitatis tuae jurisdictioni subjicitur, quod congregatio hujusmodi praecipue fuit instituta pro adoratione continua Eucharistici sacramenti in tabernaculis asservati, quodque ad sacramenti ejusdem honorem et cultum sacrae ab ea magnisque solemniis, celebrantur functiones: quae quidem ut fidelium devotionem quammaxime adaugeant ipsi exponentes sanctissimam Eucharistiam a die xxx. aprilis ad diem usque ix. maji mox subsequentis quotannis venerationi publicae exponi, expositamque die, ac nocte per id temporis retineri, aeque ac in nonnullis aliis, uti asserunt, fieri solet Hispaniae locis, facere posse summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. — Expositio precum.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes; supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus constito tibi de narratis, ac dummodo praedicta in cappella rerum omnium, quae ad id opus sunt supellex et copia existat, eisdem exponentibus, ut per singulos annos incipiendo a die xxx. mensis aprilis, praevia, juxta Ecclesiae morem, solemnis missae celebratione, augustissimum Eucharistiae sacramentum in eadem cappella publice exponi, — Tenor concessionis.

Digitized by Google

ac deinde, servata semper in reliquis forma et dispositione pro hujusmodi expositionibus in rituali Romano praescripta, illud diu noctuque sic expositum jugiter custodiri, nec tandem recondi nisi die nona mensis maji proxime subsequentis, libere ac licite facere possint et valeant licentiam et facultatem perpetuo valituram, auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium pro tui arbitrio et prudentia gratis impertiaris.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die octava martii millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno tertio.

CLXXXIX.

Dat. die 8. martii 1803. Anno III.

Confirmatio electionis s. Sebastiani martyris in patronum principalem loci Orxivensis Granatensis dioecesis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Quum sicut exponi nuper fecerunt Nobis dilecti filii clerus, populusque loci vulgo Orxiva nuncupati Granatensis dioecesis, pro peculiari, quem omnes gerunt in sanctum Sebastianum martyrem, devotionis affectu, illum ipsi in loci ejusdem principalem patronum elegerint, ac electionem hujusmodi approbari a Nobis plurimum cupiant et confirmari.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, attento etiam quod tum de consensu ordinarii, tum servatis servandis juxta formam a fel. rec. Urbano pp. VIII. praedecessore Nostro praescriptam peracta dicta electio fuerit, hujusmodi electionem auctoritate apostolica tenore praesentium ratam, et validam habemus, ac confirmamus, illique perpetuae firmitatis robur adjicimus, atque omnes, et singulos sive juris, sive facti defectus, si quos desuper quomodolibet intervenisse contigerit, sanamus, atque supplemus; nec non festivitati ejusdem s. Sebastiani martyris electi, ut praefertur, in principalem patronum loci praedicti universas praerogativas festis sanctorum patronorum competentes concedimus, atque attribuimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac clero, et populo Orxivensi plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti loci, et dioecesis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, ex expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die octava martii millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno tertio.

CXC.

Dat. die 8. martii 1803. Anno III.

Erectio episcopatus Bisarchiensis.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium. §. 1. Divina disponente clementia, meritis licet imparibus, Nos in sacrosancta beati Petri principis apostolorum specula collocati ad gregem Dominicum oculos Nostrae mentis intentos semper habentes, quid apostolicae providentiae impendere debeamus, ut grex ubique commode et utiliter gubernetur, ac ad coelestia pascua fideliter dirigatur, inter plurimas muneris Nostri curas eam agnoscimus, ut ecclesiarum praesulibus territorium illud tributum sit, quod juxta sacros canones perlustrare, et spirituali populorum regimini facile consulere valeant: quapropter christianorum principum vota ad id tendentia benigne censemus favore complecti, et nonnullorum praedecessorum Nostrorum exempla sequentes ea curamus statuere, quae in Domino salubriter conspicimus expedire.

Tenor precum porrectarum a rege Sardiniae. §. 2. Cum charissimus in Christo filius Noster Victorius Emmanuel Sardiniae rex illustris Nobis exposuerit, quod ob vastam Algarensis dioecesis amplitudinem, vastosque ipsius ecclesiae confines unus pastor omnia regere, et populos sibi in spirituali regimine subjectos commode gubernare, eisdem in necessitatibus, ut expediens videtur, statim occurrere minime valeant, proptereaque praefatus Victorius Emmanuel rex, qui de animarum salute maximo afficitur studio, summamque gerit sollicitudinem, ut populi in sua temporali ditione existentes optime a suis pastoribus dirigantur; et ad consulendum populorum hujusmodi salubriori spirituali regimini, et gubernio dignoscatur oportere, ut ab infrascriptis dioecesibus, avulsis nonnullis infra-dicendis locis, perantiqua Bisarchiensis ecclesia in pristinum redintegretur statum, ac novus praesul, qui attenta aedificiorum vetustae civitatis Bisarchiensis ob temporum aerumnas quasi omnimoda sequuta destructione, aptiorem habeat mansionem in oppido Orzieri nuncupato, in quo episcopalis residentia constituatur.

Describitur praestantia oppidi nuncupati di Orzieri. §. 3. Cumque praedictus Victorius Emmanuel rex Nobis exposuerit, quod oppidum praedictum Orzieri nuncupatum octomillium circiter habitatorum, inter quos plures honestae familiae summo decore viventes, refertum, ac rerum ad humanae vitae necessarium copia atque opulentia satis abundans, ubi duo virorum ordinis fratrum minorum s. Francisci, alter observantium, ac alter cappuccinorum conventus, et unum mulierum etiam sub regula ejusdem s. Francisci cappuccinarum monasterium, ac nonnullae laicorum confraternitates, montesque nummularius et frumentarius, instituti et institutae reperiuntur.

Declaratur insignitas ecclesiae collegiatae. §. 4. Perantiqua pariter saecularis et insignis collegiata a fel. rec. Paulo pp. V. praedecessore Nostro, ut asseritur, erecta, quae etiam parochialis existit ecclesia sub invocatione Conceptionis Immaculatae Beatae Mariae Virginis, optima aedificii structura, molis amplitudine ac magnificentia praestans, nec non plurium sanctorum reliquiarum, sacrarumque supellectilium copia, ad divina non solum summo cum decore peragenda, sed etiam ad pontificalia exercenda satis abundans ab Algarensi una cum infrascriptis locis, seu parochialibus ecclesiis, et aliis respective dioecesibus separaretur, atque ex eo, et ex eis unus episcopatus erigeretur, oppidumque praedictum in civitatem erigendum pro sede novi episcopi Bisarchiensis nuncupandi assignaretur, ex hoc profecto animarum populorum hujusmodi saluti opportune consultum foret.

Dismembratio nonnullarum ecclesiarum a jurisdictione episcoporum Algarensi, et Turritano. §. 5. Nos igitur ejusdem regis singulare studium, ac procurandae animarum salutis zelum, quam maxime in Domino commendantes, piisque ejus votis quantum cum eodem Domino possumus, benigne annuere volentes, certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, atque praevio consensu antea praestito a dilectis filiis capitulis et canonicis infrascriptarum cathedralium ecclesiarum, aliisque in praesenti dispositione Nostra interesse habentibus, memoratum oppidum Orzieri nuncupatum, nec non locum sive parochialem ecclesiam de Tula, ac alium seu aliam de Ardara, ac alium seu aliam de Berchidda, ac alium seu aliam de Oscheri, ac alium seu aliam de Monti, ac alium seu aliam de Alà, ac alium seu aliam de Buddusò, ac alium seu aliam de Nule, ac alium seu aliam de Osidda, ac alium seu aliam de Pattada, ac alium seu aliam de Bantina, ac alium seu

Digitized by Google

aliam de Nughedu, ac alium seu aliam de Benetuti, ac alium seu aliam de Bono, ac alium seu aliam de Anela, ac alium seu aliam de Bultei, ac alium seu aliam de Illorai, ac alium seu aliam de Botidda, ac alium seu aliam de Burgos, ac alium seu aliam de Sporlato in Algarensi, ac reliquum seu reliqua respective loca, seu parochiales ecclesias de Itireddu respective nuncupata in Turritana respective dioecesibus existentia, cum eorum confinibus, jurisdictionibus, aliisque juribus ad Algarensem et Turritanam ecclesias, illarumque mensas episcopales competentibus cujuscumque generis, apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo dismembramus, sejungimus, et separamus, ac clerum et populum una cum omnibus et singulis respective ecclesiis, monasteriis, cappellis, ac aliis ecclesiasticis, et piis locis, nec non incolis, habitatoribus, caeterisque ecclesiasticis ac saecularibus personis, rebus quoque, et bonis in supradictorum locorum respective territoriis existentibus, a respectiva Algarensi et Turritana ordinaria jurisdictione, superioritate, subjectione, visitatione, et correctione prorsus eximimus et liberamus.

Erectio oppidi di Orzieri nuncupati in civitatem, et ecclesiae collegiatae in cathedralem.

§. 6. Praedictum autem oppidum Orzieri nuncupatum in civitatem ad praesentem dumtaxat effectum erigimus, et civitatem esse, ac futuris temporibus nuncupari debere decernimus, praedictamque saecularem et insignem collegiatam, quae etiam parochialis existit, ecclesiam in dicto oppido per Nos civitatis titulo, ut praefertur, decorato existentem, una cum illius capitulo, quod ex archipresbytero, et octo canonicis, octo canonicatus, totidemque praebendas, ac octo beneficiatis tot perpetua simplicia personalem residentiam requirentia, ac servitium chori annexum habentia beneficia ecclesiastica respective obtinentibus, nec non uno sacristae, unoque sub sacristae respective officiis, et quatuor cappellanis ad nutum tamen episcopi amovibilibus constat, illiusque collegialitatis titulum, denominationem, naturam, et essentiam, non autem quoad parochialitatem, eadem apostolica auctoritate pariter perpetuo supprimimus, et extinguimus.

Erectio novi episcopatus.

§. 7. Ipsamque collegiatam ecclesiam per Nos, ut praefertur, suppressam et extinctam, de apostolicae potestatis plenitudine in cathedralem, quae etiam parochialis, ut antea, existat ecclesiam Bisarchiensem nuncupandam, cujus tamen habitualis animarum dilectorum filiorum parochianorum cura infrascriptis capitulo et canonicis inhaereat, modo tamen et forma ab infrascripto Nostrarum literarum exequutore praescribendis, pro uno episcopo Bisarchiensi, qui ei praeesse valeat cum omnibus episcopalibus insigniis, privilegiis, honoribus, praerogativis, eisdem modo et forma quibus caeteri episcopi, praesertim Sardiniae insulae, perfruuntur et gaudent, cum omnimoda episcopali jurisdictione, in praedicta civitate di Orzieri nuncupata, in qua pro tempore existens episcopus residebit in palatio jam ad hujusmodi effectum prope dictam cathedralem constructo, et in infrascripta dioecesi, ut infra, assignanda perfruatur et gaudeat, pari auctoritate similiter perpetuo instituimus; ipsamque novam cathedralem ecclesiam Bisarchiensem, per Nos sic, ut praefertur, de novo erectam, archiepiscopo Turritano, quoad metropoliticam jurisdictionem, et superioritatem perpetuo subjicimus, et suffraganeam praefati Turritani archiepiscopi esse debere decernimus.

Distributio dignitatum capituli cum adnexis muneribus singularum dignitatum.

§. 8. Archipresbyteratum vero praedictum, qui post pontificalem unica dignitas existat, pro uno archipresbytero, cui omnimoda actualis animarum cura dilectorum etiam filiorum parochianorum ejusdem ecclesiae incumbat, quique illam exercere teneatur, et quoties in curae animarum hujusmodi exercitio occupatus fuerit, pro praesente, divinisque officiis personaliter interessente haberi et reputari respective debeat; octo vero canonicatus, totidemque praebendas, quarum altera theologalis, altera vero poenitentiaria ad tramites tamen literarum apostolicarum in forma brevis felicis recordationis Clementis pp. XIV. praedecessoris Nostri incipientium — *Nuper* — primo nempe exponendi lectiones scholastico dogmaticas, alteri vero theologiam moralem, instituendas mandamus, pro octo canonicis, nec non octo beneficiatis, pro tot perpetua simplicia, personalem tamen residentiam requirentia, ac servitium chori annexum habentia beneficia ecclesiastica respective obtinentibus; ac demum unum sacristae nuncupatum, ac alterum sub sacristae respective officia, nec non quatuor presbyteros cappellanos nuncupatos, quibus ultra servitium chori, tempore tamen, in quo pro infrascripta

curae animarum obligatione minime occupati existant, onus coadjuvandi archipresbyterum praedictum in exercitio curae animarum parochianorum hujusmodi incumbat, ab eodem archipresbytero et capitulo pro eorum approbatione et canonica institutione ordinario Bisarchiensi praesentandos, quique ad praedictum servitium chori addicti, beneficiatorum insigniis utuntur, prout reliqui beneficiati usquedum usi sunt, ac imposterum utentur, iisdem assignata ab infrascripto praesentium Nostrarum literarum exequutore, vel ex ipsa communi massa capitulari sufficienti congrua, quae tum respondeat oneribus, quae hi subire coguntur, tum quoque cathedralis ecclesiae pro-parochos maxime deceat, atque id praeter quotam pro quotidianis distributionibus iisdem assignandam, ultra adventitia emolumenta, quae stolae, seu altaris proventus solent vulgo appellari, missarum eleemosynam, et piorum christifidelium oblationes, praesertim quae in administratione sacramentorum offeruntur: singuli tamen praedictorum quatuor cappellanorum ad nutum pro tempore existentis episcopi seu ordinarii Bisarchiensis amovibiles existant, facta archipresbytero et capitulo praedictis alium vel alios, prout opus fuerit, de novo praesentandi facultate: qui omnes capitulum curam tantummodo habitualem parochianorum hujusmodi ut supra habentem, cathedralis ecclesiae Bisarchiensis, constituant, et apud eum chori servitium, divina officia, sacrasque functiones persolvere teneantur, ad omnipotentis Dei gloriam, et laudem, simili auctoritate, harum serie etiam erigimus, et instituimus.

Concessio privilegiorum pro capitulo.

§. 9. Praeterea eidem archipresbytero, ac capitulo, et canonicis ejusdem cathedralis ecclesiae, aliisque capituli et ecclesiae hujusmodi personis, et ministris pro tempore existentibus in omnibus et singulis praeeminentiis, praerogativis, facultatibus, indultis, insigniis, favoribus, gratiis, ac privilegiis, quibus aliarum cathedralium ecclesiarum, praedictae insulae Sardiniae dignitates obtinentes, capitula, et canonici fruuntur, potiuntur, et gaudent (exceptis privilegiis titulo oneroso acquisitis) ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt in futurum, pari modo uti, frui potiri, et gaudere libere, et licite possint, et valeant concedimus et indulgemus.

Assignatio locorum constituentium novam dioecesim.

§. 10. Loca insuper seu oppida superius expressa, et in districtibus di Monteacuto et di Goceano nuncupatis respective existentia, cum suis parochialibus ecclesiis à praedictis dioecesibus Algarensi, et Turritana, ut praefertur, dismembrata, eidem cathedrali ecclesiae Bisarchiensi, pro suis dioecesi et territorio constituimus, et cum omnibus et singulis ecclesiis, vicariis, beneficiis, monasteriis, conventibus ac populo, clero, presbyteris, tam saecularibus, quam regularibus in eisdem respective existentibus, et commorantibus apostolicae etiam potestatis plenitudine concedimus, tribuimus, et assignamus.

Derogatio privilegii relate ad jus passivum vigens super collatione praebendarum in ecclesia cathedrali.

§. 11. Vigens cum reperiatur in praefato capitulo usque ad praesens observata consuetudo, quod omnes memoratae ecclesiae antea collegiatae praebendae, nonnisi civibus praefati oppidi in civitatem erecti, forsan ex privilegio, vel etiam apostolico indulto conferrentur, Nos attenta ejusdem capituli collegiatae in capitulum cathedralis ecclesiae erectione, ad quod aequum et congruum dignoscitur ecclesiasticos omnes tam civitatis quam dioecesis, dignos et idoneos esse assumendos, harum literarum vigore praevia, quatenus opus sit, infrascripta cujuscumque indulti, aut privilegii derogatione, decernimus, ut in futuris provisionibus, firma remanente praedicta consuetudine, vel forsan privilegio aut indulto, quoad quatuor tantummodo praebendas favore civium praedictorum, aliaeque omnes praebendae ipsius cathedralis capituli, tam civibus praefatis, quam dioecesanis indistinctim ac libere conferri, et assignari valeant.

Concessio capitulo facta condendi statuta capitularia.

§. 12. Eisdemque archipresbytero, ac capitulo, et canonicis praedictae cathedralis ecclesiae Bisarchiensis per Nos, tenore praesentium, ut praefertur, erectae, ut ipsi capitulariter congregati pro ejusdem cathedralis ecclesiae rerum, et bonorum, tam spiritualium quam temporalium prospero et felici regimine, gubernio, et directione, onerumque illis pro tempore respective incumbentium supportatione, divinorum officiorum, processionum, funeralium, anniversariorum, et aliorum, suffragiorum celebratione, ac distributionum quotidianarum, et aliorum emolumentorum quorumcumque exactione, perceptione, repartitione, divisione, poenarum per absentes et divinis officiis non interessentes, seu onera et munera eis, et eorum cuilibet incumbentia

Digitized by Google

subire negligentes incurrendarum incursu, singulorum praesentiis, et absentiis notandis, caeremoniis et ritibus in ecclesia, choro, et processionibus, aliisque actibus praefatis servandis, officialibus et ministris in dicta ecclesia cathedrali necessariis deputandis et amovendis, servitiis et ministeriis per ipsos obeundis, eisque salariis, et stipendiis praestandis et quibusvis aliis rebus in praemissis et circa ea quomodolibet necessariis, et opportunis, quaecumque statuta, ordinationes, capitula, et decreta, licita tamen et honesta, sacrisque canonibus, et concilii Tridentini decretis, ac constitutionibus apostolicis minime contraria, ac per ordinarium loci prius examinanda, et approbanda, edere, et edita, praevia approbatione ordinarii praefati, declarare, et interpretare, et ad meliorem formam redigere ac reformare, seu alia de novo, ex integro, ac, ut praefertur, eisdem sacris canonibus, et decretis concilii hujusmodi, ac constitutionibus apostolicis praedictis minime adversantia, ac, ut praefertur, examinanda, et approbanda, et ab eis ad quos pro tempore spectabit sub poenis in contravenientes statuendis observanda, et adimplenda condere, et postquam condita fuerint, toties quoties pro rerum ac temporum conditione et qualitate, vel alias expediens videbitur, illa in toto vel parte corrigere, alterare, mutare, et in melius reformare, aliaque etiam ex integro, de novo, de simili ejusdem ordinarii approbatione condere etiam libere, et licite possint et valeant, dummodo tamen correctio, alteratio, immutatio, reformatio, et de novo condenda statuta hujusmodi sacris canonibus, et constitutionibus apostolicis, ac concilii Tridentini decretis hujusmodi contraria, ut praefertur, non sint, eadem apostolica auctoritate licentiam et facultatem, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Datis constitutio pro nova ecclesia.

§. 13. Pro ejusdem autem ecclesiae episcopalis Bisarchiensis, per Nos, ut praefertur, de novo erectae, dote, tertiam partem decimarum praedicti oppidi di Orzieri nuncupati antea Algarensi episcopo debitam, et alias duas tertias decimales partes etiam antea decano capituli episcopalis ecclesiae Algarensis praefatae respective debitas, ac rectoriae ad praesens vacantis loci de Tula nuncupati, cujus redditus ad quingentarum et nonaginta circiter librarum monetae illarum partium, summam ascendere videtur, absque tamen aestimatione quartae vicarialis, ac redditus et proventus, salva congrua parochiali alterius parochialis ecclesiae, seu rectoriae loci di Oschiri nuncupati, etiam ad praesens per liberam dimissionem dilecti filii Gavini Aloisii Sechi presbyteri alias in manibus ordinarii loci factam, et per eundem ordinarium loci admissam vacantis, cum onere tamen pro nunc solvendi pensionem annuam septingentarum, et quinquaginta librarum dictae monetae, alias super fructibus praedictae rectoriae legitime impositam favore dilecti etiam filii Joannis Philippi Carcopino etiam presbyteri, antea ejusdem parochialis ecclesiae rectoris, et ex nunc prout ex tunc, postquam tamen per obitum praedicti Joannis Philippi cessaverit aliam pensionem annuam perpetuis futuris temporibus, ut infra, duraturam quingentarum librarum similium pro tempore existenti canonico theologo cathedralis ecclesiae Bisarchiensis pro sua theologali praebenda, ac medietatem decimarum alterius rectoriae loci de Pattada ad noningentas triginta septem circiter libras, ascendentem, prout antea episcopo Algarensi solvebatur, et redditus alterius parochialis, seu rectoriae loci de Nughedu nuncupati, qui minime comprehensa quarta ejus parte, pro tempore ipsius rectoriae vicario assignata ad mille et quingentas circiter ejusdem monetae libras ascendere asseruntur; quique antea archidiacono cathedralis ecclesiae Algarensis pro sua archidiaconali praebenda, cum onere solvendi tertiam partem decimalem proprio episcopo, assignati reperiebantur, cum hoc tamen quod ne ob dismembrationem hujusmodi rectoriae a dioecesi Algarensi, illiusque novae Bisarchiensi dioecesi unionem per Nos, ut praefertur, factam, mensa episcopalis Algarensis nimium detrimentum patiatur, episcopus Bisarchiensis annuam summam septingentarum quinquaginta librarum similium pro tempore existenti episcopo Algarensi solvere teneantur, usque dum ipse in futuris vacationibus unius di Olmido et alterius di Uri respective nuncupatarum parochialium ecclesiarum, tertiam partem decimarum per Nos, ut infra, assignandam percipiat; quae porro solutio in prima vacatione unius proportionabiliter pro rata, et in vacatione alterius ex hujusmodi parochialibus ecclesiis integraliter cessare debeat; et ex nunc prout ex tunc postquam ta-

men rectoria loci di Itireddu nuncupati per obitum illius pro tempore existentis rectoris, aut alias certo alio modo vacaverit summam biscentum quinquaginta librarum hujusmodi, quartam ipsius rectoriae partem decimalem constituentium; et ex rectoria loci di Bono, summam noningentarum circiter librarum similium, medietatem decimalem ejusdem rectoriae constituentium, quae antea mensae episcopali Algarensi solvebantur; ac similiter tercentum duodecim circiter libras hujusmodi, respondentes medietati decimarum alterius rectoriae loci de Botidda, quae etiam antea Algarensi episcopo pariter solvebantur; ac demum triginta septem circiter libras ex fructibus perpetui simplicis, et personalem residentiam non requirentis beneficii ecclesiastici in parochiali rectoria nuncupata, seu alia ecclesia loci di Biducara nuncupati erecti, et tercentum septuaginta quinque libras circiter ex fructibus decimalibus territoriorum Bisarchiensium; ita ut ex nunc in super expressis redditibus, annua summa decem millium quatuorcentum sexaginta quinque librarum monetae hujusmodi circiter, episcopali mensae Bisarchiensi, per praesentes assignata censeatur. Volumus autem quod futurus, et pro tempore existentes episcopi Bisarchienses, donec mensa episcopalis ecclesiae Bosanensis quartam decimalem alterius rectoriae loci di Sedilo nuncupati, et pensionem annuam perpetuis futuris temporibus duraturam super fructibus alterius rectoriae loci di Santu Lussurgiu etiam nuncupati, quas Nos, ut infra, mensae episcopali ex nunc prout ex tunc, postquam tamen per obitum illorum respective rectorum, aut alias certo alio modo vacaverint, ut infra, pariter assignabimus, respective percipere valeat, pensionem annuam mille centum viginti quinque librarum dictae monetae episcopo Bosanensi solvere teneatur, seu teneantur, quam tamen pensionem proportionabiliter pro rata in prima vacatione unius ex praedictis rectoriis cessare, et in vacatione alterius totaliter extinctam remanere statuimus. Aliam itidem ex nunc pensionem sexcentarum vigintiquinque librarum similium perpetuis futuris temporibus duraturam, a futuro pariter et pro tempore existente Bisarchiensi episcopo, mensae episcopali Algarensi solvendam esse decernimus, loco tertiae partis decimalis, quam ipsa Algarensis mensa episcopalis percipere deberet super fructibus rectoriae loci di Pozzomaggiore nuncupati, ut antea mensa episcopalis Bosanensis similiter percipiebat, ex eo quod ad praesens archipresbytero ecclesiae cathedralis Algarensis, ut infra, per Nos in sua dote et archipresbyterali nuncupata praebenda erit assignanda; alteram similiter pensionem annuam super mensae episcopalis Bisarchiensis fructibus, redditibus, et proventibus, perpetuo etiam duraturam, quingentarum librarum hujusmodi mensae episcopali Algarensi praedictae; ac pro onere, donativo nuncupato, subsidio, ac taxa pontium et viarum manutentione respectivis deputatis, seu exactoribus solvendas, alias quatuorcentas et viginti similes annuas libras, nec non seminario puerorum ecclesiastico suae dioecesis biscentum, et denique octoginta septem respective libras annuas hujusmodi suae cathedrali ecclesiae pro cera, et palmis in festi Purificationis Beatae Mariae Virginis, et in dominicae Palmarum respectivis diebus, itaut ex nunc praedictae mensae episcopalis Bisarchiensis liber redditus detractis omnibus superius expressis pensionibus, taxis, et oneribus ad sex mille septingentas quinquaginta octo, et postquam supradictae temporaneae pensiones in eventum praemissum cessaverint, detractis jam expressis taxis, oneribus, et pensionibus perpetuis, ad novem mille centum triginta tres circiter respective libras antedictae monetae ascendere annuatim debebit.

Facultas imponendi quamdam pensionem super bonis novae mensae regi reservata.

§. 14. Ex nunc autem prout ex tunc, postquam tamen in eventum praemissum supradictae pensiones cessaverint, et fructus praedictae mensae episcopalis Bisarchiensis ad enunciatam summam novem millium centum triginta trium librarum monetae antedictae pervenerint, facultatem imponendi pensionem annuam, liberam, immunem, et exemptam bismillium librarum similium pro persona seu personis per dictum Victorium Emmanuelem regem nominanda, seu nominandis, et a Nobis assignanda seu assignandis, ac persona seu personis hujusmodi quoad vixerit seu vixerint, et quaelibet earum respective vixerint, vel ejus procuratori legitimo, aut procuratoribus legitimis, per pro tempore existentem episcopum Bisarchiensem annis singulis sub consuetis modo et forma integre persolvendam, eadem apostolica auctoritate, per praesentes reservatam volumus, atque mandamus.

Praeceptum de inscribendis fructibus mensae in libris camerae apostolicae.

§. 15. Praeterea statuimus, atque jubemus quod ante novi episcopi Bisarchiensis electionem, illiusque ecclesiae provisionem, taxa hujus novae cathedralis in libris camerae Nostrae apostolicae consuetis modo et forma statuatur ac describatur, et juxta illam tam in prima quam in futuris aliis ejusdem ecclesiae provisionibus, literae apostolicae desuper respective conficiendae, expediri volumus, atque mandamus.

De mensae capitularis dotatione.

§. 16. Ad mensae porro capitularis novae episcopalis ecclesiae Bisarchiensis hujusmodi dotem pariter statuendam, redditus illi ac proventus omnes ejusdem oppidi di Orzieri, ut praefertur, nuncupati collegiatae et parochialis ecclesiae capituli, quam praevia illarum perpetua suppressione in cathedralem ecclesiam ut supra ereximus, omnibusque ecclesiasticis personis, tam capitulum novae hujus cathedralis ecclesiae componentibus, quam eidem inservientibus eam praebendam, respectivamque assignationem unicuique statuimus, quae antea dum ipsi capitulum collegiatae ecclesiae per Nos, ut praefertur, suppressae efformabant, ipsi assignata reperiebatur: archipresbytero tamen, qui unica novae ecclesiae cathedralis capituli post pontificalem dignitas existit, ultra redditus, et proventus ut antea assignatos, fructus, redditus, et proventus parochialis ecclesiae rectoriae nuncupatae terrae, seu loci di Alà nuncupati ad praesens certo quum Nos haberi volumus pro expresso modo vacantis, qui, detracta quarta hujusmodi fructuum, redditiuum et proventuum parte pro vicariali congrua, ad quatuorcentas circiter libras saepedictae monetae, ut asseritur, ascendunt, pro sua archipresbyterali praebenda adjungimus, sublata tamen in perpetuum summa centum vigintiquinque librarum, quae praeter quotidianas distributiones eidem archipresbytero ex communi massa annuatim solvebatur, ut de eadem a praesentium literarum Nostrarum exequutore commode disponi valeant, quo ecclesiae servitio magis proficuum esse judicaverit: eidemque infrascripto exequutori specialiter etiam committimus, ut ipse per se, vel alium seu alios dilecto filio Antiocho Sini presbytero juris utriusque doctori, apud Nos de literarum scientia, vitae ac morum honestate, aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendato, si praevio diligenti consueto examine dictum Antiochum ad hoc idoneum esse repererit super quo conscientiam suam oneramus, parochialem ecclesiam supradictam terrae, seu loci de Alà sic, ut praefertur, vacantem auctoritate Nostra conferas, et assignes, inducens eumdem Antiochum, vel procuratorem suum ejus nomine in corporalem possessionem dictae parochialis ecclesiae, ac annexorum, juriumque et pertinentiarum, et defendat inductum amoto ab eadem quolibet detentore, ac faciens Antiochum praedictum, vel pro eo procuratorem praedictum ad parochialem ecclesiam hujusmodi, ut est moris, admitti, sibique de illius, ac annexorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, et emolumentis universis responderi, exceptis tamen omnibus illis, quae stolae, seu altaris proventus vulgo appellantur, quique vicario, et pro parochis ejusdem parochialis ecclesiae in posterum spectare, et pertinere, ac ex nunc perpetuis futuris temporibus eisdem assignata volumus remanere. Canonici vero theologus, et poenitentiarius, ultra distributionem canonicis omnibus statutam, uni quingentarum, ex nunc prout ex tunc, in eventum superius expressum a futuro, et pro tempore existente episcopo Bisarchiensi persolvendam, alteri vero, etiam ex nunc prout ex tunc, cum primum parochialis ecclesia rectoria nuncupata terrae seu loci di Benetuli nuncupati, per obitum pro tempore existentis illius rectoris, aut alias certo alio modo vacaverit, super ejusdem parochialis ecclesiae fructibus, redditibus, et proventibus, aliarum quingentarum respective librarum monetae praefatae, respective pensiones annuas perpetuis futuris temporibus duraturas, pro respectivis theologali et poenitentiaria praebendis constituimus, et assignamus. Infrascripto denique praesentium Nostrarum literarum exequutori curam relinquimus, ut capitulares omnes novae hujus cathedralis ecclesiae, quatuor presbyteris beneficiatis nuncupandis ad nutum tamen futuri, et pro tempore existentis episcopi Bisarchiensis, ut supra, amovibilibus, quibus archipresbyterum in exercitio curae animarum coadjuvandi onus incumbere debebit, eam summam unicuique assignent, quae pro respectiva eorum congrua sufficiens esse videatur. Demum Victorio Emmanueli Sardiniae regi illustri praedicto, ejusque in Sardiniae

Digitized by Google

insulae dominio successoribus regibus jus nominandi seu praesentandi, infra tempus a jure praefinitum, Nobis et successoribus Nostris Romanis pontificibus pro tempore existentibus personam idoneam ad dictam episcopalem ecclesiam Bisarchiensem, per Nos, ut praefertur, erectam, a primaeva illius erectione vacantem, tam pro prima vice, quam in posterum in futuris illius vacationibus, pari prorsus modo, quo ad nominationem seu praesentationem eamdem episcopi aliarum cathedralium ecclesiarum in praefata Sardiniae insula existentium a Sede apostolica praedicta praefici consueverunt scientia et potestatis plenitudine paribus apostolica auctoritate antedicta, in perpetuum quoque reservamus, concedimus, et pariter assignamus.

De erectione seminarii episcopalis.

§. 17. Ne desideretur seminarium puerorum ecclesiasticum, in quo adolescentuli illi recipiantur, qui ecclesiastico statui sese addicere cupiant, illud in aedibus, ut Nobis significatum fuit, jam ad hunc effectum designatis, ad formam decretorum concilii Tridentini erigi praecipimus, ac pro ejusdem seminarii dote pro nunc contributiones illas, quas parochiales in districtibus Montis Acuti et Goceani existentes seminario puerorum ecclesiastico Algarensi in summa trecentum quinquaginta quinque librarum illius monetae, ac ex fructibus unius di Butele in territorio civitatis nuncupatae di Orzieri existente, centum, et alterius di Bidué quadraginta, ac ex reliquis perpetuis simplicibus, personalem tamen residentiam non requirentibus beneficiis ecclesiasticis, sub invocatione sanctissimi Salvatoris di Nolvara respective locis, seu parochialibus ecclesiis quadraginta quinque respective libras monetae praedictae, nec non ex taxa novae episcopali mensae Bisarchiensi imposita, biscentum, et summam octingentarum triginta trium librarum hujusmodi ex tertia parte decimali rectoriae loci di Badduso nuncupati, octingentas triginta tres circiter libras, ex tertia parte decimali rectoriae loci di Berchidda, postquam tamen per obitum illius moderni rectoris, aut alias certo alio modo vacaverit, et non antea, perpetuo respective assignamus, itaut pro nunc in summa mille et quingentarum septuaginta trium circiter, et in posterum in summa bismille quadrigentarum et sex circiter, saepedictarum librarum, annua dos ejusdem seminarii puerorum ecclesiastici constituta existat.

Consulitur ecclesiae Algarensi pro reintegratione eidem debitae in vim peractae dismembrationis.

§. 18. Ut autem indemnitati mensae episcopalis ecclesiae Algarensis, attenta per Nos facta supradictorum locorum, seu parochialium ecclesiarum ab eadem dioecesi dismembratione opportune consulatur, non nulla alia infrascripta loca, seu parochiales ecclesiae, sex videlicet a Bosanensi, tresque a Turritana respective dioecesibus sejungendo, et separando pro felici ejusdem mensae episcopalis Algarensis statu eidem dioecesi, ut infra, uniri, adnecti et incorporari volumus atque mandamus.

Idem ut supra.

§. 19. Viginti sex itaque loca cum respectivis suis parochialibus ecclesiis dioecesim Algarensem in posterum constituent, quarum sexdecim ultra civitatem Algarensem videlicet de Putifigari, Mulargia, Birore, Borore, Bortigali, Macomer, Silanus, Lei, Bolotana, Nuragugume, Dualchi, Orani, Oratelli, Uniferi, Sarule et Ottana, jam dioecesi hujusmodi pertinentia, ac alia sex videlicet de Villa nova, Monteleone, Romana, Padria, Mara et Pozzomaggiore ad Bosanensem, tresque demum videlicet de Semestene, Uri, et Olmedo ad Turritanam respective dioeceses antea spectantia.

Unio locorum facta favore dioecesis Algarensis.

§. 20. Ex certa itidem scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, et de venerabilium fratrum Nostrorum archiepiscopi Turritani, et Bosanensis episcopi respectivo consensu super expressa loca tresmius, sexque alterius ex praefatis dioecesibus partem constituentibus, supradicta videlicet oppida seu loca de Semestene, Uri, et Olmedo a Turritana, ac alia de Villanova, Monteleone, Romana, Padria, Mara, et Pozzomaggiore cum eorum confinibus, jurisdictionibus ad eorum respective ordinarios, illarumque mensas, et capitula hactenus competentibus qualiacumque et cujuscumque generis sint, ac cum eorum etiam clero, ecclesiis, monasteriis, cappellis, aliisque piis, et ecclesiasticis locis, ac cujuscumque generis populis, a Bosanensi respective dioecesibus, tenore etiam praesentium, pari apostolica auctoritate, perpetuis futuris temporibus dismembramus, segregamus, et dividimus, eademque loca Algarensi dioecesi addimus, adjungimus, aggregamus, et unimus.

Aliae concessiones favore ejusdem dioecesis Algarensis.

§. 21. Nonnullae vero, tam super redditibus ejusdem mensae Algarensis, et illius cathedralis ecclesiae capituli, ac aliquorum superius expressorum locorum in antedicta Algarensi dioecesi comprehensorum quam super oneribus ab eisdem respective supportandis, necessario statuenda conspicimus. Nos itaque praescribimus quod civitas Algarensis, ut antea, proprio episcopo decimas omnes integraliter ac de Borore, Bortigali, Macomer, Bolotana, et Naragugume respective loca medietatem decimarum hujusmodi, etiam proprio episcopo solvere respective teneantur. Alia vero di Putifigari, Murlagia, Dualchi, Ottana, et Monteleone respective loca, in eodem statu, quo antea erant, in posterum remaneant. Cum primum autem di Uri et Olmedo respective nuncupata, superius expressae rectoriae, certo modo ut supra vacaverint, et ex illis, ut infra etiam exprimetur, decimalem partem episcopus Algarensis percipiet, rectoriam de Birore nuncupatam ab onere solvendi proprio episcopo medietatem decimalem eximimus; itemque ex nunc rectoriam di Lei nuncupatam, attenta reddituum tenuitate, ab onere solvendi mensae episcopali medietatem decimalem liberamus. Parochialis autem ecclesia loci di Uniferi nuncupati, quae ad praesens certo modo vacat, et jam una cum alia alterius loci di Orotelli, etiam nuncupati, canonico theologo cathedralis ecclesiae Algarensis hujusmodi pro sua theologali praebenda respective sunt assignata, attenta pariter reddituum tenuitate, nunquam in posterum medietatem decimalem mensae episcopali, ut antea solvere teneantur. Cum desint vero alia media statuendi sufficientem assignationem episcopo Algarensi, ex nunc redditus omnes, detracta tamen congrua pro vicario parochialis ecclesiae loci di Sarule, eidem Algarensi episcopo assignamus. Reliquas vero de Villanova, et Padria, quarum prima quartam partem decimalem, altera tertiam episcopo Bosanensi solvebant, et alias de Uri et Olmedo respective nuncupata loca seu parochiales, vel rectorias, aut plebanias, quoad duas primodictas ex nunc, quo vero ad secundo dictas, cum primum per obitum earum respective possessorum, aut alias certo alio modo vacaverint, statuimus quartam partem decimalem ex prima nempe de Villanova nuncupata, super cujus reliquis fructibus infrascriptam pensionem annuam pariter reservamus; itemque tertiam partem decimalem alterius de Padria ex nunc, et tertiam similiter partem decimalem aliarum duarum in perpetuum similiter proprio episcopo Algarensi solvere praecipimus; ita ut mensa episcopalis praedicta Algarensis ex nunc ex supradictis decimis civitatis Algarensis bismille quingentas, ex medietate decimali loci di Birore biscentas, ex alia etiam medietate decimali loci di Macomer octingentas septuaginta quinque, ex alia similiter medietate decimali loci di Bortigali sexcentas octoginta septem circiter, ex alia itidem medietate decimali loci di Bolotana, octingentas vigintiquinque, ex alia pariter medietate decimali loci di Naragugume quingentas triginta unam circiter, et ex di Sarule nongentas triginta duo, ac ex respectivis redditibus di Ottana respective locis tercentas septuaginta quinque; ex quarta decimali loci di Villanova mille centum viginti quinque, et ex di Padria octingentas quinquaginta, ac ex respectivis tertiis decimalibus de Mara respectivis pariter locis biscentum quinquaginta; pro temporanea vero compensatione ab episcopo Bisarchiensi debita, jam superius expressa, usquedum antedictae parochiales ecclesiae di Olmedo, et Uri respective locorum, post illarum vacationem, tertiam decimalem episcopo Algarensi tribuent, septingentas quinquaginta: ex annuo perpetuo canone super domo Casa Macua nuncupata in Turritana civitate, vel dioecesi existente, decem, ex locationibus seu responsionibus provenientibus de Salti nuncupatis tam Turritanae civitatis centum quinquaginta, quam de Minotadas, trecentum septuaginta quinque; et sancti Joannis di Orotelli respective nuncupatis locis centum vigintiquinque; et denique mille centum vigintiquinque respective libras saepedictae monetae ex pensionibus jam expressis super fructibus mensae episcopalis Bisarchiensis, itaut summam annuam duodecim mille quingentarum triginta sex librarum circiter percipiet. Onera vero ex nunc pariter solvenda a mensa episcopali Algarensi praefata ad ter-mille sexcentas vigintinovem circiter libras ascendent, videlicet pro regiis pensionibus, tam effectis, quam nunc vacantibus mille septingentas quadragintaocto circiter, et pro onere donativo nuncupato, subsidio, et taxis

Digitized by Google

pontium et viarum, tercentas sexaginta quatuor circiter, pro pensione favore seminarii puerorum ecclesiastici centum quadraginta novem circiter: concionatori quadragesimali cathedralis ecclesiae, centum quinquaginta: rectori parochialis ecclesiae loci di Ottana nuncupati pro manutentione lampadae ante sacramentum Eucharistiae accensae decem; pro contributione in festivitatibus sanctissimi Corporis Christi, et Assumptionis beatae Mariae Virginis, viginti, pro congruis vice parochis cathedralis ecclesiae Algarensis assignatis sexcentum octoginta septem circiter; pro pensione denique interim solvenda decano capituli ejusdem majoris ecclesiae Algarensis, donec parochialis ecclesia loci di Semestene nuncupati vacaverit, quingentas respective libras dictae monetae, itaut detractis supradictis oneribus, octomille noningentae sex circiter librae praefatae pro interim redditus mensae episcopalis Algarensis constituent.

In cessatione nonnullorum onerum praegravantium novam mensam Algarensem, consulitur pinguiori dotationi nonnullarum paroeciarum.

§. 22. Postquam vero nonnulla onera in praemissos eventus cessabunt, redditus omnes praedictae mensae episcopalis Algarensis, detractis infrascriptis oneribus, quorum solutio in perpetuum remanebit, ad novem mille quingentas viginti duo libras circiter ascendent, qui redditus magis quam ante dismembrationem supradictarum parochialium uberrimi erunt, quia in summa biscentum quinquaginta et ultra librarum adaucti ut infra dignoscuntur, pro eo quod ex decimis integralibus, medietalibus, tertiis, et quartis etiam decimalibus a civitate Algarensi bismille quingentas, ex parochialibus seu rectoriis videlicet di Borore octingentas quinquaginta, di Bortigali octingentas septuaginta quinque, di Macomer sexcentas octoginta septem circiter, di Bolotana octingentas vigintiquinque, di Nuragugume quingentas triginta unius circiter, di Sarule noningentas triginta duo circiter, di Ottana tercentum septuaginta quinque, di Villanova mille centum viginti quinque, di Padria octingentas quinquaginta, di Mara biscentum quinquaginta, di Uri sexcentum sexaginta sex circiter, di Olmedo etiam respective locorum quatuorcentum respective libras hujusmodi, et ex super expressis summis pro censu videlicet super antedicta domo di Casa Manca nuncupata, ac locationibus seu responsionibus de Salti nuncupatis de Turritana de Minotadas, et de s. Joannis d' Orotelli respective etiam nuncupatis civitate de locis, duodecim mille sexcentum quinquaginta duo circiter libras similes percipiet: onera vero in posterum ab episcopo solvenda, tantummodo erunt videlicet mille septingentae quadraginta octo circiter pro supradictis regiis pensionibus, tercentum sexaginta quatuor circiter pro superius expresso onere donativo nuncupato, et pro subsidio ac taxa pontium et viarum, centum quadraginta novem circiter pro supradicta taxa seminario solvenda, decem pro superius expressa assignatione rectori parochialis ecclesiae loci di Ottana, centum quinquaginta concionatori quadragesimali, viginti in festivitatibus ss. Corporis Christi et Assumptionis B. Mariae Virginis, et demum sexcentum octoginta septem circiter respective librae pro congrua vice parochis cathedralis ecclesiae Algarensis assignata, et summam insimul termille centum viginti novem circiter librarum hujusmodi constituent.

Concessio canonis debiti ab ecclesia Norensis favore illius capituli cathedralis.

§. 23. Inter praefatae mensae episcopalis Algarensis redditus, aliae quadraginta quinque annuae librae similes numerantur, ex annuo perpetuo canone eidem mensae episcopali debito a capitulo, seu massa capitulari cathedralis ecclesiae Norensis provenientes, de quibus per Nos supra nulla mentio facta fuit. Nos itaque quoniam accepimus, quod annui redditus cathedralis ecclesiae Norensis tenues existant, et e contra ob dismembrationem a mensa Algarensi in erectione supradictae dioecesis Bisarchiensis, per Nos, ut praefertur, factam, ex eo quod nonnulla alia super expressa eidem Algarensi incorporavimus, nullum damnum in annuis redditibus non solum allatum visum est, sed redditus ipsi ut supra jam exposuimus adaucti dignoscuntur. Ad consulendum aliqua in parte tenuitati redditaum praedictae cathedralis ecclesiae Norensis annuum canonem praedictum a massa capitulari Norensi debitum, cathedrali Norensi praefatae applicamus, eique in posterum solvi perpetuis futuris temporibus declaramus.

Consulitur praebendis archipresbyteri, archidiaconi, et decani capituli Algarensis.

§. 24. In ripristinatione vero supradicti episcopatus Bisarchiensis ob dismembrationem per Nos superius factam alicujus partis dioecesis Algarensis, tres ipsius Algarensis capituli dignitates, videlicet archipresbyter,

archidiaconus, et decanus, absque eorum respectiva praebenda remanserunt: Nos qui studium et curam semper adhibuimus, ut ecclesiastici omnes et praesertim illi, qui Altissimo in divinis famulatum praestantes, cathedralium servitio addicti, ecclesiasticas functiones maxima cum decentia, decore, et honorificentia explere in eis non omittunt, de sufficienti congrua provideantur. Per praesentes etiam volumus atque statuimus, quod archipresbyter majoris ecclesiae Algarensis, qui prima post pontificalem ejusdem ecclesiae dignitas existit, cui redditus parochialis ecclesiae, seu rectoriae loci d' Illorai nuncupati, per Nos, ut praefertur, a dioecesi Algarensi dismembratae, et Bisarchiensi dioecesi unitae, pro sua archipresbyterali praebenda assignati reperiebantur fructus, redditus, et proventus alterius parochialis ecclesiae loci di Pozzomaggiore, detracta tamen ex iis congrua pro ejusdem parochialis ecclesiae rectore, eidem archipresbytero pro sua archipresbyterali praebenda modo assignamus, eamque ecclesiam parochialem ab onere solvendi tertiam decimalem mensae episcopali Bosanensi, in posterum eximimus et liberamus.

Idem ut supra.

§. 25. Archidiacono autem supradictae cathedralis ecclesiae Algarensis, attenta parochialis ecclesiae Algarensis, loci di Nughedu, ei antea pro archidiaconali praebenda assignata, per Nos a dioecesi Algarensi facta abdicatione, et respectiva, ut praefertur, dioecesi Bisarchiensi unione, alteram parochialem ecclesiam rectoriam nuncupatam loci di Romana etiam nuncupati pro archidiaconali praebenda per praesentes assignamus; ac ex nunc prout ex tunc, post tamen obitum dilecti filii Josephi Ignatii Tanda presbyteri ac canonici majoris ecclesiae Bosanensis, ac moderni administratoris reddituum, ac proventuum ecclesiae ruralis sancti Lussorii intra limites, seu in territorio ejusdem loci de Romana, ut praefertur, nuncupati existentis, eidemque parochiali ecclesiae annexae eumdem archidiaconum, ejusque in archidiaconatu praefato successores in administrationem praedictam vigore praesentium deputamus.

De distributione decimarum solvendarum a civitate noviter erecta.

§. 26. Redditus porro ex decimis oppidi de Orzieri per Nos modo in civitatem erecti, et pro sede novi episcopi Bisarchiensis constituti, decano ejusdem cathedralis ecclesiae Algarensis pro sua praebenda assignati reperiabantur; ne ob deficientiam redditudum hujusmodi pro tempore obtinentes decanatum praedictum absque praebenda remaneant, pro interim parochialem ecclesiam loci di Mara nuncupati pro sua praebenda designamus, et ad pensionem annuam supradictam quingentarum librarum antedictae monetae a pro tempore existente episcopo Algarensi solvendam nominamus, usquedum altera parochialis ecclesia rectoria nuncupata, terrae seu loci di Semestene etiam nuncupati, per obitum moderni illius rectoris, aut alias certo alio modo vacaverit, quam parochialem ecclesiam in decanalem praebendam ex nunc constituimus, et in eventum praemissum pro tempore existenti decano ejusdem cathedralis ecclesiae Algarensis pro sua praebenda etiam assignamus; duas tamen, ultra congruam futuro ipsius parochialis ecclesiae rectori assignandam, eidem pro tempore existenti decano obligationes injungentes, unam videlicet annuatim solvendi mensae episcopali Algarensi tertiam partem decimalem, et alteram, usquedum certo modo altera parochialis ecclesia terrae, seu loci di Santu Lussurgiu nuncupati, archipresbytero capituli ecclesiae Bosanensis, pro sua archipresbyterali praebenda antea assignata, vacans affecta erit, annuatim etiam subministrandi mensae capitulari Bosanensi octo mensuras frumenti cum dimidio alterius similis mensurae vulgo *starelli* pro compensatione redditumm nonnullarum parochialium a Bosanensi abdicatarum, et Algarensi respective dioecesibus unitarum.

De praebenda canonici poenitentiarii.

§. 27. Nullam in praesentibus literis Nostris de capituli Algarensis dispositione circa poenitentiariam ejusdem cathedralis ecclesiae praebendam mentionem facimus pro eo quod parochialis ecclesia, seu rectoria loci di Silanus nuncupati in suis redditibus, ut antea pro congrua pro tempore existentis canonici poenitentiarii ejusdem capituli Algarensis, satis esse videtur.

De canonico theologo, ejusque praebenda.

§. 28. Canonico denique theologo alteram parochialem ecclesiam, seu rectoriam loci d' Oratelli, ab alia tamen d' Uniferi vigore literarum apostolicarum fel. rec. Clementis pp. XIV. praedecessoris Nostri incipientium, *Inter multiplices*, de anno Domini millesimo septingentesimo sexagesimo nono separatam, in posterum etiam, ut antea pro sua theologali

praebenda assignatam volumus. Atque insuper ex nunc prout ex tunc postquam tamen per obitum moderni rectoris, aut alias certo alio modo antedicta parochialis ecclesia de Villanova vacaverit pensionem annuam tercentarum septuagintaquinque librarum monetae praefatae, quam Nos super ipsius parochialis ecclesiae fructibus, redditibus, et proventibus per praesentes perpetuis futuris temporibus reservamus, et ad eam pro tempore existentem canonicum theologum praedictum earumdem praesentium tenore, perpetuo nominamus.

De forma servanda in collatione archipresbyteratus.

§ 29. Cumque sicut accepimus, archipresbyteratus infrascriptus majoris ecclesiae cum ei adnexa praebenda terrae, seu loci di Pozzomaggiore, qui inibi post pontificalem major dignitas existit, et ad quem dum Oschieri pro tempore vacat nominatio, seu praesentatio personae idoneae in eo ad nominationem seu praesentationem hujusmodi aut alias instituendae ad praedictum charissimum in Christo filium Nostrum Victorium Emmanuelem regem illustrem spectare, et pertinere dignoscitur, et decanatum ejusdem ecclesiae, qui etiam inibi tertia post pontificalem pariter dignitas existit canonicatum, et theologalem nuncupatam praebendam antedictos respective majoris ecclesiae Algarensis, certis quibus Nos haberi volumus pro expressis modis, cumque pariter infrascriptus Gavinus Aloisius rector superexpressae parochialis ecclesiae rectoriae nuncupatae saepefictae terrae, seu loci di Oschieri nuncupati in manibus ordinarii loci parochialem ecclesiam praedictam, sponte et libere dimiserit, per dimissionem eamdem respective vacaverint et vacent ad praesens. Nos qui hodie archidiaconatum dictae majoris ecclesiae per primo infranominandum Joannem Baptistam, ut asserebat, obtentum per solam praesentis gratiae concessionem vacare eo ipso volumus, quique de literarum scientia, vitae, ac morum honestate dilectorum filiorum Joannis Baptistae Musio, et Gavini Aloisii Sechi juris utriusque respective doctorum, nec non Joannis Baptistae Giraldi omnium presbyterorum Algarensis, seu alterius civitatis vel dioecesis, aliisque multiplicum eorum virtutum donis optime fuimus edocti, praefato infrascripto praesentium Nostrarum literarum exequutori committimus, et mandamus, ut archipresbyteratum praedictum una cum ei annexa praebenda Joanni Baptistae primodicto, qui a praelaudato Victorio Emmanuele rege ad id praesentatus fuit, ac decanatum antedictum Gavino Aloisio, nec non canonicatum et theologalem praebendam hujusmodi secundodicto Joanni Baptistae praefatis cum plenitudine juris canonici, ac omnibus juribus, et pertinentiis respective suis, etiamsi concursus super dictis canonicatu et praebenda, ut praefertur vacantibus habitus non fuerit auctoritate Nostra respective conferat et assignet, inducens per se vel alium, seu alios Joannem Baptistam primodictum, recepto prius ab eo Nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solito juramento juxta praescriptam formam, ac Gavinum Aloisium, et respective dictum Joannem Baptistam praefatos vel procuratores suos eorum respective nomine in archipresbyteratus, ac decanatus, et praebendae praefatorum annexorum, jurium, et pertinentiarum respective corporalem possessionem et defendens inductos, amotis quibuslibet detentoribus ab eisdem, ac faciens Joannem Baptistam primodictum ad archipresbyteratum ac Gavinum Aloisium ad decanatum, et Joannem Baptistam secundo dictum ad praebendam praefatam, ut est moris, admitti, ac in canonicum recipi, et in fratrum stallo sibi in choro; et loco in capitulo dictae majoris ecclesiae cum dictis juris plenitudine assignatis eisque et eorum cuilibet de praedictorum decanatus, et canonicatus; et praebendae, ac annexorum eorumdem fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, et emolumentis universis integre responderi, contradictores auctoritate Nostra praefata appellatione postposita compescendo, non obstantibus infrascriptis omnibus, quae praesentibus literis volumus non obstare. Aut si aliqui apostolica praedicta vel alia quavis auctoritate in canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de dignitatibus, ac canonicatibus, et praebendis dictae majoris ecclesiae speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dictae Sedis, aut legatorum ejus literas impetrarint; etiamsi per eas ad inhibitionum reservationem et decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus Joannem Baptistam primodictum in archipresbyteratus, et Gavinum Aloisium in decanatus,

ac secundo dictum Joannem Baptistam praefatos in respectiva assequutione dictorum canonicatus et praebendae volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assequutionem dignitatum, ac canonicatuum, et praebendarum, vel beneficiorum aliorum praejudicium generari, seu si pro tempore existenti episcopo Algarensi, vel quibusvis aliis communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari, ac canonicatibus, et praebendis dictae majoris ecclesiae, vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, seu quamvis aliam dispositionem conjunctim, vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per literas apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, seu si tam et secundo dicti Joannes Baptista quam Gavinus Aloisius praefati praesentes non fuerint ad praestandum de observandis statutis et consuetudinibus dictae majoris ecclesiae solitum juramentum, dummodo in absentia eorum per procuratores respective idoneos, et cum ad illam accesserint etiam respective corporaliter illud praestent; eidemque Joanni Baptistae secundo dicto, ut ipse gradum magisterii in theologia vel doctoratus, aut licentiaturae in decretis, quatenus eorum aliquo nondum insignitus existat, suscipere minime teneatur de speciali gratia concedimus et indulgemus.

Consulitur necessitatibus dioecesis Bosanensis.

§. 30. Mentem autem Nostram ad Bosanensem dioecesim vertentes, necessitatem aspicimus, ut ob damna, quae tam in novae Bisarchiensis efformatione, quam in alterius Algarensis respective dioecesum dispositione fuerunt allata, aliquo modo compensentur, et ejusdem Bosanensis dioecesis futuro statui per Nos etiam provideatur. Quod si praevia dismembratione nonnullorum infrascriptorum locorum sub archiepiscopali ecclesia Alborensi existentium, eidem Bosanensi dioecesi incorporentur, facile ad hoc opportunum remedium censemus allaturi.

Idem ut supra.

§. 31. Ultra civitatem Bosanensem, loca seu oppida di Montrista, Modolo, Magomadas, Tresnuragues, Sennariolo, Cuglieri, Scano, Santu Lussurgiu, Sindia, Sagama, Suni, Tinnura et Flussio, respective nuncupata, quae jam Bosanensi episcopo subdita sunt sub ejusdem episcopi jurisdictione confirmamus; et alia videlicet de Tadasuni, Boroneddu, Soddi, Zuri, Aydomaggiore, Domus novas, et Sedilo, praevio venerabilis fratris Nostri archiepiscopi Arborensis assensu, una cum respectivis clero, ecclesiis, monasteriis, cappellis, aliisque piis, et ecclesiasticis locis, ac tam regularibus et ecclesiasticis, quam saecularibus et laicalibus personis, a dioecesi Arborensi separamus, et in perpetuum per praesentes Bosanensi dioecesi unimus et incorporamus, itaut ex singulis super expressis locis tota Bosanensis dioecesis efformata censeatur, et perpetuo debeat remanere.

Idem ut supra.

§. 32. Nonnulla super enunciata loca, quae dioecesim Bosanensem efformabunt, ejusdem mensae episcopalis praecipuos redditus constituent: pro eo quod civitas Bosanensis, quae sedes est illius episcopi, decimas omnes, tertiamque partem decimalem ut antea, di Sindia, Sagama et Suni, ac quartam decimalem hujusmodi, altera di Cuglieri respective ecclesiae, et nuncupatae praebendae, eidem episcopo annuatim tribuent; aliae vero rectoriae di Modulo, Sennariolo, et Tinnura, respective etiam nuncupatae, tertiam partem decimarum proprio episcopo pariter annuatim tribuent, sed cum primum per obitum modernorum respective possessorum, tam praebendae di Santu Lussurgii nuncupatae, quam rectoriae loci di Sedilo etiam nuncupati, aut alias certo alio modo vacaverint, attenta respectiva redditunm tenuitate a superius expressa obligatione solvendi tertiam partem decimarum hujusmodi exemptas declaramus. In eodem statu quo antea, rectorias seu parochiales di Montresta, Tadasuni, Domusnovas, et invicem perpetuo canonice unitas, di Soddi et Zuri, respective locorum, etiam respective nuncupatas relinquimus. Cum primum vero supradicta rectoria loci di Sedilo nuncupati vacaverit, proprio episcopo annuatim quartam partem decimarum solvet, ex tunc (ut supra jam expressum fuit) pensio annua mille centum vigintiquinque librarum super mensae episcopalis ecclesiae Bisarchiensis fructibus, proportionabiliter extincta remanebit: redditus autem alterius parochialis ecclesiae seu rectoriae loci di Boroneddu, eodem modo quo antea Arborensi archiepiscopo pertinebant, nunc Bosanensi episcopo assignamus, eidemque assignati perpetuo censeri debebunt. Et insuper canonico

majoris ecclesiae Bosanensis, cui antea pro sua canonicali praebenda, fructus supradictae rectoriae, terrae seu loci di Mara assignati reperiebantur, et fructus alterius rectoriae loci di Magomadas, jam episcopo statutos, pro nunc et postea quando prioratus di Scano nuncupatus vacaverit, redditus prioratus hujusmodi in ejus locum subrogamus, et post vacationem hujusmodi, episcopo praedicto Bosanensi, fructus rectoriae praedictae di Magomadas nuncupatae de novo assignamus: ac in hujusmodi eventum etiam episcopo praefato titulum prioratus antedicti concedimus, atque ut in posterum prior etiam s. Petri de Scano denominari valeat indulgemus. Moderno item ultimo dicto canonico, ejusque in canonicatu successoribus perpetuis futuris temporibus, tam ex nunc cum illa de Magomadas, quam in posterum cum alia di Scano respective praebendis, cathedrali ecclesiae Bosanensi libras triginta septem circiter monetae praedictae illarum partium in compensationem amissi juris cathedratici in dismembratione a dioecesi hujusmodi nonnullarum parochialium, illarumque unione per Nos, ut praefertur, facta cathedrali Algarensi, annuatim solvendi perpetuo onus incumbat. Dilecto similiter filio Joanni Baptistae Borro archipresbytero majoris ecclesiae Bosanensis, supradictam parochialem ecclesiam, seu rectoriam de Santu Lussurgiu nuncupatam, in subsidium archipresbyteralis praebendae, jam ei legitima auctoritate collatam, nunc tam ipsi, quam suis in archipresbyteratu praedicto successoribus, perpetuo fructus ejusdem parochialis seu rectoriae in archipresbyteralem praebendam assignamus: et cum hi modo redditus archipresbyteratus hujusmodi ad termille libras dictae monetae ascendere videantur, volumus quod cum primum per obitum dicti Joannis Baptistae, aut alias certo alio modo vacaverit, futurus et pro tempore existens ipsius cathedralis ecclesiae archipresbyter, pensionem annuam liberam, immunem, et exemptam ab omni et quocumque onere, quatuorcentum librarum similium mensae episcopali Bosanensi in posterum solvere teneatur, et tunc alia pensio per Nos vigore praesentium eidem mensae episcopali super fructibus alterius episcopalis ecclesiae Bisarchiensis in summa mille centum viginti quinque librarum hujusmodi assignata, proportionabiliter minuatur. Et insuper pro tempore existens archipresbyter praefatus, massae distributionum capitularium majoris ecclesiae Bosanensis, mensuras octo cum dimidio frumenti, vulgo, *starelli*, in finalem exequutionem compensationis aliarum sexaginta octo similium mensurarum, quas antedicta massa annuatim amittit in dismembratione nonnullarum parochialium a praefata dioecesi Algarensi, tunc ab hoc onere, ut supra disposuimus, antedicta parochiali ecclesia seu praebenda terrae seu loci de Mara libera remanente. Fructus itidem alterius parochialis ecclesiae, seu rectoriae terrae, seu loci di Aydomaggiore nuncupati, qui mensae archiepiscopali Arborensi usque adhuc pertinebant, canonico poenitentiario Bosanensi, vice et loco alterius super expressae de Pozzomaggiore nuncupatae, per Nos dioecesi Algarensi unitae, pro sua poenitentiaria praebenda in perpetuum adsignamus, cum onere pro tempore illam obtinenti supradictae massae capitulari Bosanensi superextantes quinquaginta novem cum dimidio mensuras frumenti, vulgo *starelli*, in complementum antedictarum mensurarum sexaginta octo, subministrandi onus incumbat. Aliarum denique de Tresnuragues, et Flussio nuncupatarum respective parochialium ecclesiarum fructibus, detracta ex eis congrua pro respectiva parochorum manutentione, primodicta nempe seminario puerorum ecclesiastico Bosanensi, secundo dicta vero uni ex canonicis majoris ecclesiae Bosanensis, etiam in posterum prout antea assignata, perpetuo volumus remanere.

§. 33. Cum vero superexpressi redditus, infra clarius explicandi, ad mensae episcopalis Bosanensis dotationem non satis esse videantur, pensionem annuam, ab omni et quocumque onere liberam, immunem, et exemptam, perpetuis futuris temporibus, duraturam, bismille, et quingentarum librarum similium super mensae archiepiscopalis Arborensis fructibus, redditibus, et proventibus per praesentes reservamus, et ad illam ex nunc modernum et pro tempore existentem episcopum Bosanensem, illiusque mensam episcopalem nominamus, cui adjuncta alia pensione mille centum vigintiquinque librarum hujusmodi eidem Bosanensi mensae pro nunc, ut supra expressum fuit, a mensa episcopali Bisarchiensi solvenda, et termille ex supradictis decimis civitatis Bosaniensis, ac tercentis Idem ut supra.

vigintiquinque ex loco di Montresta, ac centum sexdecim circiter, ex tertia decimali alterius loci di Modolo, ac pariter ex tertia decimali alterius loci di Sennariolo centum vigintiquinque, ac mille sexcentis ex loci di Cuglieri quarta decimali, ac biscentis quinquaginta ex loco di Boroneddu, ac quatuorcentis tribus circiter ex tertia decimali di Sagama, ac tercentis ex pari tertia decimali di Suni, et denique octoginta respective libris praedictis ex tertia similiter decimali respective locorum di Tinnura, decem millium viginti quatuor librarum summa annua insimul constituetur, ex quibus detractis annuis oneribus, in summa trium millium librarum similium, pro interim praedictae mensae episcopalis Bosanensis redditus ad septem mille vigintiquatuor libras hujusmodi ascendere dignoscuntur. Postquam vero ex praedictis locis, redditus eidem episcopali mensae Bosanensi, in summa plenarie constituta proveniet videlicet ex civitate Bosanensi termille, ex di Montresta tercentum vigintiquinque, ex di Magomadas quatuor centum duodecim, ex di Cuglieri mille sexcentarum, ex di Boroneddu biscentum quinquaginta, ex di Sedilo septingentarum quinquaginta, ex di Sindia quatuorcentum trium circiter, ex di Sagama biscentum, ex di Suni respective locorum, seu parochialium fructibus, seu decimis, tercentum et ex perpetua pensione super fructibus alterius parochialis seu rectoriae loci di Santu Lussurgiu quatuorcentum, ac ex alia denique simili perpetua pensione super mensae archiepiscopalis Arborensis fructibus bismille quingentarum librarum praedictarum, tunc redditus omnes praefatae mensae episcopalis Bosanensis detractis in expressa trium millium librarum hujusmodi quantitate, omnibus oneribus, ad septem mille centum quadraginta circiter libras praedictas ascendent.

Augentur redditus seminarii Bosanensis.

§. 34. Ad redditus vero seminarii puerorum ecclesiastici Bosanensis aliquo modo augendos taxam annuam in summa librarum quadraginta septem, et denariorum sex antea seminario puerorum ecclesiastico metropolitanae ecclesiae Arborensi debitam ab infrascriptis locis videlicet di Sedilo in libris vigintinovem cum decem solidis, di Aydomaggiore in libris quatuor, di Domusnovas in libris duobus cum septemdecim solidis, et sex denariis, di Soddi et Zuri in libris quinque cum decem solidis, di Tadasuni in libris quatuor cum solidis decem, et di Boroneddu in libra una, eidem seminario puerorum ecclesiastico Bosanensi perpetuis futuris temporibus applicamus, ipsiusque rectoribus seu deputatis, aut eorum procuratoribus ab iis ad quos spectat, absque ulla diminutione solvi jubemus. Archiepiscopo itidem Arborensi, qui suum praestitit assensum, ut superius expressae di Tadasuni, Soddi, Zuri, Domusnovas, Sedilo, Aydomaggiore, et Boroneddu respective locorum parochiales ecclesiae a sua dioecesi dismembrarentur, ac Bosanensi dioecesi per Nos ut supra unirentur, ne ipsi et mensae suae archiepiscopali grave damnum, ob dismembrationem hujusmodi afferatur; ex nunc prout ex tunc, postquam per obitum dilecti filii Salvatoris Enna presbyteri, ac canonici majoris ecclesiae Arborensis, praebenda di Senis nuncupata, quam ipse Salvator una cum alia simili di Genoni, etiam nuncupata praebenda ad praesens obtinet, aut alias certo alio modo vacaverit, et quam in hujusmodi eventum, juxta memoratas praefati Clementis pp. XIV. enciclycas literas, in rectoriam erigi praescriptum fuerat, hujusmodi literis in ea tantum parte, hisce praesentibus derogantes praebendam di Senis nuncupatam praefatam, ac perpetuum simplex, et personalem residentiam non requirens beneficium ecclesiasticum, ad altare vel sub invocatione sancti Michaelis Archangeli, in parochiali, seu alia ecclesia terrae, seu loci di Tamis nuncupati, ex nunc pariter prout ex tunc, postquam tamen per obitum moderni ipsius beneficii rectoris, aut alias pariter certo alio modo vacaverit, nec non ecclesiasticum beneficium prioratus nuncupatum sub invocatione Beatae Mariae Virginis de Bonacato una cum ei adnexa parochiali ecclesia s. Romualdi oppidi de Bonarcado, quod usque et de mense januario proxime praeterito, per obitum quondam Antonii Guirisi illius ultimi possessoris extra Romanam curiam defuncti vacavit et vacat ad praesens eidem archiepiscopo cum illorum respective fructibus, redditibus, et proventibus, ejus vita naturali dumtaxat durante per praesentes concedimus et assignamus; ita ut ipse archiepiscopus, quamdiu vixerit, titulum prioris sanctae Mariae de Bonacato retineat, eoque uti valeat, cum hoc tamen quod vice priorem, sive parochialem vicarium, qui ju-

xta praefatas encyclicas literas primario et immediate animarum curam gerat, deputare teneatur, eidemque pro congrua constituere praeter adventitia emolumenta, quae stolae sive altaris proventus vulgo vocantur, integram quartam partem fructuum, et redditium ex decimis provenientium, ita vice priorem inter et alios coadjutores sacerdotes pro parochos nuncupatos dividendam, ut ad earumdem literarum tramites illi cedat pars major, quae detractis omnibus oneribus, missarum eleemosynis, aliisque fidelium oblationibus, minor non sit scutorum quinquaginta istius monetae: ab humanis vero erecto praedicto archiepiscopo, praevia tituli collativi antedicti simplicis beneficii ecclesiastici sancti Michaelis Archangeli in Tamis nuncupati perpetua suppressione, et extinctione, fructus redditus, et proventus praefati simplicis, satisfactis tamen si qui sint, illius oneribus, seminario puerorum ecclesiastico Arborensi perpetuo annecti, et incorporari volumus et mandamus. Itemque supradictam praebendam di Senis nuncupatam praevia pariter illius dismembratione a capitulo dictae metropolitanae ecclesiae mensae archiepiscopali Arborensi perpetuo similiter adjicimus, annectimus et incorporamus.

Consulitur mensae archiepiscopali Turritanae

§. 35. Ne denique mensa archiepiscopalis Turritana etiam ob dismembrationem nonnullarum superexpressarum parochialium grave patiatur detrimentum, neve illius redditus nimis imminuti dignoscantur, eidem archiepiscopali mensae ultra quartam partem fructuum decimalium parochialis ecclesiae, seu rectoriae d'Ossi nuncupatae, unam mille biscentum quinquaginta super di Ploaghe, et alteram pariter mille biscentum quinquaginta super d'Itiricannedu, et reliquam pensiones annuas etiam mille biscentum quinquaginta respective librarum monetae praedictae perpetuis futuris temporibus duraturas super di Bonorva respective nuncupatam parochialem seu rectoriam respective fructibus, redditibus et proventibus, qui ut asseritur, ad multo majorem annuam summam annuatim ascendunt, et quarum cuilibet sufficiens remanet congrua pro parochi et ecclesiae substentatione et manutentione, ex nunc prout ex tunc cum primum illae per obitum illarum pro tempore existentium possessorum, aut alias certo alio modo respective vacaverint, per praesentes ad ipsius archiepiscopalis mensae Turritanae favorem perpetuo reservamus, constituimus, et pariter assignamus. Et ex nunc pariter prout ex tunc, et e contra postquam tamen ecclesia Ampuriensis per moderni illius ecclesiae episcopi ab hac luce emigratione, aut alias certo alio modo pastoris solatio destituta remanebit, parochialem ecclesiam terrae, seu loci pii Chiaramonti nuncupati ab Ampuriensi dioecesi abdicando et separando, dioecesi Turritanae cui, est magis finitima, uniri et incorporari volumus et mandamus, ac omnes ipsius parochialis ecclesiae di Chiaramonti, ut praefertur, nuncupatae fructus, redditus, et proventus, ad mille et sexcentas libras saepedictae monetae, non comprehensa congrua vicario perpetuo ipsius parochialis ecclesiae assignata, ut asseritur, ascendentes, eidem archiepiscopali mensae Turritanae, ut praefertur, ex nunc, prout ex tunc in eventum praemissum, tribuimus, et applicamus.

Monitum speciale.

§. 36. Cum itaque juxta preces et vota laudati Victorii Emmanuelis Sardiniae regis omnia superius expressa statuerimus, hoc modo confidimus, ut optime in unaquaque ex superius expressis ecclesiis, suisque dioecesibus omnia pro spirituali animarum cura Christifidelium in eis degentium, et respectivis eorum episcopis assignatarum statuta sint, et hoc in posterum ad majorem omnipotentis Dei gloriam, et catholicae Ecclesiae splendorem redundare posse judicamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 37. Praesentes autem literas nullo umquam tempore de subreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, vel alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, seu in jus vel controversiam vocari, aut adversus illas quodcumque juris vel facti, aut gratiae remedium impetrari posse, nec illas sub quibusvis derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus si quae a Nobis fierent comprehendi, sed tamquam ad divini cultus incrementum, et populi spirituale regimen in salutem animarum editas, et emanatas, semper ab illis excipi, validasque et efficaces esse et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, sicque ab omnibus censeri; ita quoque per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Eccle-

siae cardinales, etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet aliter judicandi, et interpretandi facultate et auctoritate judicari, ac definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Deputatio executoris apostolici.

§. 38. Quocirca dilecto filio Nostro Didaco Gregorio, Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Cadello nuncupato, metropolitanae ecclesiae Calaritanae ex concessione et dispensatione apostolicis praesuli, quem in exequutorem praesentium Nostrarum literarum apostolicarum deputamus, ad hoc ut, per se, vel alium, seu alios ab ipso subdelegandum aut subdelegandos pro nova cathedralis ecclesiae Bisarchiensis erectione et pro illius capituli et canonicorum spirituali directione et regimine, ac onerum illis incumbentium supportatione, aliorumque tam divinum servitium, quam leges in hujusmodi capituli nova institutione respicientibus satisfactione, nec non pro puerorum ecclesiastici seminarii institutione, ac respectivis datationibus, et territorii dioecesim efformantis assignatione; itemque pro Turritanae, Algarensis, et Oritanae mensarum episcopalium respectiva compensatione, eaque omnia, quae necessaria et opportuna fuerint visa statuere ac decernere, numerumque superius expressum ecclesiasticarum personarum servitio dictae novae cathedralis ecclesiae adjiciendarum, quatenus opus foret, juxta redditus etiam immutare, et alia omnia, quae ad felicem exitum praesentes Nostras literas perducendas, justum et expediens agnoverit, collatis cum memorato Sardiniae rege consiliis, gerere, facere, disponere, atque etiam omnes controversias, quae in praemissis oriri possent examinare, dijudicare et definire valeat, qualibet appellatione remota, facultates omnes ad hujusmodi effectum necessarias et opportunas concedimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 39. Non obstantibus fel. recor. Bonifacii pp. VIII. praedecessoris Nostri, et aliis quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non Nostris et cancellariae apostolicae regulis de exprimendo vero annuo valore, nec non de jure quaesito non tollendo, ac de dismembrationibus ad partes committendis, vocatis quorum interest, nec non Lateranensis concilii ultimo loco celebrati, dismembrationes et applicationes perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, et quatenus opus sit, Algarensis, Bosanensis, Turritanae, ac Arborensis respective ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine, ac etiam concistorialiter, aut alias quomodolibet etiam, et iteratis vicibus a praedecessoribus Nostris Romanis pontificibus concessis, confirmatis, approbatis, et innovatis; nec non quatenus opus sit quibuscumque etiam piorum testatorum voluntatibus, et dispositionibus. Quibus omnibus et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio facienda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum omnium, et singulorum validissimum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 40. Volumus autem, ut praesentium literarum exemplis, etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac personae in ecclesiastica dignitate constitutae sigillo obsignatis eadem prorsus fides ubique locorum adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur si essent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 41. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae dismembrationis, divisionis, exemptionis, separationis, suppressionis, erectionis, institutionis, concessionis,

assignationis, subjectionis, indulti, constitutionis, commissionis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo tertio, septimo idus martii pontificatus Nostri anno tertio.

Dat. die 11. martii 1803. Anno III.

CXCI.

Confirmatio electionis s. Josephi sponsi B. M. V. in patronum principalem locorum Pulianas, Pulianillas et Tun Granatensis dioecesis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Quum sicut exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii clerus, populusque locorum, qui vulgo Pulianas, Pulianillas, et Tun nuncupantur, quique etsi tres numero, unam tamen tantum paroeciam efformant, Granatensis dioecesis, pro peculiari, quem cuncti ibi gerunt in sanctum Josephum B. M. V. sponsum devotionis affectu, illum ipsi in eorumdem locorum principalem patronum in festo ejus patrocinii elegerint, ac electionem hujusmodi plurimum cupiant approbari a Nobis et confirmari.

Tenor concessionis. §. 2. Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, attento etiam quod memorata electio tum de consensu ordinarii, tum servatis servandis juxta formam a felicis recor. Urbano VIII. praedecess. Nostro praescriptam peracta fuit, eamdem electionem auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium ratam et validam habemus, ac confirmamus, illique perpetuae firmitatis robur adjicimus, atque omnes, et singulos sive juris, sive facti defectus, si quos desuper quomodolibet intervenisse contigerit, sanamus, atque supplemus; nec non praedicti sancti Josephi sic in patronum principalem electi festivitati illius patrocinii universas praerogativas festis sanctorum patronorum principalium competentes concedimus, et attribuimus.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac clero et populo praedictorum locorum plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non eorumdem locorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die undecima martii, millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno tertio. Derogatio contrariorum.

Digitized by Google

ANNO QUARTO

CXCII.

Dat. die 22. martii 1803. Anno IV.

Approbatio piae congregationis puellarum sub invocatione Conceptionis beatae Mariae Virginis pro Joseph Brotons procuratore generali fratrum excalceatorum s. Francisci in Hispania.

Venerabili fratri archiepiscopo Valentino.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Quum sicut Nobis nuper exponi fecit dilectus frater Joseph Brotons procurator generalis, ut asserit, fratrum excalceatorum nuncupatorum ordinis s. Francisci in Hispania, pia quaedam sodalitas, seu congregatio puellarum sub invocatione Conceptionis beatae Mariae virginis, ac sub directione praedictorum fratrum excalceatorum coenobii de Liria istius Valentinae dioecesis, plus quam quinquaginta ab hinc annis instituta existat: quae quidem puellae conveniunt invicem in coenobii ejusdem oratorio seu cappella magnifice extructa, et Conceptioni ejusdem beatissimae virginis dicata, ubi per eas fit in singulos menses sacramentalis confessio, et generalis communio, aliaeque quam plurimae, ac magna cum frequentia populi, sacrae per annum exercentur functiones, cupiatque propterea dictus exponens, quo magis magisque in Christifidelibus ad recolendam nostrae dominae Conceptionem augeatur devotio, praedictam sodalitatem seu congregationem per Nos approbari, Nostraeque auctoritatis praesidio communiri.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos ipsum exponentem, puellas, ac caeteros omnes ad dictam congregationem quomodolibet spectantes, specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut constito tibi de narratis, et quatenus spirituali animarum emolumento, ac majori Deiparae venerationi id cessurum fore perspexeris praedictam puellarum sodalitatem, seu congregationem auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium pro tui arbitrio, et prudentia approbes, atque confirmes, ac ratam, approbatam, confirmatamque decernas, atque declares; nec non eidem, ut omnibus, et singulis privilegiis, gratiis et indultis, quibus piae aliae per apostolicam Sedem approbatae, et confirmatae sodalitates, seu congregationes utuntur, fruuntur, et gaudent similiter uti, frui, et gaudere possit, ac valeat, auctoritate et tenore praedictis indulgeas, atque concedas.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima secunda martii millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

Digitized by Google

Dat. die 26 martii 1863. Anno IV.

CXCIII.

Concessio speciosiorum insignium, et privilegiorum pro dignitatibus, et canonicis ecclesiae cathedralis Civitatis Castelli.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

§. 1. Ad sublime apostolicae Sedis solium divina miseratione imparibus licet meritis evecti, inter plurimas gravissimasque muneris Nostri curas, quibus continuo premimur, eam nullo modo praetereundam esse putamus, ut in ecclesiis omnibus praesertim cathedralibus quantum fieri potest divinus cultus, et sacrorum ministrorum decor et reverentia semper augeatur. Nos itaque ad expostulantium preces Nostrae considerationis aciem dirigentes nonnulla interdum annuendo concedere convenit, prout rerum et locorum qualitas ac personarum divino cultui in eisdem cathedralibus ecclesiis addictarum dignitas, et honorificentia exigit, et Nos arbitramur in Domino salubriter expedire.

Expositio precum.

§. 2. Sane pro parte dilectorum filiorum modernorum capituli et canonicorum cathedralis ecclesiae Civitatis Castelli, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod Civitas ipsa Castelli Tiphernium nuncupata, quam olim municipium, et coloniam Romanorum extitisse communis fama refert tum ob illius vetustatem, et situs amoenitatem, tum nobilium familiarum, quarum plures inclyti militaris et hospitalaris sancti Joannis Hierosolymitani aliisque equestribus ordinibus adscriptae reperiuntur, tum denique clarissimorum hominum numerum, qui literis et armis, ac vitae sanctimonia summopere floruerunt, quos inter sanctae memoriae Coelestinus secundus pontifex maximus, et unus qui ad regium Poloniae solium evectus fuit, ac duodecim S. R. E. cardinalium collegio aggregati, sexaginta episcopi, et quinque archiepiscopi, aliique etiam plures enumerantur quos inter beatorum et sanctorum numerum relatos civitas ipsa habuisse gloriatur, adeo proinde celebris evasit, ut inter primarias Umbriae provinciae civitates merito adnumeretur. Ipsa quoque cathedralis ecclesia tum originis antiquitate et magnificentia, tum etiam conspicuo canonicorum coetu, qui ex primariis nobilibusque dictae Civitatis Castelli familiis desumuntur, valde pro se ipsa elucescit, illiusque capitulum praeposito scilicet praeposituram inibi post pontificalem majorem, et archidiaconatum secundam etiam inibi dignitates respective existentes, atque septemdecim canonicos, totidemque canonicatus, totidemque praebendas respective in ea obtinentibus componitur, qui omnes una cum mansionariis, aliisque ministris, et clericis Altissimo famulantes divina officia, caeterasque ecclesiasticas functiones in ipsa cathedrali ecclesia summo cum decore et honorificentia explere non desinunt.

Descriptio vestium quibus utuntur canonici, et dignitates.

§. 3. Cum autem sicut eadem petitio subjungebat praepositus, et archidiaconus, ac canonici praedicti, qui jam praepositus et archidiaconus praedicti videlicet mantelletta nigri coloris super rocchettum; canonici vero praedicti cappa magna pellibus armellinis ornata hyemali, aestivo vero temporibus rocchetto cum cotta ex concessione apostolica utuntur, quique in temporum miserrimo statu et calamitate, optima, spectatissimaque fide sese gesserunt, et huic divi Petri cathedrae praeclarae obedientiae specimina praebuerunt. Considerantes quod plurimum dictae cathedralis ecclesiae decori et vetustati, ipsiusque capituli nobilitati conveniat, ut ipsi speciosioribus signis et privilegiis ad divinum cultum, et ecclesiae splendorem, nec non ejusdem civitatis ornamentum augendum condecorentur, et ad hoc ut tam civitatis praedictae celebritas, quam dictae cathedralis ecclesiae decus et honor, ac dignitas et nobilitas capituli hujusmodi clarius effulgeat, plurimum cupiant eis per Nos, et Sedem apostolicam, ut infra benigne indulgeri prout ipsemet venerabilis frater Noster modernus episcopus Civitatis Castelli id maxime exoptat; et dilectus filius Antonius ex comitibus Berioli modernus ejusdem cathedralis ecclesiae praepositus peculiare suae benemerentiae signum erga ipsam cathedralem ecclesiam exhibere desiderans, infrascriptas honorum praerogativas, a praedicta Sede apostolica propriis sumptibus impetrare paratus existit. Quare pro parte dictorum praepositi, et archidiaconi, ac canonicorum dictae cathedralis ecclesiae Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eis in praemissis favorabiliter annuere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 4. Nos igitur, qui pro s. Matris Ecclesiae honoris augumento omnem expendimus operam, ipsosque modernos praepositum et archidiaconum, ac canonicos dictae cathedralis ecclesiae specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ipsosque et eorum singulos, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, eisdem modernis et pro tempore existentibus, praeposito et archidiacono ac canonicis dictae cathedralis ecclesiae ut ipsi, eorumque in praeposito, et archidiaconatu, ac singulis canonicatibus, et praebendis dictae cathedralis ecclesiae respective successores, ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus palmatoria, et canone, praepositus videlicet in divinorum officiorum et missarum tam solemnium quam lectarum celebratione, aliisque ecclesiasticis functionibus tam publicis quam privatis tam in dicta cathedrali ecclesia quam extra eam, et archidiaconus in missarum tam solemnium quam lectarum in dicta ecclesia tantum, canonici vero, eorumque respective successores praefati in missarum solemnium tantum respective celebratione, in ipsa pariter cathedrali ecclesia tantum uti libere et licite possint et valeant, nec non praepositus et archidiaconus praefati vestem oblongam seu subtanam, et mantellettam laneam hyemali, aestivo vero temporibus sericam violacei respective coloris et tam ipsi, quam canonici nunc et pro tempore existentes praefati crucem lamine cupreo aurato efformatam, numisma in medio continentem, in cujus recto imago B. Mariae V. Gratiarum nuncupatae, in inverso vero imago divi Floridi dictae cathedralis ecclesiae titularius, totiusque civitatis patroni insculpta sit, ac alias juxta praefatae crucis formam in praesentibus, et in earum calce delineatam, eamque redimiculo serico nigro et flavo respective coloribus intexto alligatam de collo pendentem ad pectus, tam super vestes chorales et talares, non autem super paramenta sacra, et dummodo minor sit, et forma differat a cruce episcopali, quam super vestes succinctas tam in praefata cathedrali ecclesia, quam extra eam etiam in processionibus, aliisque functionibus, et actibus capitularibus tam publicis quam privatis, semper ubique etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque conciliis editis vel edendis, etiam in praesentia S. R. E. cardinalium, et de latere legatorum, vicelegatorum, ac Nostrorum, et Sedis apostolicae praedictae nunciorum, archiepiscoporum, episcoporum, et ordinariis etiam propriis deferre, et ad hoc ut ipsius cathedralis ecclesiae capitulum a clero totius dioecesis distinguatur, eidem praeposito et archidiacono, singulisque canonicis nunc et pro tempore respective existentibus praedictis, ut ipsi collare ejusdem violacei coloris, et pileum fasciola itidem serica praedicti violacei coloris ornatam, etiam ubique quotidie pariter deferre et gestare, illisque etiam uti respective possint et valeant, et quilibet eorum etiam respective possit et valeat apostolica auctoritate perpetuo concedimus et indulgemus.

Clausulae, salutares, et irritantes.

§. 5. Ipsosque praepositum et archidiaconum, ac canonicos, eorumque respective successores praedictos desuper a quoquam quavis causa vel occasione, aut quovis praetextu et quacumque auctoritate molestari, perturbari, inquietari, impediri, nullatenus umquam posse vel debere. Praesentes quoque semper et perpetuo validas et efficaces esse, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, dictisque modernis, et pro tempore existentibus praeposito et archidiacono, ac canonicis dictae cathedralis ecclesiae in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, nec illas sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi vel confundi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per dictos modernos, et pro tempore existentes praepositum, et archidiaconum, ac canonicos praefatos dictae cathedralis ecclesiae quandocumque eligendos concessas esse et fore. Sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, ac honore et praeeminentia fulgentes etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ejusdem S. R. E. cardinales etiam, de latere legatos, vicelega-

tos, dictaeque Sedis nuncios praefatos judicari et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus quibusvis etiam in eisdem synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus, constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictaeque cathedralis ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis in genere vel in specie, aut aliis in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorumque omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum nil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime, et plenissime ac specialiter et expresse, nec non opportune et valide, hac vice dumtaxat harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, concessionis, indulti, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud s. Mariam Majorem anno incarnationis dominicae, millesimo octingentesimo tertio, quinto kalendas aprilis, pontificatus Nostri anno quarto.

CXCIV.

Dat. die 1. aprilis 1803. Anno IV.

Confirmatio decreti defuncti episcopi Tudertini pro Philippo Angeli rectore ecclesiae villae de Turre Ceccona Tudertinae dioecesis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Cum sicut dilectus filius Philippus Angeli parochialis ecclesiae villae de Turre Ceccona Tudertinae dioecesis rector Nobis nuper exponi fecit a bo. me. Hieronymo Formaliari, dum vixit, episcopo Tudertino, ad ecclesiae praedictae redditum summam viginti novem scutatorum, et obuli octoginta quatuor cum dimidio monetae Romanae tunc temporis non excedentium, tenuitatem reficiendam, ejusque rectoris indigentias sublevandas per suum decretum in actu sacrae visitationis editum die XXIV. maji MDCCLVIII. unum ecclesiasticum simplex beneficium sub titulo s. Laurentii intra limites parochiae villae Cloani ejusdem Tudertinae dioecesis erectum cum omnibus illius redditibus, juribus, et pertinentiis eidem parochiali ecclesiae univerit, et incorporaverit, ejusque pro tempore existenti rectori assignaverit, reservato tamen, et successive obtento consensu dilectorum filiorum capituli, et canonicorum ecclesiae cathedralis Tudertinae, ac alias, prout ex eodem decreto, cujus tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, fusius continetur. Cumque dictus Philippus rector, quo idem decretum, et omnia inde secuta firmius subsistant, et serventur exactius apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri plurimum desideret. (Expositio precum.)

§. 2. Nos ipsum Philippum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, idem decretum, et singula in eo contenta, et expressa, atque etiam inde rite secuta auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et adprobamus, illique inviolabilis, et perpetuae apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes et singulos juris, et facti, si qui desuper in eo intervenerint defectus auctoritate, et tenore praedictis supplemus, et sanamus. (Tenor confirmationis apostolicae.)

Digitized by Google

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac dicto Philippo, aliisque ad quos spectat, et pro tempore spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus quatenus opus sit felicis recordationis Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 5. Volumus autem, et declaramus, ut literis apostolicis per novos futuros rectores pro divisione dictae ecclesiae in posterum expediendis beneficii quoque hujusmodi provisio eorum favore comprehendi omnino debeat, secus praesentes nullae sint eo ipso. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die prima aprilis millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

CXCV.

Dat. die 1. aprilis 1803. Anno IV.

Concessio favore canonicorum ecclesiae collegiatae terrae Mercatelli, ut loco almutiarum et cottarum magis insignes vestes gestare valeant.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Quantum splendoris, et venerationis vel ipsa sacra indumenta oculis, animisque Christifidelium ingerere valeant optime tenens Apostolica Mater Ecclesia non solum varias pro varietate festorum, et solemnitatum sacerdotibus suis praescripsit vestes, sed etiam in templis magis conspicuis, ubi major est christiani populi frequentia, sacris ministris ibidem Altissimo famulantibus saepe particularia, et ad earum dignitatem exprimendam aptissima insignia deferenda concessit.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii archipresbyter, canonici, et mansionarii insignis, ut asseritur, collegiatae sub titulo sanctorum apostolorum Petri et Pauli terrae Mercatelli Urbaniensis dioecesis, collegiata ipsa antiquitatis laude, sacerdotum probitate, et doctrina, populique frequentia, ac devotione non mediocriter floreat, multum honorificentiae et splendoris ad ipsam accederet, ac divinus cultus, fideliumque devotio majora susciperet incrementa, si ejusdem collegiatae unica dignitas archipresbyter, canonici, et mansionarii novis insigniis, novisque decorationibus donentur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur dictos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, ac eorum singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, modernis, ac pro tempore in perpetuum existentibus archipresbytero, et canonicis dictae collegiatae ss. apostolorum Petri et Pauli, ut loco almutiarum, et cottarum, quas adhuc deferre consueverunt, archipresbyter rocchettum, et mantellettam, ac vestem oblongam violaceas, itemque fasciam cum floccis sericis ejusdem violacei coloris: canonici vero rocchetum, et mozzetam violaceam tela serica cremisini coloris subsutam, cum globulis, et asulis sericis ejusdem cremisini coloris, ac demum mansionarii mozzetam nigram supra cottam tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque respective uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque archipresbyterum, canonicos, et mansionarios desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae collegia-

tae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die prima aprilis millesimo octigentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

Dat. die 5. aprilis 1803. Anno IV.

CXCVI.

Facultas episcopo Narniensi transferendi ad ecclesiam matricem sodalitium Sacramenti terrae Stronconis, et assignandi ecclesiam ejusdem sodalitii monasterio Ursolinarum ipsius oppidi.

Venerabili fratri episcopo Narniensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Expositum Nobis fraternitatis tuae nomine fuit, quod tu in episcopali istius tuae dioecesis visitatione sodalitatem Sacramenti terrae Stronconis in tantam temporalium aeque ac spiritualium perturbationem comperiisti collapsam, ut cum non omnibus una posses statim consulere, ea tantum, quae urgentiora videbantur, reparare curaveris, reliqua vero ad aliud tempus opportunius componenda transtuleris. Quia tamen sodalitatis ejusdem ecclesia praeter expoliationem supellectilium plane universam eo ob dudum anteactas clades jacebat in statu, ut officia divina ullo amplius modo exerceri in ea nequirent, tu illam monasterio monialium Ursulinarum nuncupatarum, ubi oratorium vix perangustum ac numeroso ejus oppidi populo ad sacras functiones illuc confluenti prorsus impar existit, cedi statuisti, sodalitatem autem in collegiatam, et curatam ecclesiam s. Michaelis Archangeli transferri: quod quidem adeo gratum acceptumque illi capitulo fuit, ut per actum capitularem ad id expresse consenserit, et cappellam cum altari in ecclesiam, ac quaedam in ecclesiae aede conclavia sodalitati pro ejus usibus designaverit. Accedit, quod per translationem hujusmodi proprius atque facilius suae satisfacere institutioni poterit dicta sodalitas, quoties sacrosanctum viaticum infirmis deferendum eam comitari contingat; nam etsi comitatui hujusmodi praesto quoque esse debeat quoad alteram simul collegiatam et parochialem ecclesiam s. Nicolai, huic tamen aliud sodalitium, quod dicitur de Suffragio, manet adjunctum. Hinc quo isthaec omnia firmius, solidiusque subsistant, nec ullo umquam tempore, ulloque sub titulo possint in jurgium, ac disputationem adduci, Nobis humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis, opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur te specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, attenta super praemissis relatione tua, ac dilecti filii magistri Emmanuelis De Gregorio secretarii congregationis Concilii, fraternitati tuae per praesentes committimus, ut veris existentibus enarratis, ad enunciatam translationem sodalitatis praedictae, et ad ecclesiae ad eam spectantis cessionem favore monasterii monialium Ursolinarum pro tuo arbitrio et conscientia devenire libere ac licite possis et valeas; Nos enim tibi facultates omnes ad id necessarias auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus, atque impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quinta aprilis millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

Dat. die 5. aprilis 1803. Anno IV.

CXCVII.

Facultas praeposito, et canonicis collegiatae B. M. V. de Suffragio Privernensis civitatis gestandi rocchettum, et mozzetam violaceam in perpetuum.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Quantum splendoris, ac venerationis vel ipsa sacra indumenta oculis, animisque

Digitized by Google

Christifidelium ingerere valeant optime tenens Apostolica Mater Ecclesia non solum varias pro varietate festorum, et solemnitatum sacerdotibus suis praescripsit vestes, sed etiam in iis templis, in quibus major est populi christiani frequentia, sacris ministris ibidem Altissimo famulantibus saepe particularia et ad eorum dignitatem exprimendam aptissima insignia deferenda concessit.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii Paulus Pandolfo praepositus, ac Dominicus Baratta, Petrus Spadaro, Franciscus Gabioli, Antonius Reale, Jacobus Pasquarelli, Joseph Rosa, Dominicus Uliva, et Joannes Lucatelli canonici ecclesiae collegiatae sub titulo B. M. V. de Suffragio civitatis Privernensis, ejusdem collegiatae ecclesiae canonicis ex eo tempore, quo ipsa in collegiatam ut asseritur, auctoritate apostolica fuit erecta illud inter caetera literas apostolicas praescriptum remanserit, ut successive aliqua ex insigniis collegiatibus pro se ab hac s. Sede obtinerent deferenda, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, praedictis modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus praeposito, et canonicis praedictae collegiatae B. M. V., ut ipsi rocchetum, et mozzetam violaceam cum globulis, et asulis sericis cremisini coloris tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque praepositum, et canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, vel perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quinta aprilis millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

CXCVIII.

Dat. die 22. aprilis 1803. Anno IV.

Novae leges super modo procedendi adversus debitores R. C. A.

NOTIFICAZIONE

Alessandro Lante della Santità di Nostro Signore, e sua reverenda camera apostolica tesoriere generale.

R. P. D. thesaurarius chirographum exequendum recepisse declarat.

§. 1. La morosità de' debitori della R. C. A. e l' indugi, che sotto varj pretesti sogliono molti frammettere nel pagamento di ciò, che le devono o per censi di appalti, o per altri diritti camerali, recando non lieve disagio, e pregiudizio al pubblico erario, specialmente nelle circostanze, nelle quali deve supplire a spese, e pesi gravissimi, esigevano dalla sovrana provvidenza di Nostro Signore qualche opportuno rimedio. Quindi la santità di Nostro Signore ha giudicato esser necessario con suo moto proprio richiamare ad osservanza le precedenti leggi, e costituzioni sul pronto pagamento de' censi, e debiti verso la R. C. A., e sulla speditezza de' giudizj di mano

Digitized by Google

regia, aggiungendovi quegli altri savj provvedimenti, che ha conosciuti a proposito per togliere ogni abuso, e sotterfugio, come più diffusamente apparisce dalla cedola del lodato moto proprio segnato li 23. del passato mese, che è del seguente tenore.

PIUS PAPA VII.

Motu proprio

Tenor chirographi.

§. 2. Essendosi riconosciuto il pregiudizio, che risente la Nostra camera dal ritardo dei pagamenti dovuti dagli appaltatori, e dagli altri suoi debitori, i quali per trattenere i giudizj e la esecuzione della mano regia loro intimata avanti monsignor tesoriere generale dai procuratori del fisco, sovente allegano esser pendente avanti il tribunale della piena camera, talvolta anche con Nostro rescritto l'esame stragiudiziale de' loro debiti o di questioni, che vi hanno rapporto: abbiamo giudicato doversi evitare questo pregiudizio, ed inconveniente. Pertanto colla presente cedola di Nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della Nostra suprema potestà primieramente confermando le costituzioni dei Nostri predecessori, e la disposizione del diritto comune per la pronta esazione de' tributi, e degli altri crediti fiscali, e segnatamente le costituzioni di Gregorio XIII., e di Sisto V., le quali non permettono, che si ritardi la esecuzione de' giudicati dal tesoriere generale, e di chi giudica per esso, nè che si possa ammetterne l'appellazione se non in devolutivo, e quelle richiamando in uso, e volendo che onninamente debbano osservarsi. Di più ordiniamo che qualunque estragiudiziale pendenza si ritrovi ora, anche per Nostro pontificio rescritto, e speciale delegazione introdotta, o s'introduca in avvenire, sia su negozj principali sia sulle domande di bonifici o defalchi, e qualsivoglia altra cosa connessa o emergente avanti il tribunale della piena camera, o collegio de' chierici di camera, o qualsivoglia altra congregazione, o tribunale, non possa mai in modo alcuno impedire la introduzione di giudizj ad istanza della Nostra camera, ed erario pubblico avanti il tribunale di monsignor tesoriere generale pro tempore, ed altri giudici fiscali del Nostro stato contro gli appaltatori, finanzieri, enfiteuti, amministratori o detentori de' beni camerali, o di spogli ecclesiastici, o contro altri debitori della camera apostolica, e dell'erario pubblico, nè possano ritardare gli atti, e la esecuzione reale, e personale della mano regia, e di altri rimedj fiscali, e la consumazione della subasta, e di qualunque altro atto occorrente all'oggetto della pronta esazione dei diritti, e crediti suddetti: ma solamente permettiamo, che le risoluzioni, che intanto si emanassero dal tribunale della piena camera o da altro, a cui fossero state tali delegate cognizioni stragiudiziali, si possano allegare, e produrre per prove, e documenti di ragioni, e diritti avanti il tesoriere generale, e chi giudica per lui nelle cause contro i debitori dell'erario, e camera apostolica, e non mai per impedire la introduzione di quelli, o sospenderne il progresso e fine; essendo Nostra assoluta volontà, che tutti gli appaltatori, e altri debitori suddetti, e chiunque si trova obbligato verso l'erario pubblico, e camera apostolica debba essere sempre sollecitamente astretto al pagamento, senza che possano attendersi simili pendenze estragiudiziali, e neppure qualunque avocazione di causa, o inibizione, che col pretesto ed occasione di tali pendenze si venissero ad intentare formalmente, le quali potranno sempre impunemente disprezzarsi dai difensori del fisco, quando non siano formali inibizioni segnate di Nostra mano, o di Nostra piena intelligenza, e dei Nostri successori.

§. 3. Volendo, e decretando, che la presente cedola di Nostro motu proprio ammessa, e registrata in camera a norma della costituzione di Pio IV *de registrandis* vaglia, e debba osservarsi, ancorchè non vi sia stato citato monsignor commissario della camera, o chiunque altro vi avesse, o pretendesse avervi diritto, o ragione, e che così, e non altrimenti debba sempre osservarsi, giudicarsi, e definirsi da monsignor tesoriere generale, dalla piena camera, e reverendissimo camerlengo, dal reverendissimo segretario di stato, dal Nostro uditore, a cui inculchiamo di non concedere alcuna inibizione su tali oggetti senza preventivo Nostro ordine, e da qualsivoglia altro giudice ordinario, o delegato, tribunale, o congregazione, anche di reverendissimi cardinali, togliendo ad ognuno la facoltà di arbitrare, definire, Clausulae salutares, et irritantes.

o interpretare diversamente, e dichiarando nullo ed invalido tutto ciò, che altrimente si decidesse o interpretasse: non ostante qualsivoglia legge, canone, costituzione, ordine, consuetudine, o stile, che facesse, o sembrasse fare in contrario, alle quali cose tutte, avendone il tenore qui per espresso, per l'oggetto della presente Nostra disposizione, espressamente deroghiamo. Dato dal Nostro palazzo apostolico Quirinale, questo dì 23. aprile 1803.

Pius PP. VII.

Executio. §. 4. Mentre adunque noi facciamo nota al pubblico questa sovrana disposizione, anche per autorità del nostro officio ne inculchiamo a tutti la più esatta osservanza. E questa nostra notificazione affissa, e pubblicata nei luoghi soliti di questa capitale, e in tutte le altre città, e luoghi principali dello stato Ecclesiastico, obbligherà ciascuno, come se fosse stata ad ognuno personalmente intimata.

Data dalla nostra residenza questo dì 4. maggio 1803.

Alessandro Lante tesoriere generale.

G. Pecci commiss. gener. della R. C. A.

F. Gregorj segret. e canc. della R. C. A.

CXCIX.

Dat. die 26. aprilis 1803. Anno IV.

Concessio indulgentiae plenariae assequendae a monialibus excalceatis ordinis B. M. V. de Mercede redemptionis captivorum.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Cum, sicut dilectus filius Christophorus a sancto Serapione nuncupatus procurator generalis ordinis B. M. V. de Mercede redemptionis captivorum excalceatorum nuncupatorum pro parte monialium ejusdem ordinis monasterii Ursaonensis Hispalensis dioecesis Nobis nuper exponi fecit, dictae moniales pluribus ab hinc annis quoddam pium exercitium in adorationem, venerationemque sanctissimi Eucharistiae sacramenti, ac in honorem sacri Cordis Jesu pie instituerint, distribuendo videlicet unicuique earum unum diem, ab ipsis appellatum solitudinis, seu secessus, quem integrum, exceptis tamen horis, in quibus moniales choro intersunt, ad assiduam venerationem, et adorationem sanctissimi Eucharistiae sacramenti insumunt; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut ad majus tam pii operis incrementum, non solum monialibus dicti monasterii Ursaonensis, sed etiam aliorum monasteriorum ejusdem ordinis B. M. V. de Mercede excalceatarum nuncupatarum coelestes Ecclesiae thesauros de benignitate apostolica reserare dignaremur.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur praedictarum monialium devotionem magis excitare volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Nobis a Domino tradita, deque omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus auctoritate confisi, unicuique ex monialibus tam dicti Ursaonensis, quam aliorum monasteriorum ejusdem ordinis, quae talem devotionem amplexae fuerint, die, ut praefertur, ab ipsis appellato solitudinis, seu secessus, si vere poenitens, et confessa sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserit, et coram eodem sanctissimo Eucharistiae sacramento e choro, seu e cratibus propriae respectivae ecclesiae pias ad Deum preces effuderit, eumdemque diem integrum, ut praefertur, in piis meditationibus, gratiarum actionibus, aliisque orationibus, prout unicuique earum suggeret devotio insumpserit, ac pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac s. Matris Ecclesiae exaltatione oraverit; plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Derogatio contrariorum, et fides habenda transumptis. §. 3. In contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel ejusdem procuratoris generalis dicti ordinis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima sexta apri-

Digitized by Google

lis millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

Dat. die 22. aprilis 1803. Anno IV.

CC.

Facultas episcopo Leiriensi faciendi reservationes, easque seminario applicandi ejusdem dioecesis.

Venerabili fratri Emmanueli episc. Leiriensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§. 1. Fraternitatis tuae in seminarium clericorum, unde utiles operarios vinea Domini praestolatur, et accipit, cura sollicita jure a Nobis expostulat, ut te ad ea, quae pro salubri ejus tuitione provido moliris consilio, expedite perficienda omni, qua cum Domino possumus, juvare ope nitamur.

Expositio precum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis fecisti, tuae istius ecclesiae seminarium in tam arcta pauperie versari, ut annui ejus redditus ad quadraginta circiter monetae Romanae scutata tantum pertingant: patere idcirco evidenter periculum, patere etiam detrimentum dioecesis universae, ad quam maxime refert, ut qui ex adolescentulis clericali se vitae devoveant, aeque habeant diversorium, atque palestram, ubi moribus, literis, ecclesiaeque, institutis, teneram agentes aetatem opportune instruantur, bonaeque eorum educationis fructuum omnes communiter deinde percipiant. Qua propter in re tanti momenti pastorali te zelo permotum seminario isti tuo per sequentia remedia prospicere statuisse scilicet reservando.

Tenor reservationum factarum ab episcopo favore seminarii.

I. §. 3. Decimam partem reddituum episcopalis tuae mensae.

II. Decimam itidem partem reddituum tuae cathedralis ecclesiae dignitatum et canonicatuum integram praebendam habentium.

III. Quintam partem redditumm fabricae ejusdem cathedralis.

IV. Dimidiam decimam redditqum ad dignitates et canonicatus insignis, ut ajunt, collegiatae ecclesiae de Ourem spectantium: loco autem dimidiae decimae quartam tantum partem reddituum dignitatis cantoratus nuncupat. ipsius collegiatae.

V. Dimidiam pariter decimam redditus beneficiorum in collegiatis ecclesiis s. Mariae, s. Joannis, et s. Petri Portus de Moz, nec non prioratus villae de Alpedriz existentium.

VI. Sub lege tamen quoad decimae, dimidiae decimae, quartae, et quintae partes praedictae praestari omnino debeant tum libere prorsus ab omni onere, sive impositum illud jam sit, sive imponatur in posterum; tum in eadem specie fructuum, qua fructuus ipsi e propriis fundis praediisque sumuntur.

VII. Demum cum declaratione, quod reservationes hujusmodi super redditibus dignitatum canonicatuum, et beneficiorum, quae sunt recensita superius, non habeant locum, nec suum sortiantur effectum nisi quum eaedem dignitates, canonicatus, et beneficia quam primum vacaverint, ut nempe actuales eorum possessores, quoad ipsi vixerint, omni vacui molestia permaneant. Quoniam vero etiam detractis, reservatisque decimis, dimidiis decimis, quartis et quintis partibus enarratis, multum adhuc de dd. dignitatum, canonicatuum et beneficiorum redditibus superest, quod eorum possessores futuros sat congrue ac honeste valeat sustentare, ideo te ad illa, quae animo intendis, canonicae executioni mandanda apostolicae auctoritatis praesidium vehementer cupere, humiliterque a Nobis expetere.

Laudat consilium pontifex illudque exequendum esse declarat.

§. 4. Nos igitur laudabilibus votis tuis hujusmodi plene obsecundare, teque specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati fraternitati tuae omnes, et singulas decimas, dimidias decimas, quartas, et quintas partes reddituum tam mensae tuae episcopalis, quam dignitatum et canonicatuum, quibus integra inest praebenda, tuae cathedralis ecclesiae ejusque fabricae, nec una dignitatum, canonicatuum, et cantoratus collegiatae insignis de Ourem, ac beneficiorum quoque aliarum collegiatarum portus de Moz, et prioratus villae de Alpedriz tuae istius dioecesis, easque modo et forma,

Digitized by Google

ac conditionibus supra expressis, auctoritate Nostra apostolica reservandi, et in dotem seminarii clericorum dioecesanorum perpetuo assignandi, atque constituendi, plenam, et amplam facultatem juxta petita eadem auctoritate tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes propterea easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac tibi, et seminario praedicto ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus felicis recordationis Benedicti pp. XIV. praedecess. Nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non praedictarum mensae, fabricae, et ecclesiarum dignitatum, canonicatuum et beneficiorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis fundationibus, exemptionibus, privilegiis, statutis, et consuetudinibus; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem, sub annulo piscatoris, die vigesima nona aprilis millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

CCI.

Dat. die 10. maji 1803. Anno IV.

Indulgetur canonicis, et beneficiatis collegiatae Mevaniae Spoletanae dioecesis, ut loco mozzetae, quam adhuc deferre consueverunt dignitates mantelletam nigram, canonici cappam magnam, aestate autem cottam supra rocchetum, beneficiati vero cappam magnam supra cottam gestare possint.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Quantum venerationis vel ipsa sacra indumenta oculis, animisque christifidelium ingerere valeant optime tenens Apostolica Mater Ecclesia, non solum varias pro varietate festorum sacerdotibus suis sacra facientibus praescripsit vestes, sed etiam in templis magis conspicuis, ubi major est populi christiani frequentia sacris ministris ibidem Altissimo famulantibus saepe particularia, et ad eorum dignitatem exprimendam aptissima insignia deferenda concessit.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici parochialis, et, ut asseritur, insignis collegiatae sancti Michaelis Archangeli oppidi Mevaniae Spoletanae dioecesis, in qua prior et praepositus dignitates, quatuordecim canonici, sex beneficiati, ac duo cappellani chorales existunt, collegiata ipsa antiquitatis laude, sacrarum supellectilium copia, sacerdotum probitate, et doctrina, populique frequentia, et devotione ita floreat, ut jure merito una ex illustrioribus, et vetustioribus dictae dioecesis ecclesiis habeatur, multum honorificentiae et splendoris ad ipsam accederet, ac divinus cultus, fideliumque devotio majora susciperet incrementa, si ejusdem collegiatae prior, et praepositus, ac etiam canonici, et beneficiati novis insignibus, et honorificentiis per Nos, et hanc apostolicam Sedem donentur; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, moderais, et pro tempore in perpetuum existentibus, priori, praeposito, et canonicis dictae collegiatae ut loco mozzetae, quam adhuc deferre consueverunt, duae dignitates praedictae mantel-

letam nigram supra rocchetum in omnibus anni temporibus, canonici vero cappam magnam violaceam, vulgo *di saja paonazza*, cum asulis, et globulis sericis cremisini coloris, et cum pellibus armellinis hyemali, aestivo autem tempore cottam supra rocchetum, beneficiati autem cappam magnam cum pellibus armellinis cineracei coloris, vulgo bigio, supra cottam tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque respective uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque priorem, praepositum canonicos, et beneficiatos desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae collegiatae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima maji millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

Dat. die 10 maji 1803. Anno IV.

CCII.

Instante rege catholico, facultas eidem tribuitur incorporandi suae regiae coronae, ac etiam in perpetuum alienandi singula bona stabilia ad unam commendam militiae de Alcantara spectantia, supportatis tamen oneribus.

Carissimo in Christo filio Nostro Karolo Hispaniarum regi catholico.

Pius PP. VII.

Carissime in Christo fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Majestatis tuae nomine expositum Nobis nuper fuit, quod tanta pecuniae vis per te, qui militiae ordinis de Alcantara administrator perpetuus auctoritate apostolica deputatus existis, ad regiae tuae coronae decus sustinendum, ac tuos subditos, religionemque ipsam catholicam in tuis florentissimis regnis tuendam adhuc impendi debuit, ut ad aliquantulum subsidii eidem coronae pro aliis necessariis hujusmodi impensis comparandam omnia bona commendae, seu praeceptoriae de Casas de Calatrava dictae militiae de Alcantara ad praesens vacantis annui redditus novendecim circiter mille septingentorum nonaginta novem regalium de Vellon eidem regiae coronae perpetuo uniri, et adjungi, ac etiam in perpetuum vendi, et alienari posse plurimum desideres. Nobis propterea humiliter supplicatum tuo nomine fuit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur tuis votis, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, teque specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eidem majestati tuae omnia, et singula bona stabilia, et fructifera ad dictam commendam, seu praeceptoriam de Casas spectantia in praediis, domibus, et in quibusvis aliis rebus consistentia cum respectivis eorum juribus, et pertinentiis universis dictae tuae regiae coronae ad tibi benevisum etiam in perpetuum tempus uniendi, et incorporandi, nec non (si tibi id expedire visum fuerit) in perpetuum quoque tam conjunctim, quam divisim distrahendi, et alienandi, ac domum tamquam de propriis tuis bonis, regiisque familiaribus rebus pro tuo arbitrio, et prudentia disponendi, supportatis tamen semper in perpetuum, prout nunc sunt, singulis eidem commendae, seu praeceptoriae adnexis oneribus, quamcumque necessariam, et opportunam, plenamque, et amplam facultatem auctoritate apostolica, tenore praesentium tribuimus, et impertimur; ita ut dictorum bonorum fructus, redditus, et proventus quoscumque percipere, exigere, et levare, ac in tuos regios usus convertere libere, et licite possis, ac valeas, futurique eorum emptores pariter possint, et valeant eadem auctoritate concedimus, et indulgemus.

Digitized by Google

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis apostolicae nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi, facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus fel. recor. Pauli II., et aliorum Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum de rebus ecclesiasticis non alienandis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ejusdem militiae, et ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die decima maji millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

Dat. die 12. maji 1803. Anno IV.

CCIII.

Concessio deputandi personam laicam in administratione nonnullorum bonorum ecclesiasticorum ad conventum fratrum s. Francisci de Mafra nuncupatum, et penes regium palatium regis fidelissimi existentem.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Ingenua saecularium principum devotionis obsequia, quae Nobis, et huic apostolicae Sedi incessanter exhibere non desinunt, adeo quidem Nos excitant, ut ad singulas eorum preces aures Nostras gratanter inflectere, novisque semper favoribus, et gratiis eos prosequi studeamus.

Memorantur praecedentes literae ad eumdem effectum latae.

§. 2. Alias siquidem ad preces dilectissimi in Christo filii nostri Joannis Brasiliae principis, ac regnorum Portugalliae, et Algarbiorum regentis, per dilectum filium Alexandrum de Souza et Holstein, ipsius Joannis principis ac regentis, apud Nos, et Sedem apostolicam oratorem Nobis porrectas, ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine per alteras Nostras in simili forma sub plumbo expeditas literas apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo secundo, quintodecimo kalendas januarii, pontificatus Nostri anno tertio, dilecto filio moderno, et pro tempore existenti Nostro, et praedictae Sedis apostolicae nuncio in civitate Lisbonensi commoranti facultatem tribuimus, ut tot ex infrascriptis dignitatibus, archidiaconatibus, canonicatibus, et dimidiis canonicatibus, supprimeret, et extingueret, quot opus foret ad conflandam annuam liberam summam tredecim millium septingentorum quatuordecim ducatorum auri de camera, et juliorum quinque monetae Romanae, summae sexaginta millium cruciatorum monetae regni Portugalliae respondentium convertendam in firmum, et stabile subsidium conventus fratrum sancti Francisci reformatorum s. Petri de Alcantara nuncupatorum provinciae de Arabida penes regium palatium de Mafra existentis, videlicet tres ex dignitatibus principalibus, praelaturis nuncupatis, patriarchalis ecclesiae Lisbonensis, quae prout et canonicatus, ac praebendae, aliaque beneficia ejusdem patriarchalis ecclesiae de jurepatronatus pro tempore existentis eorumdem Portugalliae, et Algarbiorum regis fidelissimi respective existunt, primo loco respective vacaturis; nec non in Bracharensi uno de Barrozo, ac alio sanctae Christinae, ac alio de Fontearcada, ac alio de Labnege, ac

alio de Neiva, ac alio de Villanova de Cerveira, et alio de Vermoim, et reliquo de Braga: ac in Elborensi uno de Seixa, et altero de Bago, seu Baculo: ac in Visensi uno sancti Petri de Franza, et altero etiam de Baculo: ac in Ægitaniensi uno de Guarda, ac alio de Salovito; et reliquo de Covillam: et in Lamacensi uno etiam de Baculo, seu di Valdiguera, et altero de Cova: ac in Portugallensi respective cathedralibus ecclesiis uno etiam de Baculo, et altero de Oliveira respective nuncupatis archidiaconatibus dignitatibus, non tamen post pontificalem majoribus, aliisque similibus archidiaconatibus in supradictis, vel aliis regnorum Portugalliae ecclesiis forsan sub specialibus aliis denominationibus existentibus, quorum tamen archidiaconatuum nonnullae tunc expressae respectivae fructuum applicationes dignitatibus, et canonicatibus, ac praebendis patriarchalis ecclesiae Lisbonensis praefatae alias apostolica auctoritate factae fuerant in hujusmodi archidiaconatuum respective vacationum eventus: et insuper uno canonicatu, et una integra praebenda in qualibet ex Ægitaniensi, et Visensi, et Lamacensi, et Portugallensi praefatis, et aliis etiam Elvensi, Pharaonensi, et Leyriensi respective cathedralibus ecclesiis, primo loco pariter vacaturis: ac duobus dimidiis canonicatibus nuncupatis, in qualibet ex Bracarensi, et Elborensi praefatis, et in altera etiam Colimbriensi respective cathedralibus ecclesiis, itidem primo loco respective vacaturis: illisque ad numerum tantummodo necessarium, sic suppressis, et extinctis, illorum respective bona, res, proprietates, fructus, redditus, proventus, distributiones quotidianas, jura, obventiones, et emolumenta quaecumque quovis nomine nuncupata, in quacumque re consistentia, et undecumque provenientia, et quoad praedictos archidiaconatus, pro quantitate unicuique eorum superextante, detractis iis, quae dignitatibus, ac canonicatibus, et praebendis dictae patriarchalis ecclesiae Lisbonensis applicati fuerant, et satisfactis omnibus, et singulis, non tamen personale servitium requirentibus oneribus, in praelaudati conventus, illiusque ecclesiae, ac religiosorum stabilem manutentionem, et substentationem converterentur, quorum omnium singulorum supradictorum bonorum, ac fructuum, reddituum, et proventuum administratio per personam ecclesiasticam, ab ipso Joanne principe, ac regente, ad id pro tempore ad sui libitum deputandam, et successive ab eodem moderno, et pro tempore existente nuncio praedicto in officio hujusmodi instituendam integre exerceri deberet, prout in Nostris praedictis literis, quibus omnimoda habeatur relatio, plenius continetur.

Preces porrectae pro subrogatione laicae personae.

§. 3. Quum autem praedictus Alexander nomine ejusdem Joannis principis, ac regentis Nobis exposuerit, optari ab ipso Joanne principe ac regente, suisque magis favere votis, ut praedicta administratio supradictorum bonorum per personam ecclesiasticam explendae, a Nobis praescripta, etiam per aliquam dignam, et idoneam personam laicam iis tamen qualitatibus praeditam, quae pro hujusmodi exercendo munere requiruntur, valeat expleri: proindeque novas ad id ejusdem Joannis principis, et regentis ad Nos preces detulerit.

Tenor concessionis.

§. 4. Nos qui egregii hujus principis eximias virtutes, animique dotes satis perspectas habentes, omne studium, omnemque sollicitudinem, in ejus vota, quantum in Domino possumus conferre non dubitamus, eumdem Joannem principem, ac regentem amplioribus gratiis, et favoribus prosequi volentes; ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine eidem Joanni principi, ac regenti, ut ipse, ejusque in regnorum Portugalliae, et Algarbiorum regimine successores, personam vel ecclesiasticam, vel etiam laicam, idoneam tamen, ac spectatae probitatis, in administratione supradictorum bonorum, ab eodem moderno, et pro tempore existente apostolico nuncio praefato instituendam, servata in reliquis omnibus supradictarum literarum forma, deputare libere, ac licite valeant apostolica auctoritate tenore praesentium facultatem concedimus, atque impartimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes has praesentes literas apostolicas perpetuo validas, et efficaces esse, suosque integros effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus, ad quos nunc spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum firmiter, et inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, et universalibus conciliis editis, vel edendis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, privilegiis, indultis, et literis apostolicis in

contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis; quibus omnibus, et singulis, scientia, et potestatis plenitudine paribus, tenore praesentium specialiter, et expresse, ad praemissorum validissimum effectum, derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis. §. 7. Volumus autem, ut earumdem praesentium Nostrarum literarum transumptis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si originaliter exhibitae forent.

Sanctio poenalis. §. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae concessionis, decreti, et facultatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo tertio, quarto idus maji, pontificatus Nostri anno quarto.

Dat. die 15. maji 1803. Anno IV.

CCIV.

Conceditur rectori, et religiosis, eorumque successoribus collegii fratrum Eremitarum s. Augustini Lisbonensis civitatis indultum nominandi in perpetuum ad duas parochiales ecclesias duos religiosos sui ejusdem ordinis loco presbyterorum saecularium.

Dilectis filiis rectori, et religiosis collegii, seu conventus sancti Augustini Lisbonensis civitatis ordinis fratrum Eremitarum ejusdem s. Augustini nuncupatis professoribus.

Pius PP. VII.

Dilecti filii salutem,
et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Expositum Nobis nuper vestro nomine fuit, quod per apostolicas fel. rec. Clementis pp. XI. praedecessoris Nostri sub plumbo expeditas literas beneficium quoddam ecclesiasticum in ecclesiis parochialibus s. Annae de Vimieiro, et sancti Stephani de Bastucos Bracharensis dioecesis erectum, suppresso commendae titulo, quo illud antea concedebatur, sancti Augustini collegio, seu coenobio vestri Eremitarum ordinis Olyssipone existenti unitum, incorporatumque in perpetuum fuit sub certis modo, et forma, prout latius eisdem in literis, quarum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, fusius dicitur contineri. Ratione autem unionis hujusmodi rectores, et religiosi pro tempore ejusdem collegii duos saeculares presbyteros cum titulo vicariorum ad nutum ad binas praedictas parochiales ecclesias, tamquam patroni, ut asseritis, nominare, ac praesentare consueverunt. Sed ob plura, quae variis occasionibus adversus collegium oborta sunt istis ex vicariis jurgia, vos commune in istis consilium ad eas ecclesias loco presbyterorum saecularium nominandi in posterum religiosos ipsius ordinis vestri professos cum titulo curatorum, qui ad certum tantum in iis duraturi sint tempus, si apostolicae Sedis facultas suffragetur; Nobis propterea humiliter supplicari fecistis, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur vos, ac singulos vestrum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristis, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus vestro nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, vobis, ac futuris quoque dicto in collegio successoribus vestris, ut si, et quando parochiales ecclesias praedictas sive per obitum, sive per abdicationem, seu cessionem, aut alia quacumque ex causa vicariorum eas ad praesens obtinentium vacare contigerit, tunc ad easdem servatis servandis, ac salva auctoritate provincialis capituli, seu definitorii ordinis viros cum titulo curatorum ad tempus nominare, ac praesentare libere, et licite possitis, et valeatis, praedictique etiam successores aeque possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus; religiosisque sic, ut praefertur, nominandis, et praesentandis earumdem ecclesiarum administrationem suscipiendi, atque gerendi facul- Tenor concessionis.

tatem ex speciali dispensationis gratia nunc pro tunc tribuimus, ac impertimur.

Declaratio specialis. §. 3. Cum declaratione tamen, ac expressa sub lege, quod jura ordinarii quoad ecclesias parochiales, earumque curatus hujusmodi sarcta tecta ac illaesa permaneant; quodque religiosi curati in dictis ecclesiis non minus quam per triennium, excepto gravi, et rationabili casu per eos, ad quos spectat definiendo, commorentur; secumque socium semper ejusdem ordinis, saltem conversum, seu, ut ajunt, laicum habeant: et quoad usque ibidem resederint, rectori pro tempore coenobii Bracharensis, qui possit, uti proximior, super ipsos inspicere, immediate subjaceant.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 4. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac vobis, et successoribus vestris, curatisque praedictis in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, rec. me. Benedicti pp. XIV. praed. Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictarum ecclesiarum, dictique ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die decima tertia maji, millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

CCV.

Dat. die 13. maji 1803. Anno IV.

Instante praeposito generali congregationis ss. Crucis, et Passionis tribuuntur facultates ad providendum in vacatione munerum.

Dilecto filio moderno praeposito generali congregationis clericorum discalceatorum ss. Crucis, et Passionis Jesu Christi nuncupatorum.

Pius PP. VII.

Dilecte fili salutem, et apostolicam benedictionem.

§. 1. Quum, sicut Nobis tuo est expositum nomine, ne quid detrimenti congregatio tua ex incidentibus patiatur vacationibus munerum, operae pretium sit ea quantocitius denuo impleri, neque id facile fieri possit, nisi opportune tibi, ac successoribus tuis provideatur a Nobis, ac benigne, ut infra indulgeatur. Ratio concessionis.

§. 2. Nos te specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, tibi, tuisque pro tempore successoribus, ut si quando officium consultoris tum generalis, tum provincialis, ac officium quoque procuratoris generalis memorata in congregatione quomodolibet vacare contigerit, et ad deliberandum de subrogatione officiorum hujusmodi consultores, seu eorum aliquis aliquo impedimento detentus personaliter intervenire nequiverit, tunc ab eo, ut suum scripto mittat suffragium, quod sic latum validum perinde sit ac si ipse praesens suffragatus fuisset, postulare, ac exigere. Rursus siquis rectoratus in domibus congregationis sive per obitum, aut abdicationem, vel qualibet alia ex causa vacaverit, superiorem amovibilem ad nutum vestrum, non ultra tamen tempus provincialis capituli proxime celebrandi, pro Tenor concessionis.

vestro arbitrio vacantem in locum delegare, ac substituere; in domo vero generalitia hujusmodi rectoratu vacante, similem delegationem, ac simili modo, forma, et duratione praedictis, demandare, istique domui etiam consultoris, aut procuratoris generalis officio fungentes similiter, uti supra, praeficere libere ac licite possitis, et valeatis auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, omnesque ad id necessarias facultates tribuimus et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes propterea easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac tibi, tuisque successoribus in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae congregationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro pleno, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima maji millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

Dat. die 27. maji 1803. Anno IV.

CCVI.

Instantibus canonicis collegiatae s. Syri oppidi s. Remi Albinganensis dioecesis, eriguntur in eorum collegiata ecclesia septem novi canonicatus ex totidem cappellaniis de jurepatronatus laicorum, et indulgetur eisdem canonicis, ut rocchetum, et cappam magnam gestare valeant.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Quantum splendoris, ac venerationis vel ipsa sacra indumenta oculis, animisque Christifidelium ingerere valeant optime tenens Apostolica Mater Ecclesia non solum varias pro varietate festorum, et solemnitatum sacerdotibus suis sacra facientibus praescripsit vestes, sed etiam in templis magis conspicuis, ubi major est populi christiani frequentia, sacris ministris ibidem Altissimo famulantibus saepe particularia, et ad eorum dignitatem exprimendam aptissima insignia concedere consuevit.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici parochialis, et, ut asseritur, insignis collegiatae ecclesiae sub titulo sancti Syri oppidi civitatis nuncupatae sancti Remi Albinganensis dioecesis, in qua praepositus, et canonici tredecim, atque octo beneficiati, seu cappellani adhuc existunt, ipsa collegiata ecclesia antiquitatis laude, patrimonii amplitudine, sacrarum supellectilium copia, sacerdotum probitate, doctrina, ac religionis zelo vel difficillimis temporibus probato, devotique populi frequentia ita floreat, ut quoad habitantium numerum post civitatem Januensem, quoad vetustatem post cathedralem Albinganensem prima in dioecesi censeatur, atque insuper tantam erga Nos, et hanc s. Sedem devotionem praeseferat, ut medietatem sumptus pro comparandis palmis eidem Sedi a pro tempore existente episcopo Albinganensi annuatim mitti consuetis semper ipsa collegiata sustinuerit, et sustineat, multum honorificentiae, et splendoris ad eam accederet, ac divinus cultus, fideliumque devotio majora susciperet incrementa, si canonicorum numerus ibi augeatur, ipsique canonici novis praerogativis, novisque decorationibus donentur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Erectio novarum praebendarum canonicalium.

§. 3. Nos igitur dictos exponentes, ac etiam infrascriptarum cappellaniarum possessores specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati: septem cappellanias de jurepatronatus laicorum in dicta collegiata sub respectivis Nostrae Dominae Pietatis, s. Romuli, Corporis Domini, s. Sebastiani, Nostrae Dominae Lauretanae, s. Erasmi, et s. Joannis Baptistae titulis erectas in totidem praebendas canonicales perpetuas, et in collegiatae praedictae canonicatus cum omnibus, et singulis honoribus, et oneribus, privilegiis, et gratiis, favoribus, et indultis canonicis hujusmodi quomodolibet concessis, et in posterum concedendis, illaesis tamen, salvisque semper remanentibus juribus patronatus praedictis, firmisque pariter restantibus singulis oneribus cappellaniis hujusmodi ex lege respectivarum fundationum adnexis, aliisque praescriptis, quae venerabilis frater Angelus Vincentius episcopus Albinganensis pro data sibi a Domino prudentia in actu executionis praesentium perpetuo servanda esse statuerit, auctoritate apostolica, tenore earumdem praesentium erigimus, et modernos, ac pro tempore existentes cappellaniarum praedictarum possessores dictis capitulo, et canonicis adjungimus, unimus, et incorporamus, ipsosque canonicos vocari, et fore decernimus, eidemque episcopo pro reliquis desuper componendis quamcumque necessariam, et opportunam tribuimus facultatem.

Concessio novorum indumentorum magis insignium.

§. 4. Praeterea modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus praeposito, et canonicis dictae collegiatae illis etiam, ut supra, erectis, ut ipsi cottarum, et almutiarum loco, quas adhuc deferre consueverunt, rocchetum, et cappam magnam violaceam vulgo *di saja pavonazza* cum pellibus armellinis albis, vel telà serica ejusdem coloris ante pectus coopertam, prout idem episcopus specificaverit, hyemali, aestivo vero tempore, et feriatis diebus rocchetum, et mozzetam itidem violaceam cum globulis, et asulis cremisini coloris; ac semper etiam vestem oblongam violaceam cum globulis, et asulis nigris, beneficiati autem cottam cum almutia tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque respective uti libere, et licite possint, et valeant auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac S. R. E. etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae collegiatae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, nec non dictarum cappellaniarum fundationibus; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Caeterum per praesentes jurapatronatus praedicta non intendimus in aliquo approbare. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima septima maji millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

CCVII.

Dat. die 27. maji 1803. Anno IV.

Confirmatio privilegii concessi terrae Carassai Firmanae dioecesis celebrandi nundinas in festo sancti Barnabae protectoris ejusdem loci.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii universitas, et homines terrae Nostrae Carnasciali Firmanae dioec., quod eorum majores a die xxix. maji MDC. a bo. me. Petro dum vixit S. R. E. diacono cardinali Aldobrandino nuncupato tunc temporis ejusdem S. R. E. camerario privilegium obtinuerunt sequentis tenoris videlicet.

Tenor privilegii.

§. 2. Petrus s. Nicolai in Carcere diaconus cardinalis Aldobrandinus S. R. E. camerarius.

Dilectis Nobis in Christo communitati, et hominibus terrae Carnasciali Firmanae dioecesis salutem in Domino sempiternam.

Fides, et devotio quas erga sanctissimum dominum Nostrum papam, ac Nos, et reverendam cameram apostolicam gerere comprobabimini promerentur, ut vos specialibus favoribus, et gratiis prosequamur, ac comodis quantum in Nobis est opportune consulamus. Nuper siquidem hujusmodi propositionem in camera apostolica facere curavistis, videlicet: communitati terrae Carnasciali Firmanae dioecesis impartiri licentiam celebrandi nundinas in festo sancti Barnabae apostoli advocati dictae terrae duraturas octo dies ante, et post dictum festum cum solitis exemptionibus expediri literas patentes, et committi. Cui propositioni ac petitioni Nos una cum reverendissimis dominis decano, praesidentibus, clericis cameralibus ibidem Nobiscum more solito congregatis: simile decretum fecimus videlicet. — Ad dominum centurionem citato commissario, et sic hujusmodi negotio illustrissimo, et reverendissimo domino Alexandro centurione ejusdem camerae locumtenenti commissario, et coram admodum illustrissimo excellentissimo domino Laudisio Zacchia ejusdem camerae generali commissario addicens, et excipiens quidquam verbo, vel in scriptis contra praeinsertum camerae apostolicae decretum dicere, sive excipere volebat; nec non videndum, ac audiendum juxta illius formam impartiri licentiam iisdem communitati et hominibus faciendi dictas nundinas, vel dicant, vel alligant causam, si quam haberent rationabilem, quare praemissa non teneant per unum ex sanctissimi domini Nostri papae cursoribus prius legitime citato ad certum peremptorium terminum competentem, videlicet ad diem, et horam infrascriptam. Quibus advenientibus eadem praecedente propositione pro parte Nostra in eadem camera interim facta, dictaque reverendissimo domino Alexandro centurione citato et a judice praedicto interim de praemissis informato, hujusmodi negotium in eadem camera referente, postulationeque per dominum Nostrum commissarium facta non obstante per Nos, ac eosdem decanum, praesides ipsos, et alios supradictos iterum ibidem congregatos simile decretum factum fuit videlicet.

Decretum latum in camera pro concessione gratiae.

§. 3. Ad dominum centurionem qui expediat juxta mentem camerae, et subsequenter eodem illustrissimo, et reverendissimo domino centurione pro parte vestra instante, requisito, ut juxta decretum camerae apostolicae decreti formam, et resolutionem licentiam hujusmodi impartiri, literasque desuper necessarias, et opportunas concedere dignaretur.

Executio ejusdem decreti.

§. 4. Qui dominus judex satisfaciendo istantiae et decreto hujusmodi dictam licentiam, praedictasque literas decernendas, et concedendas fore duxit, et concessit, ac nos etiam de mandato sanctissimi domini Nostri papae vivae vocis oraculo nobis desuper facto, istantibus camerariatus officiis, et ex decreto in eadem camera matura deliberatione praehabita satisfacto, vobis, ut in dicta vestra terra, ac extra eam, et in festo sancti Barnabae apostoli mensis junii cujuslibet anni, ac octo antecedentibus, et aliis octo subsequentibus diebus ejusdem festi inclusive publicas nundinas, ad quas omnibus, et singulis personis utriusque sexus, et cujuscumque status, gradus, et conditionis in civitatibus, oppidis, terris, castris, et aliis locis, tam mediate, quam immediate sanctae Sedi apostolicae subjectis habilitatis libere accedere, ac vina, olea, legumina cujuscumque generis, ac blada, utrumque frumentum, nec non boves, vaccas, vitulos, bubulos, equos, mulos, cervices, asellos, sues, pecudes, agnos, haedos, capras, caeteraque animalia quadrupeda, tum domestica, quam silvestria, ova, gallinas, pullos, capones, anseres, aves, pipiones, pavones, et alia animalia volatilia, cae-

teraque alia mobilia, et semoventia, serica, lanea, linea, et cujuscumque alterius generis, et speciei bona ex dictis civitatibus, oppidis, terris, castris, villis, casalibus, et eorum respective territoriis contrahere, et ad dictam terram Carnasciali pro dicto festo sancti Barnabae et octo antecedentibus, et subsequentibus diebus ejusdem festi inclusive cujuslibet anni, quibus hujusmodi nundinae celebrantur absque solutione aliquarum gabellarum ad alteram terram, seu verius ad civitatem Firmanam ejusdem terrae, seu castri in temporalibus dominium spectante et pertinente, asportare, et conducere libere liceat, servatis tamen solitis, et laudabilibus locorum statutis, et consuetudinibus facere, et celebrare licentiam, et facultatem omnimodam tenore praesentium in perpetuum concedimus, et impertimur, cum facultate etiam concessione, et indulta hujusmodi nundinarum manutentione, ac pacifico, et quieto commercio mercatorum, et aliarum personarum illuc concurrentium aliquem probum virum sorte extraendum ex pluribus ad id vocatis, et selectis a vobis in capitaneum dictarum nundinarum, et per quindecim dies ante illarum adventum deputare, in recognitionem hujusmodi officii scuta quinque monetae anno quolibet dare, et consignare valeatis, et quod dictus capitaneus quaevis genera armorum non tamen prohibitorum, una cum aliis militibus per ipsum desuper eligendis absque ullo poenarum incursu deferre, et quascumque lites, causas, et differentias inter quascumque personas mercatores, occasione dictarum nundinarum, et ipsas nundinas concernentes quomodolibet movendas summarie, simpliciter, et de plano, sola facti veritate inspecta, nullo juris ordine servato ejus arbitrio, et absque ullo praemio, et mercede etiam privative ad quascumque alios judices ecclesiasticos, et seculares Nostrae terrae, tempore dictarum nundinarum dumtaxat durante, cognoscere, decidere, et fine debito terminare, et quoscumque mercatores etiam artistas, ac alias quascumque personas dictae vestrae terrae ac territorii, ad interessendum cum eorum mercibus in dictis nundinis, earumque apothecas, et fundaca aperienda, et animalia quaecumque ad ea conducenda saepe dictis nundinis durantibus, et sub poenis ejus arbitrio imponendis, et locis piis applicandis cogere, et compellere possint, ac valeant.

Mandatum de obediendo, et executio literarum.

§. 5. Mandantes propterea Nostra etiam auctoritate, et ex decreto praesenti quibuscumque dominis temporalibus dictarum civitatum, terrarum, castrorum, et locorum, eorumque locumtenentibus, seu auditoribus, potestatibus, vicariis, commissariis ecclesiasticis, et secularibus quacumque auctoritate fungentibus et functuris; nec non universitatibus, hominibus, officialibus, barisellis, capitaneis, executoribus, subsecutoribus, caeterisque militiae, et justitiae ministris, et eorum cuilibet in solidum sub mille scutorum auri in auro camerae apostolicae poenis, in eventum contraventionis applicatione mandati executivi, et juris subsidium, quatenus opus sit, quod universitates interdicti ecclesiastici, quorum ad alias excommunicationes, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis arbitrio Nostro imponendis, fulminandis, moderandis et applicandis vos, et alias quascumque utriusque sexus personas ad dictas nundinas pro tempore accedentes, ac vina, blada, praeterque frumenta, legumina, ac alia bona praedicta, ut praefertur, portantes, et conducentes, seu asportari, et conduci facientes, ac inde redeunte, quovismodo commorante, alioque jure, causa, ingenio, vel quaesito colore impedire molestare, vexare, et perturbare, seu impediri, molestari, vexari, et perturbari, nec aliquam excommunicationem realem, et personalem vigore cujusvis mandati executivi, seu suspicionis fugae contra dictam personam, et mercatores, et loco dictarum nundinarum commorantes ad istantiam eorum creditorum pro quavis pecuniarum, rerum, et bonorum summa, et quantitate per quoscumque tam Romanae curiae quam status ecclesiastici judices, et tribunalia decerni, et relaxari, seu decernendi, et relaxandi dictis nundinis durantibus, nec in judicio pro dictis debitis civilibus convenire, seu conveniri facere, minime permittere audeant, seu praesumant, aut eorum aliquis audeat, seu praesumat; immo praesentes Nostras, et in eis contenta quaecumque inviolabiliter observent, et ab aliis ad quos spectat, et spectabit in futurum observari curent, et faciant, ac celebrationem dictarum nundinarum quotiescumque pro parte vestra fuerit requisita per edicta, bannimen-

Digitized by Google

ta in locis opportunis publicent, et publicum facient, et mandent alioquin contra praemissa non observantes, ac contradicentes quoslibet rebelles ad poenam praescriptam incursos declarationem, et executionem procedemus, quod si secus factum fuerit ad totum revocare, et in pristinum statum reducere curabimus justitia mediante. In quorum omnium, et singulorum fidem, et testimoniales praesentes fieri, et per infrascriptum Nostrum et camerae apostolicae notarium subscribi sigilloque ejusdem reverendae camerae apostolicae quo in talibus utitur jussimus, et facimus munire. Datum Romae in camera apostolica anno a nativitate Domini millesimo sexcentesimo, indictione tertia, die vero vigesima nona mensis maji, pontificatus autem sanctissimi in Christo, et patris, et domini Nostri domini Clementis divina providentia papae octavi anno nono.

Confirmatio apostolica.

§. 6. Cum autem sicut in eadem expositione additum erat dicti exponentes, quo praeinsertum privilegium firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae Nostrae confirmationis subsidio muniri summopere desiderent. Nos ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter perrectis inclinati, idem privilegium, et singula in eo contenta, et expressa auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis, ac perpetuae apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos tam juris, quam facti si qui desuper in eo quomodolibet intervenerint defectus, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 7. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et inviolabiter observari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales de latere legatos sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, et ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus Nostris etiam ex motu proprio editis, aliisque constitutionibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, dictae terrae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praesentem effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die vigesima septima maji millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

CCVIII.

Dat. die 7. junii 1803. Anno IV.

Commissio eminentissimo cardinali Caprara ad carissimum in Christo filium Nostrum Naupoleonem Bonaparte primum Galliarum reipublicae consulem apostolicae Sedis de latere legato reductionis nonnullarum ecclesiarum episcopalium in Pedemontana provincia existentium.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Dilecto filio Nostro Joanni Baptistae tituli sancti Honuphrii S. R. E. presbytero cardinali Caprara nuncupato archiepiscopo Mediolanensi, et episcopalis ecclesiae Æsinae administratori ad carissimum in Christo filium Nostrum Naupoleonem Bonaparte primum Galliarum reipublicae consulem Nostro, et apostolicae Sedis de latere legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum et ratio concessionis.

§. 1. Gravissimis causis adducimur, ut ecclesiis in Pedemontana provincia constitutis

apostolicae potestatis plenitudine, indulgentia atque ope Nostra, id exigentibus earum circumstantiis, provideamus. Cum expositum fuerit Nobis nomine gubernii reipublicae Gallicanae, cujus nunc imperio paret Pedemontana provincia, sexdecim ecclesias episcopales, videlicet Albensem, Aquensem, Alexandrinam, Astensem, Augustanam, Bobiensem, Bugellensem, Casalensem, Fossanensem, Ipporegiensem, Montis Regalis, Pinaroliensem, Salutiarum, Secusinam, Derthonensem, Vercellensem, et unam metropolitanam Taurinensem, quae in supradicta provincia continentur, haud posse, omnes diutius in posterum in eadem subsistere, atque idcirco (cum quinque jam ex ecclesiis illis, nempe Vercellensis, Montis Regalis, Salutiarum, Fossanensis, Secusina suo pastore viduatae sint, atque ex reliquis superstitibus episcopis tres, nempe Alexandrinus, Casalensis, Augustanus libere, ac libenter in manibus Nostris suam ecclesiam dimiserint, et episcopatu se abdicarint) ab eodem gubernio postulari, ut Nos in hoc rerum statu apostolica auctoritate Nostra praefatas sexdecim ecclesias episcopales, atque unam metropolitanam ad octo redigere dignemur, nimirum ad unam metropolitanam, et septem ejus suffraganeas, servatis tamen absque ulla imminutione earumdem supprimendarum ecclesiarum, earumque capitulorum, seminariorum, collegiatarum, ac paraeciarum, nec non fabricarum, caeterorumque locorum piorum bonis, ac possessionibus, sicut nunc fruuntur et gaudent, ita tamen, ut quod pertinet ad mensas ecclesiarum supprimendarum earum bona congrua distributione mensis ecclesiarum servandarum applicentur, quae cum amplioribus finibus augendae sint, amplioribus etiam subsidiis indigent, ut ecclesiarum respectivarum necessitatibus, ab episcopis provideri possit: cumque ad has postulationes accesserint etiam, dilecte fili Noster, plures literae tuae ad Nos datae, quibus, et ea, quae Nobis nomine praefati gubernii exposita fuerunt luculentissimo testimonio confirmasti, et illud praeterea addidisti etiam venerabilem fratrem modernum archiepiscopum Taurinensem Parisiis nunc degentem suum consilium, atque operam in hunc finem contulisse.

Temporaneae providentiae ad rem captae.

§. 2. Nos perspectum habentes haud aliter stabili illarum ecclesiarum bono prospici posse, eique pro praesenti temporum exigentia prospicere satagentes, divini numinis auxilio primum implorato, ac adhibitis deinde in consilium venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus congregationis ad id specialiter deputatae, eumque iis rerum omnium pondere, ac circumstantiis ea qua par est maturitate serio perpensis, praefatae reductioni duximus annuendum. Cum autem ex una parte celeriter a Nobis necessitatibus ecclesiarum illarum occurrendum sit, ex alia vero cum non omnia sint in promptu, quae ad negotium hujusmodi numeris omnibus de more conficiendum Nobis essent necessaria, de eorumdem venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consilio tibi uti speciali Nostrae, et Sedis apostolicae legationis a latere apud Gallicanae reipublicae gubernium, cujus nunc sub imperio est dicta Pedemontana provincia, officio fungenti, in cujus fide, doctrina, prudentia fiduciam Nostram collocatam habemus, ex certa scientia, ac matura deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine auctoritatem committimus, praevia solutione Nostro nomine facienda uniuscujusque ex iis episcopis, qui suas sedes sponte et libere in manibus Nostris dimiserunt, a vinculo, quo earum respectivis ecclesiis tenebantur, procedendi ad suppressionem, extinctionem, ac perpetuam annullationem novem ex praedictis sexdecim episcopalibus ecclesiis, eorumque respectivorum capitulorum, cathedralium, etiam derogando ipsorum capitulorum consensui (quatenus canonici capitula componentes requisiti illum praestare renuant) atque earumdem sic suppressarum dioecesium parochias, collegiatas, monasteria, clerum, ac populum universum antedictae metropolitanae, et septem superexstituris ecclesiis episcopalibus cum suis capitulis, ac seminariis uniendi, applicandi, et incorporandi libere, ac licite eo modo, ac forma, et in ea respective quantitate, quam dignoveris fore magis opportunam.

Consulitur locis subjectis jurisdictioni ordinariorum extantium extra provinciam Pedemontanam

§. 3. Et cum in supradicta Pedemontana provincia nonnulla reperiantur loca ab ordinaria jurisdictione dependentia aliorum archiepiscoporum, atque episcoporum sedes suas habentium extra limites memoratae provinciae et expediens visum sit, ut cura animarum christifidelium in hujusmodi locis degentium ab ipsis praesulibus antedictae Pedemontanae

Digitized by Google

provinciae exerceatur, facultatem tibi quoque impertimur eximendi, ac liberandi supradicta loca ab exterorum supradictorum archiepiscoporum, atque episcoporum jurisdictione accedente eorum consensu, et spirituali regimini unius, vel plurium Pedemontanae provinciae episcoporum subjiciendi, atque eorum dioecesibus perpetuo uniendi atque incorporandi. Item cum justa, et rationabili causa impellente, a Nobis etiam postulatum fuerit, ut unam ex memoratis septem superextituris sedibus episcopalibus permutare, eamdemque ex uno in alium locum transferre concedamus; ideo tibi potestatem etiam facimus, ut praevia suppressione, atque extinctione tituli, ac denominationis hujus permutandae sedis episcopalis, ipsiusque capituli cathedralis, eamdem sedem cum suo capitulo ad aliam civitatem transferre, et in ea ecclesiam principalem, quae capax sit, ac decenter ornata, et sacris supellectilibus instructa, in novam cathedralem ecclesiam erigere, ibique sedem episcopalem cum capitulo, ac seminario, et cum congrua dioecesis assignatione pari apostolica delegata facultate perpetuo stabilire itidem possis, ac valeas. Quoniam vero nonnullae ex antedictis ecclesiis episcopalibus subjectae ad praesens reperiuntur juri metropolitico venerabilium fratrum archiepiscoporum degentium extra provinciam Pedemontanam, ad quaecumque obvianda impedimenta, et ad ecclesiasticas res expeditius omni ex parte componendas, tibi praeterea auctoritatem impertimur, ut accedente eorumdem archiepiscoporum assensu, praefatas episcopales ecclesias a quocumque ipsorum metropolitico jure prorsus eximere, ac liberare, illasque metropolitico juri archiepiscopi Taurinensis perpetuo subjicere, ac supponere delegata apostolica facultate similiter possis, ac valeas, ita ut septem enunciatae episcopales ecclesiae in dicta provincia superextantes debeant omnes esse in posterum suffraganeae memorati archiepiscopi Taurinensis. Tibi praeterea committimus, et potestatem facimus, ut cujuscumque generis res, redditus, proventus, bona hucusque ad supradictas novem supprimendas episcopales ecclesias, illarumque capitula, cleros, fabricas, ac seminaria respective spectantia, collatis cum Gallicanae reipublicae gubernio consiliis, antedictae metropolitanae, aliisque septem superextituris episcopalibus ecclesiis, illarumque capitulis, cleris, fabricis, et seminariis inspecta prius majori cujusque necessitate, ac utilitate, ac firmiter proviso ipsarum ecclesiarum jam cathedralium decenti conservationi, ac manutentioni, itemque congruae ecclesiasticarum personarum servitio earum tam antea addictarum, quam in posterum adjicendarum substentationi simili delegata facultate apostolica perpetuo respective applicare, unire, et appropriare, atque incorporare possis, ac valeas, si ita necessitas exigat, atque illud curans, ut quantum fieri potest, ea bona ei fidelium utilitati, cui praecipue ab iis, qui ea largiti sunt prospectum est, inserviant, neque in alios usus convertantur.

Decernitur unio ecclesiarum pastore viduatarum.

§. 4. Quoniam vero attentis rerum omnium circumstantiis, permagni interest, ut singulae ex praedictis septem cathedralibus ecclesiis superextituris proprium, nullo interposito temporis intervallo, habeant episcopum, qui catholicorum spirituali regimini sollicite incumbat; idcirco si forte accidat, ut unam, seu plures ex iis ecclesiis, quae sive per obitum, sive per liberam in manibus Nostris dimissionem suo sunt viduatae pastore in nova dioecesium circumscriptione servare, atque e contra plures ex iis, in quibus adhuc episcopi existunt, eorum accedente consensu, supprimere opportunum videatur (siquidem unam saltem ex his supprimere, ejus episcopi pariter accedente consensu, necessarium est, ut septem tantum in posterum supersint episcopales ecclesiae) tibi specialem quoque tribuimus facultatem, ut bono illarum ecclesiarum consulendo, unum, seu plures existentium episcoporum a propria ecclesia, quae in nova circumscriptione supprimenda sit, ad aliam ecclesiam ex iis, quae servandae sunt, accedente ejus, sive eorum assensu, eoque, vel iis ab ecclesiae supprimendae vinculo, per te Nostro nomine, ut supra, respective soluto, seu solutis, praevia professionis fidei, ac juramenti fidelitatis emissione, pari apostolica delegata facultate transferre itidem possis, ac valeas; injuncta tamen cuique obligatione Nobis per idoneum procuratorem infra quadrimestre spatium exhibendi hujusmodi translationis patentes literas a te subscriptas, illarumque confirmationem per alias Nostras sub plumbo expediendas literas impetrandi.

Digitized by Google

Constitutio novarum dioecesum, et inscriptio fructuum in libris camerae decernitur.

§. 5. Volumus autem, quod novus cujusque dioecesis circuitus, novique fines clare, et distincte constituantur in quolibet decreto a te in singulis hujusmodi actibus emittendo, atque ut id rite, ac facilius exequi possis, facultatem tibi unam, seu plures ecclesiasticas personas ad hoc aptas, et idoneas subdelegandi impertimur. Injungimus tibi ulterius, ut completa nova uniuscujusque mensae metropolitanae, et cathedralis respectiva stabili dotatione, authenticum exemplar decretorum, quae in hanc rem emiseris ad Nos perferri cures, ut nova itidem earumdem ecclesiarum taxa in consistorialibus libris queat usitata ratione constitui.

Monitum speciale.

§. 6. Porro non dubitamus quin singula acta vigore praesentium literarum a te conficienda omni studio, ac diligentia opportuno modo, ac forma expleantur, eorumque exempla serventur hisce apostolicae Sedis archiviis de more inserenda. Interea in tua fide, doctrina, prudentia, atque animi integritate confidimus, te rectissimis curis Nostris omni qua fieri possit, meliori ratione esse obsecuturum.

Clausula salutares, et irritantes.

§. 7. Nos enim si suppressionem, extinctionem, annullationem, unionem, applicationem, et approbationem hujusmodi, aliaque praemissa vigore praesentium per te fuerint executioni demandata, ea omnia etiam ex eo, quod quilibet jus, aut interesse habentes, vel habere praetendentes vocati, et auditi non fuerint, vel ex alia quavis juridica, et privilegiata, ac privilegiatissima causa, colore, et praetextu nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, aut quolibet alio substantiali, substantialissimo, et inexcogitato ac specialem, et individuam mentionem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, aut alias quomodolibet infringi, retardari, aut ad viam, et terminos juris reduci, seu illis etiam in aliquo derogari, aut quidquam aliud in contrarium disponi, vel alias suspendi, restringi, limitari, aut in controversiam vocari, seu adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, ac justitiae remedium impetrari, easque omnino sub quibusvis contrariis constitutionibus, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, decretis, aut declarationibus generalibus, aut specialibus quibusvis de causis pro tempore factis minime comprehendi, sed semper ab illis excepta esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari; sicque, et non aliter per quoscumque judices quavis auctoritate fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet aliter judicandi, et interpretandi facultate, judicari, et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus, et inane decernimus. Atque insuper tibi potestatem facimus, ut super quacumque quaestione, quae in earumdem praesentium executione quomodolibet oriri forsan poterit, etiam definitive, quacumque appellatione postposita, pronunciare possis, ac valeas.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus de jure quaesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, aliisque Nostris, et cancellariae apostolicae regulis, nec non dictarum ecclesiarum per te, ut praefertur supprimendarum, et extinguendarum confirmatione quoque apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, concessionibus, et donationibus eisdem ecclesiis, ut praefertur, supprimendis, et extinguendis, aut quibuscumque personis quacumque ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus quantumvis specifica, et individua mentione dignis, etiam Romanorum pontificum praedecess. Nostrorum sub quibuscumque tenoribus, et formis etiam motu proprio, et de apostolicae potestatis plenitudine, vel consistorialiter in contrarium praemissorum concessis, et emanatis: quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis expressa mentio habenda, vel alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, ad praemissorum effectum scientia, et potestatis plenitudine paribus derogamus, et derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 9. Volumus etiam, ut ipsarum praesentium transumptis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo alicujus personae in ecclesiastica dignitate con-

stitutae munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis. §. 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae delegationis, commissionis, mandati, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli, apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo tertio, kalendis junii, pontificatus Nostri anno quarto.

CCIX.

Dat. die 14. junii 1803. Anno IV.

Instante magno magistro hospitalis s. Joannis Hierosolymitani incorporantur praeeminentiae trium dignitatum conventualium eidem magno magistro.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium. §. 1. In summo apostolatus apice, meritis licet imparibus constituti, illud quoque praecavendum Nobis esse arbitramur, ut in proxima, et a Nobis vehementer optata hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani reaperitione nihil ibi veteris regiminis ordo perturbetur, sed omnia feliciter, tranquilleque restituantur, atque procedant.

Ratio decernendae unionis. §. 2. Cum itaque, sicut accepimus, ex recenti pernotissimas temporum circumstantias sequuta suppressione trium dicti hospitalis linguarum Proventiae, Alverniae, et Franciae tres conventuales dignitates antea linguis hujusmodi inhaerentes, magni scilicet commendatariatus, marescallatus, et magni itidem hospitalariatus vacantes remaneant, et suspensae, Nos dissentiones omnes, quae super praeeminentias dictis dignitatibus adnexas suboriri possent, praecavere, communique ejusdem hospitalis concordiae consulere volentes, motu proprio, atque ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine omnes, et singulas trium dignitatum hujusmodi magni commendatariatus, marescallatus, et magni itidem hospitalariatus, ut praefertur, vacantium praeeminentias cum suis respectivis juribus, et pertinentiis universis magno magisterio dicti hospitalis provisorie tantum adjungimus, et incorporamus, ita ut interim dilectus filius modernus magnus magister praeeminentiarum, ac jurium hujusmodi dictis dignitatibus quomodolibet antea adnexorum possessionem per se, vel per alium, seu alios apprehendere, atque donec, et quoad Nobis, et huic s. Sedi quidquam aliud firmius desuper statuere visum fuerit, retinere, ac pro suo arbitrio, et prudentia disponere libere, et licite possit, et valeat, motu, et potestate similibus decernimus.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti hospitalis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, et naturis; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quarta junii millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto. Derogatio contrariorum.

CCX.

Dat. die 14. junii 1803. Anno IV.

Pia unio presbyterorum secularium s. Pauli apostoli de urbe erigitur in archiconfraternitatem.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni officiales, et saeculares presbyteri piae unionis s. Pauli apostoli de urbe nuncup. quod cum ipsi ad majorem Dei gloriam, et spiritualem christifidelium, naucleorum praesertim, et militum, ac etiam infirmorum in publicis nosocomiis existentium (quorum sacramentales confessiones statis diebus excipiunt, deque rebus sacris eos privatim, et publice instruunt, aliaque perplura charitatis officia exercent) utilitatem congregationem, seu piam unionem sub titulo ejusdem sancti Pauli apostoli in ecclesia s. Mariae in Cappella de eadem urbe canonice, ut asseritur, erexerint, congregationem, seu piam unionem hujusmodi archiconfrat. titulo per Nos, et hanc apostolicam Sedem decorari plurimum desiderant.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, congregationem, seu piam unionem s. Pauli apostoli praedictam in archiconfraternitatem cum omnibus, et singulis praerogativis, honoribus, et praeeminentiis solitis, et consuetis, auctoritate apostolica, tenore praesentium erigimus, et instituimus; ac ipsius archiconfraternitatis sic erectae officialibus, et congregatis praesentibus, et futuris, ut ipsi alias quascumque congregationes, et confraternitates, seu pias uniones ejusdem instituti extra urbem ubique locorum tam erectas, quam erigendas eidem archiconfraternitati, servata tamen forma constitutionis recolendae mem. Clementis pp. VIII. praedecess. Nostri aditae, aggregare, illisque omnes, et singulas indulgentias, et peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes ipsi piae unioni, seu congregationi s. Pauli sic in archiconfraternitatem erectae concessas communicare libere, et licite possint, et valeant auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus, constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, supradictae piae unionis s. Pauli apostoli, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima septima junii millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

CCXI.

Dat. die 17 junii 1803. Anno IV.

Facultas praeposito, et canonicis collegiatae de Taggia Albingauensis dioecesis addendi cucullioium mozzetae, deferendi rocchetum, et cappam ad instar aliarum collegiatarum civitatis Januensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ratio concessionis.

§. 1. Cum ad venerationem divinis officiis conciliandam, et ad fidelium mentes in rerum

Digitized by Google

altissimarum, quae in ipsis significantur, contemplationem erigendam Catholica Mater Ecclesia vestes, et sacra indumenta inter caetera attribuerit, Romani pontifices praedecessores Nostri sacros earum potissimum ecclesiarum; quae propter antiquitatem, vel populi christiani frequentiam, et devotionem inter caeteras quodammodo excellerent, ministros peculiaribus vestium, et indumentorum insigniis decorare consueverunt.

Expositio precum. §. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii praepositus, et canonici insignis, ut asseritur, collegiatae ecclesiae sub titulo sanctorum apostolorum Jacobi, et Philippi de Taggia Albinganensis dioecesis, ipsi nullis aliis choralibus, praeter mozzetam violaceam sine cucullio; distincti reperiantur; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus praeposito, et canonicis dictae collegiatae, ut mozzetae praedictae parvum cucullum addere, ac rocchetum deferre, et cappam ad instar collegiatarum civitatis Januensis, nec non vestem violaceam oblongam cum asolis, et globulis nigris tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque uti libere, et licite possint, et valeant auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque praepositum, et canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae collegiatae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima septima junii millesimo octingentesimo tertio pontificatus Nostri an. quarto.

CCXII.

Dat. die 17. junii 1803. Anno IV.

Indulgetur canonicis collegiatae ecclesiae s. Agathae Feltriae Feretranae dioecesis, ut loco almutiarum et cottarum quas adhuc deferre consueverunt, rocchetum, et mozzetam violaceam gestare valeant.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Quantum splendoris, et venerationis vel ipsa sacra indumenta oculis, animisque Christifidelium ingerere valeant optime tenens Apostolica Mater Ecclesia, non solum varias pro varietate festorum, et solemnitatum sacerdotibus suis in sacris facendis praescripsit vestes, sed etiam in templis ubi major est christiani populi frequentia, sacris ministris ibidem Altissimo famulantibus saepe particularia, et ad eorum dignitatem exprimendam aptissima insignia deferenda concessit. Prooemium.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici, ecclesiae collegiatae s. Agathae Feltriae Feretranae dioecesis, collegiata ipsa antiquitatis laude, sacerdotum probitate, et zelo, populique frequentia, ac devotione floreat, multum honorificentiae ad ipsam accederet, ac divinus cultus, populique devotio majora ibi susciperet incrementa, si ejusdem collegiatae canonici novis decorentur insigniis. Expositio precum.

§. 3. Nos igitur dictos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, ac eorum singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, modernis, ac pro tem- Tenor concessionis.

pore in perpetuum existentibus canonicis dictae collegiatae, ut loco cottarum, et almutiarum quas adhuc deferre consueverunt, rocchetum, et mozzetam violaceam, etiam sericam, eadem tela serica cremisini coloris subsutam, cum asulis, et globulis, ejusdem cremisini coloris, tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque uti libere, et licite possint, et valeant auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus et indulgemus, dictosque canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac ipsius collegiatae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima septima junii millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

CCXIII.

Dat. die 21. junii 1803. Anno IV.

Indultum utendi facultatibus, quibus ex privilegio apostolico presbyteri congregationis Missionis s. Vincentii a Paulo dioecesis s. Severinae gaudent.

Dilecto filio Hieronymo Pedullo rectori recessus Mesoracensis dioecesis s. Severinae.

Pius PP. VII.

Dilecte fili salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Expositum Nobis super tuo nomine fuit, te in sacro presbyteratus ordine constitutum pia quadam in domo Mesoracae dioecesis sanctae Severinae ubi plurimis ab hinc annis sacer recessus una cum ecclesia publica fundatus est praeesse communitati, quae constat ex presbyteris saecularibus titulo patrimonii ordinatis, ex novitiis, ex fratribus laicis, et ex adolescentibus illuc in educationem perductis: recessum ordinarii loci subjacere jurisdictioni, et presbyteros ibi receptos operam navare assiduam vineae excolendae Dominicae, ac praeter exercitia spiritualia missionibus, atque praedicationibus passim per omnem Calabriam christifideles ad poenitentiam, et divinorum observantiam mandatorum revocare. Ut autem zelo, et labori operariorum hujusmodi major undique fructus accrescat, visum tibi esse fructum mirifice uberem colligi per eos posse, si eaedem ipsis tribuantur facultates, quibus presbyteri congregationis Missionis s. Vincentii a Paulo nuncupatae in sacro eorum ministerio uti ex concessione apostolica solent: Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis, opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur te specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, eisdem praememoratis presbyteris, ut ipsi de tui, tuorumque successorum, qui pro tempore in dicto recessu rectoris officio fungentur, licentia, ac salva in omnibus jurisdictione ordinarii locorum, dum vel spiritualia exercitia ministraverint, vel sacras missiones peregerint, vel id alias animarum necessitas quomodolibet postulaverit, omnes, et singulas facultates, quibus de apostolicae Sedis privilegio presbyteri dictae congregationis Missionis utuntur, et gaudent, habere, ac exercere in perpetuum libere, ac licite valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima prima junii millesimo, octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

CCXIV.

Dat. die 21. junii 1803. Anno IV.

Erectio duorum canonicatuum in ecclesia confraternitatis s. Joannis Baptistae de Balnea-

Digitized by Google

ria Viterbiensis dioecesis ex duabus cappellaniis ejusdem confraternitatis.

Dilecto filio vicario capitulari ecclesiae Viterbiensis, illius episcopali sede vacante legitime deputato.

Pius PP. VII.

Dilecte fili Noster salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni officiales, et confratres confraternitatis sub titulo s. Joannis Baptistae vulgo de Confalone terrae de Balnearia Viterbiensis dioecesis, quod ipsi ad majorem Dei gloriam, divinumque cultum augendum duas ex tribus cappellaniis de suo jure patronatus in duas praebendas canonicales perpetuas, et residentiales sub ss. Crucifixi, et s. Bonaventurae titulis in ecclesia (ut asseritur) collegiata dictae terrae, quas cappellanias dilecti filii Vincentius Ragonesi, et Nicolaus De Rossi presbyteri de praesenti obtinent, erigi posse, ejusdemque collegiatae capitulo, et canonicis perpetuo uniri, et incorporari plurimum desiderant, addito nunc, et pro tempore existentibus illarum possessoribus onere interessendi choro singulis festis diebus, et assignata ex praediis rusticis, atque urbanis triginta annuorum scutatorum monetae Romanae congrua; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur attenta desuper tua ad dilectum filium magistrum Emmanuelem De Gregorio congregationis Concilii secretarium transmissa relatione, ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, discretioni tuae, attento quod sedes episcopalis Viterbiensis ad praesens vacat, per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, enunciatas duas cappellanias in duos canonicatus dictae collegiatae perpetuos, et residentiales cum omnibus, et singulis privilegiis, gratiis, favoribus, et indultis spiritualibus, et temporalibus aliis canonicis ejusdem ecclesiae quomodolibet concessis; accedente tamen prius (quatenus nondum accesserit) capituli praedicti, et omnium interesse habentium consensu, servataque in reliquis forma respectivarum fundationum, nec non facta per confratres praedictos obligatione in forma juris valida supplendi ex aliis confraternitatis redditibus memoratam congruam scutatorum triginta annuorum liberam, et immunem a publicis oneribus impositis, et imponendis, etiam si redditus ex assignatis bonis decreverint, auctoritate Nostra apostolica, pro tuo arbitrio, et conscientia gratis erigas, dictosque Vincentium et Nicolaum juxta praemissa ad canonicatus hujusmodi perpetuos cum omnibus, et singulis honoribus, et insigniis, quibus alii canonici dictae ecclesiae utuntur, fruuntur, et gaudent, ac, frui, et gaudere poterunt in futurum, illaeso tamen semper, et integro remanente ipsius confraternitatis jure patronatus pro eorum successoribus nominandis, et praesentandis.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, dictarum ecclesiae collegiatae et confraternitatis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomo-

dolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die vigesima prima junii millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

Dat. die 23. junii 1803. Anno IV.

CCXV.

Providentiae captae pro recta administratione, et supportatione onerum universitatis Hebraeorum urbis, et solutione aeris alieni ab eadem universitate improvide contracti.

Alessandro Lante protonotario apostolico, della Santità di Nostro Signore, e sua reverenda camera apostolica tesoriere generale.

R. P. D. thesaurarius chirographum exequendum recepisse declarat.

§. 1. Ad oggetto di dare il necessario sistema alla troppo sconcertata economia della università degli ebrei di Roma, e di rimediare efficacemente non meno alla ripugnanza, e negligenza di molti di essi nell' accettare ed esercitare gli uffici, che alla morosità degli ebrei debitori; si è degnata la Santità di Nostro Signore papa Pio VII. aggiungere a Noi tutte le opportune facoltà con quelle ulteriori sovrane disposizioni, che distesamente si leggono nel suo chirografo del tenore seguente.

Monsig. Alessandro Lante nostro, e della nostra camera apostolica tesoriere generale.

Tenor chirographi.

§. 2. Ci avete rappresentato il dissesto da voi ravvisato nella economia della università degli ebrei di Roma, della cui soprintendenza per chirografo del pontefice Innocenzo XII. Nostro predecessore di fel. memoria segnato li 20. luglio 1699. sono incaricati i tesorieri generali: poichè si trova in somma difficoltà di soddisfare al pagamento de' molti debiti arretrati, e correnti rispettivamente verso la Nostra camera apostolica, e la camera Capitolina, e verso la pia casa de' Catecumeni, del monastero delle Convertite, ed altri; e ciò per la morosità degli ebrei individui nel soddisfare alle tasse e dazj loro imposti, la qual morosità proviene massimamente dalla trascuratezza, ed anche dalla contumacia di coloro, i quali venendo assunti alle cariche pubbliche nella loro università o ricusano di intraprenderle, o le esercitano con molta lentezza e negligenza. Ci avete perciò supplicato, che alle facoltà già competenti a voi, ed a tesorieri pro tempore in virtù del suddetto chirografo Innocenziano vi aggiungessimo anche delle altre, che sembrassero più opportune all' oggetto di rimediare energicamente e stabilmente a tali inconvenienti.

De officiis in universitate non recusandis, et de interventu in unionibus ad suffragium ferendum.

§. 3. Pertanto Noi conoscendo molto giusta la vostra istanza, e lodando il solito vostro zelo così in questo, come negli altri oggetti della vasta, e laboriosa vostra carica; col presente Nostro chirografo, in cui abbiamo per espresso il tenore di quello del prelodato Nostro predecessore, e quello confermando ed ampliando, di certa scienza e pienezza della Nostra suprema potestà vi ingiungiamo di ordinare a nome Nostro, come Noi espressamente ordiniamo a tutti gli ebrei del ghetto di Roma, che chiunque di essi colle solite regole, e con altre da voi giudicate più opportune venga eletto, e destinato a qualunque carica della università, ed officio, che abbia rapporto all' azienda, ed interessi di quella, non possa scusarsi, o disimpegnarsi d' intraprenderlo subitamente, e di esercitarlo con tutta la esattezza, fedeltà e attività; e così ancora vogliamo, che niuno possa esimersi dall' intervento alle congreghe, e a qualunque altro congresso generale o particolare, ove si abbiano a trattare gli affari della università, secondo che sia prescritto; e generalmente vogliamo, che da ognuno degli ebrei di Roma sempre si eseguiscano tutti gli ordini, e regolamenti, che per il governo economico della istessa università si faranno da voi, e da' tesorieri pro tempore, ed a tale effetto vi comunichiamo tutte le necessarie facoltà di costringere i disubbidienti e contumaci, e di punire i negligenti colpevoli con gravatorie, multe, carceri, ed altre pene proporzionate alla qualità delle mancanze anche economicamente, e senza strepito di giudizio: riserbando però a voi, e così ai tesorieri pro tempore la cognizione delle vere, ed urgenti cause,

Digitized by Google

che possano scusare taluno dall' intervenire alle congreghe, dall' assumere ed eseguire gli officj, o alcuna altra obbligazione ne' casi particolari.

De exactione taxarum, et datiorum solvendorum in commodum universitatis.

§. 4. Ad oggetto poi, che ora ed in avvenire vengano prontamente esatte ed incassate le tasse, e dazj, o proventi dell' affitto de' macelli detto volgarmente della polpina, del pratico, delle doti, del dodici per cento sulle pigioni delle case, e generalmente qualunque credito della università maturato, o da maturare in appresso contro qualsivoglia ebreo, ed ogni altra imposizione ordinaria, e straordinaria, o già esistente, o che per i vantaggi, e bisogni della università in avvenire da voi, o da tesorieri pro tempore, sempre però con intelligenza, ed approvazione Nostra, e de' Nostri successori, si giudicasse doversi ordinare, per tale oggetto, stabiliamo, che per il debito arretrato e decorso sino a tutto il prossimo passato anno 1802. si conceda ai debitori un mese di dilazione dal giorno dell' editto, e notificazione, con cui farete nota al ghetto di Roma questa nostra disposizione, passato il qual termine senza altra notificazione, o intimazione farete eseguire la mano regia contro i morosi. Pel debito poi decorso dal principio del corrente anno 1803. e che maturerà e decorrerà in qualunque tempo avvenire, dovrà sempre eseguirsi la mano regia dopo la rispettiva intimazione colla dilazione di soli tre giorni.

De executione mandatorum etiam per vim, adversus debitores morosos.

§. 5. Stabiliamo inoltre, che per la esecuzione della mano regia tanto pel debito arretrato, quanto per quello, che scaderà nel tempo avvenire contro chiunque degli ebrei debitori, possiate senza nuova citazione, o intimazione farci apporre anche il mandato di aprire *per vim* le porte delle rispettive loro case, qualunque sia la somma del debito, e di fare la esecuzione anche sulla persona del debitore, ancorchè il debito non provenisse da obbligazione fatta *in forma camerae*, purchè per altro ecceda la somma di scudi 8. 40. senza che debba attendersi alcuna eccezione, inibizione, o altro impedimento. E con tali facoltà pubblicherete editti, e farete tutto ciò, che sarà espediente per la esecuzione di questa Nostra suprema volontà.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 6. Volendo e decretando, che il presente Nostro chirografo ammesso e registrato in camera a norma della costituzione di Pio IV. *de registrandis* vaglia ed abbia il suo pieno vigore, nè gli si possa opporre vizio di orrezione e surrezione, o altro difetto ancorchè non vi sia stato citato nè sentito monsig. commissario generale, o chiunque altro vi avesse, o pretendesse avervi diritto, ed interesse, e che così, e non altrimenti debba giudicarsi, e definirsi da voi, e da ogni altro giudice ordinario o delegato, rota, camera, Nostro uditore, e da qualunque altro tribunale anche composto di eminentissimi cardinali togliendo ad ognuno la facoltà di giudicare o interpretare diversamente, e dichiarando invalido e nullo tutto ciò, che altrimenti si definisse o interpretasse.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non ostanti le costituzioni de' Nostri predecessori *de rebus Ecclesiae et camerae non alienandis*, le costituzioni di Benedetto XIV. sopra il modo di concedere gli appalti de' proventi e beni camerali, la Nostra costituzione *Post diuturnas*, e qualunque altra costituzione, legge, e stabilimento, uso o stile, che facesse o sembrasse fare in contrario, alle quali cose tutte avendone il tenore qui per espresso per l' oggetto del presente Nostro chirografo deroghiamo. Dato dal Nostro palazzo apostolico Quirinale questo dì venticinque giugno 1803.

Pius PP. VII.

Executio, et sanctio poenalis.

§. 8. Mentre però ci facciamo dovere di rendere a tutti note le sovrane disposizioni valendoci delle facoltà che ci attribuisce il sopra esposto pontificio chirografo, stabiliamo la multa di scudi dieci da incorrersi irremissibilmente da chiunque in avvenire mancherà d'intervenire alle congregazioni o congreghe; ed altresì la gravatoria di scudi tre al giorno da eseguirsi immediatamente contro chiunque ricuserà, o differirà di assumere le cariche, officj e incombenze della università, o non l' eseguirà nel tempo prescritto. Chiunque poi usasse colpevole trascuratezza, e molto più se si diportasse con parzialità verso alcuno, o con infedeltà nel suo offizio, od incombenza, sarà soggetto alla carcerazione, e a quelle pene, che a nostro arbitrio saranno proporzionate alla qualità, e gravezza delle mancanze e delinquenze, riserbando a noi, ed ai tesorieri nostri successori tutti gli altri espedienti, e stabilimenti, che in avvenire si giudicheranno opportuni, sì per gli effetti suddetti che per tutto ciò, che concerne la esecuzione delle

Digitized by Google

pontificie disposizioni, e per il miglior regolamento di questa università. Avverta pertanto ognuno di esattamente obbedire, mentre vogliamo, che il presente nostro editto affisso ne' luoghi soliti del ghetto di Roma abbia il suo pieno effetto, e vigore come se fosse stato ad ogni individuo personalmente intimato.

Dato dalla Nostra solita residenza questo dì 7. luglio 1803.

Alessandro Lante tesoriere generale.

G. Pecci commiss. gener. della R. C. A.

F. Gregorj segret. e canc. della R. C. A.

Dat. die 1. julii 1803. Anno IV.

CCXVI.

Indultum pro dignitatibus basilicae Lauretanae utendi veste oblonga, et mantelletta violaceis, pro canonicis veste oblonga, et cruce ante pectus appensa, pro beneficiatis numismate.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. In summo apostolatus apice, meritis licet imparibus, constituti ad statum ecclesiarum omnium quarum Nobis a Domino commissa est solicitudo, personarumque in eis Altissimo famulantium propensis studiis animum intendentes illarum honorificentiae, et decori libenter consulimus.

Expositio precum. §. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici ecclesiae basilicae Lauretanae, ipsa basilica non modo quia intra suos parietes continet Almae Domus sanctuarium in universo terrarum orbe celeberrimum, emineat, sed etiam templi majestate, patrimonii amplitudine, sacrarum supellectilium copia, sacerdotum numero, probitate, et scientia, atque christifidelium eo undique, vel ex remotissimis regionibus confluentium frequentia perexcellat, non parum splendoris, et ornamenti ad ipsam accederet, et divinus in ea cultus, populique devotio majora susciperet incrementa, si ejusdem basilicae dignitates, canonici, et beneficiati novis praerogativis, novisque decorationibus donentur; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus dignitatibus, canonicis, beneficiatis, clericisque beneficiatis basilicae praedictae mantellettam, et vestem oblongam violaceas cum asulis, et globulis ejusdem violacei coloris tam intra, quam extra dictam ecclesiam in quibusvis functionibus, et actibus publicis quibuscumque; canonici autem vestem oblongam similiter violaceam intra ecclesiam praedictam, atque in processionibus, et singulis functionibus capitularibus, dumtaxat gestare; praeterea dignitates, et canonici crucem ante pectus pendentem cum flocculo nigro tam in choro, et intra basilicam, et civitatem Lauretanam, quam extra eas, ac tandem beneficiati, clericique beneficiati ovale numisma ante pectus itidem pendens, in quarum, et quorum antica deiparae Lauretanae imago, in postica vero idem basilicanum conopaeum juxta formas Nobis exhibitas sint insculpta, pariter deferre, illisque respective uti libere, et licite possint, et valeant apostolica auctoritate perpetuo concedimus et indulgemus, dictosque dignitates, canonicos, beneficiatos, et clericos beneficiatos desuper a quoquam impediri, molestari, vel perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. — Tenor concessionis.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, ejusdem basilicae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die prima julii millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

Digitiz

Dat. die 5. julii 1803. Anno IV.

CCXVII.

Avocatio litis pendentis coram A. C. et concessio tituli confalonerii, seu vexilliferi favore priorum oppidi Canthiani Eugubinae dioecesis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Pastoralis Nostra solicitudo postulat, ut Nostrorum, et S. R. E. in temporalibus etiam subditorum quieti, et concordiae, prout res, tempusque exigit, consulamus, atque honorificentia illorum oppidorum, quae habitantium frequentia, civium splendore, ac in Nos, et hanc apostolicam Sedem devotione, et fide non mediocriter eminuerunt, et eminent, prospiciamus.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque, sicut accepimus, iterum excitata sit vetustissima controversia inter dilectos filios modernos confalonerium, collegas, et consules communitatis antiquissimae civitatis Nostrae Eugubinae ex una parte, et priores universitatis, pervetusti oppidi Nostri Canthiani Eugubinae dioecesis ex altera, quarum partium prima contendit, ne primus, priorum Canthianensium contra epistolam ducis Urbinatensis datum die decimanona novembris 1619., et contra unam, seu duas res judicatas, atque fel. rec. Clemente XIII. praedecessore Nostro per suas in simili forma Brevis expeditas literas confirmatas confalonerii, seu vexillarii titulo utatur, et gaudeat; cum litis hujusmodi decisio coram filio magistro Carolo Pelagallo uno ex locumtenentibus auditore causarum palatii Nostri apostolici adhuc pendeat.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos attentis peculiaribus circumstantiis animum Nostrum merito moventibus, dictos priorem, et universitatem oppidi Canthiani quod olim civitas Luceoli fuisse dicitur, specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, atque ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris deque apostolicae potestatis plenitudine controversiae, seu liti hujusmodi, cujus actualem statum in praesentibus pro sufficienter expresso haberi volumus, perpetuum silentium imponentes, causam, seu causas praefatas nullo umquam tempore coram quocumque Romanae curiae judice, et tribunali, aut apostolico delegato agitari, et proponi decernimus, atque mandamus. Ac dilecto filio moderno, et pro tempore in perpetuum existenti primo ex prioribus dicti oppidi Canthiani, ut ipse posthac confalonerii, seu vexillarii titulo uti, frui, et gaudere, atque in quibuscumque actibus tam privatis, quam publicis, necnon in quibusvis literis apostolicis tam gratiam, quam justitiam quomodolibet concernentibus per dictos priorem, et universitatem pro tempore impetrandis, vel sibi singulatim, aut generaliter etiam ex simili motu proprio concedendis se confalonerium, seu vexillarium inscribere, et denominare, ac vicissim ab aliis quibuscumque inscribi, et denominari libere et licite possit et debeat, motu, et potestate similibus de speciali dono gratiae concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, neque causae propter quas ipsae praesentes emanarint sufficienter adductae, verificatae, et justificatae fuerint, aut ex alia quacumque, quantumvis legitima, juridica, et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite etiam in corpore juris clauso, nullo umquam tempore de subreptione, vel obreptione, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, quantumvis magno, et substantiali, ac individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas quodcumque juris, et facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam ex motu proprio, et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine concesso, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare, sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suumque plenarium, et integrum effectum

by Google

sortiri, et obtinere, ac dictis primo ex prioribus oppidi Canthiani, illisque ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores; ac S. R. E. cardinales quoque de latere legatos, et apostolicae Sedis nuntios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus memor. Clementis praecedec. literis, ac etiam, quatenus opus sit, Nostra, et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quinta julii 1803. pontificatus Nostri anno quarto.

Dat. die 7. julii 1803. Anno IV.

CCXVIII.

Revocatio privilegii concessi amplissimis S. R. E. cardinalibus conferendi beneficia simplicia personalem residentiam non requirentia.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Solliciti profecto Romani pontifici semper fuerunt, personas illas, quas divina clementia magis illustravit iis gratiarum muneribus, privilegiis, et facultatibus praecipuis decorare, ex quibus membra Romanae Ecclesiae existere, et ipsi supremo pastori adsistere palam dignosceretur.

Ratio decernendae revocationis privilegii.

§. 2. Quoniam vero graves identidem causae intercedere solent, ob quas pro rerum ac temporum circumstantiis multa oporteat immutare; ac revera nonnulli Romani pontifices praedecessores Nostri, inter quos san. mem. Pius V. et Gregorius XIV. ac Paulus V. aliqua statuerunt, limitarunt, ac reformarunt circa indulta, quae Sedes apostolica unicuique ex S. R. E. cardinalibus impartiri, ac temporum circumstantias aliquid super iisdem indultis, animo licet invito, cognoscimus, necessario esse praefiniendum.

Revocatio privilegiorum, cum suis reservationibus, et declarationibus specialibus.

§. 3. Cum enim pastoralis curae Nobis impositum onus exigat, ut congruae substentationi ecclesiasticarum personarum, vel quae hujus sanctae Sedis servitio propius addictae sint, vel quae justis aliis de causis Nostram, et ejusdem Sedis liberalitatem experiri mereantur, eapropter, ne opportuna Nobis deficiant media benemeritis hujusmodi personis gratificandi motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, harum Nostrarum literarum vigore decernimus, ut firmis remanentibus indultis, omnibus a Nobis et Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris, cuilibet ex venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus super jurisdictione et facultate conferendi beneficia ecclesiastica metropolitanarum, vel patriarchalium, aut episcopalium, seu abbatialium ecclesiarum ab eis actu ex dispensatione apostolica obtentarum, exceptis tantummodo nonnullis in eisdem literis expressis casibus, Sedi apostolicae affecta et reservata etiam ratione mensium, apostolicorum nuncupatorum adhuc concessis, deinceps perpetuis futuris temporibus a data praesentium literarum apostolicarum, quicumque ex iisdem cardinalibus, qui de aliqua metropolitana vel episcopali, (exceptis tantum sex episcopalibus suburbicariis) aut abbatiali ecclesia, in temporali S. R. E. ditione existente, ex apostolica concessione in posterum provideatur, aut de una ad alteram sedem transferatur, de simili indulto uti nequat illa in parte, quae collectionem respicit perpetuorum simplicium cujuscumque generis redditus, ac speciei beneficiorum ecclesiasticorum personalem residentiam non requirentium, quorum collatio, vel ratione mensium juxta novam cancellariae Nostrae regulam, vel quacumque alia de causa ad Sedem apostolicam pertineret, nisi vigore indulti praefati, antea eisdem cardinalibus concessis, collatio hujusmodi fuisset permissa, itaut in posterum quoad beneficia tantum ecclesiastica personalem residentiam requirentia in metropolitanarum, vel episcopalium, aut abbatialium ecclesiarum dioecesibus ab eis

Digitized by Google

obtentis, pro tempore vacantis et Sedi apostolicae reservatae de consueto indulto uti valeant sub legibus in illo expressis, etiam quoad obligationem novam beneficiorum hujusmodi provisionem a Sede apostolica infra certum in dicto indulto, quoad omnes a quocumque cardinale provisos, praefixum tempus impetrandi, ac jura camerae apostolicae, et aliis propterea debita persolvendi, alias pridem injunctam, et postea a fel. rec. Benedicto XIV. similiter praedecessore Nostro declaratam.

Praeceptum de reformando formula expeditionis in futuris collationibus beneficiorum.

§. 4. Statuimus insuper, ac declaramus, quod in quibuscumque facultatibus, indultis, ac concessionibus, deinceps singulis S. R. E. cardinalibus elargiendis super beneficiorum vacantium et vacaturorum dispositione, exceptis illis existentibus in sex episcopatibus suburbicariis, eadem praesens constitutio Nostra observetur, omnesque apostolicae literae inposterum expediendae reformentur juxta praesens mandatum Nostrum, ac si praeter vel contra formam atque tenorem hujus Nostrae constitutionis deinceps expeditae fuerint, nullius erunt roboris vel momenti, nec cuipiam poterunt suffragari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes praesentes Nostras literas semper et perpetuo validas et efficaces existere suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac super omnibus praemissis per quoscumque etiam causarum palatii apostolici auditores, ac etiam ipsos cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate judicari et definiri debere, nec non irritum et inane si secus super his per quoscumque etiam praesentium indultorum, facultatum, et concessionum hujusmodi scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus quibusvis constitutionibus apostolicis, ac quatenus opus sit, de non tollendo jure quaesito, aliisque Nostris et cancellariae apostolicae regulis, nec non privilegiis, indultis, facultatibus, concessionibus, et literis apostolicis etiam eisdem S. R. E. cardinalibus pro tempore existentibus quomodolibet ex quacumque causa, hic forsan de necessitate exprimenda respective concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis; usibus quoque, stilis, tollerantiis, permissionibus, et consuetudinibus etiam diuturnis et inveteratis, in contrarium praemissorum forsan facientibus, vel obstantibus; quibus omnibus et singulis illorum omnium et singulorum tenores etiam veriores pro plene, et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter et expresse, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae limitationis, statuti, mandati, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae, millesimo octingentesimo tertio, septimo idus julii, pontificatus Nostri anno quarto.

CCXIX.

Dat. die 10. julii 1803. Anno IV.

Statuta circa applicationem quarumdam cappellaniarum hospitali s. Josephi Lisbonensis faciendam, si statuto tempore earum praescripta opera expleta non fuerint.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Pastores aeterni vices gerentes in terris, illud potissimum curandum Nobis esse censemus, ut quidquid operis, aut levaminis Christi pauperibus afferri potest, afferatur.

Expositio precum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Laurentius de Langastre regii hospitalis sancti Josephi civitatis Lisbonensis praeses, quod felicis recordationis Paulus pp. III. praedecessor Noster per officium poenitentiariae xvi. kalendas septemb. MDXLVIII. in subsidium dicti hospitalis tunc temporis cum confraternitate Misericordiae nuncupata incorporati legata a testatoribus relicta, et intra tempus in eorum testamentariis tabulis praefixum non expleta, quoad civitatem Lisbonensem, ejusque districtum dumtaxat attribuit, et applicavit, ac per quaevis pia opera, quae in dicto hospitali fierent, ipsis operibus per testatores praescriptis satisfactum

Digitized by Google

esse censeretur indulsit, ea tamen lege, ut quae certis personis, certisque locis relicta fuissent, illis omnino persolverentur: deinde pro aucto infirmorum, et expositorum numero, auctis quoque ejusdem hospitalis indigentiis, fel. recor. Clemens papa VIII. praedecessor itidem Noster concessionem praedictam ad universam dioecesim Lisbonensem extendit: ineunte vero tempore, crescentibus adhuc ipsius hospitalis expensis, rec. mem. Pius pp. VI. praedecessor pariter Noster per suas in simili forma brevis die VII. julii MDCCLXXIX. expeditas literas eamdem concessionem ad omnia regna, insulas, et acquisitas regiones, aliaque dominia carissimae in Christo filiae nostrae Mariae Franciscae reginae fidelissimae subjecta ampliavit; ac tandem ad dirimendas nonnullas desuper obortas quaestiones ipse Pius praedec. per alias suas similes die XXVI. julii MDCCLXXXIV. datas literas declaravit, et voluit ab hujusmodi applicatione illas tantum cappellanias esse excipiendas, quae certas personas respicerent, vel ad certum, et expressum altare, aut etiam in illis ecclesiis essent erectae, in quibus fundatorum suorum ossa jacerent, ac alias, prout in respectivis dictorum praedecessorum literis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, fusius continetur. Cum autem sicut in eadem expositione additum erat, ob magis in dies auctum infirmantium, expositorumque numerum dictum hospitale ulteriore adhuc subsidio indigeat; Nobis propterea humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur dictum hospitalis hujusmodi praesidem, omnesque, quibus hae literae favent, specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes; supplicationibus quoque dilectissimi in Christo filii Nostri Joannis Brasiliae principis, atque Portugalliae, et Algarbiorum regnorum regentis inclinati applicationem, et concessionem praedictam favore dicti hospitalis sancti Josephi jamdiu a memorato Paulo factam, et a Pio, ut praefertur, ampliatam extendimus ad omnes etiam, et singulas cappellanias, quae certas personas respiciunt, vel ad certum, et expressum altare, aut etiam in illis ecclesiis fundatae existunt, in quibus earumdem fundatores sepulti sunt, ab eodem Pio praedecessore ultimo loco exceptas etiam auctoritate apostolica, tenore praesentium ampliamus, atque illas tantum ex cappellaniis hujusmodi exceptas esse volumus, quae in patrimonium sacrum eorum possessoribus constitutae esse reperientur, duratura hujusmodi exceptione quoad ipsi actuales possessores vixerint dumtaxat, servata tamen in reliquis dictorum praedecessorum literarum forma, et dispositione.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat de praesenti, et in futurum quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri, debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, memorati Pii praedecessoris ultimo loco expeditis literis, et quorumcumque testatorum, qui cappellanias hujusmodi etiam in ultima voluntate ordinarunt, quam voluntatem, quoad praemissa sufficienter, et expresse commutamus, nec non omnibus, et singulis illis, quae memorati praedecessores Nostri in suis respective literis praedictis voluerunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die prima aprilis millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

CCXX.

Dat. die 21. julii 1803. Anno IV.

Applicatio perpetua favore hospitii expositorum civitatis Zamorensis nonnullarum pen-

sionum jam super mensam episcopalem Zamorensem impositarum.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Singulari semper laetitia perfundimur dum catholicorum principum erga pia loca in pauperum levamen erecta studium ardens agnoscimus; proindeque animi Nostri sensus palam ostendere nunquam dubitavimus in iis omnibus elargiendis, quae ad hujusmodi effectum necessaria esse dignoscantur, ac Nostra, et hujus sanctae Sedis auctoritate ea praebemus adjumenta quae ab apostolica suprema potestate Nobis concredita, principibus ipsis convenire, et in pauperum sibi subditorum utilitatem conducere judicamus.

Exponitur gravis status hospitii. §. 2. Dilectus modo filius eques Antonius De Vargas y Laguna carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici, apud Nos, et apostolicam Sedem praedictam plenipotentiarius administer, ejusdem Caroli regis nomine Nobis significavit, quod hospitium, et pia domus expositorum in civitate Zamorensi erecta adeo congruis redditibus indiget, ut nisi ei conveniens subsidium aliquo modo afferatur, in sua institutione minime valeat permanere, ideoque ad illius favorem praefatus Carolus rex perpetuam infrascriptarum pensionum assignationem statuit a Nobis enixe postulare.

Enumerantur praestationes eidem hospitio assignandae. §. 3. Si igitur una sexaginta octo, et juliorum duodecim cum tribus quartis Benedicto Colmenares, ac alia centum septuaginta unius et juliorum quindecim cum dimidio alterius julii Josepho Gutierrez Solana, ac alia centum et trium, et juliorum duorum Francisco Antonio Morera de la Vall, ac alia aliorum centum et trium, et juliorum duorum Bartholomaeo Atance, ac alia quatuorcentum sexaginta octo, et juliorum duodecim cum tribus quartis Josepho Ferdinando Cavallero, ac alia centum triginta septem et juliorum octo cum dimidio alterius julii Josepho Mena y Tunguitu, ac alia centum et trium, et juliorum duorum Antonio Gutierrez, ac alia centum septuaginta unius, et juliorum quindecim cum dimidio alterius julii Rocho Pinuela, ac alia pariter centum septuaginta unius, et juliorum quindecim Joanni De la Cruz Gallego y Alarcon, ac alia aliorum centum septuaginta unius et juliorum quindecim Francisco Marucchi, ac alia centum triginta septem, et juliorum octo cum dimidio alterius julii Rocho Sebastiano Zilleruelo, ac alia centum et trium, et juliorum duorum Joachimo Paschali Hidalgo, ac alia sexaginta octo, et juliorum duodecim cum tribus quartis Gaspari Esteller, ac alia centum et trium, ac juliorum duorum Aloisio Garcia Eschaburu, ac alia centum triginta septem, et juliorum octo cum dimidio alterius julii Josepho Xaverio de y Turriaga, ac alia centum et trium, et juliorum duorum Feliciano Martin, ac alia centum triginta septem, et juliorum octo cum dimidio alterius julii Josepho Vasquez de la Quadra y Lison, ac alia centum septuaginta unius, et juliorum quatuordecim cum tribus quartis Thomae Falcon y Salcedo, ac alia similis aliorum centum septuaginta unius, et juliorum quatuordecim cum tribus quartis Josepho Palacios, et reliqua pensionibus annuis centum triginta septem respective ducatorum auri de camera, et juliorum octo monetae Romanae cum dimidio alterius julii similis Tiburtio Garcia Gallardo respective clericis, seu presbyteris dilectis filiis illas annuatim respective percipientibus apostolica auctoritate super fructibus mensae episcopalis Zamorensis, ad quam dum illa pro tempore vacat nominatio personae idoneae Romano pontifici pro tempore existenti facienda ad supradictum Carolum Hispaniarum regem catholicum ex privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, spectare, et pertinere dignoscitur, respective reservatae reperiuntur, eidem hospitio, et domui expositorum, postquam cessaverint, applicatae fuissent, ex hoc profecto tenuitati redituum hujusmodi opportune consultum foret.

§. 4. Laudabili propterea, justoque ejusdem Caroli regis desiderio Nos obsecundare, ejusdemque precibus, quantum opportune fieri potest, satisfacere cupientes, idem hospitium, et piam domum hujusmodi ad omnes et singulas pensiones supradictas super fructibus praefatae mensae episcopalis Zamorensis alias, ut praefertur, apostolica auctoritate reservatas, ex nunc prout ex tunc, postquam ex personis eas respective percipientibus quomodolibet cessabunt, praefatum hospitium, et eamdem domum expositorum ad pensiones praedictas, quae una cum aliis pensionibus Omnia conceduntur ad formam precum.

perpetuis futuris temporibus duraturis alias pariter super eisdem fructibus pari auctoritate reservatis, et in praesenti assignatione, seu nova reservatione exceptis, tertiam partem omnium praedictae mensae episcopalis fructuum constituunt, eidem hospitio, et piae domui, ac pro eis illarum rectoribus, seu praesulibus, aut administratoribus, vel deputatis, ac eorum procuratoribus legitimis per venerabilem fratrem Nostrum modernum, et pro tempore existentem ipsius ecclesiae Zamorensis episcopum reservationi pensionum usque ad tertiam partem ipsius mensae episcopalis fructuum jam assentiium, et successores suos episcopalem ecclesiam praedictam successive quomodolibet obtinentes annis singulis in termino, seu terminis jam in actu reservationis illarum respective statuto, seu statutis, vel in posterum inter partes statuendis integre et absque ulla etiam minima diminutione persolvendas et per rectores, praesules aut administratores, vel deputatos supradictos, seu legitimos eorum procuratores percipiendas, exigendas, levandas, et in hospitii praefati, ac piae domus hujusmodi usus, et utilitatem convertendas perpetuis futuris temporibus nominamus, et quatenus opus sit, ad praedicti hospitii, et domus expositorum antedictae favorem pensiones supradictas apostolica auctoritate de novo per praesentes in perpetuum reservamus constituimus, et assignamus; decernentes praedictum episcopum, et successores praefatos ad integram dictarum pensionum solutionem juxta reservationis, constitutionis, et assignationis praedictarum tenorem fore efficaciter obligatos.

Tolluntur reservationes quibus obnoxiae prius pensiones reperiebantur.

§. 5. Et insuper pensiones supradictas per praesentes, ut praefertur, de novo reservatas, etiamsi reservatio hujusmodi extra consistorium Nostrum secretum, et absque venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consilio facta extiterit, ex quovis praetextu, et ex quavis causa etiam juridica, vel pia, aut privilegiata ad minorem summam reduci, annullari, vel invalidari, minusque illius reservationem infringi, aut nullam dici, nec non easdem praesentes de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, et quocumque alio defectu notari, impugnari, invalidari, aut in jus, vel controversiam vocari, aut adversus illam quandocumque juris, vel facti, aut gratiae remedium impetrari, vel etiam motu proprio, et ex certa scientia concesso, et impetrato quempiam uti, seu se juvari posse, sed eas semper validas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere perinde ac si pensiones praedictae per praesentes reservatae in consistorio Nostro, et de eorumdem fratrum consilio, ac de consensu etiam illius, vel illorum, qui pensiones supradictas solvere debebunt, reservatae fuissent; sicque, et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales praefatos, etiam de latere legatos, vice-legatos, dictaeque Sedis nuncios judicari, et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

Deputatio executoris apostolici.

§. 6. Quocirca dilectis filiis magistro Nicolao Riganti in utraque signatura Nostra referendario, ac decano, et antiquiori canonico praedictae ecclesiae Zamorensis per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios faciant auctoritate Nostra pensiones per praesentes reservatas praefatas, juxta reservationis, constitutionis, et assignationis praedictarum, ac decreti Nostri hujusmodi continentiam, et tenorem integre persolvi, contradictores per censuras ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus apostolicis, dictaeque ecclesiae Zamorensis etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quomodolibet forsan concessis, confirmatis, et innovatis, ac Nostra, et cancellariae apostolicae regula de praestando consensu in pensionibus, ac Lateranensis concilii novissime celebrati, pensiones annuas super mensarum episcopalium fructibus, redditibus, et proventibus, nisi ex cessionis, aut alia probabili causa reservari prohibentis, quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis eorum tenores specialis, specifica, expressa,

Digitized by Google

et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie latissime et plenissime, ac specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque; aut si praedicto episcopo, et successoribus praefatis, vel quibusvis aliis communiter, aut divisim ab apostolica sit Sede indultum, quod ad praestationem, vel solutionem pensionis alicujus minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Sanctio poenalis.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae nominationis, reservationis, constitutionis, assignationis, decreti, statuti, voluntatis, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae, millesimo octingentesimo tertio, sexto kalendas augusti, pontificatus Nostri anno quarto.

Dat. die 30. julii 1803. Anno IV.

CCXXI.

Impositio subventionis faciendae in omnibus actibus ultimae voluntatis favore archiospitalis Sancti Spiritus de urbe.

EDITTO

Francesco del titolo di s. Lorenzo in Lucina della S. R. C. prete cardinale Carafa, e del sagro, ed apostolico archiospedale di S. Spirito in Sassia di Roma, e suoi annessi visitatore apostolico.

Visitator apostolicus cedulam motu-proprii exequendam recepisse declarat.

§. 1. Intenta sempre la Santità di Nostro Signore felicemente regnante, a particolarmente provvedere alla sussistenza di que' pii stabilimenti, li quali direttamente interessano la conservazione, e la felicità de' suoi amatissimi sudditi; si è degnata, alle tante altre beneficenze già versate sopra il sagro, ed apostolico archiospedale di s. Spirito in Sassia di Roma, aggiungere le benigne ordinazioni contenute nella cedola di motu-proprio segnata il giorno 30. dello scorso luglio, ed esibita negli atti del Salvatori uno de' segretari della R. C. A. sotto il di 11. corrente agosto, a noi clementissimamente diretta per la sua esecuzione; la quale è del seguente tenore.

Pius PP. VII.

Motu proprio

Tenor motus-proprii.

§. 2. Lo stato lagrimevole, in cui le vicende de' tempi involsero uno de' più grandi stabilimenti di pubblica carità nella Nostra dominante, qual' è l' archiospedale denominato s. Spirito in Sassia, eccitò il paterno animo Nostro, a commetterne la visita apostolica al reverendissimo cardinale Francesco Carafa con amplissime facoltà, affinchè rettificando la situazione delle sue rendite, e correggendo ogni disordine della sua interna economia, gettasse le fondamenta della sua futura felicità. Col solito suo zelo ha egli pienamente corrisposto alle Nostre intenzioni, e proseguisce tuttavia a perfezionare l' opera così bene incominciata. Noi pure, persuasi della somma importanza, anzi della decisa necessità, di sostenere un pio istituto, il quale ne' moltiplici suoi rami ha tanti rapporti colla pubblica causa, non abbiamo mancato di porgere una mano adjutrice alla sua sussistenza, con quelle sovvenzioni, che le forze del nostro erario, e la concorrenza di tanti altri doveri del Nostro sovrano ministero ci hanno permesso. Conoscendo però insieme quanto sia necessario di equilibrare con qualche stabile provvidenza lo sbilancio delle sue rendite in comparazione dei suoi moltiplicati bisogni, abbiamo pur voluto, che le risorse di un' opera così santa derivino quasi più da un tributo di cristiana carità de' Nostri amatissimi sudditi, di quello che da una forzosa loro contribuzione. Riflettemmo perciò, che se gli esercizj di caritatevole liberalità debbono accompagnare la vita d' ogni cristiano, molto più sono proporzionati alle ultime sue volontà dettate nell' aspetto terribile della morte, e dell' immi-

nente divino giudizio, e che conseguentemente niuno de' fedeli non avrebbe riputato conducente al suo bene spirituale il soccorrere in tale occasione, ed a seconda delle forze, la causa de' poveri, a de' poveri così privilegiati.

Intendendo perciò Noi, di eccitare ad un opera così meritoria la pietà, e la carità degli abitanti di Roma, e dell'agro Romano particolarmente interessati alla conservazione di questo pio stabilimento, per assicurare insieme nelle sue risultanze un fondo alla perenne economia dello stesso stabilimento; di Nostro motu-proprio, certa scienza, e colla pienezza della Nostra sovrana potestà siamo venuti nella determinazione di promulgare le seguenti disposizioni.

De subventione libere decernenda a testatoribus, pro validitate testamentorum

I. §. 3. Qualunque disposizione di ultima volontà, la quale si scriverà, o si ordinerà dopo la pubblicazione del presente Nostro motu-proprio, o solenne, o inter liberos, o secondo la forma del capitolo *cum esses*, o *ad pias causas*, o finalmente in qualunque causa, anche degna di speciale menzione, sia nella città di Roma, sia nell'agro Romano, o sia ancora da cittadini Romani, li quali accidentalmente altrove si trovassero, non potrà, o dovrà riputarsi valida a qualunque effetto di ragione, anche il più privilegiato, se nella medesima non si riconosca lasciata liberamente dal disponente una qualche sovvenzione all'archiospedale di s. Spirito in Sassia di Roma.

De pondere subventionis juxta vires haereditatis.

II. §. 4. Questa sovvenzione non dovrà essere minore di uno scudo di paoli dieci di moneta Romana, ogni qualvolta l'eredità lasciata superi li scudi cinquanta; in guisa che tutte le disposizioni come sopra, nelle quali, o non si ravvisi sovvenzione alcuna, o siasi lasciata inferiore alla prescritta quantità, debbano riputarsi nulle, irrite, e come non fatte, siccome Noi le irritiamo, e cassiamo. Esortiamo per altro vivamente nel Signore tutti li sopradetti disponenti, e sopra tutto gli ecclesiastici costituiti in qualunque dignità anche cardinalizia, ad esercitare la loro pia liberalità colla maggiore effusione verso una causa così santa, e per un oggetto così salutevole per l'anime loro.

Applicatio taxae pro testamentis jam conditis.

III. §. 5. Le soddisfazioni di ultima volontà scritte, o ordinate prima della pubblicazione del presente Nostro motu-proprio, ma che dopo tale pubblicazione abbiano il loro effetto colla morte del disponente, si reputeranno valide, ed utili, benchè nulla in esse trovasi lasciato all'opera pia di s. Spirito: bensì in tal caso l'eredità di simili disponenti sarà obbligata somministrare all'opera pia suddetta la sovvenzione di un scudo come sopra.

De onere notariorum nunciandi dispositionem testatorum.

IV. §. 6. Li notaj, li quali si rogheranno della consegna, e dell'apertura de' testamenti, dovranno, sotto pena di privazione dell'officio, e di perpetua inabilitazione ad esercitarlo, darne subito notizia a monsignor commendatore pro-tempore di s. Spirito, colla particola legalmente estratta della sovvenzione lasciata come sopra, alla quale vogliamo, che si abbia piena fede in giudizio, all'effetto di subito coartare co' più pronti, ed efficaci rimedi di ragione gli eredi alla prestazione del pio legato.

De parochis aliisque ministrantibus infirmis.

V. §. 7. Inculchiamo tanto alli parrochi, ed altri sacerdoti assistenti agl'infermi, quanto a' notaj, di rammentare a' fedeli disponenti quest'obbligo di carità, e questa Nostra sovrana prescrizione, eccitandoli insieme ad uniformarsi alla medesima con una proporzionata cristiana generosità.

Deputatio executoris apostolici.

VI. §. 8. Commettiamo l'esecuzione di questa Nostra volontà al reverendissimo card. Carafa presente visitatore apostolico del medesimo archiospedale, dandogli a tal'effetto tutte le più ampie, ed illimitate facoltà, di pubblicare editti, e di prescrivere quelli ulteriori stabilimenti, che la sua prudenza riputerà conducenti al più facile, e sicuro adempimento delle Nostre provvidenze.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 9. Volendo, e decretando, che alla presente Nostra cedola di moto proprio, benchè non esibita, nè registrata in camera, e nei suoi libri non possa mai darsi, nè opporsi di surrezione, orrezione, e di alcun altro vizio, o difetto della Nostra volontà, ed intenzione, nè che mai sotto tali, o altri pretesti, quantunque validi, validissimi, e giuridici, anche di jus quaesito, a pregiudizio del terzo, possa essere impugnata, moderata, o revocata, ridotta ad viam juris, o concedersi contro di essa l'aperizione oris, o altro qualunque rimedio, e che così, e non altrimenti debba sempre ed in perpetuo giudicarsi, definirsi, o interpretarsi da qualsisia giudice, o tribunale, benchè collegiale, congregazioni anche di reverendissimi cardinali, legati a latere, vice-legati, camerlengo di santa Chiesa, to-

Digitized by Google

scriere, rota, camera, e qualunque altro, togliendo loro ogni facoltà, e giurisdizione di definire, ed interpetrare in contrario.

Derogatio contrariorum. §. 10. Non ostante la bolla di Pio IV. *de registrandis*, la regola della Nostra cancellaria *de jure quaesito non tollendo*. Non ostante ancora tutti, e qualsisiano chirografi, brevi, ordinazioni, e costituzioni apostoliche Nostre, e de' Nostri predecessori, bandi, ed editti in virtù di essi, ed in qualunque modo emanati, affissi, e pubblicati; leggi, statuti, riforme, stili, e consuetudini, e qualunque altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario, alle quali tutte, e singole avendone il tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto, e registrato, supplendo colla pienezza della Nostra potestà pontificia ad ogni vizio, o difetto, quantunque sostanziale e formale, che vi potesse intervenire e per la piena, e totale esecuzione di quanto si contiene nella presente Nostra cedola di moto proprio ampiamente, deroghiamo. Dato dal Nostro palazzo apostolico Quirinale questo dì 30. luglio 1803.

Pius PP. VII.

Executio. §. 11. Affinchè pertanto le surriferite benefiche disposizioni di Sua Beatitudine siano adempiute, ci affrettiamo di dedurle col presente Nostro editto a notizia di ognuno.

E prevalendoci delle facoltà benignamente accordateci nell' articolo VI. del surriferito motu-proprio, ordiniamo, e comandiamo, che l' erede, o eredi testamentari, o loro legittimi rappresentanti, e così pure gli esecutori testamentarj dell' ultima volontà di qualunque disponente compresa nel divisato motu-proprio, debbano onninamente nel termine d' un mese dalla morte del testatore, recare liberamente alla cassa del banco di s. Spirito di Roma, da noi a tal' effetto destinata, l' intiera sovvenzione lasciata, o dovuta a forma in tutto, e per tutto del surriferito motu-proprio, passato il qual termine si procederà contro di essi coi più validi, ed efficaci rimedj di ragione.

Vogliamo inoltre, che ciascun notajo della città di Roma, perchè abbia sempre presente le obbligazioni a lui addossate da Sua Beatitudine per un oggetto sì sacro, debba ritenere affisso alla vista di ognuno nel proprio officio un' esemplare del presente nostro editto.

Ci riserbiamo di dare anche in appresso quelle ulteriori disposizioni, che a seconda de' casi giudicheremo espedienti per la più pronta esecuzione della mente di Sua Santità. Volendo intanto che il presente editto affisso, e publicato ne' soliti luoghi di questa capitale obblighi tutti, come se a ciascuno fosse stato personalmente intimato. Dal palazzo di nostra residenza alli Cesarini, questo dì 5. agosto 1803.

Francesco card. Carafa visitatore apost.
Annibale can. Gentili archiv. e segret.

CCXXII.

Dat. die 8. aug. 1803. Anno IV.

Extensio privilegii apostolici absolvendi a reservatis, et a censuris in perpetuum pro communitatibus monialium s. Benedicti in Hispania, quae unitae non sunt congregationi Vallisoletanae ejusdem ordinis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Expositum Nobis nuper est nomine communitatum dilectarum in Christo filiarum monialium ordinis sancti Benedicti in Hispania, quae unitae non extant congregationi Vallisoletanae ejusdem ordinis, se vehementer optare, ut in favorem ipsarum per Nos extendatur quoddam privilegium recolendae memoriae Pauli pp. III. praedecessoris Nostri, quo nempe, ut supponunt, superioribus communitatum monialium enunciatae congregationis, seu eorum delegatis facultas absolvendi singulis in anno secundis feriis primae hebdomade quadragesimae personas communitatibus hujusmodi subjectas a cunctis casibus reservatis, cunctisque poenis, sententiis, et censuris ecclesiasticis indulta, et concessa fuit; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, easque omnes ac singulas a quibusvis excom-

Digitized by Google

municationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, superioribus vicariis, confessariis, et cappellanis communitatum monialium exponentium approbatis ab ordinario, ut ipsi juxta indultum, seu privilegium, quod laudatus praedecessor communitatibus monialium memoratae congregationis Vallisoletanae, ut praefertur, concessit, ac dummodo illud adhuc perduret, secunda feria primae hebdomadae quadragesimae in quolibet anno personas subditas communitatibus earumdem exponentium a casibus reservatis, nec non a poenis, sententiis et censuris ecclesiasticis, quibus innodatae extiterint, absolvere, in foro tamen conscientiae tantum, ac servata in omnibus forma et dispositione recensiti privilegii, adimpletisque operibus in eo praescriptis, libere, et licite valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium in perpetuum concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda augusti millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

Dat. die 2. aug. 1803. Anno IV.

CCXXIII.

Facultas abbatissae, et monialibus monasterii s. Clarae civitatis Almeriensis admittendi duas saeculares mulieres intra monasterium semel, aut bis in mense ad habitus expurgandos.

Venerabili fratri episcopo Almeriensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae abbatissa, seu priorissa monasterii monialium ordinis s. Clarae istius Almeriensis civitatis, quod ipsae, ut asserunt, regulari habitu utuntur albo, qui ex crebrioribus lotionibus, nisi hae diligenter fiant, statim conteritur, ideoque ad corrigendam externarum purgatricum oscitantiam, atque impensas pro habituum hujusmodi suorum renovatione imminuendas, per duas probas mulieres saeculares intra ipsius monasterii claustra id operis perfici, dictosque habitus ibidem, aliquibus ex ipsis monialibus inspicientibus, lavari posse plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis, opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos ipsas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, atque mandamus, quatenus constito tibi de narratis, eisdem abbatissae, et monialibus, ut ipsae duas honestas mulieres saeculares tantum per ejusdem monasterii superiorissam pro tempore in perpetuum existentem prius adprobandas una, vel (si necessitas id postulaverit) duabus etiam vicibus pro quolibet mense ad praemissorum effectum dumtaxat intra monasterium admittere, ac mulieribus hujusmodi, ut ipsius monasterii clausuram ingredi, ibique etiam per diem integrum, quando necesse fuerit, degere, victumque (non tamen cum monialibus) sumere, ac dummodo earumdem monialium cellas, ac alia monasterii loca, praeter ea, quae opus fuerit, visitent, neque ibi pernoctent sub poena excommunicationis latae sententiae eo ipso absque alia declaratione incurrenda, libere, et licite possint, et valeant licentiam, auctoritate Nostra apostolica, pro tuo arbitrio, et conscientia concedas, et indulgeas.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac monasterii hujusmodi, dictique ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; pri-

Digitized by Google

vilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda augusti millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

CCXXIV.

Dat. die 2. aug. 1803. Anno IV.

Indulgetur mansionariis collegiatae ecclesiae s. Agathae Feltriae Feretranae dioecesis, ut loco almutiarum quas adhuc deferre consueverunt, mozzetam violaceam supra cottam gestare possint.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum modernorum mansionariorum collegiatae s. Agathae Feltriae Feretranae dioecesis expositum Nobis fuit, quod Nos paulo ante dilectis filiis capitulo, et canonicis dictae collegiatae per alias Nostras in simili forma brevis expeditas literas concessimus, ut ipsi pro almutiis, quibus utebantur, alia nova insignia canonicalia gestare possent, iidem quoque mansionarii dictas almutias tum ad quamdam uniformitatem servandam, tum etiam ad externum choralem splendorem augendum in alia nova insignia commutare posse plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus mansionariis dictae collegiatae s. Agathae Feltriae, ut loco almutiarum nigrarum, quas adhuc deferre consueverunt, mozzetam violaceam laneam hyemali, aestivo vero tempore sericam cum globulis, et asulis ejusdem violacei coloris supra cottam tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, atque mozzeta hujusmodi uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque mansionarios desuper a quoquam impediri, molestari, vel perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae collegiatae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda augusti millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

CCXXV.

Dat. die 11. aug. 1803. Anno IV.

Facultas superiorissae, et monialibus monasterii ss. Conceptionis civitatis Malacitanae introducendi ancillas seculares in perpetuum.

Venerabili fratri episcopo Malacitano.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae abbatissa, seu priorissa Mar-

gharita Romeo, et moniales monasterii sanctissimae Conceptionis istius Malacitanae civitatis, quod ex veteri consuetudine nonnullae mulieres saeculares tam earum communitati, quam privatim singulis monialibus praedictis intra monasterii claustra inservientes ibi retineri solent, quas mulieres semel admissas nunquam eas ex monasterio dimittere, aut mutare consueverunt. Cum autem, sicut in eadem expositione additum erat, incertum adhuc sit, an haec consuetudo admittendi, et retinendi saeculares puellas inservientes alicui indulto apostolico innitatur, cumque etiam justis de causis interdum oporteat aliquam inservientium hujusmodi e monasterio dimittere, earumque numerum pro variis monasterii et monialium necessitatibus imminuere, vel augere; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censentes; supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, quatenus constito tibi de narratis, eisdem exponentibus, ac pro tempore in perpetuum existentibus monialibus dicti monasterii, tot ancillas saeculares in monasterium hujusmodi introducendi, quot pro ipsius monasterii, et monialium particularium servitiis dumtaxat fuerint necessariae auctoritate Nostra apostolica, arbitrio tuo facultatem concedas.

Conditiones adnexae.

§. 3. His tamen legibus, primo scilicet, ut superiorissa, et moniales ejusdem monasterii pro singularum ancillarum hujusmodi admissione suffragium suum secretum capitulariter congregatae ferant: secundo, ut ancillae assumendae sint virgines, honestaeque conditionis, et famae: tertio, ancillae hujusmodi habitu, cultuque utantur modesto absque jocalibus auro, sive serico, locutorii, et clausurae leges observent, ac famulatum respective debitum praestent: tandem, ut si semel aliqua ex dictis ancillis e monasterio egrediatur, aut dimittatur ex admissa tamen culpa, in illud amplius sine hujus s. Sedis licentia redire nequeat; praeterea ipsis abbatissae, et monialibus ancillas hujusmodi, gravi tamen accedente causa, dimittendi, et mutandi, aliasque novas, modo supra expresso, admittendi, earumque numerum pro diversis monasterii, et monialium particularium necessitatibus imminuendi; vel augendi facultatem auctoritate, et arbitrio praedictis concedas, et indulgeas.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti monasterii, ejusque ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die decima prima augusti millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

CCXXVI.

Dat. die 19. aug. 1803. Anno IV.

Instantibus generali, et provincialibus ordinis Cappuccinorum mandatur, ut post quintam votationem nulla sequuta resolutione propter aequalitatem suffragiorum, auxiliarem vocalem assumere possint, in perpetuum.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Pro debito pastoralis officii, quo universae Catholicae Ecclesiae, universisque regularibus ordinibus, divina dispositione praesidemus, illud quoque prospiciendum Nobis esse ducimus; ut ea, qua par est, celeritate ordinum hujusmodi negotia conficiantur.

Expositio precum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Nicolaus a Bustillo fratrum ordinis minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum, minister generalis, quod quamquam per dicti ordinis statuta auctoritate apostolica confirmata pro faciliore, et promptiore negotiorum expeditione impar vocalium numerus, sex scilicet definitorum praeter ministrum generalem in generalibus, quatuor autem definitorum, praeter ministrum provincialem in provincialibus ipsius ordinis comitiis praescriptus reperiatur, interdum tamen fit, ut vel ex superveniente alicujus ex dictis vocalibus obitu, aut infirmitate, vel alia de causa disparitas numeri hujusmodi tollatur, ac in rerum deliberationibus suffragia pro utraque parte aequaliter divisa, et nonnunquam etiam post multas votationes inter se mutuo, aequaliterque pugnantia semper remaneant, quin interim ulla super rebus propositis sequatur deliberatio: cum autem, sicut in eadem expositione additum erat, ex nimia rerum gerendarum hujusmodi procrastinatione multa inconvenientia oriri possint.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos malis hujusmodi, quantum cum Domino possumus, occurrere volentes, ac dicti ministri generalis, aliorumque, quibus praesentes Nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ut, si, et quando in generali, et provinciali dicti ordinis capitulis primo quoque tempore, et in perpetuum juxta ipsius ordinis statuta celebrandis post quintam votationem ob constantem suffragiorum aequalitatem praedictam electio, vel decisio minime fuerit secuta, tam minister generalis in capitulo generali, quam ministri provinciales in provincialibus capitulis unum alium ejusdem ordinis professorem ex senioribus ad sui libitum respective eligendum in vocalem auxiliarem assumere, et adsignare possint, et debeant, et eorum singuli possint, et debeant, atque hic auxiliarius sic adsignatus, suffragium suum super guardianorum provisione, lectorum electione, ac super quibuscumque aliis deliberationibus dumtaxat, quae, ut praefertur, suspensae remanserint, pro sua prudentia ferre libere, et licite pariter possit, et debeat, perinde ac si ipse definitor generalis, vel provincialis tunc esse comperiretur, statuimus, atque praescribimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, atque iis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et s. Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur,

si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die decima nona augusti millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

[Dat. die 23. aug. 1803. Anno IV.]

CCXXVII.

Concessio tituli marchionis favore comitis Antonii Brancadoro ejusque successorum in infinitum Firmanae civitatis.

Dilecto filio Antonio ex comitibus Brancadoro.

Pius PP. VII.

Dilecte fili salutem, et apostolicam benedictionem.

[Prooemium.] §. 1. Ex Romani pontificis, et Sedis apostolicae beneficentia praevenire dignum est, ut qui erga illos non exigua fidei, et devotionis signa demostrant, quique nobilitatis, et aliis probitatis, et virtutum meritis ornati sunt, iidem ab ipso Romano pontifice, et Sede praedicta honoribus, et gratiis decorentur,

[Ratio, et tenor concessionis.] §. 2. Te itaque ob sinceram tuam in Nos, et Sedem eamdem fidem, et devotionem, aliaque tua merita specialibus beneficentiae Nostrae favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tibi, ac tuis descendentibus legitimis, et naturalibus in infinitum, qui in sinceritate catholicae fidei, et Sedis praedictae obedientia perstiterint, ut titulo marchionis ac insigniis praerogativis, privilegiis, et indultis quibus veri marchiones de jure, usu, et consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, ac gaudere possunt, et poterunt in futurum in omnibus et per omnia non solum ad eorum instar, sed pariformiter, et aeque principaliter, et absque ulla prorsus differentia uti, frui, et gaudere libere, ac licite, tam tu, quam dicti tui descendentes possitis, et valeatis, tenore praesentium conferimus, et indulgemus.

[Clausulae…, et decretum irritans.] §. 3. Decernentes praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, tibique, ac descendentibus praedictis plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

[Derogatio contrariorum.] §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia augusti millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

[Dat. die … aug. 180… Anno …]

CCXXVIII.

Concessio indumentorum magis insignium pro dignitatibus, et canonicis ecclesiae collegiatae s. Martini terrae de Caldarola dioecesis Camerinensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

[Prooemium.] §. 1. Quantum venerationis vel ipsa sacra indumenta oculis, animisque christifidelium ingerere valeant optime tenens Apostolica Mater Ecclesia non solum varias pro varietate festorum, et solemnitatum sacerdotibus suis sacra facientibus praescripsit vestes, sed etiam in templis magis conspicuis, ubi major est christiani populi frequentia sacris ministris ibi Altissimo famulantibus saepe particularia, et ad eorum dignitatem exprimendam aptissima insignia deferenda concessit.

[Expositio precum.] §. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecerunt, dilecti filii capitulum, et canonici insignis, ut asseritur, collegiatae ecclesiae sub titulo s. Martini de jurepatronatus, ut pariter asseritur, nobilis familiae Pallotta terrae de Caldarola, Camerinensis dioecesis, in qua praepositus unica dignitas, sex canonici,

totidemque beneficiati existunt, collegiata ipsa antiquitatis laude, sacerdotum probitate, et doctrina populique frequentia et devotione ita floreat, atque non parum honorificentiae ad ipsam accederet, ac divinus cultus, fideliumque devotio majora ibidem susciperet incrementa, si ejusdem collegiatae praepositus, canonici, et beneficiati praedicti novis decorationibus donentur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus praeposito, canonicis, et beneficiatis dictae collegiatae s. Martini, ut loco cucullorum violaceorum, et nigrorum, quos adhuc deferre respective consueverunt, praepositus mantelletam nigram supra rocchetum, canonici vero rocchetum, et mozzetam violaceam, tela serica cremisini coloris, subsutam cum asulis, et globulis ejusdem cremisini coloris, ac demum beneficiati mozzetam similem supra cottam tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque respective uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque praepositum, canonicos, et beneficiatos desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae collegiatae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Caeterum per praesentes non intendimus dictum juspatronatum in aliquo adprobare. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima sexta augusti millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

CCXXIX.

Dat. die 26. aug. 1803. Anno IV.

Suppressio conventus fratrum ordinis sanctissimae Trinitatis extra moenia civitatis Calaritanae existentis, et fundatio hospitii in eodem coenobio facienda.

Dilecto filio Nostro Didaco-Gregorio S. R. E. presbytero cardinali Cadello nuncupato ex dispensatione, et concessione apostolica ecclesiae Calaritanae praesuli.

Pius PP. VII.

Dilecte fili salutem, et apostolicam benedictionem.

Proœmium.

§. 1. Debitum pastoralis officii, quo ex divina dispositione universae Ecclesiae catholicae praesidemus a Nobis exigit, ut Christi pauperum utilitatibus prospiciamus, quemadmodum rerum, locorum, ac temporum circumstantiis diligenter expensis, in Domino salubriter expedire, ac sapientissimi alicujus regis vota recte expostulare censemus.

Expositio precum.

§. 2. Pro parte igitur carissimi in Christo filii Nostri Victorii Emmanuelis Sardiniae regis illustris, expositum Nobis nuper fuit, quod prope, et extra moenia istius civitatis Calaritanae unus fratrum ordinis sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum conventus sub titulo olim sancti nuncupati Luciferi existit, in quo propter fratrum ibidem degentium paucitatem, regularis disciplina excidit, quin ulla spes adfulgeat, fore, ut aliquando ob auctum eorum numerum restituatur, et floreat. Tanta enim esse dicitur conventus hujusmodi redditumm tenuitas, ut ii non modo pluribus individuis alendis non sufficiant, sed ne reparandis quidem, conservandisque propriis aedibus sibi olim a communitate praedicta donatis satis sint: ex quo fit, ut aedes ipsae ejusdem communitatis sumptibus adhuc manuteneantur. Cum autem sicut in eadem expositione additum erat, dictus Victorius rex pro ea, qua flagrat in subditos suos, praesertim pauperes charitate hospitium istic fundare intendat, in quo pueri, puellaeque inopes separatim excipiantur, ibique ad religionem, et laborem a teneris annis informentur, cumque ad tam salutare, et praeclarum opus perficiendum, reliquis ab ipso rege provisis, et dispo-

Digitized by Google

sitis, maxime opportunum, ac prope necessarium videatur, ut dictus perexiguus conventus supprimatur, illiusque aedes, bona, et redditus hospitio hujusmodi applicentur; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos itaque dicti Victorii Emmanuelis regis eximiam, atque viro principe dignam sollicitudinem quam maxime commendantes, piisque ipsius votis, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, circumspectioni tuae per praesentes injungimus, ut, pro data tibi a Domino prudentia, proviso prius concorditer cum eodem Victorio-Emmanuele rege super decenti subsistentia dilectorum filiorum superioris, et fratrum in dicto conventu ad praesens degentium, ipsum Luciferianum conventum fratrum ordinis sanctissimae Trinitatis auctoritate Nostra apostolica supprimas, et extinguas, ac suppressum, et extinctum esse declares, et quatenus fratres hujusmodi ibi degentes ad unicum alium sui ordinis in isto regno existentem conventum, vel ad alium regularem ordinem transire nequeant, aut nolint, cum eorum singulis ab ordine, regula, et habitu regularibus dumtaxat, firmis tamen remanentibus substantialibus votorum per eosdem fratres emissorum, quae semper, quantum respective extra conventum fieri poterit, in suo robore durent, dicta auctoritate dispenses; ac subinde omnia, et singula dicti conventus bona tam mobilia, quam immobilia, et semoventia, ac quaecumque supellectilia sacra, et prophana, nec non jura, et redditus quoscumque una cum ecclesia, ejusque pertinentiis universis, ac missarum, aliorumque oneribus conventui, et ecclesiae hujusmodi adnexis memorato puerorum, et puellarum hospitio, ut praefertur, fundando eadem auctoritate applices, adnectas, et incorpores, praecipiasque, ut missarum, aliorumque onera praedicta in posterum per dictum hospitium supportari debeant.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus quorumcumque testatorum, qui missas, et alia onera hujusmodi fratribus praedictis adimplenda reliquerunt, etiam ultima voluntate, quam, quoad praemissa, sufficienter, et expresse commutamus; nec non apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ac ordinis, et conventus praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die vigesima sexta augusti millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

CCXXX.

Dat. die 26. aug. 1803. Anno IV.

Indulgetur canonicis et mansionariis cathedralis ecclesiae Nicoterensis, ut matutinum, et laudes officii diei sequentis post vesperas, et completorium diei currentis a primo mensis octobris usque ad ultimum martii in choro recitare perpetuo possint.

Venerabili fratri episcopo Nicoterensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi nuper fecerunt Nobis dilecti filii dignitates, canonici, et mansionarii cathedralis ecclesiae Nicoterensis, se ex eo

quod in eorum capitulo extitit tum cura animarum, quae unica totam istam civitatem amplectitur, tum quaedam communia, sic nuncupata, ob quam capitulares omnes emolumentis, et distributionibus chori participant, adeo nimis, et frequenter anniversariis, funeralibus, missisque cantatis, partim fixis, partim adventitiis urgeri, ac premi, ut hyemali praesertim tempore, etsi praestitutum initium chori autevertant, totum mane tamen usque ad meridiem in ecclesiae functionibus indesinenter impendant. Huc porro accedere chori, ecclesiaeque structuram, quae cunctis pondus molestiae, nonnullis vero discrimen valetudinis auget: chorus namque in propatulo est, et cathedralis ecclesia a frigoris vi, ventorumque incursu parum munita. Hinc, ut ipsi aliquo in tanto labore nanciscantur levamen, et ut simul populus, qui poenitentiae, et eucharistiae sacramenta desideret, illorum inter capitulares ministros expeditiores in ecclesia inveniat, matutinum, et laudes officii divini diei sequentis se pridie hora debita in choro recitare posse, incipiendo a primo octobris usque ad ultimum martii summopere cupere, enixisque humiliter precibus a Nobis expostulare.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos specialibus gratiis, et favoribus, prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus praenarratis, eisdem exponentibus licentiam, et facultatem, cujus vigore ipsi, ac successores ipsorum a prima die mensis octobris usque ad postremam mensis martii perpetuis futuris temporibus post vesperas et completorium diei currentis, hora per rubricam statuta, recitationem, cantumque matutini cum laudibus dumtaxat officii divini subsequentis diei more solito in choro incipere, ac absolvere libere, ac licite possint, idque ipsis, ac successoribus suis sit valiturum in omnibus, et per omnia, perinde ac si officii hujusmodi matutinum, et laudes postridie mane, et hora consueta eodem in choro recitassent, atque cantassent, auctoritate Nostra apostolica pro tui arbitrio, et prudentia impertiaris.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non praedictae cathedralis ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima sexta augusti millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

CCXXXI.

Dat. die 26. aug. 1803. Anno IV.

Instante archiepiscopo, et capitulo metropolitanae ecclesiae Valentinae conceditur, ut officium ritu duplici minori cum missa in honorem b. Catharinae Thomas jam approbatum, et concessum clero civitatis, et dioecesis Majoricensis in civitate, et dioecesi Valentina recitari possint.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum, et ratio concessionis.

§. 1. Cum sicut venerabilis frater archiepiscopus Valentinus, nec non capitulum, et canonici ejus ecclesiae metropolitanae Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga beatam Catharinam Thomas praeseferunt devotionis affectu, ejusdem cultum, et venerationem in dies augeri summopere desiderent: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, audito etiam dilecto filio magistro Marco Antonio Cattaneo sacro-

rum Rituum congregationis protonotario, ut in posterum ab universo clero saeculari, nec non a religiosis, et monialibus civitatis, et dioecesis Valentinae utentibus kalendario dioecesano quotannis in die vigesima octava mensis julii recitari officium proprium ritu duplici minori cum missa in honorem ejusdem beatae Catharinae Thomas, jam adprobatum et concessum clero civitatis, et dioecesis Majoricensis, libere, et licite possit, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus, constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, dictae civitatis, et dioecesis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesima augusti millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

Dat. die 6. sept. 1803. Anno IV.

CCXXXII.

Concessio novorum indumentorum magis insignium pro dignitatibus, et canonicis ecclesiae collegiatae sancti Nicolai Barensis terrae Montis Prandoni Ripanae dioecesis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Quantum splendoris, ac venerationis vel ipsa sacra indumenta oculis, animisque Christifidelium ingerere valeant optime tenens Apostolica Mater Ecclesia non solum varias pro varietate festorum, et solemnitatum sacerdotibus suis in sacris faciendis praescripsit vestes, sed etiam in templis magis conspicuis, ubi major est christiani populi frequentia, sacris ministris ibidem Altissimo famulantibus saepe particularia, et ad eorum dignitatem exprimendam aptissima insignia deferenda concessit.

Expositio precum. §. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii moderni praepositus, et canonici insignis ut asseritur, collegiatae ecclesiae s. Nicolai Barensis terrae Montis Brandoni Ripanae dioecesis, ipsa collegiata ecclesia antiquitatis laude, sacerdotum probitate, et doctrina, populi frequentia et devotione non mediocriter floreat, multum honorificentiae ad ipsam accederet; ac divinus cultus, fideliumque devotio majora susciperet incrementa, si ejusdem collegiatae praepositus, et canonici novis insigniis, novisque decorationibus donentur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos dictos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hac humiliter porrectis inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus praeposito, et canonicis dictae collegiatae, ut loco cottae, et cucullorum, quos deferre consueverunt, praepositus rocchetum et mozzetam violaceam cum asulis, et globulis cremisini coloris, ac tela serica ejusdem cremesini coloris subsutum; nec non vestem oblongam etiam violaceam laneam hyemali, sericam aestivo tempore cum fascia, et floccis sericis ex ea pendentibus pariter violaceis, canonici vero rocchetum pariter, et mozzetam similem, similemque fasciam violaceam supra vestem oblongam nigram tam in ecclesia propria, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque respective uti libere, et licite possint, et valeant auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque

Digitized by Google

praepositum, et canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane decernimus, et declaramus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dictae collegiatae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die sexta septembris millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

CCXXXIII.

Dat. die 9. sept. 1803. Anno IV.

Facultas episcopo Aveirensi dispensandi cum populis suae dioecesis super condimento adipis porcinae diebus per Ecclesiam vetitis in perpetuum.

Venerabili fratri episcopo Aveirensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Pastoralis fraternitatis tuae in concreditum tibi populum cura Nostram, qua universum Domini gregem complectimur, sollicitudinem pulsat, ut tibi ultro occurramus in iis, quae magis videri possunt ad bona animarum salubriter expedire.

Expositio precum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecisti, quod in magna tuae istius dioecesis parte jam usus invaluit escas suilla adipe condiendi diebus per Ecclesiam vetitis: in altera vero, quae forsan major pars est, usus idem huc illuc serpere incepit, sed ita crescit in dies, ut non immerito timeatur brevi fore universae dioecesi communis. Quum enim dioeceses finitimae sive ex pervetusta consuetudine, sive ex apostolico indulto tali passim in cibis adipe utantur, facile fit, ut populis inter se invicem communicantibus alii blandiantur sibi sub aliorum exemplo, alii vero etsi cum formidine, agunt tamen quod agere non auderent, nisi idipsum audacter ab aliis fieri conspicerent. Huc accedit penuria olei qua istis in partibus communiter laboratur, quin diutinae temporum calamitates viam illud comparandi aliunde facilem praebeant. Adipis e contra pene supereffluit copia, quum nec inter pauperes nemo inveniatur, qui non suillos enutriat, et in domus suae annonam cibariam recondat, quapropter de dubietate conscientiarum, et periculo animarum sollicitus, ut omnis petra scandali tuo de populo penitus amoveatur, Nobis humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis providere opportune, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur te, ac populos tuae dioecesis specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac eos, eorumque singulos a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus tuo nomine, Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut attentis superenarratis, cum populis tuae istius dioecesis tam incolis quam advenis, ad hoc ut ipsi intra ejusdem dioecesis limites tantum diebus per Ecclesiam prohibitis, nempe quadragesimae, et quatuor temporum, aliarumque vigiliarum de praecepto, nec non sextarum feriarum ac sabathorum in anno, cunctisque annis, adipe, et pinguedine porcina, seu ut vulgo isthic ajunt *unto* vel *pingo de porco*, adservata eo tamen lege jejunii, a qua nullo modo intendimus dispensare, suas condire dapes, easque sic conditas comedere libere, licite, tutaque conscientia possint, et valeant auctoritate Nostra apostolica pro tui arbitrio et conscientia gratis dispenses.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus, provincialibus, et synodalibus conciliis editis, generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die nona septembris millesimo, octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

CCXXXIV.

Dat. die 9. sept. 1803. Anno IV.

Facultas priori, et canonicis collegiatae Vimanarensis Bracharensis dioecesis gestandi rocchetum, zonam et tibialia violacea, ac

Digitized by Google

fasciolam viridem cum lemniscis in pileo, ac superaddendi pelles armellinas albas cappis magnis, quibus statis temporibus utuntur.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Quantum splendoris, et venerationis vel ipsa indumenta, et ornamenta oculis, animisque Christifidelium ingerere valeant optime tenens Apostolica Mater Ecclesia, non solum varias pro varietate festorum, et functionum sacerdotibus suis sacra facientibus praescripsit vestes, sed etiam in templis magis conspicuis ubi major est christiani populi frequentia principalibus ministris ibidem Altissimo famulantibus saepe particularia, et ad eorum dignitatem exprimendam aptissima insignia deferenda concessit.

Expositio precum. §. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii Ludovicus de Saldanha Aboliva prior, et dignitates, atque canonici insignis (ut asseritur), ac regalis ecclesiae collegiatae sub titulo Nostrae dominae nuncupatae villae Vimaranensis Bracharensis dioecesis, collegiata ipsa patrimonii amplitudine, templi venustate, et magnificentia, sacrarum functionum splendore, capitularium numero, et probitate, populique frequentia, et devotione ita floreat, ut una ex illustrioribus illarum regionum ecclesiis habeatur, illiusque pro tempore existens prior regii consiliarii gradu decoratus existat; multum honorificentiae, et splendoris ad eam accederet, ac divinus cultus, fideliumque devotio majora ibi incrementa susciperet, si ejusdem collegiatae prior, dignitates, et canonici novis praerogativis, novisque decorationibus donentur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, priori, ac dignitatibus, et canonicis dictae collegiatae Nostrae dominae, tam integram, quam dimidiatam praebendam, semicanonicatum, aut alias quomodolibet nuncupat., ibi obtinentibus, eorumque respectivis coadjutoribus, ut ipsi, eorumque successores perpetuis futuris temporibus cappae magnae, quam adhuc statis temporibus sine pellibus armellinis deferre consueverunt, ipsas armellinas pelles albas superaddere, nec non zonam violaceam cum lemniscis coloris similis, et tibialia itidem violacea, ac fasciolam cum lemniscis coloris viridis pilei fornici obvolutam, ac praeterea mozzetam, et sub ea, loco cottae, rocchetum cum suis manicis arctis deferre, ac gestare, illisque tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque respective uti; tibialibus vero, zona, et fasciola praedictis etiam extra functiones, et actus publicos hujusmodi in dicta dioecesi uti, libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque priorem, dignitates, et canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus, constitutionibus, et ordinationibus, apostolicis, ac dictae collegiatae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die nona septembris millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

Digitized by Google

Dat. die 13. sept. 1803. Anno IV.

CCCXXXV.

Facultas Petro Mariae Badiali praeposito et parocho nullius dioecesis provinciae Mediolanensis utendi rocchetto, et bugia in perpetuum pro se, et successoribus.

Dilecto filio Petro Mariae Badiali praeposito, et parocho nullius dioecesis provinciae Mediolanensis.

Pius PP. VII.

Dilecte fili salutem, et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§. 1. Sincerae fidei, ac devotionis affectus, quem erga Nos et hanc sanctam Sedem gerere comprobaris, nec non celebritas istius parochialis ecclesiae basilicae nuncupatae sancti Petri Plebis territorii Guastallensis nullius dioecesis provinciae Mediolanensis, cujus tu praepositus, et parochus existis, Nos adducunt, ut ea tibi favorabiliter concedamus, quae honorificentiae tuae, successorumque tuorum praepositorum hujusmodi fore conspicimus opportuna.

Expositio precum.

§. 2. Exponi quidem Nobis nuper fecisti, quod major ad tuam dignitatem praeposituralem splendor etiam externus accedat facultatem deferendi rocchetum, atque utendi palmari, vulgo bugia, tibi per Nos concedi plurimum desideras.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos itaque te specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurristi hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, tibi praepositisque parochis successoribus tuis in perpetuum, ut rocchetum tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus et actibus tam privatis quam publicis quibuscumque gestare, nec non palmari in missis privatis, et solemnibus celebrandis ac in aliis quibusvis presbyteralibus functionibus uti libere, et licite possis et valeas, dictique successores pariter possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, teque, et successores praedictos desuper a quoquam impediri, molestari, vel perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus felicis recordationis Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, dictae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis, in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima tertia septembris millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

Dat. die 16. sept. 1803. Anno IV.

CCCXXXVI.

Conventio inter Sanctitatem suam Pium VII. et rempublicam Italicam.

Nominatio plenipotentiariorum.

§. 1. Sanctitas Sua summus pontifex Pius VII., atque praeses reipublice Italicae, primus Gallicanae reipublicae consul in suos respective plenipotentiarios nominarunt:

Sanctitas Sua eminentissimum d. Joannem Baptistam Caprara S. R. E. tituli s. Honuphrii presbyterum cardinalem, archiepiscopum Mediolanensem, et Sanctitatis Suae, et sanctae Sedis in Galliis de latere legatum munitum facultatibus in bona, et debita forma.

Praeses reipublicae Italicae, primum Gallicanae reipublicae consul civem Ferdinandum Marescalchi, consultorem status, et ex-

terarum relationum administrum apud ipsum residentem plenis facultatibus munitum.

Qui, post sibi mutuo tradita respectivae plenipotentiae instrumenta, de iis, quae sequuntur convenerunt.

Conventio inter summum pontificem Pium VII. et rempublicam Italicam, prooemium.

Tenor conventionis.

§. 2. Sanctitas Sua summus pontifex Pius VII., et praeses reipublicae Italicae primus Gallicanae reipublicae consul, pari studio cupientes ut in eadem republica certus, stabilisque ordo, in iis, quae ad res ecclesiasticas pertinent constituatur; volentesque, ut religio catholica apostolica Romana in suis dogmatibus integra servetur, in sequentes articulos convenerunt.

De religione catholica servanda.

Art. I. §. 3. Religio catholica apostolica Romana esse pergit religio reipublicae.

De nova dioecesum distributione.

Art. II. §. 4. Sanctitas Sua debitis formis subjiciet juri metropolitico ecclesiarum archiepiscopalium Mediolanensis, Bononiensis, Ravennatensis, Ferrariensis infrascriptas ecclesias episcopales, nimirum Brixiensem, Bergomensem, Papiensem, Novocomensem, Cremensem, Novariensem, Vigevanensem, Cremonensem, Laudensem archiepiscopatui Mediolanensi, cujus suffraganeae erunt.

Ecclesiae vero Mutinensis, Rhegiensis, Imolensis, Carpensis suffraganae erunt archiepiscopatus Bononiensis.

Caesenatensis, Forlivensis, Faventina, Ariminensis, Cerviensis suffraganeae erunt archiepiscopatus Ravennatensis.

Mantuana, Comaclensis, Adriensis, Veronensis a parte Italica suffraganeae erunt archiepiscopatus Ferrariensis.

De suppressione nullarum sedium, earumque unione novis erigendis sedibus.

Art. III. §. 5. Sanctitas Sua ad instantiam praesidis reipublicae Italicae indulget suppressioni duarum episcopalium ecclesiarum, nimirum Sarsinae, et Brictinori, et duarum abbatiarum nullius, nimirum Asulae, et Nonantulae, ea tamen conditione, ut et respectivae dioeceses, collatis cum praeside ejusdem reipublicae consiliis, aliis proximis dioecesibus uniantur, et episcopi, atque abbates, nisi forte translati, aut transferendi sint ad alias sedes, juste compensentur pro cessione jurisdictionis, et congruae, quibus antea fruebantur, et debitis formis ab iisdem resignationes respectivarum ecclesiarum obtineantur. Bona, redditusque supradictarum ecclesiarum, et abbatiarum, quae in republica Italica continentur, ab eadem Sanctitate Sua, collatis cum gubernio consiliis, aliis ecclesiasticis fundationibus distribuentur.

De nominatione episcoporum praesuli reipublicae reservata.

Art. IV. §. 6. Attenta utilitate, quae ex hac conventione manat in ea, quae ad res ecclesiae, et religionis pertinent, Sanctitas Sua concedit, ut praeses reipublicae Italicae nominare possit ad omnes archiepiscopatus, et episcopatus ejusdem reipublicae; et ecclesiasticis viris ab eodem praeside nominatis, iis dotibus praeditis, quas sacri canones requirunt, eadem Sanctitas Sua canonicam institutionem dabit juxta formas consuetas.

De juramento ab episcopis praestando.

Art. V. §. 7. Archiepiscopi, et episcopi emittent juramentum fidelitatis in manibus praesidis reipublicae juxta infrascriptam formulam » Ego juro, et promitto ad sancta » Dei evangelia obedientiam, et fidelitatem » gubernio Italicae reipublicae. Item promitto » me nullam communicationem habiturum, » nulli consilio interfuturum, nullamque suspectam unionem neque intra, neque extra » conservaturum, quae tranquillitati publicae » noceat; et si tam in dioecesi mea, quam » alibi noverim aliquid in status damnum tra» ctari, gubernio manifestabo ».

De juramento a parochis praestando.

Art. VI. §. 8. Parochi idem juramentum emittent coram potestatibus civilibus a reipublicae praeside constitutis.

De communione episcoporum cum sancta Sede.

Art. VII. §. 9. Cuilibet episcopo liberum semper erit, super rebus omnibus spiritualibus, atque negotiis ecclesiasticis, absque ullo impedimento, cum sancta Sede communicare.

De clericis ab episcopis promovendis.

Art. VIII. §. 10. Liberum pariter erit episcopis clericos constituere, atque ad ordines promovere titulo beneficii, cappellaniae, legati pii, patrimonii, aut cujusvis alterius legitimae assignationis, eos omnes, quos necessarios, atque utiles esse respectivis ecclesiis, ac dioecesibus existimaverint.

De dotatione mensarum capitulariorum.

Art. IX. §. 11. Servabuntur capitula ecclesiarum metropolitanarum, et cathedralium itemque collegiatarum, saltem insigniorum, eaque convenienti bonorum dotatione fruentur. Convenienti item bonorum dotatione, fruentur mensae archiepiscopales, et episcopales, seminaria, fabricae ecclesiarum metropolitanarum, cathedralium, et collegiatarum, saltem insigniorum, et paroeciae.

Hae dotationes quam citius fieri poterit a Sanctitate Sua collatis cum gubernio consiliis constituentur.

De administratione seminariorum.

Art. X. §. 12. Doctrinae, ac disciplinae institutio, educatio, et administratio seminariorum episcopalium subjiciuntur auctoritati episcoporum respectivorum juxta formas canonicas.

De administratione aliorum locorum piorum.

Art. XI. §. 13. Conservatoria, hospitalia, fundationes charitatis, et alia hujusmodi pia loca, quae antea a solis ecclesiasticis personis regebantur, regentur deinceps in singulis dioecesibus a congregatione pari numero ecclesiasticorum, et saecularium constituta. Reipublicae praeses eliget saeculares personas; ecclesiasticas vero eas, quas episcopus eidem praesentabit.

Congregationibus praesidebit semper episcopus, cui etiam liberum erit visitare ea loca, quae legitime a laicis administrabuntur.

De jure conferendi paraecias episcopis reservato.

Art. XII. §. 14. Sanctitas Sua concedit episcopis jus conferendi paraecias, quae quovis anni tempore erunt vacaturae; iique, praevio concursu, paraecias liberae collationis conferent iis, quos ipsi digniores judicabunt. In paraeciis vero juris patronatus ecclesiastici instituent eos, quos, praevio pariter concursu, tamquam digniores inter approbatos ab examinatoribus, patronus ecclesiasticus praesentabit: in paraeciis vero laici patronatus, praesentatos instituent, dummodo, praemisso examine, idonei fuerint inventi. In omnibus autem praedictis casibus episcopi personas non seligent, nisi gubernio acceptas.

De poenis ab episcopis infligendis, adversus ecclesiasticos viros.

Art. XIII. §. 15. Episcopus, praeter caeteras canonicas poenas, poterit in ecclesiasticos culpabiles animadvertere eos etiam claudendo in seminariis, et in domibus regularium.

De jure parochorum in sacramento matrimonii.

Art. XIV. §. 16. Nemo ex parochis adigi poterit ad administrandum sacramentum matrimonii cuipiam, qui obstrictus sit aliquo ex canonicis impedimentis.

De suppressione fundationum ecclesiasticarum.

Art. XV. §. 17. Nulla suppressio fundationum ecclesiasticarum quarumcumque absque apostolicae Sedis auctoritatis interventu fiet.

De confirmatione alienationum bonorum ecclesiasticorum.

Art. XVI. §. 18. Attentis extraordinariis praeteritorum temporum vicibus, et effectibus qui eas sunt consequuti, et potissimum attenta utilitate, quae ex hac conventione manat in ea, quae ad res religionis pertinent, atque ut etiam publicae tranquillitati consulatur, declarat Sanctitas Sua, eos, qui bona Ecclesiae alienata acquisiverunt, molestiam nullam habituros neque a se, neque a Romanis pontificibus successoribus suis; ac consequenter proprietas eorumdem bonorum, redditus, et jura iis inhaerentia immutabilia penes ipsos erunt, atque ab ipsis causam habentes.

De prohibitione verborum factorumque probrosorum.

Art. XVII. §. 19. Districte prohibetur quidquid sive verbo, sive factis, sive scriptis tendit ad bonos mores corrumpendos, et ad contemptum catholicae religionis, ejusque ministrorum.

De exemptione clericorum.

Art. XVIII. §. 20. Clerus a quolibet servitio militari exemptus erit.

De juribus praesidis reipublicae.

Art. XIX. §. 21. Sanctitas Sua agnoscit in praeside reipublicae Italicae eadem jura, ac privilegia, quae in majestate imperatoris uti duce Mediolani agnoscebat.

De casibus omissis.

Art. XX. §. 22. Quoad caetera vero res ecclesiasticas spectantia, quorum nulla expressa mentio in his articulis facta est, manebunt omnia, et administrabuntur juxta vigentem Ecclesiae disciplinam. Si quae vero supervenerit difficultas, Sanctitas Sua et praeses reipublicae secum conferre sibi reservant.

De subrogatione conventionis veteribus legibus.

Art. XXI. §. 23. Praesens conventio substituitur omnibus legibus, ordinationibus, et decretis a republica Italica circa res religionis huc usque latis.

Confirmatio conventionis.

Art. XXII. §. 24. Utraque contrahentium pars spondet, se, successoresque suos omnia, de quibus in his articulis utrinque conventum est, sancte esse servaturas.

Ratificationum traditio fiet Parisiis intra duorum mensium spatium.

Datum Parisiis die decima sexta septembris anno millesimo octingentesimo tertio.

Loco ✠ signi

J. B. card. Caprara legat.

Loco ✠ signi

Ferdinandus Marescalchi.

CCXXXVII.

Dat. die 18. sept 1803. Anno IV.

Beatificatio venerabilis servi Dei Josephi Mariae Thomasii Alicatae in Sicilia.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Laudes venerabilis servi Dei.

§. 1. Æternus Dei filius in evangelio suo Nos monet, ut simus perfecti, sicut Pater No-

Digitized by Google

ster coelestis perfectus est, ad cujus imaginem, et similitudinem creati sumus. Quoniam vero sapientissime noverat, bujusmodi perfectionem nunquam mortales homines adsecuturos, nisi carnem crucifixerint cum vitiis, et concupiscentiis suis, viventes secundum spiritum, illud etiam in evangelio addit, ut semetipsum unusquisque abneget, crucem suam tollat, et sequatur eum. Admirabilibus hisce divini praeceptoris documentis, facilem se praebuit a teneris usque annis Dei servus Joseph Maria Thomasius Alicatae in Sicilia ex parentibus generis nobilitate, et virtutum, splendore praestantibus ortus. Ab ineunte enim pueritia cum semper a ludricis rebus abhorruit, tum nullis virtutibus caruit, quae illam ornant aetatem. Decennis de religiosae vitae instituto capessendo cogitare coepit: quam piam voluntatem jamdiu excoluit, donec ubi per aetatem licuit, avito principatu cum florentissima primogenitura abdicato, ad sacra clericorum regularium Theatinorum, claustra convolavit. Mirum quanta animi alacritate per arduum perfectionis apostolicae, quae illius ordinis est, iter suscepit, cucurrit, complevit! Ita ut vir coolestis, vir sanctioris veteris disciplinae exemplar fuerit appellatus, vir, cui mundus crucifixus erat, et ipse mundo. Ratus interea haud exiguam religiosae suae perfectionis partem esse sacrarum literarum studia, in iis multus fuit, atque orientales linguas edidicit eò successu, ut pro multiplici sua doctrina, multiplicia valuerit edere volumina; haec rectum theologicarum virtutum exercitium docentia, illa theologicas veterum patrum institutiones revocantia, alia divinum psalterium explanantia; praeterea, quae ad sacros ritus, resque sacras quamplurimas ab ultima origine declarandas conscripsit, ut qui sine fictione didicerat sapientiam omnibus communicaret. Eximiis hisce facultatibus cum eximia morum sanctitate conjunctis apud quodque hominum genus commendatus, sibi vero uni despectus ab aequissimo meritorum aestimatore fel. rec. Clemente pp. XI. praedecessore Nostro, invitus, et detrectans, nec nisi pontificio praecepto coactus, ad amplissimam S. R. E. cardinalium dignitatem evectus est. Porro in hoc sublimi dignitatis gradu constitutus, quasi lucerna supra candelabrum posita, tanto virtutum suarum lumine universae Ecclesiae splendere coepit, ut s. cardinalis Borromaeus (quem sibi in primis tunc imitandum proposuerat) revixisse videretur. Frugalitas, summa in egenos liberalitas, summus labor, cura, diligentia, studium summum in iis obeundis muneribus, quae ad novum praeclarissimum ordinem pertinebant. In sui tituli ecclesia non mòdo matutinis, et vespertinis horis in choro festis quibusque diebus cum suis familiaribus clericis aderat, sed etiam rudibus cathechizandis pueris dabat operam. At bonum certamen certans cursum consummavit, atque ex hac mortali vita ad immortalem vocatus, mortem obiit pretiosam in conspectu Domini.

Judicium de virtutibus ejus latum a sacra congregatione Rituum.

§. 2. Ut autem tot, tantarumque servi Dei virtutum exempla, quae in diebus peregrinationis suae maximam id aetatis hominibus utilitatem attulere, posteris quoque prodesse possint, Nos, qui ex divina dispositione universo Dominico gregi, meritis licet, viribusque impares, praepositi sumus, apostolicae servitutis Nostrae esse ducimus, tanti viri honorem, et venerationem ad omnipotentis Dei gloriam, ac spiritualem fidelium urbis, et orbis aedificationem, quantum Nobis ex alto conceditur, promovere. Cum itaque mature, diligenterque discussis, et perpensis per congregationem venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium sac. ritibus praepositorum processibus de hujus s. Sedis apostolicae licentia confectis super vitae sanctitate, et virtutibus tam theologicis, quam moralibus in gradu heroico, quibus servum Dei Josephum Mariam Thomasium ord. clericorum regularium Theatinorum nuncupatorum multipliciter claruisse, et super miraculis, quae ad ejus intercessionem ad manifestandam hominibus ejus sanctitatem a Deo edita, et patrata fuisse, dicebantur; eadem congregatio coram Nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, uno spiritu, unaque voce censuerit, posse, quandocumque Nobis videretur, praedictum Dei servum, donec ad actum solemnis illius canonizationis deveniatur, publice beatum declarari cum solitis indultis.

Beatificatio, et concessio missae, et officii.

§. 3. Hinc est, quod Nos piis, atque enixis totius memorati ordin. clericorum regularium, et nominatim Joannis Baptistae Bonaglia ejusdem ordinis generalis, et hujus causae postulatoris supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem cardinalium consilio auctoritate apostolica, tenore

by Google

praesentium facultatem concedimus, atque impertimur, ut idem Dei servus Josephus Maria Thomasius beati nomine nuncupari, ejusque corpus, et reliquias venerationi fidelium, non tamen in processionibus circumferendas, exponi, imagines quoque radiis, et splendoribus exornari, officium, et missam de eo in singulis annis die XXIV. martii tanquam de communi confessorum non pontificum cum orationibus propriis, juxta ritum missalis, et breviarii Romani, recitari libere, et licite possit, et valeat. Porro recitationem officii, et missae celebrationem hujusmodi fieri concedimus dumtaxat in universo clericorum regularium ordine utriusque sexus, in ecclesia sui tituli s. Martini ad Montes, in qua venerabile ejus corpus requiescit, nec non in dioecesi Agrigentina; in qua ortum habuit, itemque in civitate, et dioecesi Panormitana, ex cujus civitatis illustrioribus familiis jam ex eo tempore erat Thomasiana familia, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus tam saecularibus, quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur; et quantum ad missas attinet etiam ab omnibus sacerdotibus ad ecclesias, in quibus festum peragetur, confluentibus. Praeterea hoc anno dumtaxat, videlicet post praesentes literas emanatas incboando, in ecclesiis ordinis, locorumque praescriptorum solemnia beatificationis ejusdem servi Dei cum officio, et missa sub ritu duplici majori die ab ordinariis respective constituenda, postquam tamen in basilica principis apostolorum de urbe celebrata fuerint eadem solemnia, pro qua re diem XXIX. hujus mensis assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem.

Derogatio contrariorum, et fides habenda transumptis.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non cultu editis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut ipsarum literarum praesentium transumptis, seu exemplis etiam impressis manu secretarii praedictae congregationis cardinalium subscriptis, et sigillo praefecti ejusdem congregationis munitis eadem prorsus fides ab omnibus, et ubique, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decimasexta septembris millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

IN FESTO

B. JOSEPHI MARIAE CARD. THOMASII.

Oratio

Preces recitandae in festo ejusdem beati.

§. 5. Deus, qui b. Josephum Mariam confessorem tuum gloriosis meritis, et doctrinis decorare dignatus es, concede propitius, ut et coelestis doctrinae pabulo nutriamur, et ejus virtutum proficiamus exemplo. Per Dom. etc.

Secreta

Cum timore ac fiducia tibi, Domine, haec munera offerimus, ut a te sanctificata et misericordiam nobis concilient, et pacem. Per Dominum etc.

Postcommunio

Hujus nos, Domine, perceptio sacramenti mundet a crimine, et b. Josephi Mariae confessoris tui intercedentibus meritis ad coelestia regna perducat. Per Dominum etc.

DECRETUM ROMANA.

Decretum sacrae congregationis Rituum super approbatione orationum.

§. 6. Suprascriptas orationes proprias in memoriam b. Josephi Mariae cardinalis Thomasii ab eminent. et reverend. d. cardinali de Somalia ss. d. n. Pii VII. pont. max. in urbe vicario, sacrorumque rituum congregationi praefecto; et a r. p. d. Hieronymo Napulionio fidei promotore revisas, idem ss. Dominus noster, referente praefato promotore fidei, ac humillime supplicante reverend. P. D. Joanne Baptista Bonaglia praeposito generali ordinis clericorum regularium Theatinorum causae ipsius beati postulatore, in missa celebranda in die solemnis beatificationis ejusdem beati Josephi Mariae, et in posterum etiam in officio, quod cum missa recitabitur ab iis, quibus illud recitandi potestas facta erit per literas apostolicas in forma brevis de praefata beatificatione expediendas, legi posse benigne indulsit, atque concessit: contrariis quibuscumque disponentibus minime obstantibus. Die 3. septembris 1803.

J. Maria card. de Somalia S. R. C. praef.

Loco ✠ Sigilli.

M. A. Cattaneo S. R. C. protonot.

Digitized by Google

Dat. die 20. sept. 1803. Anno IV.

CCXXXVIII.

Suppressio conventus Vetrallensis, Viterbiensis dioecesis cum incorporatione ejusdem collegio Missionum dicti ordinis pro procuratore generali fratrum minorum Conventualium.

Dilecto filio vicario capitulari ecclesiae Viterbiensis illius episcopali sede vacante legitime deputato.

Pius PP. VII.

Dilecte fili Noster salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus procurator generalis fratrum ordinis minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum, quod ob redditunm tenuitatem conventus dicti ordinis Vetrallae Viterbiensis dioecesis ita imminutus est ibi fratrum numerus, ut regularis observantia ibidem custodiri minime possit, ac etiam propter notissimas temporum circumstantias collegium sancti Antonii missionum ipsius ordinis tantam reddituum jacturam in diversis regionibus passum est, ut necessario missionariorum numero sustentando impar omnino sit, ideoque dicti conventus Vetrallae bona, redditus, et onera, illi adnexa ad idem s. Antonii collegium per Nos transferri, illique perpetuo incorporari plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur eumdem exponentem, et collegium specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi Nobis humiliter porrectis inclinati: discretioni tuae, attento, quod sedes episcopalis Viterbiensis adhuc vacat per praesentes committimus, et mandamus, ut memoratum conventum Vetrallae ordinis fratrum minorum s. Francisci Conventualium auctoritate Nostra apostolica supprimas, et extinguas, ac suppressum, et extinctum esse declares; subinde vero dicti conventus sic suppressi ecclesiam, et omnia bona tam mobilia, quam immobilia, et semoventia, nec non quoscumque illius annuos redditus, et missarum, aliorumque onera eidem collegio s. Antonii Missionum dicti ordinis eadem auctoritate in perpetuum unias, et adnectas, et ad illud transferas, applices, appropries, et incorpores, ac praecipias, et mandes, ut missarum, aliorumque onera transferibilia, quibus dictus Vetrallensis conventus gravatus reperitur, a dicti collegii fratribus, vel ab aliis, prout dictus modernus, et pro tempore existens ipsius ordinis procurator generalis melius in Domino expedire censuerit, adimpleantur, et adimpleri debeant.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus quorumcumque testatorum, qui missam, aliorumque onera in ecclesia dicti conventus adimplenda reliquerint etiam ultima voluntate, quam quoad praemissa sufficienter, et expresse commutamus, nec non apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ac ordinis, et conventus praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima septembris millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

Dat. die 20. sept. 1803. Anno IV.

CCXXXIX.

Concessio novorum magis insignium indumentorum pro dignitatibus, et canonicis ecele-

Digitized by Google

siae collegiatae terrae di Grotte dioecesis Montis Falisci.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Quantum splendoris, et venerationis vel ipsa sacra indumenta oculis, animisque Christifidelium ingerere valeant optime tenens Apostolica Mater Ecclesia non solum varias pro varietate festorum, et solemnitatum sacerdotibus suis in sacris faciendis praescripsit vestes, sed etiam in templis magis conspicuis ubi major est christiani populi frequentia, sacris ministris ibidem Altissimo famulantibus saepe particularia, et ad eorum dignitatem exprimendam aptissima insignia deferenda concessit.

Expositio precum. §. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii archipresbyter, et canonici collegiatae ecclesiae sub titulo s. Joannis Baptistae terrae di Grotte Montisfalisci dioecesis, collegiata ipsa antiquitatis laude, sacerdotum probitate, et doctrina, populique frequentia, ac devotione, ita floreat, ut una ex illustrioribus illius dioecesis habeatur, multum honorificentiae, et splendoris ad ipsam accederet, ac divinus cultus, fideliumque devotio majora ibi susciperet incrementa, si ejusdem collegiatae archipresbyter, et canonici novis insignibus, novisque decorationibus donentur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur dictos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, ac eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, modernis, ac pro tempore existentibus archipresbytero, et canonicis dictae collegiatae s. Joannis Baptistae, ut loco almutiarum, quas adhuc deferre consueverunt, cottam supra rocchetum, itemque rocchetum, et mozzetam violaceam etiam sericam cum globulis, et asulis cremisini coloris, tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque, archipresbyterum, et canonicos desuper a quoquam molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, decernimus, et declaramus.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac ipsius collegiatae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima septembris millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

CCXL.

Dat. die 20. sept. 1803. Anno IV.

Confirmatio suppressionis duorum conventuum cum aliis providentiis tam pro scholis publicis, quam pro paraeciis pro publicis repraesentantibus civitatis Spoletanae.

Dilecto filio nostro Francisco S. R. E. presbytero cardinali Locatelli nuncupato ex dispositione, et concessione apostolica ecclesiae Spoletanae praesuli.

Dilecte fili Noster salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Tot inter apostolatus Nostri vigiles curas, quae Nos in Dominicum gregem custodiendum, pascendumque sollicitant, haud minima esse illa potest publicarum scholarum, ubi ad disciplinas tum religioni, tum reipublicae fructuosas, ita adolescentium et erudiuntur mentes, et informantur mores, ut nihil pro bono publico non expectandum, si scholae consistunt, nihil si desunt non pertimescendum, perpetua locorum, ac aetatum memoria omnes edoceat.

Expositio precum. §. 2. Hinc diu, attenteque iis incubuimus animo, quae exposita Nobis fuere a dilectis filiis Spoletanae istius civitatis Nostrae publicis repraesentantibus, se nempe, ut luctuosa

by Google

rerum dudum praeteritarum perturbatione juventuti misere periclitanti opem afferrent aliquam scholis, quae jam pessumierant, quin ad eas denuo habendas spes, viresque isthic adessent, impetrasse pro earum erectione a tunc temporis delegato apostolico, ut duo supprimerentur fratrum eremitarum ordinis sancti Augustini coenobia, quae in perturbatione praedicta omni pene religiosorum familia destituta remanserant, prout reapse decreto tui, cui rem delegatus commiserat, fuere suppressa, alterum scilicet s. Felicis in loco, quem nuncupant — Castel di Giano — alterum sanctae Marinae in loco quem dicunt — Castel Ritaldi — ac utrumque Spoletanae dioecesis. Verum adversus has suppressiones recurrentibus deinde fratribus memoratis, eosque fratres una reposcentibus populis Castri Jani, Nos recursus, ac postulationes hujusmodi ad venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium, qui negotiis, et consultationibus episcoporum, ac regularium praesunt, remisisse congregationem pro examine, et voto, auditis partibus; cui tamen congregationi causam dicturos suam, nunquam se sistitisse fratres praedictos, licet de coenobiorum, quae suppressa, ac ablata eis erant, redditibus ipsi accepissent scutata biscentum subministrata pro causae expensis, quibus se impares esse affirmabant, ideoque Nos tandem audito dilecto filio magistro ejusdem congregationis secretario, qui Nobis quidquid e partibus tam voce, quam scripto allatum collegerat, fideliter retulit, controversiam ad Nosmet advocasse, ejusque ita temperasse terminationem, ut unicuique partium, vel ipsis consentientibus invicem, atque laetantibus, foret consultum, et scholarum inchoata jam restitutio ad commune civitatis, et dioecesis emolumentum progrederetur; verum exponentes, quo haec omnia firmius maneant, immo et majores civitati utilitates accrescant, Nobis humiliter supplicari fecisse, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis, ac primo de suppressione coenobii s. Felicis.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eosque, ac singulos eorum a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, attentis, ac ea, qua par est, consideratione pensatis dictorum repraesentantium supplicationibus tam dicto delegato pro enarrata suppressione, quam tibi pro executione illius porrectis, nec non attentis, pensatisque simul, et delegati rescripto, et decreto super praemissis, circumspectioni tuae per praesentes injungimus.

I. Ut auctoritate Nostra apostolica, deque Nostrae potestatis plenitudine recensitam coenobii s. Felicis in Jano suppressionem confirmes, ac ratam, validamque declares, et omnes, et singulos sive juris, sive facti defectus, si qui in ea quomodolibet intercederint, sanes, et suppleas, eamque de novo, quatenus opus sit, decernas, et statuas, ac redditus ejusdem, sic, ut praefertur, suppressi coenobii usui, ac exercitio publicarum scholarum Spoletanae Nostrae civitatis, modo tamen et forma, ac conditionibus inferius subjungendis, adjudices, et applices, ac dictos fratres omni, et quacumque actione, vel jure, quod quovis sub titulo super coenobium hujusmodi, ejusque bona, ac redditus ipsi imposterum se habere, ac exercere posse praesumpserint, penitus prives, perpetuoque privatos esse pronuncies.

De suppressione coenobii sancti Nicolai.

II. §. 4. Ut ecclesia quoque, ac coenobium s. Nicolai, quae ista in civitate dicti possident fratres, ac ubi animarum cura extat adnexa, quam in nupera clade bellorum tantam passa sint tam ecclesia, quam coenobium e militari licentia vastationem, ut sicuti accepimus, sacrarium, seu, ut ajunt, sacristia, nunc loco ecclesiae licet nec commode, nec decenter inserviat, et ipsum coenobium sat parvam, parumque religiosae observantiae aptam alat familiam, nec umquam fratres praestituri sint sumptus, qui nimirum vires suas ad magnam uti opus foret, excedunt reparationem, eadem auctoritate, et potestate Nostra supprimas, ac ex quo fratres coenobium inhabitare reliquerint, omnem in eo clausurae legem aboleas, seu abolitam protinus, ac prorsus fore praestituas.

De suppressione coenobii sanctae Marinae.

III. §. 5. Ut auctoritate, et potestate praedicta aliam coenobii s. Marinae in Ritaldo suppressionem, jam pariter uti praemissum est, demandatam, et factam approbes, atque confirmes, illudque etiam de novo supprimas, si ita sit opus, suppressumque decernas, et a quocumque regularis clausurae vinculo solvas.

De assignatione bonorum Barnabitarum facienda favore fratrum s. Augustini.

IV. §. 6. Ut postquam clerici regulares congregationis s. Pauli, qui Barnabitae vulgo appellantur, relicto collegio, quod isthic possident penes templum B. Mariae V. Lauretanae dicatum (relinquent enim, quia Nostro etiam intuitu superiores congregationis suum ad id praestitere consensum) in s. Ansani vacantem aedem, quae ad monachos, seu canonicos Lateranenses, Rocchetinos nuncupatos, olim spectabat, se se transtulerint, eisdem fratribus s. Augustini in praedictarum suppressionum compensationem, dicta auctoritate assignes, et assignari, tradique mandes enunciatum collegium, ubi ipsi praeter templi magnificentiam habeant quoque amplitudinem domus, tum pro instituendo novitiatu, quam prius excolebant in Jano, tum pro collocanda familia decem religiosorum, cum qua regularem ibi observantiam revocare, debitoque, ut decet, vigore servare poterunt.

De cessione templi s. Felicis in Jano facienda patribus Passionistis.

V. §. 7. Ut templum s. Felicis in Jano cum vacante ad praesens coenobio, seu aede, ac aedibus, et servitutibus eidem adnexis, eoque plane, quo nunc existit in statu, simili auctoritate concedas clericis de congregatione ss. Crucis, et Passionis D. N. J. C. quos vulgus vocat Passionistas, sicque provideatur per eos, ne coenobium religiosis, ecclesia officiis, et locorum incolae careant spiritualibus auxiliis, quae satis justa vota possunt accipere ab hujusmodi clericis, quorum instituti ut praecipue incumbere animarum saluti.

De provisione ecclesiae parochialis s. Ansani.

VI. §. 8. Ut pari auctoritate provideas curae animarum, quae addicta manet ecclesiae s. Ansani, quaeque antea administrari solebat ab uno ex memoratis canonicis, postea vero per visitatorem apostolicum, ac ordinarium Spoletanum provisus ea fuit, praevio concursu, secularis presbyter cognomento Rattignani, aliquem ex clericis Barnabitis canonicam, ut dictum est, s. Ansani proxime occupaturis in curae ejusdem, ac eodem plane modo, quo immittebatur Lateranensis canonicus, immittendo exercitium, ab eoque propterea penitus amovendo praesentem parochum Rattignani, expresso tamen sub onere novo parocho regulari, ut pro synodali congrua solvat quotannis Rattignani praedicto pensionem quinquaginta scutorum, donec ipse ex ecclesiasticis redditibus certis assequatur provisionis annuae summam, quae una cum dictis quinquaginta usque ad scutata centum exsuperet.

De juribus activis et passivis competentibus patribus Barnabitis in ecclesia sancti Ansani.

VII. §. 9. Ut dictis clericis Barnabitis in s. Ansani canonicam abeuntibus auctoritate praedicta facultatem indulgeas retinendi, ac libere exercendi primaeva sua jura activa et passiva super eos fundos, quibus actu potiuntur, nonnullis tamen exceptis terrarum praediis, quae contigua sunt ecclesiae Romanae virginis Lauretanae, et subtus iter publicum jacent, nonnullisque etiam domunculis collegio per ipsos relinquendo adnexis, ac alia pariter excepta domo intra civitatem manente, quippe quae cuncta sunt fundi dotales ejusdem ecclesiae, aliaque etiam, si quae sint fabricae illius ecclesiae forte addicta, ita tamen ut pro his utpote incertis compensari debeat annuus redditus ab ipsa scholarum congregatione, nec non licentiam secum asportandi tabulas sanctorum suae congregationis, quos praeter pia exercitia, aut sui instituti propria aut s. Ansani ecclesiae consueta, possint, vel ibi honore publico colere: tum transferendi mobilia, tam privati, quam communis sui usus, non tamen ea, quae parietibus sunt infixa stabiliter, uti nec suppellectiles sacras, cujuslibet speciei, ususque eae sint, sed illas solummodo, ac juxta tuum arbitrium, quae recens ab ipsis proprio comparatae sunt aere, cum ecclesia s. Ansani debeat inveniri suppellectilibus sufficienter instructa.

Ampliatio dotationis paraeciae s. Ansani.

VIII. §. 10. Quoniam vero apud s. Ansanum a Barnabitis praedictis habendi, detinendique erunt in posterum regularis parochus, praepositus communitatis, tresque alii ad minus confessarii suae congregationis, tum pro servitio ecclesiae, tum pro exercitio instituti, quin praesentes eorum redditus valeant hunc religiosorum numerum alere; hinc praeter, et ultra nonaginta annua scutata, quae de patrimonio praedictorum Rocchetinorum in congruam parochi s. Ansani, licet enarrata pensione impraesentiarum gravatam, assignata fuere, tum praeter etiam alia scuta triginta, quae eodem ex patrimonio ad annua explenda onera ecclesiae s. Ansani perpetuo addicta, singulis debent annis persolvi, eadem auctoritate disponas summam annuam scutorum centum, et septuaginta futuro s. Ansani Barnabitarum collegio e redditibus suppressi conventus s. Felicis in Jano esse subministrandam, sub conditione tamen quod praestitutus quinque regularium sacerdotum numerus inesse jugiter debeat, ita ut tali quandocumque defi-

Digitized by Google

ciente numero, talis quoque eo ipso cesset subministratio, primo tamen excepto anno, quo propter primas impensas tres solos sacerdotes degere ibidem posse permittas: praeterea ob sat compertam Barnabitarum idoneitatem ad disciplinas etiam sublimiores recte, utiliterque edocendas dicta auctoritate praescribas, ut cathedram logicae, et metaphysicae in publicis scholis isthic instituendam impleat semper, exerceatque unus ex tribus praedictae congregationis alumnus cum annuo honorario scutatorum sexaginta, quem illius praepositus generalis deputationi studiorum per Nos destinandum praesentaverit, quique simul computetur in numero illorum quinque religiosorum, quibus constare debet familia in s. Ansani collegio.

De aliis concessionibus faciendis fratribus sancti Augustini.

IX. §. 11. Ut praememoratis s. Augustini fratribus, qui de s. Nicolai conventu in vetus Barnabitarum erunt discessuri collegium, dicta auctoritate tribuas facultatem penes se retinendi, vel in nova ipsorum habitatione, fundos, qui actu possidentur ab ipsis, et ad s. Nicolai conventum pertinent. At cum fundi hujusmodi nequeant esse satis numerosioris familiae substentationi, firma idcirco remanente conventus s. Marinae in Ritaldo suppressione praedicta, jubeas tradi eisdem fratribus, ac ad eos transferri omnia, et singula bona, una cum ecclesia; ipsoque conventu, quae ante suppressionem ad eosdem spectabant, sub lege tamen quod suis ipsi sumptibus non modo ibidem saecularem praesbyterum cum cappellani titulo, stipendio, et onere missae cunctis diebus festis celebrandae constituere, sed etiam universa onera, atque legata pia super bonis utrorumque conventuum tam s. Marinae Ritaldi, quam s. Nicolai Spoleti, quomodolibet fundata, et imposita, debeant omnino adimplere juxta juris, et justitiae principia, quibus merito exigitur, ut qui rerum gaudent possessione, earum quoque onera portent.

De translatione corporis sanctae Justinae.

X. §. 12. Ut eadem auctoritate iisdem fratribus facultatem impertias secum ferendi sacrum corpus s. Justinae in eorum ecclesia s. Nicolai hactenus asservatum, sicut et sanctorum sui ordini superstites tabulas; non tamen de eadem ecclesia, seu sacristia loco ecclesiae provisoriae culta, suppellectiles sacras, nec de conventu fores, fenestras, aliaque similia innexa parietibus, ac his adhaerentia, sed eas tantum res mobiles, quae tum communiter, tum privatim sibi possint usui esse.

Absolutiones faciendae favore eorumdem fratrum.

XI. §. 13. Quum autem hujusmodi fratribus etiam cum incremento bonorum s. Nicolai et s. Marinae, multum adhuc defuerit ad illa omnia, quae in novo coenobio opus erunt pro nova familia (ea namque praeter novitios non minorem volumus esse sex sacerdotibus, comprehenso inter hos novitiorum magistro, qui ad confessarii saltem munus sint habiles, eoque fungantur) ideo, auctoritate praedicta eosdem dispenses, omnique absolvas obligatione relinquendi fundum, ut etiam praeexistentem pro congrua subsistentia parochi s. Nicolai, eisque insuper applices redditus bonorum, domorumque ecclesiae B. Virginis Lauretanae, ad onera ecclesiae eidem injuncta, uti nunc explentur, in posterum etiam explenda, ejusque functiones, piaque exercitia, uti fiunt, fierique solebant, itidem facienda quamvis ad haec omnia forsan dicti redditus haud plane sufficiant; demum fratribus ipsis, seu ipsorum novo conventui B. Virginis Lauretanae annua assignes scutata tercentum de redditibus suppressi coenobii s. Felicis in Jano sumenda, atque praestanda, eadem tamen sub conditione, quae injuncta Barnabitis, nimirum, ut desinat statim isthaec scutatorum praestatio ac apud eos desierit religiosae familiae praefixus numerus.

De suppressione curae animarum sancti Nicolai.

XII. §. 14. Ut pari auctoritate supprimas in perpetuum, perpetuoque suppressam debere esse decernas curam animarum s. Nicolai utpote quae et dote caret pro congrua parochi, et parochiali ipsa ecclesia orbatur devastata a militibus, eamque deinde in partes distribuas per te parochiis conterminis, tuoque arbitrio assignandas.

De pensione Passionistis concedenda titulo conservationis fabricae, et satisfactionis onerum.

XIII. §. 15. Ut Passionistis s. Felicis in Jano, super fructibus suppressi hujus coenobii simili auctoritate constituas tribuendam quotannis summam scutatorum tercentum titulo conservationis fabricae, et satisfactionis onerum, ac expensarum ecclesiae, sed conditione simul, quod expetentibus ipsis aliquam pro claustrali septo partem telluris, seu exemptionem servitutis, aut alia hujusmodi, quae sunt pretio aestimabilia, tunc in harum rerum concessione imminuenda sit quoque eis pro rata dicta annua summa, ne forte redditus dicti coenobii modo suppressi, quos libri fratrum s. Augustini habita de anno in annum ratione,

sentata annua mille, et sexcentum non excessisse demonstrant, scholarum publicarum dotationi deficiant.

De applicatione aedium, et ecclesiae sancti Nicolai.

XIV. §. 16. Demum aedes conventus, ecclesiaeque s. Nicolai, ut praefertur, suppressas applices auctoritate praedicta, perpetuoque applicatas esse, ac fore decernas fabricae, usui, exercitio, beneficio, utilitati, ac emolumento (quaecumque ista sint, ac quomodolibet retrahi possint) publicarum scholarum Spoletinae civitatis, earumque subinde regimini, et curae ad illud omne, quod lectores, scholares, bona, et redditus attinet praeponas deputationem, seu congregationem trium virorum ecclesiasticorum, triumque laicorum nobilium, sub tui tamen, tuorumque pro tempore successorum praesidentia, qui semel saltem in mense pro rebus tum politicis, tum oeconomicis, tum spiritualibus scholarum agendis apud te, seu successores conveniant; ita tamen ut distributis pro bono servando ordine officiis, primus ex deputatis ecclesiasticis, quem pro hac prima vice dilectum filium Philippum Sanzi istius cathedralis ecclesiae canonicum nominabis, super scholaribus quoad mores, studiorumque frequentiam, et super lectoribus quoad doctrinam, docendique sedulitatem invigilet, alter vero, quem ad id dilectum filium priorem Stephanum Spada pro hac vice pariter eliges, incumbat praecipue, ut scholares sacramenta, congregationes, officiorum recitationes, aliaque piae devotionis opera cunctis Dominicis, et festis de praecepto diebus nunquam praetermittenda frequentent, et spiritualibus potissimum exercitiis juxta notas regulas quolibet anno in oratorio per ministrum idoneum peragendis omnes simul intersint: tertius porro, quem nunc similiter dilectum filium presbyterum Josephum de comitibus Marsciani institues, morem, incessum, et vivendi extra scholas rationem tum scholarium, tum lectorum inquirat, vel ut aberrantes privatim moneat, vel ut si opus fuerit congregationem deputatam de iis certiorem faciat.

De distributione munerum inter componentes congregationem studiorum.

§. 17. De laicis autem nobilibus, quos ut supra in deputatos assumes dilectos filios baronem Carolum Ancajani, comitem Bernardinum de Campello, et Valerium Zacchei, primus praesit ministris, et colonis agrariis, curamque gerat de oeconomia externa, seu de statu, conservatione, et melioratione bonorum rusticorum, tam quae locata sunt, quam quae per colonos, ministrosque coluntur: secundus praesit oeconomiae internae, seu sumptibus erogandis, vel in scholarum res necessarias, vel in emolumenta, salariaque praefixa, vel in praemia elargienda, aliaque similia: tertius tandem praesit fabricae conventus s. Nicolai, eumdem conventum reducendo ad usum scholarum, aliorumque usuum arbitrio congregationis deputatae, nec non hortis sitis in parte interna dicti conventus, et operam navet exactioni redditUum, quos illico tamen custodiendos deponet in monte isto Pietatis, unde retrahi postmodum possint summae juxta mandata; atque ad id valeat pro auxilio uti computista a se congrua cum mercede eligendo, ut dati, acceptique codices habeat, et in fine cujuslibet anni rationes debitas reddat, sed antequam deputationem hujusmodi ineat, fidejussorem idoneum, ac solidalem, exhibere teneatur, ac debeat. Si quis autem ex iisdem deputatis infirmitatis, aut absentiae causa forte non brevi temporis spatio sit impeditus, jus habeat suas vices alteri delegandi approbando tamen ab ordinario, qui ita subrogatus jus etiam habeat ferendi suffragium suis in casibus, ut suffragiorum numerus semper impar existat, ad quam quidem suffragiorum imparitatem in omni congregatione tuendam declares ordinarium ipsum, quum per se congregationibus praeesse nequiverit, vicarium suum generalem subrogare debere. Verum ne quis deputatus inconsulta eadem congregatione suo audeat arbitrio quidpiam novi, quidpiamque sumptus jubere, et aggredi, stricte inhibeas, tantumque permittas, ut perurgente aliquando re, quae ad congregationis ordinariae tempus differri nequeat, necessitate possit deputatus rogare ordinarium pro tempore, quatenus congregationem extraordinariam haberi indulgeat coram se, vel in ejus impedimento coram vicario generali, vel si et hoc ipso impedito, celebrari per deputatos in scholarum conclavi ad id designato, ubi tamen tunc non agatur nisi de sola re, cujus instat necessitas.

De secretario congregationis.

§. 18. Item, quo ad deputatam hujusmodi congregationem attinet, statuas in ejus secretarium cum voto mere consultivo, praefectum studiorum, qui etiam erit archivista, et archivii in aliquo scholarum loco intus erigendi custodiam sumere, ibique congregationis decreta, omnesque scripturas quomodolibet ad

scholas, earumque rès, et bona spectantes recondere debebit, diligenterque servare: statuasque insuper, ut decreta congregationis fiant per singula tui, ac deputatorum secreta suffragia, et excipiantur in urnam.

De numero scholarum, et stipendio professorum.

XV. §. 19. Ut dicta auctoritate praefinias tum numerum scholarum, tum stipendia professorum, scilicet pro grammatica scutata annua octoginta, pro humanitate, ac elementis poeticae latinae scuta annua octoginta, pro eloquentia latina et itala scutata annua centum et viginti, pro logica, et metaphysica scutata annua sexaginta, pro physica et elementis mathematicae scutata annua centum, et viginti; pro institutionibus juris civilis scutata annua sexaginta; pro institutionibus juris canonici scutata annua sexaginta; pro theologia dogmatica scutata annua sexaginta; pro theologia morali, et sacra scriptura scutata annua sexaginta, pro praefecto studiorum, et secretario congregationis, ac archivista scutata annua centum; pro cappellano quotidiano cum libera missae eleemosyna scutata annua quadraginta. Ceterum de schola minori, atque ad grammaticam, janua grammaticae comprehensa, jubeas provideri sumptibus communitatis, sicuti retroactis providebatur temporibus, quae schola idcirco nominari solebat de communi, mandesque simul, ne quisquis ad scholam grammaticae publicam possit admitti, nisi praevio examine super instructione debita elementorum, seu januae grammaticae.

XVI. Denique hic è vestigio pro directione scholarum inserendas regulas, quibus titulus est vulgari verbo *Regolamento*, dicta auctoritate publices, seu publicari facias, easque ab omnibus, et singulis ad easdem scholas quomodocumque attinentibus inviolabiliter observari praecipias: regulae autem, seu regulamenta sunt prout sequitur.

Regolamento da osservarsi per la direzione delle pubbliche scuole di Spoleto.

Tenor regularum pro usu scholarum instituendarum.

§. 20. Essendo necessario il buon ordine in tutte le pubbliche amministrazioni, e specialmente in quelle, che riguardano la pubblica educazione, adesivamente perciò a quanto si è determinato nell' annesso breve, ed in esecuzione di esso il card. vescovo subito dopo la pubblicazione del medesimo dovrà adunare avanti di se, o del suo vicario generale la prima congregazione di tutti i deputati, e previe le consuete preci si leggerà il presente regolamento.

CAP. I.

De' deputati, loro ufficio, e facoltà.

De deputatis.

§. 21. Li deputati così ecclesiastici, che laici nella prima congregazione da destinarsi dal card. vescovo, o in sua assenza dal vicario generale avanti di prender possesso della loro deputazione dovranno prestar giuramento in mani del detto card. vescovo, o suo vicario generale di bene, e fedelmente amministrare l' impiego, che assumono, e così nelle elezioni, che in qualunque altro atto di operare secondo la giustizia, e per il solo pubblico bene, proposto qualunque altro fine, o privato impegno.

De munere deputatorum

§. 22. Avrà la congregazione deputata insieme unita piena, e libera facoltà di confermare, o di mettere alle occasioni giuste, ed opportune qualunque lettore, allontanare qualunque scolare, mutare i ministri subalterni, e prendere in genere quegli espedienti, che crederà necessarj, ed opportuni al buon ordine, ed al pubblico bene in tutto ciò, che riguarda le pubbliche scuole, e la pubblica educazione.

De facultatibus deputatorum.

§. 23. Averà facoltà di fare alle occasioni qualche permuta di alcun fondo, se si crederà di utile evidente a questa pia istituzione e respettivamente avrà facoltà di affiggere notificazioni, ed inviti all' affitto de' beni anche per un novennio, se si crederà espediente, e deliberarlo a favore di quello, che giudicherà più idoneo, e sicuro riportandone le opportune fidejussioni.

Idem ut supra.

§. 24. Avrà facoltà in fine di stabilire i rispettivi sistemi nella direzione, e metodo delle scuole, e riformare ogni abuso, uniformandosi per quanto sia possibile alle pratiche già osservate nelle scuole dalli padri della compagnia di Gesù.

De loco ubi expleri debent pietatis officia.

§. 25. Non essendovi comodo opportuno nella fabbrica ora destinata alle pubbliche scuole, e finchè questa non abbia disposti tutti li necessarj comodi, dovrà la congregazione, riportato il consenso da chi presiede al collegio, e chiesa del Gesù di Spoleto esercitare nell' oratorio di detto collegio giusta l' an-

Digitized by Google

tico uso de' padri della compagnia di Gesù tutte le pratiche di pietà, che solevano ivi esercitarsi nelle domeniche, ed altri giorni festivi, ed in altri tempi dell' anno, aggiungendone se faccia d' uopo delle altre pratiche, e destinando persona ecclesiastica, la quale diriga tali opere pie, dia gli esercizi, meditazioni e riforme, e quanto credasi opportuno con l' approvazione e sopraintendenza del deputato ecclesiastico.

De surrogatione deputatorum.

§. 26. Ne' casi di vacanza di qualche deputato, sia ecclesiastico, sia laico, o sia per morte, o sia per spontanea dimissione, o casi simili si devolva alla stessa congregazione il diritto di surrogare altri nella deputazione vacante, ed a tale oggetto possa il vescovo pro tempore, e respettivamente ciascun deputato proporre quel soggetto, che crederà opportuno, e corra il bussolo a voti segreti, e giusta la pluralità de' voti, seguirà l' elezione: in caso di parità de' voti ricorrerà il bussolo per que' soli, fra quali ebbe luogo la parità de' voti, e ritornando la stessa parità si devolva l' elezione di uno di essi al vescovo pro tempore.

De resolutionibus viva voce non capiendis.

§. 27. Si dichiara però che nessuna elezione, e nessuna risoluzione di qualche importanza si possa prendere a viva voce sebbene siano tutti concordi, ma debba indispensabilmente adempirsi tutto per voti segreti, e se ne registri sempre la proposizione, e la risoluzione.

De electione secretarii.

§. 28. Nella medesima congregazione per voti segreti si proponga da ciascun deputato, e si elegga per voti segreti il segretario della congregazione medesima, il quale sarà anche prefetto delle scuole, o sia de' studi, siccome nella stessa guisa si elegga il cappellano, il bidello, ed il ministro di campagna.

De resolutione casuum dubiorum.

§. 29. Accadendo però de' casi non preveduti di qualche rilevanza, e non compresi nella disposizione del breve, e nel presente regolamento, o su quali nasca un ragionevole dubbio, ne riserviamo a noi la decisione, e respettiva spiegazione.

Cap. II.

De' lettori, modo di eleggerli, e confermarli.

De lectoribus, eorumque electione.

§. 30. Nella stessa prima congregazione, o in altra da tenersi sollecitamente dovrà venirsi all' elezione di tutti i respettivi maestri e lettori.

De excludendis ab electione.

§. 31. Da tale elezione non siano esclusi gli attuali lettori nelle rispettive cattedre, ma ciascuno di essi debba esser proposto, e respettivamente passato a voti segreti. Al fine d'ogni biennio dovrà rinnovarsi il bussolo per la conferma di tutti li lettori, eccettuato il solo lettore di teologia morale. In caso di esclusione, e vacanza si dia luogo al concorso pubblicandosi le notificazioni ad oggetto di esibire in tempo determinato i requisiti in mano del segretario della congregazione. Questa debba darne un compendio a ciascun deputato per venirne in seguito all' elezione. Non siano esclusi dal concorso, e dall' elezione i regolari, purchè esibiscano oltre i requisiti la commendatizia del superiore maggiore del loro istituto. Sarà esente da tal concorso la cattedra di logica, e metafisica.

De professione fidei coram episcopo facienda.

§. 32. In principio dell' anno scolastico, e prima che si riaprano le scuole debbano in ciascun anno tutti insieme adunarsi nel giorno destinato a fare avanti al vescovo pro tempore, o suo vicario generale la professione della fede, che si leggerà in ginocchioni ad alta voce, ed a nome di tutti dal lettore di teologia dommatica, ed in fine ciascheduno di essi dovrà presentarsi a toccare, e baciare in conferma il s. vangelo.

De exercitio muneris lectorum.

§. 33. Ciascun lettore e maestro, dovrà nell' ora ad esso destinata trovarsi pronto a salire in cattedra. Sarà dispensato però ciascun lettore per sola ragione di malattia, nel qual caso il lettore infermo manderà i suoi scritti, e questi dovranno dettarsi, e spiegarsi dal prefetto de' studi, ed in caso di necessaria di lui mancanza dal cappellano delle scuole.

De publicis experimentis.

§. 34. Al fine di ciascheduno anno scolastico giusta le rispettive scuole, procurerà ciascun lettore eccitare i più idonei fra i suoi scolari a far qualche pubblico esercizio, o di esporsi al pubblico esame delle materie dettate fra l' anno, e di sostenere pubbliche tesi, ed essendovi più concorrenti a tali pubblici esperimenti si darà un conveniente premio a quello, che fra gli altri sarà a giudizio della congregazione riputato il più meritevole in ciascheduna respettiva classe.

Cap. III.

Del prefetto de' studi, e sue incombenze.

De praefecto studiorum.

§. 35. Il prefetto de' studj dovrà invigilare

by Google

ejusque munere.

al buon ordine esteriore delle scuole, quasi in ajuto del deputato ecclesiastico. Quindi presiederà alla scolaresca, perchè si osservi da essa nelle scuole specialmente prima di entrare, e nello uscire da esse una perfetta modestia, e silenzio. Invigilerà, che non vi sia fra scolari alcun motteggio, o derisione, che si vada alla messa, e si stia in chiesa con tutta la compostezza, e divozione, e vi sia anche nel vestiario, e nella pettinatura tutta la decenza, e per tale oggetto avrà anche facoltà di mortificare i scolari rei di mancanze con qualche discreta correzione. Non permetterà, che nella fabbrica delle scuole in alcun tempo, e sotto qualunque pretesto entrino donne, nè queste ne' giorni di scuola si trattengano con qualche ragionevole sospetto nel circondario di esse scuole. Parimenti invigilerà, che nessuno de' scolari all'uscire dalla scuola, o dalla messa si trattenga nella pubblica strada, ma dovendo aspettare si trattenga dentro il cortile con tutta modestia. Impedirà, che non si unisca più d'uno nel tempo stesso ai luoghi comuni, e sapendo, che qualche scolare introduca discorsi, o proferisca parole, o faccia atti, o gesti, che offendono la modestia, vi provveda anche all'istante con proporzionata mortificazione.

De congregationibus jussu episcopi indicendis.

§. 36. Dovrà come segretario della congregazione deputata ricevere gli ordini del vescovo per intimare le congregazioni, ed il preciso giorno, ed ora alli respettivi deputati, al quale oggetto pregherà il medesimo vescovo mandar l'intimo tre giorni prima ad oggetto d'intimare, occorrendo, qualcuno attualmente assente, o che accidentalmente si trovasse senza la previa intimazione di tre giorni ragionevolmente impedito. Dovrà egli stesso trovarsi presente alle congregazioni all'ultimo luogo, e sedia inferiore, e dovrà dire il suo semplice sentimento in ciò, che potesse essere di sua cognizione, e tutto scrivere in foglio a parte nella medesima congregazione, presenti i deputati, con leggere in appresso pubblicamente ciò, che ha scritto, per poter quindi prontamente ricopiare, e tutto registrare in libro a parte intitolato, *libro delle proposizioni, e risoluzioni dell'illustrissima congregazione deputata*.

De intimatione concursuum ad cathedras.

§. 37. Dovrà all'occasioni giusta gli ordini, che riceverà dalla suddetta congregazione deputata intimare i concorsi alle cattedre, e nel termine stabilito ricevere i respettivi requisiti: dovrà di questi formare un compendio, e distribuirlo a tutti i deputati per farne uso nell'occasioni dell'elezioni.

De subscriptione litterarum patentalium.

§. 38. Dovrà in nome della congregazione deputata stendere, e sottoscrivere in qualità di prefetto de' studj, e segretario, le patenti di ciascun lettore, ed in nome della stessa congregazione, e per espressa commissione della medesima, alle occasioni scriver biglietti, intimazioni, e simili. Non potrà esigere per le nuove patenti de' lettori se non la tenue somma di mezzo scudo per il sigillo.

De negligentiis lectorum enunciandis.

§. 39. Dovrà parimenti riferire al deputato ecclesiastico ogni mancanza, o tardanza de' lettori nell'ingresso alle scuole, ed in occasione di malattia di qualche lettore ricevere i scritti del medesimo, e in di lui vece dettarli e spiegarli. Essendo però egli impedito dovrà con licenza del deputato, e per di lui commissione incaricarne il cappellano della congregazione.

De archivii custodia.

§. 40. Finalmente dovrà ritenere la chiave di un archivio, e senz'ordine della congregazione non dovrà mai consegnarla ad alcuno. In esso archivio conserverà il libro o libri delle proposizioni, risoluzioni, intimazioni, copie di patenti, e finalmente tutti gli atti delle respettive congregazioni, tutti i requisiti dei concorrenti alle respettive cattedre, e quanto di più avrà in commissione dalla congregazione deputata.

Idem ut supra.

§. 41. Per le materie ancora dell'economia dovrà conservare in archivio i monumenti a quella appartenenti, specialmente i rendimenti de' conti annuali, e lo stato attivo e passivo economico ben giustificato, che dovranno esibire i respettivi deputati laici esattamente formati dal computista, indicando in esso ciò, che si esige, e l'erogazione dell'esatto, quali stati dovranno essere approvati, e sottoscritti dal vescovo pro tempore, e da tutti i deputati.

Cap. IV.

Del cappellano, e sue incombenze.

De cappellano, ejusque munere.

§. 42. Oltre il prefetto de' studj vi dovrà essere un cappellano, il quale sia tenuto in tutti i giorni celebrar la messa a comodo della scolaresca senza obbligo alcuno d'applicazione. Quindi ne' giorni feriali, e di scuola

dovrà per tale oggetto sul terminare delle scuole basse di grammatica, ed umanità, un ora prima del mezzo giorno, trovarsi pronto a soddisfare a tal suo impiego, e ne' giorni festivi, ne' quali vi siano le solite pie congregazioni, o quante volte sia unita la scolaresca per esercizj spirituali, o altre opere di pietà, dovrà trovarsi pronto all' ora che gli verrà prescritta dal prefetto de' studj per lo stesso oggetto di celebrare la s. messa.

De onere supplendi praefectum studiorum.

§. 43. Nelle occasioni parimenti nelle quali il prefetto de' studj sia legittimamente occupato dovrà egli supplire in qualche cattedra, nella quale sia impedito per malattia il lettore attualmente, ed a tale oggetto dovrà farsi consegnare i scritti del medesimo lettore infermo, e quelli dettare, e respettivamente spiegare, perchè non resti oziosa quella scolaresca.

De onere supplendi secretarium.

§. 44. Finalmente dovrà anche supplire da segretario nelle congregazioni, che occorra doversi adunare in tempo, in cui il prefetto de' studi, o per malattia, o per altre ragioni, sia legittimamente impedito.

CAP. V.

Del bidello.

De janitore, ejusque munere.

§. 45. Nella prima congregazione deputata dovendosi sistemare, ed organizzare a seconda del breve tutte le scuole pubbliche, dovrà dalla medesima congregazione destinarsi ancora, ed eleggersi il bidello. L' ufficio di questi sarà ne' giorni di scuola suonare alla stesa la campana per un intero quarto di ora prima d' entrare alle scuole, e perciò un quarto d' ora prima delle quattro ore innanzi al mezzo giorno, e respettivamente nel giorno alle ore venti, e un quarto. Parimenti nei giorni festivi, ed in qualunque altro tempo debba adunarsi la scolaresca per alcun pio esercizio sia nella cappella delle scuole, sia nell' oratorio del Gesù, dovrà nella stessa forma suonare un quarto d' ora prima del tempo appuntato.

Idem ut supra.

§. 46. Similmente dovrà trattenersi in una camera prossima alla scuola con campanello al di fuori, ed in questa stessa camera potranno trattenersi i respettivi lettori aspettando il tempo dell' ingresso alle scuole respettive. In essa camera dovrà loro nell' inverno tenersi preparato un focone con carbonella accessa, e con bussola per difenderla dal freddo.

Idem ut supra.

§. 47. Dovrà parimenti il bidello suonare detto campanello in segno dell' ingresso delle respettive scuole de' lettori, e scolari al termine dell' ora prescritta, e respettivamente dell' ingresso degli altri lettori nelle ore destinate.

Idem ut supra.

§. 48. Dovrà almeno una volta la settimana scopare tutte le scuole, ed anche il cortile, e custodirlo da qualunque immondezza, e tenere informato il prefetto de' studj, se alcuno in qualunque modo abbia ardito deturparlo.

Idem ut supra.

§. 49. Finalmente dovrà presentare intimazioni, recare ordini, ed obbedire a qualunque comando gli sarà dato dal prefetto dei studj, ed in tempo delle congregazioni dovrà trattenersi nel palazzo vescovile, aspettando se occorresse, ricever ordini, portar libri ec.

CAP. VI.

Ministro della campagna, ed altri subalterni.

De ministro, aliisque subalternis.

§. 50. Il ministro di campagna, computista, esattore, ed ogn' altro subalterno sarà soggetto agli ordini de' respettivi deputati.

CAP. VII.

Regole generali.

De initio scholarum.

§. 51. In ogni anno si darà apertura alle scuole sul principio di novembre. Il dì tre vi sarà nelle camere del vescovo pro tempore la professione della fede. Il dì cinque si darà principio a tutte le scuole, e nel dì venticinque detto, giorno di s. Caterina, si farà da uno de' lettori per turno incominciando dal lettore di eloquenza un orazione latina per l' apertura de' studj, e si regaleranno al lettore sei scudi.

De horario scholarum.

§. 52. La mattina si entrerà in scuola al fine della campana, che terminerà costantemente quattr' ore prima del mezzo dì, ed il giorno terminerà sempre alle ore venti, e mezza nella quale ora si salirà in cattedra, e detto suono di campana durerà un quarto d' ora. La mattina continueranno le scuole tre ore, e dopo la terz' ora vi sarà la messa per li scolari. Il giorno vi saranno due ore di scuola.

De duratione scholarum.

§. 53. Le scuole di grammatica, e di umanità dovranno durare le intere cinqu' ore del

Digitized by Google

giorno. La scuola del jus civile, in cui dovrà insegnarsi anche il jus statutario di Spoleto si aprirà alla prima ora della mattina, e parimenti alla prima ora del giorno, e durerà detta sola ora. Alla seconda ora comincerà la scuola di jus canonico, e storia ecclesiastica, e continuerà le due ore seguenti. In tutte le altre scuole maggiori si salirà in cattedra alla seconda ora della mattina, e si continuerà per un ora e mezza. Nella prima ora del giorno vi sarà per un' ora la ripetizione nelle cattedre di jus civile e canonico. La cattedra di eloquenza, in cui è necessario un maggior esercizio della gioventù dovrà durare due ore continue la mattina, cominciando come le altre scuole maggiori alle seconda ora, e le due ore intiere del giorno, e dovranno istruirsi i scolari non meno nell' eloquenza profana, che nell' eloquenza sagra, rimanendo in libertà del lettore nelle ore del giorno dare anche i precetti della lingua Greca. Sarà egualmente in libertà de' lettori nelle ore del giorno esercitare i scolari nelle ripetizioni, circolo, e simili esercizj scolareschi.

De admissione discipulorum.

§. 54. Non potrà alcun scolare essere ammesso alla scuola di grammatica, se previo un diligente esame del maestro di grammatica, di umanità, e del prefetto di studj non si trovi bene istruito ne' primi elementi della grammatica medesima. Parimenti non potrà nella scuola medesima di grammatica passare dalla prima alla seconda classe, se dopo un diligente esame de' medesimi maestri non si trovi aver fatto il necessario profitto nella sua prima classe, nè potrà in fine della scuola di grammatica passare alla scuola di umanità, se dopo un simile esame non si trovi perfettamente istruito ne' precetti grammaticali, e bastantemente esercitato nella lingua latina.

Idem ut supra.

§. 55. Lo stesso si praticherà nelle scuole di umanità. In questa scuola, che deve precedere la scuola di eloquenza si deve alli scolari della prima classe insegnare una maggior purità della lingua latina, e li principj della poesia latina, ed alli scolari della seconda classe dovranno darsi gli elementi di rettorica precettiva, onde siano disposti a perfezionarsi nella scuola successiva di eloquenza, nè siano ammessi alla scuola di eloquenza, se non dopo un rigoroso esame di tutta la grammatica, ed umanità, dopo dato saggio non equivoco di essere bene istruiti nella lingua latina, e ne' precetti, che riguardano le rispettive composizioni di prosa, e poesia latina.

De tractatis theologiae dogmaticae, et moralis quolibet anno exponendis.

§. 56. I due lettori di teologia dommatica, e di teologia morale, dovranno nel mese di agosto di ogn' anno combinare insieme col primo deputato ecclesiastico i trattati, che dovranno leggere nell' anno seguente, i quali siano più utili alli studenti chierici, e più conducenti all' ufficio di parroco, di confessore, di predicatore, e simili.

De tempore vacationum.

§. 57. Nelle due scuole di grammatica, e di umanità si daranno le vacanze autunnali non prima del dì quindici di settembre.

Idem ut supra.

§. 58. Nelle altre scuole superiori si darà la vacanza del dì 14. agosto, dopo il qual giorno si dovrà da ciascun lettore invitare i più studiosi, e più idonei a dar saggio di loro studj, e del loro profitto, o con tenere pubbliche dispute, o con pubbliche disfide a rispondere a qualunque interrogatorio da farsi ad arbitrio di ciascuno de' lettori, e specialmente nella scuola di eloquenza con composizioni su temi da darsi ad arbitrio del vescovo, o di alcun deputato in prosa italiana, o latina, ed anche in poesia italiana, o latina da recitarsi pubblicamente dopo il terzo giorno dal tema proposto.

Idem ut supra.

§. 59. Nel giorno di tali pubblici esercizi vi sarà vacanza il giorno nelle altre scuole più basse, e dovranno intervenire tutti, e riuscendo felicemente l' impegno, il vescovo pro tempore si compiacerà dare un premio al candidato a suo arbitrio.

De publicis experimentis inter discipulos.

§. 60. Parimenti dopo il quattordici settembre sarà in libertà d' ogni scolare pubblicare una disfida, o un invito a render conto di tutto ciò, che si è insegnato nella sua scuola, e nella sua classe in tutto l' anno.

Idem ut supra.

§. 61. Li signori deputati si compiaceranno d' intervenirvi, ed essi insieme colli respettivi lettori si uniranno a formare la nota di quelli, che hanno meritato maggior lode, e si metterà in pubblico detta nota affissa nelle scuole, e nell' anticamera del vescovo, per le scuole basse il dì 14. settembre, e per le altre il dì 29. detto.

De novis ordinibus edendis, et congregationi reservatis.

§. 62. Considerando noi in fine, che ben possono darsi dei casi a quali venga di occorrere con qualche opportuno provvedimento, perciò diamo facoltà alla congregazione deputata di aggiungere nelle circostanze occorren-

ti qualche nuova ordinazione; la quale però non altrimenti debba osservarsi se non concorrendovi almeno due terzi de' voti della congregazione deputata.

De tassa imponenda pro supportatione onerum.

§. 63. E siccome li molti pesi, che gravitano sulli beni fondi applicati a questa pia istituzione delle scuole, forse rendono insufficienti le rimanenti rendite di essi a supplire pienamente agli emolumenti de' lettori, ed alle altre spese necessarie alla giusta economia, ed alla ben regolata amministrazione, perciò giustificata sì ragionevol causa, diamo facoltà al card. vescovo di Spoleto d'imporre a Nostro nome, e come in questa parte specialmente nostro delegato non meno nella città, che in tutta la diocesi una qualche tenue gravezza non maggiore di un bajocco per ogni cento scudi di valore sulla libbra non meno de' laici, che degli ecclesiastici, e luoghi pii, non compresi però in tale imposizione i soli beni delle chiese parrocchiali, ed addetti alle stesse cure, e li beni appartenenti alli monasteri di monache. Quale imposizione debba esigersi da chi deve esigere la dativa reale all'oggetto di formare con essa una cassa di supplemento alle scuole, onde si provveda a tali spese necessarie, e vi sia in oltre qualche sopravanzo da erogarsi o in qualche giubilazione col sentimento della congregazione deputata, o in qualche segreta gratificazione nel fine dell' anno scolastico, la quale si creda opportuna in favore di qualche lettore di merito più singolare ad arbitrio della congregazione deputata da darsi per voti segreti; e questa imposizione debba durare sino che non si prenderà da Noi, o da Nostri successori altro provvedimento per supplire alle spese necessarie per mantenimento delle medesime scuole.

Confirmatio apostolica.

§. 64. Quae quidem omnia et singula his literis Nostris exposita, inserta et contenta Nostra auctoritate publicandi, declarandi, decernendi, et praescribendi plenam, et amplam facultatem tibi eadem auctoritate tenore praesentium committimus, attribuimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 65. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac iis omnibus, et singulis, ad quos spectat, et quomodocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab omnibus respective, inviolabiter observari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 66. Non obstantibus quatenus opus sit felicis recordationis Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, et regulis quoque cancellariae Nostrae apostolicae de jure quaesito non tollendo, nec non dictorum coenobiorum, ecclesiarum, et curarum animarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, seu quaevis alia exquisita forma ab hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die vigesima septembris millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

CCXLI.

Dat. die 20. sept. 1803. Anno IV.

Literae apostolicae alias expeditae, et nuncio apostolico Lisbonensi commissae pro erectione collegiatae nunc archiepiscopo Alborensi committuntur.

Digitized by Google

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Ita excitat cor Nostrum saecularium principum reverentia, qua in hanc divi Petri cathedram se gerunt, ut ea quae ab ipsis pie et recte petuntur, benigne excipere impellamur, prout eorum exigunt preces, et apostolicae Sedis ad eas gratas habendas convenit inclinatio.

Memorantur praecedentes literae ad rem editae.

§. 2. Quoniam vero Nos alias votis, ac precibus dilectissimi in Christo filii Nostri Joannis Brasiliae principis, ac regnorum Portugalliae et Algarbiorum regentis per dilectum filium Alexandrum de Souza et Holstein ipsius Joannis principis ac regentis, apud Nos, et Sedem apostolicam oratorem Nobis porrectis benigne annuentes per similes Nostras literas incipientes *Romanorum pontificum*, sub plumbo etiam expeditas apud s. Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo secundo, quinto decimo kalendas januarii, pontificatus Nostri anno tertio, praevia nonnullarum cappellaniarum regiae cappellae in villa Vicosa nuncupatae a praeclarissimis Brigantiae ducibus erectae, ac perpetui simplicis vacantis beneficii ecclesiastici archidiaconatus de Regoa nuncupati dignitatis forsan residentialis in cathedrali ecclesia Portugallensi, ac ex tunc prout ex eo tempore aliorum perpetuorum simplicium beneficiorum ecclesiasticorum in quibusvis ecclesiis civitatum, et dioecesum regnorum Portugalliae et Algarbiorum hujusmodi respective existentium primo loco vacaturorum ordinariae liberae collationis suppressione et extinctione beneficiorum eorumdem fructus in dotationem dictae regiae cappellae converterimus, et regiam ipsam cappellam in insignem collegiatam ecclesiam ad instar aliarum de Ourem, et de Barcellos erexerimus, prout in praedictis literis plenius, ac fusius continetur.

Declaratur literas exequendas commisisse nuncio apostolico.

§. 3. Dilecto autem filio Nostro et Sedis apostolicae nuncio in civitate Lisbonensi commoranti specialiter commisimus, et mandavimus, ut ipse ea omnia quae a Nobis in literis praefatis disposita, et ordinata reperiebantur, juxta voluntatem et intentionem Nostras fideliter exequutioni demandaret, et ad hujusmodi effectum facultates omnes ad id necessarias, et opportunas concessimus, atque tribuimus.

Preces porrectae pro deputatione alterius executoris apostolici.

§. 4. Cum vero Nobis idem Joannes princeps ac regens ante oculos posuerit, quod facilius, atque expeditius omnia in literis Nostris hujusmodi contenta ad effectum adducerentur, si ipsimet archiepiscopo in cujus dioecesi praefatum locum de villa Vicosa existit, dictarum literarum exequutio commissa fuisset.

Deputatio archiepiscopi Elborensis in executorem praedictarum literarum.

§. 5. Nos considerantes quod praedictus Joannes princeps ac regens optime cogitaverit a Nobis hoc enixe efflagitando, literis praefatis quoad commissionem tantum specialiter et expresse derogantes, venerabilem fratrem modernum et pro tempore existentem archiepiscopum Elborensem in exequutorem earumdem literarum constituimus, et declaramus, eique facultates omnes tribuimus, et impertimur, quae nuncio Nostro praedicto antea fuerant elargitae, perinde ac si exequutio dictarum literarum ab initio archiepiscopo praedicto commissa fuisset.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes praesentes Nostras literas semper et perpetuo validas, et efficaces existere, ac suos plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, ac specialem, et individuam mentionem etiam requirentibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 8. Volumus etiam, ut earumdem praesentium transumpta, sive exempla etiam impressa, manu alicujus notarii publici subscripta, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munita eamdem ubique fidem, et auctoritatem obtineant in judicio, et extra, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae derogationis, commissionis, deputationis, decreti, ac facultatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo tertio, sexto kalendas octobris, pontificatus Nostri anno quarto.

Digitized by Google

Dat. die 27. sept. 1803. Anno IV.

CCXLII.

Instante sodalitate sanctissimi Sacramenti civitatis Limanae confirmatur rescriptum congregationis Rituum.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Cum, sicut dilecti filii moderni moderatores sodalitatis sub titulo sanctissimi Sacramenti, sanctissimae Trinitatis, et Conceptionis beatae Mariae Virginis in ecclesia sanctorum Petri et Pauli, civitatis Limanae canonice, ut asseritur, erectae Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quo in sanctissimum Eucharistiae sacramentum, ac eamdem Deiparam afficiuntur devotionis affectu, eorum cultum, et venerationem in dies augeri summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor confirmationis rescripti sacrae congregationis Rituum.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes; supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, referente dilecto filio magistro Marco Antonio Cattaneo sacrorum rituum congregationis protonotario, venerabili fratri archiepiscopo Limano arbitrium auctoritate Nostra apostolica indulgendi, si ita ei expedire videbitur, ut quotannis in posterum in praedicta ecclesia in die proprio festi Conceptionis B. M. V., et per ejus octavam in omnibus missis ejusdem festi adhiberi possint paramenta, vestesque sacrae auro intertextae, et colore caeruleo parce vermiculatae: praeterea, ut in una dominica cujusque mensis, non tamen primae classis, in qua peculiari cultus significatione fit renovatio hostiae consecratae, celebrari possit una missa cum cantu votiva solemnis de sanctissimo Eucharistiae sacramento. Tandem, quod a cappellano ipsius sodalitatis celebrari possit missa privata in altari, in quo est expositum sanctissimum Eucharistiae sacramentum, permittimus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, dictae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis, apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima septima septembris millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

Dat. die 30. sept. 1803. Anno IV.

CCXLIII.

Instante confraternitate animarum purgatorii Bracharensis, confirmatur instrumentum concordiae inter eamdem confraternitatem ex una, et capitulum, ac canonicos cathedralis praedictae ex altera partibus initae.

Venerabili fratri archiepiscopo Bracharensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Nomine dilectorum filiorum judicis, et officialium mensae confraternitatis, quae sub titulo animarum purgatorii in ista cathedrali ecclesia Bracharensi canonice, ut asseritur, extat erecta, nuper expositum Nobis est, quod, ut finis demum fieret magnis sumptibus, quos impendi opus fuit pro lite diu exagitata inter confraternitatem, et dilectos filios canonicum oeconomum fabricae, et ca-

Digitized by Google

pitulum cathedralis praedictae, concorditer conventum fuit hinc inde, restitui confraternitati plura utensilia, ac plura quoque declarari, assignarique ei jura pro cappella, et altari, pro sacristia, et utensilium custodia, pro missis, et functionibus, aliisque rebus, usibus, et commoditatibus, prout videre est in instrumento concordiae hujusmodi die undecima augusti currentis anni solemni stipulatione confecto, et a partibus vicissim utrinque subscripto, cui fraternitatis etiam tuae pro coronide accessit consensus. Ut autem isthaec concordia firmiter, perpetuoque subsistat, exponentes dictum instrumentum per Nos confirmari, ac apostolicae auctoritatis Nostrae praesidio communiri vehementer desiderant: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac eos, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus praenarratis, recensitum instrumentum cum omnibus, et singulis in eo contentis, atque expressis, auctoritate Nostra apostolica adprobes, atque confirmes, ac ratum, confirmatumque declares, illique perpetuae firmitatis apostolicae robur adjicias, et omnes, ac singulos sive juris, sive facti defectus, si quos in eo quomodolibet intervenisse contigerit, suppleas, et sanes; Nos enim tibi ad id plenam, et amplam facultatem eadem auctoritate tribuimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes propterea easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac iis quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesima septembris millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

CCXLIV.

Dat. die 30. sept. 1803. Anno IV.

Confirmatur erectio scholarum piarum per episcopum Ferentinum facta pro puellis ejusdem civitatis instruendis, et respectivae assignationes pecuniariae a nonnullis confraternitatibus promissae.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Pietatis, charitatisque opera, quae a vigilantibus pastoribus, pro sibi concrediti gregis utilitate provide instituuntur, non modo laudanda, et promovenda esse ducimus, sed etiam auctoritate Nostra confirmare solemus.

Expositio precum.

§. 2. Exponi itaque Nobis nuper fecit venerabilis frater Nicolaus archiepiscopus, episcopus Ferentinus, quod ipse pro eo, quo flagrat pastorali zelo, scholas publicas pro puellis, praesertim pauperibus, ut ipsae etiam ad religionem, et foemineas artes informentur, in dicta civitate erigere constituit sub directione, et regulis per se constitutis, seu constituendis, et pro circumstantiarum varietate per se quoque, et successores suos immutandis; ad quod salutare opus perficiendum, et perpetuandum dilecti filii moderni confratres confraternitatis sub titulo Spiritus Sancti annuam summam quinquaginta scutorum monetae Romanae, confratres alterius confraternitatis s. Antonii similiter viginti-quinque scutorum, alterius sanctissimi Sacramenti quindecim, ac tandem pariter confratres B. M. V. de Monte Carmelo summam annuam scutorum decem ex dictarum confraternitatum redditibus respective solvendas spoponderunt. Accessit quoque summa viginti

scutorum annuorum detrahenda ad id ex redditibus pro juvenum dictae civitatis eruditione destinatis, juxta visitatoris ipsius communitatis decretum editum, et successive per Nostram congregationem Boni Regiminis die VI. superioris mensis augusti adprobatum. Cum autem sicut in eadem expositione additum erat, ut scholarum piarum hujusmodi institutio firmius subsistat, et praedictae annuae pecuniariae assignationes solvantur exactius, apostolicae Nostrae confirmationis subsidio omnia muniri, ac alias, prout infra, sibi desuper per Nos indulgeri ipse Nicolaus episcopus desideret.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos ipsum exponentem in suo laudabili proposito, quantum cum Domino possumus, benigne confovere, ac specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, erectionem scholarum piarum hujusmodi pro puellis ab eodem Nicolao episcopo factam, seu faciendam sub directione, et regulis supradictis, nec non omnes, et singulas memoratas confratrum assignationes annuas, dictique visitatoris decretum auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac singulos, juris, et facti defectus, si qui desuper intervenerint, sanamus, et supplemus.

Facultas imponendi annuam taxam super bonis ecclesiasticis.

§. 4. Insuper eidem episcopo, quatenus opus sit, pro meliori operis complemento, aliquam annuam taxam super redditibus monasterii monialium s. Clarae, aliarumque dictae civitatis ecclesiarum imponendi, et exigi faciendi quascumque opportunas, et necessarias facultates, auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, civitatis, confraternitatum monasterii, et ecclesiarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, ac personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis in decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesima septembris millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

CCXLV.

Dat. die 30. sept. 1803. Anno IV.

Ampliatio ad induendam, et exuendam vestem violaceam domi cum facultate addendi filum aureum funiculo serico, pro dignitatibus, et canonicis basilicae Lauretanae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii dignitates, et canonicis ecclesiae basilicae Lauretanae, quod pridem sub certis modo, et forma tunc expressis sibi auctoritate apostolica indulsimus, ut ipsi vestem oblongam violaceam intra ecclesiam praedictam et in functionibus capitularibus dumtaxat gestare, libere, et licite possent, et valerent, ac alias, prout ex Nostris desuper in simili forma brevis die prima superioris julii expeditis literis, quarum tenorem praesentibus, pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus, fusius continetur. Verum quia, sicut in eadem expositione additum erat, ob loca-

Digitized by Google

lem eorum sacristiae angustiam, perincommodum ipsis est vestem praedictam mutare, aliquam assumere, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes amplioribus favoribus, et gratiis prosequi volentes, atque eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, iisdem dignitatibus, et canonicis, ut ipsis pro iis vicibus dumtaxat, in quibus ad psallendum, vel celebrandum, aut sacras quascumque functiones in dicta basilica peragendas erit eundum, veste hujusmodi violacea in propria quisque domo se induere, illaque induti ecclesiam praedictam recta petere, rectaque domum ad eam deponendam, quin per urbem errent, redire atque ita, et in hisce circumstantiis tam per publicas vias singulatim camdem oblongam violaceam vestem per publicas vias, non autem per officinas, aut alienas domos, vel alio gestare; nec non funiculum sericum, in quo crux quam ante pectus appensam deferendam in dictis literis concessimus, est alliganda, ipsum funiculum auro intertextum, ita ut unum ejusdem funiculi filum aureum sit, alterum vero sericum nigrum cum flocculo similiter intertexto gerere libere, et licite possint, et valeant, servata in reliquis earumdem Nostrarum literarum forma, et dispositione, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quae in memoratis Nostris literis non obstare voluimus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesima septembris millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

CCXLVI.

Dat. die 10. octob. 1803. Anno IV.

Literae apostolicae suppressionis nonnullorum beneficiorum alias expeditae, et nuncio Lisbonensi pro exequutione commissae nunc patriarchae Lisbonensi committuntur.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Apostolica benignitate amplectere nunquam dubitavimus vota saecularium principum, et interdum ad eorum preces nonnulla quamvis aliter a Nobis ordinata, libenti animo mutare non praetermittimus, quando illa congruis rationibus conspicimus expedire.

Expositio literarum jam expeditarum.

§. 2. Cum itaque per alias Nostras sub plumbo expeditas literas incipientes *Ineffabilis* datas apud s. Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo secundo, quinto decimo kalendas januarii pontificatus Nostri anno tertio ad supplicationem dilecti filii Alexandri de Souza et Holstein, dilectissimi in Christo filii nostri Joannis Brasiliae principis ac regnorum Portugalliae, et Algarbiorum regentis apud Nos et apostolicam Sedem oratoris nomine ejusdem Joannis principis et regentis, moderno, et pro tempore existenti Nostro, et praedictae Sedis apostolicae nuncio in civitate Lisbonensi commoranti facultatem tribuimus ut nonnullas dignitates, canonicatus et dimidios canonicatus tam in patriarchali ecclesia Lisbonensi, quam in aliis cathedralibus ecclesiis praedictorum regnorum respective primo loco vacaturos supprimeret, et extingueret, illorumque fructus certis modo et forma in conventus fratrum ordinis s. Francisci reformatorum s. Petri de Alcantara nuncupatorum provinciae de Arabida penes regium palatium de Mafra existentes, firmum et stabile subsidium converteret, prout in ante dictis, atque etiam in aliis incipientibus *Ingenua* pariter apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo tertio, quarto idus maji, pontificatus Nostri anno quarto, expeditis literis plenius respective continetur.

Preces porrectae pro deputatione alterius executoris.

§. 3. Praedictus vero Joannes princeps, cum animo attentius cogitaverit, quod si literarum nostrarum hujusmodi exequutio patriarchalis ecclesiae Lisbonensis praesuli potius quam Nostro pro tempore existenti apostolico nuncio fuisset commissa, facilius omnia in literis praedictis contenta ad felicem exitum perducerentur.

Deputatio novi executoris in le-

§. 4. Qua propter ejusdem Joannis principis ac regentis precibus Nos annuere volentes

cum nuncii apostolici.

literis praefatis illa in parte tantum specialiter et expresse derogantes venerabilem fratrem Nostrum modernum et pro tempore existentem patriarcham ecclesiae Lisbonensis per praesentes in exequutorem earumdem literarum constituimus, et declaramus, eique facultates omnes tribuimus et impertimur, ut ipse, prout nuncio Nostro praefato antea commissum fuerat, expressa in eisdem literis Nostris vacatura beneficia ecclesiastica supprimenda designet, illorumque fructus in enunciati conventus, et ecclesiae ac religiosorum stabilem manutentionem et sustentationem, ut supra, convertere, atque ea omnia valeat peragere, quae in literis praedictis eidem apostolico nuncio fuerunt mandata.

Decretum irritans.

§. 5. Has vero Nostras literas perpetuo validas et efficaces esse, ac suos integros effectus sortiri et obtinere, nec non ab omnibus firmiter et inviolabiliter observari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, ac specialem et individuam mentionem etiam requirentibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem praesentium Nostrarum literarum transumptis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si originaliter exhibitae forent.

Sanctio poenalis.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae derogationis, commissionis, deputationis, decreti, et facultatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo tertio, sexto idus octobris pontificatus Nostri anno quarto.

CCXLVII.

Dat. die 12. nov. 1803. Anno IV.

Suppressio perpetua commissariatuum congregationis s. Joannis De-Deo in Americanis provinciis Hispaniae ditioni subjectis, et substitutio provincialium in eorum locum.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Inscrutabili divinae providentiae consilio ad regendam Christi Ecclesiam, licet immerentes, constituti, Nostrarum partium intelligimus esse curas omnes, et sollicitudines Nostras eo convertere, unde non modo mala, si qua sunt a fidelibus, quantum fieri potest, arceantur, et amoveantur, verum etiam quae eorum bono, utilitatique sunt, in eos provenire possint. Prooemium.

§. 2. Quibus in cogitationibus dum dies, noctesque, quantum in Nobis est, sine intermissione versamur, accidit, ut carissimus in Christo filius Noster Carolus Hispaniarum rex catholicus pro flagranti studio, quo in utilitates omnes, et commoda incensus est hominum regiae suae ditioni subjectorum, atque in primis eorum, qui morbis, atque infirmitatibus afflicti, et vexati, propter rerum omnium inopiam ad hospitalia confugere, atque in iis levamen, subsidiumque suis necessitatibus quaerere, ac postulare coguntur, cognoverit, hospitalia quaedam ex eorum numero, quorum cura, et administratio congregationi fratrum s. Joannis De Deo nuncupatorum credita est, et quae in Americanis ipsius regis catholici ditionibus sunt constituta, eo in statu, ac conditione versari, ut aptior in iis, atque utilior earum rerum administratio constitui necesse sit, quae ad levandos infirmos destinatae sunt, idque tam circa praedia, quorum possessionibus jampridem gaudent, quam circa eleemosynas, quae a fidelium pietate, ac charitate conferuntur, cognoveritque praeterea, hanc aptioris, utiliorisque administrationis necessitatem ex eo maxime proficisci, quod nimis pauci sunt praedictae congregationis s. Joannis De Deo commissarii, et impares omnino sint prospiciendis, praevidendisque rebus omnibus, quae sunt eorum muneris, ac necessariae, praesertim in tanta, et tam dissita illarum regionum catholico regi subditarum amplitudine, ita, ut his ipsis de causis etiam concilium provinciale Mexicanum IV. celebratum anno MDCCLXXI., cui venerabilis frater noster cardinalis De Lorenzana nuncupatus, tunc archiepiscopus Mexicanus, praefuit, existimaverit, ac proposuerit, incommodis, quae ob allatas causas in hospitalia proveniebant, auctoritate Sedis apo- Ratio decernendae suppressionis.

Digitized by Google

stolicae consulendum esse. Harum igitur cognitione permotus rex catholicus, pro ea, qua in subditos suos, praesertim pauperes, fervet charitate, humiliter Nobis supplicari fecit, ut malis hujusmodi remedium afferre, atque auctoritate Nostra apostolica providere dignaremur, et quo res succedere facilius, maturiusque posset, ipse quasdam Nobis proponi jussit rationes, quibus aptior illa, et utilior praedictorum hospitalium in rebus temporalibus administratio posset institui, prout latius in precibus nomine catholici regis ab ejusdem ministro plenipotentiario in hac alma urbe Nostra degente continetur.

Tenor decreti suppressionis.

§. 3. Nos igitur piis, religiosisque ejusdem Caroli regis votis, quantum cum Domino possumus, pro Nostra in eum benevolentia annuere volentes, illud etiam in animo considerantes, congregationem praedictam, sancti Joannis De Deo conflatam esse religiosis viris maxima ex parte laicis, qui solemni voto pauperibus infirmis omni ope juvandis se se dicant; motu proprio, ac certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, quemadmodum a praefata synodo Mexicana propositum fuerat, commissariatum hujusmodi officia, seu gradus in dictis provinciis, et aliis ipsius Caroli regiis dominiis, Americanis dumtaxat, ut praefertur, existentibus abolemus, supprimimus, extinguimus, et perpetuo abrogamus, atque in eorum locum provinciales, et definitores provinciales, ut infra, eligendos, eo numero, et locorum intervallis, quae ab episcopis, tamquam specialiter ad id ab hac Sede apostolica delegatis, annuente rege catholico, magis expedire judicabuntur, substituimus, et subrogamus, cum iisdem facultatibus, praeeminentiis, honoribus, et oneribus (cohaerenter tamen ad ea, quae infra statuemus) et auctoritatibus, quibus dicti commissarii generales pollebant. Statuentes, ut praedictorum provincialium electio libere a sexennio in sexennium fiat a religiosis vocalibus ipsius ordinis sancti Joannis De Deo juxta formam, et tenorem in constitutionibus ejusdem ordinis pro hujusmodi electionibus peragendis constitutum praesidentibus eisdem episcopis, salva tamen, et integra remanente exemptione, et libertate electionis.

Subjectio hospitalium jurisdictioni suorum ordinariorum.

§. 4. Mandamus insuper, ut quaecumque ad hospitalium regimen, et eorumdem bonorum, et eleemosynarum administrationem dumtaxat pertinebunt, respectivorum ordinariorum pro tempore existentium utpote delegatorum apostolicorum directioni, curae, et vigilantiae subjiciantur, ita ut possint, ac debeant in id potissimum intendere, ne hospitalium redditus, et eleemosynae praedictae ad alios usus distrahantur, sed ad infirmorum, pro quibus datae sunt, subsidium prorsus erogentur, utque praeterea rationes bonorum, et eleemosynarum hujusmodi a dictis confratribus repetere possint, ac debeant, omninoque invigilent, atque attente provideant, ut dicti redditus quam optime, rectissimeque administrentur, erogenturque in utilitatem, subsidium, et levamen pauperum infirmorum, caeterosque fines, quorum gratia, vel a piis fundatoribus praedia, et bona legata fuerunt, vel a benefactoribus donata, qui manualibus quotidianis eleemosynis ad conservationem, incrementumque operis tam salutaris concurrunt, salvo semper jurepatronatus ad praedictum regem catholicum pertinente. In iis vero, quae ad internum conventuum regimen, et ad conservationem, integritatem, incolumitatem, et observantiam disciplinae regularis pertinent, volumus, et mandamus, ut praedicti confratres, priores, provinciales, definitores, et conventus quicumque in ea, in qua hactenus fuerunt a confratre majori in Hispania degente dependentia permaneant, et perseverent, et a quacumque respectivorum ordinariorum potestate exempti sint, juxta privilegia, quae, ut praefertur, eidem ordini concessa fuerunt; ut, servata uniformi membrorum ab eodem generali capite dependentia, uniformitas quoque disciplinae servetur, regularis observantia consistat, ac illius integritas, ipsiusque congregationis unitas habeatur.

Ampliatio facultatum dictorum ordinariorum pro recta administratione hospitalium.

§. 5. Praeterea locorum ordinariis, quibus vigore praesentium, ut praefertur, cura invigilandi super recta quorumcumque redditunm dictorum hospitalium administratione demandata est, facultatem concedimus, utpote hujus sanctae Sedis delegatis, cognoscendi in gradu appellationis de omnibus decretis, et provisionibus ad administrationem dictorum hospitalium pertinentibus tantum emanatis, aut emanandis, a provincialibus, et definitoribus eligendis, ut supra, quoad superiorem generalem dictae congregationis in Hispania

by Google

residentem recurratur, ita postulante dictorum decretorum, ac provisionum natura; quae cum ad bonum publicum tam urgens, ac necessarium pertineant, qualis est infirmorum curatio, providendum est, ut quam celerrime fieri potest, executioni mandentur, quin eorum executio tamdiu retardetur, quandiu necessarium esset, si ante illorum executionem expectanda essent praedicti superioris generalis Hispani responsa, et decisiones; salva tamen, ac firma remanente ipsi superiori generali facultate cognoscendi, ac decidendi super quibuscumque aliis causis, et quaestionibus, quae oriri possent circa internam conventuum disciplinam, et circa regimen communitatis religiosae, itemque salva, et firma remanente praedicti ordinis, sive congregationis sub unico capite unitate. Ordinariis autem locorum, quibus ea cura demandata est, de qua supra volumus, ut ad formam decretorum alias a congregatione concilii editorum, et a felicis recordationis Urbano pp. VIII. praedecessore Nostro auctoritate apostolica confirmatorum nihil prorsus solvatur, nec eorum officialibus pro rationibus exigendis, et caeteris praemissis exequendis, neque a visitatis procuratio sive in pecunia, sive in victualibus debeatur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca dilecto filio Nostro, et hujus apostolicae Sedis nunc, et pro tempore existenti in Hispaniarum regnis nuncio, vel pro nuncio motu, et potestate similibus per praesentes committimus, et mandamus, quatenus ipse per se, vel per alium, seu alios praesentes Nostras literas, et in eis contenta quaecumque; ubi, et quando opus fuerit, et quoties pro parte dictorum archiepiscoporum, episcoporum, confratris majoris, definitorum provincialium, ac superiorum, et confratrum congregationis sancti Joannis De Deo hujusmodi, seu alicujus eorum fuerit requisitus solemniter publicans, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens faciat auctoritate Nostra apostolica easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque hujusmodi inviolabiliter observari; contradictores quoslibet, et rebelles per censuras ecclesiasticas, et poenas etiam pecuniarias, aliaque juris, et facti remedia auctoritate Nostra praedicta, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super iis habendis servatis processibus, censuras, et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, auxiliumque brachii saecularis ad hoc, si opus fuerit, invocando.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus super praemissis dumtaxat quibuscumque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis etiam speciali mentione dignis, nec non congregationis praedictae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis etiam motu simili ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 8. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die xv. novembris MDCCCIII., pontificatus Nostri anno quarto.

CCXLVIII.

Dat. die 22. nov. 1803. Anno IV.

Indulgetur canonicis cathedralis Polensis, ut

mantelletam, et vestem talarem, et parvam crucem gestare valeant in functionibus.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. In sanctae apostolicae Sedis fastigio, meritis licet imparibus, constituti ad statum ecclesiarum omnium, praesertim illustriorum, quarum Nobis a Domino commissa est sollicitudo, personarumque in eis Altissimo famulantium propensis studiis animarum intendentes, illarum honorificentiae, et decori eo libentius consulimus, quod ipsa quoque indumenta, et externa personarum hujusmodi ornamenta multum venerationis oculis, animisque Christifidelium ingerere valeant.

Expositio precum. §. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici ecclesiae cathedralis civitatis Polensis, cathedralis ipsa templi structura, patrimonii amplitudine, sacrarum supellectilium copia, sacerdotum pietate, et doctrina, populi christiani devotione, et frequentia, ac praesertim antiquitatis laude ita floreat, ut in dicta civitate Constantinus magnus imperator, ejusque sancta mater Helena resedisse censeantur, multum splendoris, et ornamenti ad eamdem ecclesiam accederet, ac divinus cultus, populique devotio majora ibi susciperet incrementa, si ipsius cathedralis dignitates, et canonici, beneficiati, cappellani, et mansionarii praeclaris decorationibus, novisque praerogativis donentur; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus dignitatibus et canonicis cathedralis praedictae, ut ipsi mantelletam, et vestem talarem violaceas, cum asulis et globulis ejusdem violacei coloris ac parvam auream crucem magnitudine et forma ab episcopali cruce prorsus discrepantem, fasciola serica rubea adligatam e collo ad pectus pendentem, in cujus antica ipsius sanctae crucis alba effigies, in postica vero effigies beatae Mariae virginis in coelum assumptae ejusdem cathedralis patronae insculpta sit, in choro, et processionibus, ac reliquis functionibus, et actibus publicis quibuscumque capitularibus, et (quoad vestem praedictam talarem dumtaxat) etiam in aliis sacris functionibus, et in missarum privatarum, ac solemnium celebratione gestare; extra vero functiones hujusmodi eamdem crucem, et fasciolam sericam violaceam circa pilei fornicem obvolutam cum flocculis similibus, nec non collarem, cinctorium, et tibialia ejusdem violacei coloris in civitate, et dioecesi Polensi tantum deferre; beneficiatis autem, et cappellanis, ac mansionariis ipsius cathedralis, ut eam insigniam, quam vulgo zonfardam vocant, gestare in functionibus quibuscumque praedictis, atque omnes hujusmodi insigniis respective uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictasque dignitates canonicos, beneficiatos, cappellanos, et mansionarios desuper a quoquam impediri, molestari, vel perturbari, ac irritum, et inane, si secus a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§. 4. Non obstantibus felicis recordationis Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis constitutionibus, et ordinationibus nec non dictae cathedralis ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quinta novembris millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto. Derogatio contrariorum.

CCIL.

Dat. die 22 nov. 1803. Anno IV.

Indulgetur canonicis collegiatae ecclesiae oppidi Portus Mauritii Albinganensis dioecesis, ut rocchetum et cappam magnam gestare valeant in functionibus.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Quantum splendoris, ac venerationis vel ipsa sacra indumenta oculis, animisque Christifidelium ingerere valeant optime tenens Apostolica Mater Ecclesia non solum pro festorum, sacrarumque functionum varietate sacerdotibus suis praescripsit vestes, sed etiam in templis magis conspicuis, ubi major est christiani populi frequentia, sacris ministris divinas laudes ibidem publice canentibus, coelestesque angelorum choros imitantibus saepe particularia, et ad eorum dignitatem exprimendam aptissima insignia deferenda concessit.

Expositio precum. §. 2. Cum itaque sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici ecclesiae collegiatae oppidi Portus Mauritii, Albinganensis dioecesis, in qua quatuordecim canonici existunt, collegiata ipsa antiquitatis laude, sacerdotum probitate, et doctrina, populique frequentia, et devotione non parum floreat, multum honorificentiae, et dignitatis ad ipsam accederet, divinusque cultus, fideliumque devotio majora ibi susciperet incrementa, si ejusdem collegiatae canonici iisdem decorationibus donentur, quibus haud ita pridem dilectos filios dignitates, et canonicos collegiatae ecclesiae sancti Blasii oppidi civitatis pariter nuncupati Finarii Savonensis dioecesis per Nostras desuper in simili forma brevis die XIV. septembris anni superioris expeditas literas donavimus; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et, ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus canonicis dictae collegiatae ecclesiae Portus Mauritii, ut rocchetum, et cappam magnam violaceam, cum asulis, et globulis sericis cremisini coloris et cum pellibus armellinis coloris cineracei, vulgo color bigio, hyemali, aestivo autem tempore eamdem cappam magnam cum tela serica ejusdem violacei coloris sine dictis pellibus, ad instar canonicorum memoratae collegiatae s. Blasii, tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae collegiatae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima secunda novembris millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

CCL.

Dat. die 22. nov. 1803. Anno IV.

Indulgetur canonicis collegiatae Oneliae Albinganensis dioecesis, ut rocchetum, et cappam magnam in functionibus gestare valeant.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Quantum splendoris, ac venerationis vel ipsa sacra indumenta oculis, animisque Christifidelium ingerere valeant optime tenens Apostolica Mater Ecclesia non solum varias pro festorum, sacrarumque functionum varietate sacerdotibus suis praescripsit vestes, sed etiam in templis magis conspicuis, ubi major est christiani populi frequentia, sacris ministris divinas laudes ibidem publice canentibus, coelestesque angelorum choros imitantibus saepe particularia, et ad eorum dignitatem exprimendam aptissima insignia deferenda concessit.

Digitized by Google

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici ecclesiae collegiatae oppidi civitatis nuncupati Oneliae Albinganensis dioecesis, in qua tresdecim canonici existunt, collegiata ipsa antiquitatis laude, sacerdotum probitate, et doctrina, populique frequentia, et devotione non parum floreat, multum honorificentiae et dignitatis ad ipsam accederet, divinusque cultus, fideliumque devotio majora ibi susciperet incrementa, si ejusdem collegiatae canonici, iisdem decorationibus donentur, quibus haud ita pridem dilectos filios dignitates, et canonicos collegiatae ecclesiae sancti Blasii oppidi civitatis pariter nuncupati Finarii Savonensis dioecesis per Nostras desuper in simili forma brevis die XIV. septembris anni superioris expeditas literas donavimus; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus canonicis dictae collegiatae Oneliae, ut rocchetum et cappam magnam violaceam cum asulis, et globulis sericis cremisini coloris, et cum pellibus armellinis coloris cineracei, vulgo color bigio, hyemali, aestivo autem tempore eamdem cappam magnam cum tela serica ejusdem violacei coloris sine dictis pellibus, ad instar canonicorum memoratae collegiatae sancti Blasii tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque canonicos desuper a quoquam impediri, molestari aut perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae collegiatae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima secunda novembris millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

CCLI.

Dat. die 21. nov 1803. Anno IV.

Deputatio episcopi titularis ad exercenda pastoralia munia in loco del Papaso in Indiis.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Dum Redemptor Noster Jesus Christus apostolis suis spiritum sapientiae, et intellectus ad manifestandum gentibus magnalia Dei et ad revelandum sedentibus in umbra mortis, quia ipse est Deus saeculorum conspector, misericorditer suscitavit in cordibus; Petrum, cui oves suas pascere injunxit, clavesque regni coelorum tradidit, inter illos principem constituit, eique fidelium directionem ad viam salutis, uti supremum pontificem pertinere statuit; hinc Nos uti Petri successor ad universalis Ecclesiae regimen, licet nullis suffragantibus meritis, Nostrisque viribus penitus impares a Christo Domino misericorditer constituti, officii Nostri debitum adimplere cupientes, quid animarum omnium saluti conferre valeat, mentis Nostrae acie sedulo considerare nunquam desistimus; ideoque dilectissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis catholici piissimis desideriis obsecundantes, ut orthodoxae fidei propagationi quoad vires Nostrae suppetunt, Deo opitulante, consulatur, muneris Nostri esse ducimus postulationibus hujusmodi clementer indulgere.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque dilectus filius eques Antonius De Vargas y Laguna, apud Nos, et Sedem apostolicam ejusdem Caroli regis plenipotentiarius administer, nomine ipsius Caroli regis Nobis significaverit, quod usque ab an-

Digitized by Google

no Domini MDCCXC. eidem regi notitiam pervenit, eximia pietate et labore dilecti filii Raphaelis Andreu y Guerrero presbyteri, in regno de Chile, centum leucarum intervallo a villa nuncupata de Copiapò, al quos habitatores absque ullo catholicae religionis auxilio, et deinde ad incognitas regiones aperto aditu in medio deserti di Atacama nuncupati in loco pariter nuncupato del Paposo majorem habitatorum numerum respective inventum fuisse, quos idem Raphael orthodoxae fidei praeceptis erudiebat, et alios probabiliter inventum iri, atque idcirco putari necessarium, ut aliqua ecclesiastica persona designaretur, cui animarum iis in locis degentium cura a respectivis ordinariis committeretur, pro eo, quod attenta quatuorcentum leucarum distantia a praecipua civitate praefati regni, nullo alio modo spirituale auxilium animabus hujusmodi opportune posset subministrari.

Ratio concessionis.

§. 3. Cumque idem Carolus rex optime agnoverit, quod populi isti de potestate tenebrarum erepti, et ad gratiam coruscantis luminis sempiterni perducti, e remotissimis illis locis ad respectivos antistites eorum preces nisi magnis incommodis, et animarum quoque periculis transmittere minime valerent, ideo juxta votum etiam venerabilis fratris episcopi sancti Jacobi de Chile, ad cujus dioecesim magna locorum hujusmodi pars pertinet, spirituali earumdem profectui opportunum videretur, personam ecclesiasticam ad erudiendos tales populos deputatam episcopali dignitate insigniri, ut animarum populorum curae supradicti s. Jacobi de Chile, et infrascriptorum episcoporum commissorum, congruo regimini, illorum vice valeret consulere.

Tenor concessionis.

§. 4. Nos itaque pastorali sollicitudine, votis ejusdem Caroli regis superius expositis propensius annuentes, ac in praemissis omnibus providere volentes, motu proprio, et ex certa scientia, maturaque deliberatione Nostris, deque apostolica potestatis plenitudine, ad omnipotentis Dei laudem, et gloriam, ac fidei catholicae propagationem praecipimus, atque statuimus, ut in super expressis locis ad dioeceses de Plata vulgo Charcas, s. Jacobi de Chile, Tucumanam, et de Arequipa respective pertinentibus, unus presbyter vel saecularis, vel cujusvis ordinis regularis in theologia, seu decretis graduatus, habilis, et idoneus per ipsum Carolum, et pro tempore existentem Hispaniarum regem catholicum semper, et etiam pro hac prima vice nominandus, ac per Nos, et Romanum pontificem ad episcopalem ecclesiam titularem promovendus, qui praecipue in portibus et oris sancti Nicolai, et Beatae Mariae Virginis del Paposo resideat, illiusque populi tam christiani, quam gentilis, nec non oppidorum terrarum, et locorum in eorumdem territoriorum limitibus, terminis, et locis praefatis consistentium respective spiritualem curam nomine, ac vice respectivorum ordinariorum ex eorum speciali delegatione habere, et inibi praedicare, ac etiam per alias personas ecclesiasticas ab eo deputandas praedicari facere, gentilesque praedicti, ut ad orthodoxae fidei cultum convertantur studere, et conversis, in eadem fide confirmare, atque baptismi gratiam, et confirmationis, nec non matrimonii, et sacrorum quoque ordinum sacramenta impendere, et tam illis sic conversis, quam omnibus aliis fidelibus in territoriis hujusmodi, eorumque respective oppidis, terris, villis, locis, ac limitibus pro tempore degentibus, et ad ea declinantibus omnia spiritualia munera tamquam deputatus in auxilium supradictorum archiepiscopi, et episcoporum, atque uti ipsorum archiepiscopi, et episcoporum, nec non etiam Sedis apostolicae specialis delegatus in hujusmodi locis respective ministrare, et administrari quoque facere, et procurare possit, et valeat. Ita ut ipse omnia et singula, quae ad divini cultus augmentum, et ad animarum salutem expedire cognoverit, quaeque archiepiscopus, et episcopi antedicti facere possent, ac deberent, in iis locis nomine, ac vice eorumdem archiepiscopi, et episcoporum, atque uti ab iis specialiter respective delegatus gerere possit, ac debeat, assignata tamen per dictum Carolum Hispaniarum regem annua summa ab aerario regio hujusmodi episcopo titulari in praedictorum antistitum auxilium deputato pro ejus congrua substentatione persolvenda.

Protestatio super assensu praebendo ab episcopis.

§. 5. Minime vero dubitamus quin moderni, et pro tempore existentes archiepiscopus de plata vulgo Charcas, et sancti Jacobi de Chile, de Tucuman, et de Arequipa respective episcopi hujusmodi dispositioni Nostrae catholicae religionis incrementum, et spiritualem populorum salutem unice respicienti libentissime sint assensuri, ac tali episcopo ti-

tulari in eorum auxilium designato facultates omnes respective delegaturi sint, quae ad bonum perficiendum opus necessaria erunt, atque opportuna.

Injunctiones speciales servandae ab episcopo titulari.

§. 6. Antedicto autem episcopo titulari in praedictorum archiepiscopi, et episcoporum auxilium deputato injungimus, ut loca existentia in territorio ipsius curae a memoratis antistibus delegato, et ab infrascripto praesentium Nostrarum literarum executore declaranda, quantum fieri poterit, pastorali visitatione perlustret; in quem finem liberum ipsi erit unam aut alteram locorum partem eligere, ac certioratis de causa sui itineris tam episcopo dioecesano, quam regio vice patrono, ut opportuna unusquisque valeat ei auxilia praestare, sese ad eam transferre, in eaque per tempus judicio suo congruum permanere, et iter hac, vel illac prosequi ad curandum illorum habitatorum spirituale bonum, absque eo, quod aliquis ex praefatis archiepiscopo, et episcopis, vel quisvis alius ullam possit in hoc ipsi afferre molestiam, vel impedimentum. De statu vero eorumdem locorum, ac praesertim de baptizatorum numero, de catholicorum matrimoniis, de clericorum ordinatione, deque aliis praecipue ecclesiasticis negociis, cum primum commode juxta opportunitates identidem se se praebeat occasio, archiepiscopum, et episcopos supradictos respective certiores reddere omnino debeat; itemque de peractis suis itineribus, de rebus aliis illa spectantibus teneatur scientes facere vice reges, gubernatores, aliosque regios superintendes illarum partium, ut hoc pacto nulla ei desint consilia, et adjumenta ad hujusmodi pium opus, etiam juxta catholici regis vota feliciter prosequendum.

Deputatio episcopi titularis in legatum sanctae Sedis.

§. 7. Nos enim ut animarum saluti in remotis illis regionibus, quovis modo, ac tempore opportune consultum sit hujusmodi titulari episcopo in antedictorum archiepiscopi, et episcoporum auxilium deputato in singulis casibus, in quibus vel tempus, vel modus ei non suppetat potestatem habendi delegatam ab archiepiscopo, et episcopis respective supramemoratis, licentiam, et auctoritatem tribuimus, ut ipse tamquam ab hac quoque apostolica Sede deputatus, facultates tam ordinarias, quam extraordinarias occasione praesertim visitationis pastoralis, etiam quoad sacros ordines, et matrimonia, eorumdem archiepiscopi, et episcoporum vice, ac nomine exercere libere, ac licite valeat, quae a praefatis archiepiscopo, et episcopis essent respective exercenda.

Facultas concessa regi catholico nominandi executorem apostolicum.

§. 8. Ut perfecte demum pia vota ipsius Caroli regis ad exitum perducantur, et ea omnia, quae praesentibus Nostris literis disposuimus magis fideliter observentur, idoneam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, quae a memorato catholico rege nominabitur in earumdem literarum exequutorem deputamus, et juxta instructiones ei ab ipso Carolo rege tradendas territorium, et loca expresse declaret, in quibus antedictus episcopus titularis in auxilium archiepiscopi, et episcoporum praedictorum designatus, pastoralia officia eorum vice debeat exercere, atque archiepiscopum, et episcopos supradictos de hisce Nostris literis certiores reddat. Ad hoc vero ut nullum talis boni operis expedito progressui obstet impedimentum, eidem personae ecclesiasticae ab ipso rege nominandae omnes ad hunc effectum necessarias, et opportunas tribuimus facultates.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 9. Decernentes praesentes Nostras literas validas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, etiamsi quicumque cujuscumque gradus, dignitatis, conditionis, aut praeeminentiae, in praemissis, et circa ea quomodolibet, et ex quavis causa, ratione, et actione, vel occasione, jus, vel interesse habentes, aut habere praetendentes, illis aut plenissime, aut minime consenserint, aut ad id vocati, et auditi, et causae propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae, et justificatae non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, aut jus, vel interesse habentium consensus, aut quolibet alio substantiali, etiam individuam mentionem, et expressionem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, aut in jus vel controversiam vocari, aut adversus illam quodcumque juris, vel facti, aut gratiae remedium impetrari, vel etiam motu proprio similiter concesso, et impetrato, vel emanato uti, seu se juvare in judicio, vel extra posse, sed eas validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere. Sicque et

non alias in praemissis omnibus per quoscumque judices etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ejusdem S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuntios, et alios quoscumque quavis auctoritate, potestate, praerogativa, et privilegio, ac praeeminentia fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate in quocumque judicio, seu instantia judicari, et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 10. Non obstantibus omnibus etiam cancellariae Nostrae apostolicae regulis de jure quaesito non tollendo, aliisque etiam in synodalibus, provincialibusque, et universalibus conciliis, specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictarumque de Plata, seu Charcas, sancti Jacobi de Chile, Tucumanae, et de Arequipa respective ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis eisdem ecclesiis, seu earum praesulibus pro tempore existentibus, ac quibusvis aliis personis sub quibuscumque tenoribus, et formis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis specialis, specifica, expressa, et individua mentio facienda, aut aliqua alia forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, eisdem praesentibus, perinde ac si, nihil omisso, hic inserti forent, pro insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter, et expresse motu simili derogamus, ac derogatum esse decernimus, contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 11. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus publici notarii, aut alicujus personae in ecclesiastica dignitate constitutae subscriptis, et sigillo munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostri decreti, declarationis, derogationis, mandati, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo tertio, octavo kalendas decembris, pontificatus Nostri anno quarto.

CCLII.

Dat. die 24. nov. 1803, Anno IV.

Deputatio suffraganei seu vicarii in loco del Paposo pro conversione infidelium in deserto di Atacama nuncupato.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Dum redemptor Noster Jesus Christus apostolis suis spiritum sapientiae et intellectus ad manifestandum gentibus magnalia Dei, et ad revelandum sedentibus in umbra mortis, quia ipse est Deus saeculorum conspector, misericorditer suscitavit in cordibus; Petrum illum, cui oves suas pascere injunxit, clavesque regni coelorum tradidit, inter illos principem constituit, eique fidelium directionem ad viam salutis uti supremum pontificem pertinere statuit: hinc Nos ad universalis Ecclesiae regimen, licet nullis suffragantibus meritis, Nostrisque viribus penitus impares, a Christo Domino misericorditer constituti, officii Nostri debitum adimplere cupientes, quid majori Dei cultui, et gloriae, quid animarum saluti conferre valeat, mentis Nostrae acie sedulo considerare nunquam desistimus, ideoque dilectissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis catholici piissimis desideriis obsecundantes, ut orthodoxae fidei propagationi quoad vires Nostrae suppetunt Deo opitulante consulatur, muneris Nostri esse ducimus postulationibus hujusmodi clementer indulgere.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque dilectus filius eques Antonius de Vargas y Laguna, apud Nos et Sedem apostolicam ejusdem Caroli regis plenipotentiarius administer, nomine ipsius catholici regis Nobis significaverit, quod usque ab

anno Domini millesimo septingentesimo nonagesimo, eidem regi notitiam pervenit, eximia pietate et labore dilecti etiam filii Raphaelis Andreu y Guerrero presbyteri, in regno de Chile nuncupato, centum leucarum intervallo a villa nuncupata de Copiapò, aliquos habitatores absque ullo catholicae religionis auxilio, et deinde ad incognitas regiones aperto aditu, in medio deserti di Atacama nuncupati in loco pariter nuncupato del Paposo majorem habitatorum numerum respective inventum fuisse, quos idem Raphael orthodoxae fidei praeceptis erudiebat, ita ut necessarium fore putaretur, aliquam ecclesiasticam personam designare, cui animarum iis in locis degentium cura committeretur, pro eo quod attenta quatuorcentum leucarum distantia a praecipua civitate praefati regni, nullo alio modo spirituale auxilium animabus hujusmodi subministrari potuisset.

Ratio concessionis.

§. 3. Cumque idem Carolus rex optime agnoverit quod populi isti de potestate tenebrarum erepti, et ad gratiam coruscantis luminis sempiterni perducti, e remotissimis illis locis ad respectives antistites eorum preces nisi magnis incommodis, et animarum quoque periculis recurrere minime potuissent, ideo juxta votum etiam venerabilis fratris episcopi sancti Jacobi de Chile ad cujus dioecesim major locorum hujusmodi pars pertineret spirituali earumdem profectui opportunum videretur personam ecclesiasticam ad erudiendos tales populos deputatam episcopali dignitate insigniri, ut animarum populorum suae curae commissorum congruo regimini valeret consulere.

Tenor concessionis.

§. 4. Nos itaque pastorali sollicitudine votis ejusdem Caroli regis superius expositis propensius annuentes, ac in praemissis omnibus providere volentes, motu proprio et ex certa scientia, maturaque deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, ac fidei catholicae propagationem, praecipimus atque statuimus, ut loca illa, quae divisim ad dioeceses de Plata vulgo Charcas, sancti Jacobi de Chile, Tucumanam, et de Arequipa respective pertinerent, ex nunc et in posterum distincta remaneant, iisque in locis unus presbyter vel saecularis vel cujusvis ordinis regularis in theologia seu decretis graduatus, habilis et idoneus per ipsum Carolum, et pro tempore existentem Hispaniarum regem catholicum, etiam pro hac prima vice deputandus, per Nos ac Romanum pontificem ad episcopalem ecclesiam titularem promoveatur; qui praecipue in portibus, et ecclesia s. Nicolai, et B. Virginis del Paposo resideat, illiusque populi tam christiani, quam gentilis, nec non oppidorum, terrarum, et locorum in eorumdem territoriorum limitibus, terminis et locis praefatis consistentium, respective spiritualem curam habere, et inibi praedicare, ac etiam per alias personas ecclesiasticas ab eo deputatas praedicari facere, gentilesque praefati, ut ad orthodoxae fidei cultum convertantur studere, et conversis in eadem fide confirmare, atque baptismi gratiam, ac confirmationis, nec non sacrarum quoque ordinum sacramenta impendere, et tam illis sic conversis, quam omnibus aliis fidelibus in territoriis hujusmodi, eorumque respective oppidis, terris, villis, locis, ac limitibus pro tempore degentibus, et ad ea declinantibus omnia spiritualia munera tamquam locorum hujusmodi specialis delegatus ordinarius, nomine ac vice supradictorum archiepiscopi et episcoporum, etiam absque ulla expressa eorumdem licentia ministrare, et administrari quoque facere et procurare possit et valeat.

Jurisdictio concessa novo vicario.

§. 5. Ac denique ipsum tamquam archiepiscopi, et episcoporum praedictorum suffraganeum, et vicarium specialiter a Sede apostolica deputatum cum plena, libera, et omnimoda spirituali, et ecclesiastica, ac ordinaria jurisdictione in foro tam interiori, quam exteriori, omniaque et singula alia, quae archiepiscopus et episcopi antedicti iis in locis ac territoriis praefatis habere, gerere, et exercere deberent, similiter et pariformiter, nullaque prorsus differentia, prout divini cultus augmento, et populi animarum saluti expedire cognoverit, respective gerere, facere, et exequi; assignata tamen per dictum Carolum Hispaniarum regem annua summa ex aerario regio, suffraganeo, et vicario hujusmodi pro tempore existenti pro congrua ipsius substentatione persolvenda, de apostolicae potestatis plenitudine declaramus.

Monitum ad electum vicarium, seu suffraganeum.

§. 6. Hujusmodi autem suffraganeo seu vicario praecipimus, et mandamus, ut omni diligentia studeat idoneos, ac dignos presbyteros assumere in exercitium curae illarum ani-

marum, utque loca in territorio sibi assignato, prout fieri poterit visitare, in quem finem liberum omnino ei erit unam potius aut alteram locorum partem eligere, et ad eam sese conferre, in eaque per tempus pro suo judicio congruum permanere, ac iter prosequi ad curandum illorum habitatorum spirituale bonum, absque eo quod aliquis ex praefatis archiepiscopo, vel episcopis, seu quisvis alius ullam possit in hoc ipsi afferre, aut molestiam aut impedimentum, et de statu eorumdem locorum, ac praesertim de baptizatorum numero, de catholicorum matrimoniis, de clericorum ordinatione, deque aliis praecipuis ecclesiasticis rebus identidem juxta opportunitates, cum commoda sese praebeat occasio, archiepiscopum, et episcopos supradictos, certiores respective reddere omnino debeat, et teneatur: atque insuper de memoratis suis itineribus, deque causis illa spectantibus scientes faciat viceregés, gubernatores, aliosque regios superintendentes illarum partium, ut nulla ei desint consilia et adjumenta ad hujusmodi pium opus etiam juxta catholici regis vota feliciter prosequendum.

Deputatio executoris apostolici.

§. 7. Minime vero dubitamus quod moderni et pro tempore existentes archiepiscopus de Plata vulgo Charcas, et sancti Jacobi de Chile, de Tucumana, et de Arequipa respective episcopi, hujusmodi dispositioni Nostrae, catholicae religionis augmentum, et spiritualem animarum salutem tantummodo respicientes, consensum non sint praebituri; verumtamen hujusmodi mandata, ut perfecte absolvantur, ac ad felicem perducantur exitum, venerabili fratri Antonio S. R. E. presbytero cardinali de Sentmanat y Cartellá nuncupato patriarchae Indiarum committimus, ut ipse per se, vel alium, seu alios ad hoc specialiter subdelegandum, vel subdelegandos, dicto suffraganeo et vicario, loca et limites suae jurisdictionis assignet, quodque archiepiscopum et episcopos supradictos de hisce Nostris literis certiorando, assensum ab unoquoque eorum pro memorati suffraganei, et vicarii deputatione exquirat. Nos enim si contingat aliquem ex iis irrationabiliter ab hujusmodi statutis providentiis dissentiri, ipsius consensui de apostolicae potestatis plenitudine derogatum esse decernimus; atque ne ullum talis boni operis expedito progressui obstet impedimentum, ex nunc dictum suffraganeum et vicarium, ad liberum plenae ordinariae jurisdictionis exercendum munus habilitando, singulas ad id necessarias, et opportunas tribuimus facultates. Praeterea si forte accidat, quod minime putamus, aliquas circa res in hisce Nostris literis dispositas oriri quaestiones, volumus ut praefatus cardinalis patriarcha vel ejus subdelegatus, aut subdelegati, eas absque mora dijudicent, solvantque difficultates, et dissentiones componant, ea forma, qua ad orthodoxae fidei propagationem magis in Domino judicaverint expedire.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 8. Decernentes praesentes literas validas, et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ex quocumque capite, vel qualibet causa, quantumvis juridica, etiamsi quicumque cujuscumque gradus, dignitatis, conditionis, aut praeeminentiae, in praemissis et circa ea quomodolibet, et ex quavis causa, ratione, et actione, vel occasione, jus vel interesse habentes, aut habere praetendentes, illis aut plenissime aut minime consenserint, aut ad id vocati, et auditi, et causae propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae, et justificatae non fuerint, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut jus vel interesse habentium consensus, aut quolibet alio substantiali, etiam individuam mentionem et expressionem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, aut in jus vel controversiam vocari, aut adversus illam quodcumque juris vel facti aut gratiae remedium impetrari, vel etiam motu proprio similiter concesso et impetrato vel emanato uti, seu se juvare in judicio vel extra posse, sed eas semper validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere. Sicque et non alias in praemissis omnibus per quoscumque judices etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ejusdem S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios, ac alios quoscumque, quavis auctoritate, potestate, praerogativa et privilegio ac praeeminentia fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate et auctoritate in quocumque judicio, seu instantia judicari et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane etiam decernimus.

Digitized by Google

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus omnibus etiam cancellariae Nostrae apostolicae regulis de jure quaesito non tollendo, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet editis vel edendis, etiam in synodalibus, provincialibus, universalibusque conciliis, specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis dictarumque de Plata seu Charcas, sancti Jacobi de Chile, Tucumana, et de Arequipa respective ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis eisdem ecclesiis seu earum praesulibus pro tempore existentibus, ac quibusvis aliis personis sub quibuscumque tenoribus et formis in genere vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis etiamsi de illis specialis, specifica, expressa et individua mentio facienda, aut aliqua alia forma ad hoc servanda foret, eorum tenores eisdem praesentibus, perinde ac si nihil omisso hic inserti forent, pro insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum specialiter, et expresse motu simili derogamus, ac derogatum esse decernimus, contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 10. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus publici notarii, aut alicujus personae in ecclesiastica dignitate constitutae subscriptis, ac sigillo munitis, eadem prorsus fides in judicio et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 11. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostri decreti, statuti, declarationis, derogationis, mandati, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac bb. Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud s. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae MDCCCIII., octavo kal. decembris pontificatus Nostri anno IV.

Dat. die 24 nov 1803. Anno IV.

CCLIII.

Episcopales ecclesiae de Cuba, et de Benecuela in archiepiscopales eriguntur.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. In universalis Ecclesiae regimine semper cordi fuit Romanis pontificibus, decori et ornamento ecclesiasticae hierarchiae opportuna forma prospicere, quod ut facilius assequerentur, eorum qui in partem apostolicae sollicitudinis vocati sunt sedes ad varios per orbem catholicum gradus sustollere consueverunt; ita Nos etiam praedecessorum Nostrorum vestigia sectantes aliquas ex iis sedibus sublimiori titulo decorare, et peculiaria illis insignia elargiri expediens in Domino arbitramur.

Expositio precum porrectarum a rege catholico.

§. 2. Nomine dilectissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis catholici nuper Nos animadvertere studuit, dilectus filius eques Antonius de Vargas y Laguna, apud Sedem apostolicam ejusdem Caroli regis plenipotentiarius administer, quod post cessionem insulae s. Dominici ab eodem Carolo rege peractam favore Gallicanae reipublicae, vigore concordatorum inter Carolum regem praedictum, et ipsius reipublicae consules initorum, episcopales ecclesiae illae, quae suffraganeae metropolitanae ecclesiae sancti Dominici antea erant assignatae, similem metropolitanum intra fines dominii ejusdem catholici regis non amplius in posterum haberent, quodque ut populi omnes eisdem ecclesiis subjecti, eidemque Carolo regi obtemperantes, facilius in necessitatibus ad metropolitanum appellare, ejusque auxilium, si ratio postulet implorare opportune valerent, opportunum videtur eas a metropolitico jure praefatae ecclesiae sancti Dominici addicare, et deinde vel alicui archiepiscopatui subjicere, vel etiam earum unam vel plures ad archiepiscopalis ecclesiae gradum extollendo, alias in suffraganeas eisdem designare.

Ratio decernendae novae erectionis.

§. 3. Et subinde cum ipse Carolus rex catholicus semper excogitaverit ea omnia in suis regnis statuere, quae tam bono catholicae religionis expedirent, quam populis sibi subditis commoditatem tribuerent; ideo si una de Cuba, et altera de Benecuela vulgo Caraccas respective episcopales ecclesiae ad archiepiscopalium ecclesiarum gradum veherentur, et ad illam de Cuba, alias sancti Christophori

de Havana, et de Portorico, ad alteram vero de Benecuela vulgo Caraccas, aliam de Guajana respective episcopales ecclesias in earum respective ecclesias suffraganeas assignarentur, personarum tam ecclesiasticarum, quam laicarum in illis partibus degentium necessitatibus optime occurreretur.

Idem ut supra.

§. 4. Quin immo in eumdem finem cum episcopalis ecclesia Emeritensis vulgo de Maracaibo, archiepiscopatui s. Fidei suffraganea, magno locorum intervallo a suo metropolitano disjuncta sit, ad dioecesanos omnes praefatae ecclesiae Emeritensis commodum afferendum si ecclesia ipsa episcopalis a metropolitica subjectione archiepiscopi s. Fidei subduceretur, et una cum praedicta ecclesia de Guyana novo archiepiscopatui de Benecuela tamquam ejus suffraganea subjiceretur, opportune respective populorum commoditati foret consultum.

Tenor concessionis.

§. 5. Zelo itaque antedicti catholici regis, quo pro ecclesiarum splendore, et populorum utilitate, ac rerum omnium expedito ordine, incensum aspicimus, apostolica auctoritate libenter accurrentes, motu proprio et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine antedictas de Cuba, de Benecuela, s. Christophori de Havana, de Portorico, et de Guayana respective episcopales ecclesias antea archiepiscopatui s. Dominici in suffraganeas assignatas, a superioritate, jurisdictione, et metropolitica subjectione praefati archiepiscopatus s. Dominici, ad praesens vacantis, et extra catholici regis ditione existentis, sejungimus, et abdicamus, ac in posterum separatas, et minime archiepiscopatui praedicto subjectas esse volumus atque decernimus.

Exemptio a jurisdictione archiepiscopi.

§. 6. Ad hoc pariter ut juxta superius expressa praefati regis desideria, commoditati populorum in dioecesi Emeritensi vulgo, ut diximus, de Maracaibo degentium, quorum episcopalis ecclesia, ut praefertur, metropolitico jure archiepiscopalis ecclesiae s. Fidei subjacet, opportune provideatur, antedictam quoque ecclesiam episcopalem Emeritensem a metropolitica subjectione, jurisdictione, et superioritate tam ipsius archiepiscopalis ecclesiae s. Fidei, quam illius pro tempore existentis archiepiscopi, ex nunc et in posterum modo tamen et forma infrascriptis etiam similiter eximimus et liberamus, ac minime eidem subjectam esse censeri mandamus.

Erectio novarum sedium archiepiscopalium.

§. 7. Episcopales profecto ecclesiae superius expressae sic abdicatae, et a metropolitica subjectione suorum archiepiscoporum liberatae, unam et alteram earum videlicet de Cuba, et de Benecuela, ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, et Beatissimae Virginis Mariae, ac sanctorum apostolorum Petri, et Pauli, nec non fidei catholicae exaltationem, totiusque militantis Ecclesiae decus, in ecclesias archiepiscopales, et sedes illas usquemodo episcopales, in archiepiscoporum sedes, pro duobus archiepiscopis, qui pallii, et crucis usum more aliorum archiepiscoporum habeant aliisque gaudeant privilegiis, honoribus, et praerogativis similibus archiepiscopis debitis, et concessis, quibus primi, ac successive protempore existentes illarum ecclesiarum archiepiscopi uti, frui, potiri, et gaudere libere et licite possint et valeant, ac etiam debeant, apostolica Nostra auctoritate, ipsarum tenore praesentium, perpetuo erigimus, et instituimus, ac nomine, titulo, insigniis, et honore archiepiscopali respective decoramus. Nec non dictarum ecclesiarum praesules usque modo episcopi, eorumque respective successores pro tempore existentes in archiepiscopos declaramus; ita quod ipsi absque alia de illarum ecclesiarum de novo facienda provisione, et praefectione, unum in de Cuba, et alterum in de Benecuela respective archiepiscopos praefectos esse intelligantur. Praeterea eisdem archiepiscopis, suisque successoribus, ut ipsi, et illorum quilibet omnia et singula, quae ad similes archiepiscopos in eorum civitatibus, et dioecesibus ad archiepiscopale munus exercendum, de jure vel consuetudine, aut alias quoquomodo spectare, et pertinere solent, et debent, gerere, facere, exercereque libere et licite possint, plenam et omnimodam auctoritatem, tenore praesentium concedimus et impertimur.

Assignatio ecclesiarum suffraganearum.

§. 8. Alteras postmodum, videlicet s. Christophori de Havana, de Portorico, de Guayana, et Emeritensem respective episcopales ecclesias, jam per Nos ut supra a metropolitico jure, et respectiva subjectione suorum archiepiscoporum exemptas et liberatas, ad hoc ut ecclesiasticae hierarchiae in catholico orbe semper omnibus in rebus servetur ordo, illas nempe s. Christophori de Havana, et de Portorico in archiepiscopalis ecclesiae de Cuba, alteras vero de Guayana, et Emeriten-

sem, respective episcopales ecclesias, in alterius archiepiscopalis ecclesiae de Benecuela, respective suffraganeas assignamus, et praedictarum episcopalium ecclesiarum praesules, ac loca omnia, personasque tam ecclesiasticas quam laicas in earum respective dioecesibus, existentes, pro tempore existentium archiepiscoporum antedictarum de Cuba et de Benecuela respective archiepiscopalium ecclesiarum, metropolitico jure per easdem praesentes perpetuo subjicimus, atque supponimus.

Deputatio executoris apostolici.

§. 9. Quamobrem ut omnia et singula per has Nostras literas disposita exequutioni debitae, absque longa mora demandentur, venerabili fratri Antonio S. R. E. presbytero cardinali de Sentmanat y Cartellá nuncupato, patriarchae Indiarum committimus, ut sive per se, sive per alium aut alios ab eo deputandum aut deputandos, quibuslibet interesse habentibus, praesentia Nostra decreta communicet, ac venerabilis fratris archiepiscopi s. Fidei consensum exquirat, omniaque agat, quae ad plenarium singularum rerum consequendum effectum necessaria, et opportuna cognoverit. Nos enim, si praefatus archiepiscopus s. Fidei ad id assentiri irrationabiliter renuerit, ejusdem et aliarum quarumcumque ecclesiasticarum personarum assensum supplentes, illi ex nunc apostolica auctoritate derogatum esse declaramus; praedictoque Antonio cardinali et patriarchae amplam ad supradicta omnia integre exequenda tribuimus potestatem.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 10. Omnia autem et singula in hisce Nostris literis contenta, nullo umquam tempore, etiam ex eo quod causae propter quas haec gesta fuere, examinatae, verificatae, et approbatae, ac antedictarum ecclesiarum antistites, earumque capituli et alii quicumque in eis interesse habentes, ad id vocati non fuerint, nec praemissis consenserint, sive alias ex quibuscumque causis juridicis, et legitimis, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio vel intentionis Nostrae, seu quopiam alio defectu notari, impugnari, retractari, in jus vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, vel adversus illas quodcumque juris vel facti, aut gratiae remedium etiam aperitionis oris impetrari posse; nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per Nos, seu Romanos pontifices successores Nostros sub quibusvis expressionibus et formis etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus pro tempore faciendis comprehendi cultus et ecclesiastici ordinis decore et augmento concessas semper ab illis excipi, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere. Sicque per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ejusdem S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, vicelegatos, aut nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate et auctoritate judicari, et definiri debere mandamus, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari irritum prorsus et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 11. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, nec non quorumcumque Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum super authoritate, et usu pallii editis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, omniumque et singularum super expressarum, tam archiepiscopalium, quam episcopalium ecclesiarum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis eisdem ecclesiis, illarumque respectivis praesulibus, nec non dilectis etiam filiis illarum capitulis et canonicis, aliisque personis etiam speciali mentione dignis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, nec non irritantibus et aliis decretis etiam motu pari, ac consistorialiter, aut alias quomodolibet etiam pluries concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, earumque totis tenoribus specialis, expressa et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda foret: tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, praesentibus inserti forent, pro sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime, plenissime, ac specialiter et expresse motu pari hac vice derogamus, contrariis quibuscumque.

Digitized by Google

Fides habenda transumptis.

§. 12. Praeterea volumus quod earumdem praesentium transumptis etiam impressis, charactere notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae iisdem praesentibus adhiberetur, si exhibitae forent vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae disjunctionis, divisionis, separationis, abdicationis, erectionis, subjectionis, decreti, statuti, mandati, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo tertio, octavo kalendas decembris pontificatus Nostri anno quarto.

Dat. die 20. nov. 1803. Anno IV.

CCLIV.

Communicantur nuncio apostolico Hispaniarum facultates ad restituendam regularem observantiam in provincia s. Joannis Evangelistae in insulis Azoriis ordinis minorum s. Francisci de observantia.

Venerabili fratri Laurentio archiepiscopo Nisibensi nostro, et apostolicae Sedis, in Portugalliae, et Algarbiorum regnis nuncio.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi nuper fecerunt Nobis dilecti filii minister provincialis, et definitores moderni fratrum ordinis s. Francisci de observantia nuncupatorum provinciae s. Joannis Evangelistae in Azoriis insulis Angrensis dioecesis, quod ipsi magna cum amaritudine cordis plures in eamdem provinciam irrepsisse intuentur abusus, praesertim adversus paupertatis vota, et disciplinae regularis praecepta, cum eo usque perventum sit, ut linea sub habitu indusia gestentur, et nummi tamquam proprii retineantur, ac non sine etiam aperto dedecore dissipentur. Hinc ne per exempla hujusmodi palam grassantia laxiores fiant in diem habenae conscientiis, zelo ipsi religiosae observantiae incensi validum tanto malo, ac in tanta regionis distantia opportunum a Sede hac apostolica efflagitantes remedium, Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut providere sibi, ac ut infra indulgere, de apostolica benignitate dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes, eorumque singulos specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut constito tibi prius de narratis, eisdem exponentibus per ea, quae magis quoad praemissa ad regulam, et professionem religiosam in utriusque sexus coenobiis, et monasteriis praedictae provinciae subjectis non modo strenue reparandam, sed sarctam quoque tectamque tuendam expedire in Domino duxeris auctoritate Nostra apostolica pro tui arbitrio, et prudentia provideas, sive per te ipsum statuendo, atque mandando, sive eis auxilium impendendo, et potestatem communicando; Nos enim tibi facultates omnes, quae ad id opus sunt, eadem auctoritate tribuimus, et impertimur. Tenor concessionis.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis qui- Derogatio contrariorum.

Digitized by Google

buscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima nona novembris millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

Dat. die 2. dec. 1803. Anno IV.

CCLV.

Facultas dignitatibus, et canonicis cathedralis Pratensis utendi bugia in perpetuum.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. In summo apostolatus apice, meritis licet imparibus, constituti personarum etiam in celebrioribus ecclesiis Altissimo famulantium, deque Nobis, et hac sancta Sede benemerentium decori, et honorificentiae libenter consulimus.

Expositio precum. §. 2. Cum igitur, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii moderni dignitates, et canonici ecclesiae cathedralis Pratensis, ipsa cathedralis ecclesia antiquitatis laude, sacrarum supellectilium copia, populi christiani devotione, et frequentia, atque sacerdotum probitate, et doctrina, vel difficillimis temporibus probata non mediocriter floreat, non parum splendoris ad eam accederet, ac divinus cultus, populique devotio majora ibi susciperet incrementa, si dignitates, et canonici praedicti aliqua nova praerogativa, et honorificentia per Nos, et hanc apostolicam Sedem, donentur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur attentis desuper venerabilis fratris Francisci episcopi Pratensis commendationibus, ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, dignitatibus, et canonicis dictae cathedralis ecclesiae Pratensis nunc, et pro tempore in perpetuum existentibus, ut palmari, vulgo bugia in sacris tam privatim, quam solemniter faciendis, ac in aliis presbyteralibus functionibus quibuscumque uti libere, et licite possint, et valeant, et quilibet eorum possit, et valeat, auctoritate apostolica, tenore praesentium tribuimus, et impertimur, dictosque dignitates, et canonicos desuper a quoquam impediri, et molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, dictae cathedralis ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die secunda decembris millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto. Derogatio contrariorum.

Dat. die 2. dec. 1803. Anno IV.

CCLVI.

Facultas missionariis missionum de Fiorillo civitatis Neapolitanae utendi quibusdam privilegiis, et facultatibus in exercitio missionum in perpetuum.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Quum nuper Nobis expositum sit nomine dilecti filii Josephi De Angelis Caruso ordinis fratrum Praedicatorum ex-provincialis, rectorisque ad praesens sacrarum missionum, quae, ut supponitur, s. Dominici majoris ci- Expositio precum.

Digitized by Google

vitatis Neapolitanae conventui adnexae, et a piae memoriae Ludovico Fiorillo ordinis ejusdem alumno sub s. Vincentii Ferrerii patrocinio extant canonice institutae, spem haud inanem adesse, ut e missionibus hujusmodi multo uberiores in vinea Domini fructus colligi queant, si earum operarii indulgentiis, privilegiis, et facultatibus praesertim absolvendi a reservatis aeque fulciantur, ac fulciti, sicut asseritur, anno 1723. et 1728. per apostolicas fel. rec. Innocentii pp. XIII. et Bened. pp. XIII. praedecessorum Nostrorum, in simili forma brevis expeditas literas isthic fuere tum missionarii, quos vocant, de sancta Maria Regina Apostolorum, tum ii, qui et de s. Georgio, et de P. Pavone nuncupantur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos ordinis ac institutionis praememoratae missionariis toto, quo cum Domino possumus, animo praesto esse cupientes, ipsosque, ac ipsorum singulos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, iisdem missionariis, ut in exercitio suarum missionum omnibus, et singulis privilegiis, et facultatibus absolvendi a reservatis, nec non gratiis et indultis, quibus alii aliarum superius recensitarum institutionum missionarii vigore apostolicarum literarum, ut praefertur, utuntur, fruuntur, et gaudent, simili, ac eodem plane modo, juxta tamen literarum earumdem dispositionem et formam, uti, frui, et gaudere libere, licite, ac perpetuo possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, ac indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die sexta decembris millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

CCLVII.

Dat. die 15. dec. 1803. Anno IV.

Privilegia, et immunitates concessae militibus provincialibus status Ecclesiastici.

Pius PP. VII.

Motu proprio.

Ratio concessionis.

§. 1. Le stesse ragioni, che ci hanno determinato a procedere ad un nuovo impianto delle così dette milizie urbane, a seconda del piano formatone dalla congregazione militare, e che abbiamo pienamente approvato, ci hanno del pari indotto a stabilire de' nuovi privilegj, ed esenzioni in favore degl' individui, che saranno in esse per arrolarsi, i quali nuovi privilegj prenderanno il luogo di quegli accordati alle antiche milizie dai Nostri predecessori, e che per la sopravvenienza delle note vicende rimasero già fin da quell' epoca al pari delle milizie stesse soppressi, ed aboliti; prevenendo in tal guisa la riforma, che per gli abusi introdottisi e nel detto corpo, e nell' esercizio degli stessi privilegj, era la sa. mem. di Pio VI. nella determinazione di eseguire. Per vieppiù animare la nuova truppa all' esatto disimpegno de' proprj doveri, servendo opportunamente all' oggetto della di lei istituzione, abbiamo voluto fra gli altri privilegj aggiungervene ancora taluno, che sia per la medesima di un qualche reale vantaggio nella personale esenzione dalla quota forzosa del sale, e dell' altra dalla gabella del macinato.

Tenor privilegiorum.

§. 2. I privilegj pertanto, de' quali verrà loro inviolabilmente mantenuto il possesso, sono i seguenti.

Honores militares.

I. §. 3. Gli onori militari eguali in tutto alla truppa di linea, durante l' effettività di servigio.

Privilegium fori.

II. §. 4. Privilegio del foro non solo per le mancanze in servizio, ma per i delitti anche comuni, che si commetteranno allorchè si trovano in effettivo esercizio della milizia.

Forma servanda in carceratione militum.

III. §. 5. Quando dal tribunale civile si esigesse l' arresto d' un individuo militare in quei luoghi, ne' quali risieda un ufficiale, sino al sargente esclusivamente, sarà cura del giusdicente locale farlo eseguire, per quanto sia possibile, dal militare stesso, prestandosi il capo della truppa esistente in luogo ad ogni richiesta sotto gravissime pene in caso di contravenzione. Quando però le circostanze del luogo, o del caso non permettano d' eseguirlo, che per mezzo degli esecutori locali del governo, dovrà il giusdicente darne immedia-

tamente ragguaglio al superiore militare, perchè questi, occorrendo, abbia la cura, che il soldato non sia aggravato.

Retentio eorum in guardiae loco, et vice carceris.

IV. §. 6. I militari, che per le mancanze in servizio verranno puniti dal loro superiore, saranno per l'oggetti tenuti in arresto nel locale, che servirà loro di corpo di guardia. Per gli altri delitti poi dipendenti dalla giudicatura civile verranno consegnati alle pubbliche carceri. Nel primo caso dovrà l'arrestato mantenersi a proprie spese, e nel secondo a carico della rev. camera, come gli altri detenuti.

Exemptio a solutione propinarum.

V. §. 7. In tutte le cause, senza eccezione alcuna, i militari provinciali non pagheranno che la metà delle stabilite propine.

Privilegium pacis

VI. §. 8. Continueranno a godere, come in passato, del privilegio della così detta pace in termini.

Exemptio a taxis personalibus.

VII. §. 9. Sarà esente l'arrolato da tutte le gravezze comunitative risguardanti la persona.

Liberatio a receptione salis.

VIII. §. 10. Godrà l'esenzione personale della quota forzosa del sale.

Item de macinatus.

IX. §. 11. Sarà del pari esente, sempre però la sola di lui persona, dalla gabella del macinato per mezzo rubbio di grano all'anno.

Jus gestandi arma.

X. §. 12. Verrà permesso di portare l'arme, di cui dev'essere un militare fornito a seconda del rango, cioè il soldato del fucile, e bajonetta di fazione, ed i bassi ufficiali della sciabla, proibendosene qualunque altra, che non sia propria per l'armamento d'un militare.

Idem et supra.

XI. §. 13. Sarà concesso di portar l'archibugio andando a caccia, esclusi però i soliti tempi proibiti, ed i luoghi riservati con legittimo privilegio.

Privilegia fruenda post cessationem muneris.

XII. §. 14. Potrà l'arrolato ottenere dopo anni 25. di fedele servizio un'onorifico ritiro dalla truppa, godendo sua vita naturale durante de' privilegj sopraindicati.

Declaratio specialis.

XIII. §. 15. Finalmente de' privilegj suddetti non ne potranno godere che i soli arrolati nella truppa provinciale della nuova ascrizione, escludendosi dal godimento de' medesimi le soppresse milizie.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 16. Ordiniamo pertanto, ed espressamente comandiamo in virtù di santa obbedienza, e sotto pena della disgrazia Nostra, ed altre pene ad arbitrio Nostro, a tutti i legati ancorchè di latere, vice-legati, governatori, commissarj, podestà, fiscali ed esecutori, ed altri ministri ed ufficiali di giustizia del Nostro stato Ecclesiastico, che non ardiscano in qualsivoglia modo, nè sotto qualsivoglia pretesto, colore, o causa contravveniente direttamente, o indirettamente a questi privilegj ed esenzioni, o turbare, o violare la loro disposizione con derogazione o in altro modo ancorchè incognito, ma debbano inviolabilmente e puntualmente osservarli e farli osservare da tutti a chi spetta ad unguem come stanno senza alcuna estranea dichiarazione, o interpetrazione, la quale interpetrazione in ogni caso, e dubbio che vi fosse riserviamo a Noi, ed ai Nostri successori, che saranno pro tempore. Volendo che non siano compresi nei bandi generali, senz'ordine Nostro espresso sotto qualsivoglia pretesto, che da nessun'altro per qualsivoglia autorità, dignità, e preeminenza che abbia si possa in tutto o parte derogarli, nè opporre contro di essi difetto della Nostra intenzione, o qualsivoglia altro difetto, e mancamento di ragione, o di fatto, ai quali tutti suppliamo colla pienezza della Nostra potestà. Volendo che contro detti privilegj, e cose contenute in essi non possa per tempo alcuno opporsi, nè dirsi cosa alcuna, e così si debba, e non altrimenti giudicare da tutti ancorchè cardinali di S. R. C. e legati de latere ed altri ec., levata a ciascuno di essi la facoltà, e potestà di poter giudicare altrimenti, irritando ed annullando ciò che fosse fatto in contrario.

Derogatio contrariorum.

§. 17. Non ostante qualsivoglia costituzione apostolica, e massime quella di Pio IV. di registrare infra certo tempo le concessioni, e grazie, che concernono in qualsivoglia modo l'interesse della Nostra camera, ed altre costituzioni ed ordinazioni apostoliche, regole di cancellaria, massime quella *de jure quaesito non tollendo* in quanto bisognasse per la validità de' detti privilegj, esenzioni ed altre ordinazioni, privilegj, leggi e statuti ancorchè giurati e confermati più volte da Noi, e Nostri predecessori con clausole, e decreti irritanti ed altre amplissime derogazioni, alle quali tutte, avendo noi il loro tenore qui per espresso, ed inserto di parola in parola, restando peraltro ferme ed in loro vigore, deroghiamo espressamente, ed in individuo, ed in ogn'altro miglior modo che possiamo.

Fides habenda transumptis.

§. 18. Volendo che alli transunti della presente stampati e sottoscritti da qualsivoglia

ed by Google

notaro pubblico, e sigillati con il sigillo di qualche persona costituita in dignità ecclesiastica, se gli dia quella fede, che all'originale stesso. Dato dal Nostro palazzo apostolico Quirinale li 15. dicembre 1803.

Pius PP. VII.

Dat. die 16. dec. 1803. Anno IV.

CCLVIII.

Extensio concessionis supplendi vices ministri generalis in quibusdam gradibus distribuendis pro hac vice pro ministro provinciali ordinis Praedicatorum provinciae s. Antonii novi regni Granatensis.

Dilecto filio moderno ministro provinciali fratrum ordinis Praedicatorum provinciae s. Antonii novi regni Granatensis in Indiis.

Pius PP. VII.

Dilecte fili salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecisti, quod paulo ante sub certis modo, et forma tunc expressis auctoritate apostolica tibi indulsimus, ut in locum ministri generalis tui ordinis (jamdiu generalatus officio hujusmodi vacante) quosdam istius tuae provinciae et ordinis professores ad ministerii, et praesentaturae gradus admittere, et promovere libere, et licite posses, et valeres, ac alias, prout in Nostris desuper in simili forma brevis die XXIX. superioris mensis novembris, quarum tenorem praesentibus, pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus fusius continetur. Verum quia, sicut in eadem expositione additum erat ad rem plane conficiendam alios quoque fratres, quorum merita in capitulo provinciali jam sunt adprobata, vel adprobanda erunt, ad alios infrascriptos gradus per te pariter evehere posse plurimum desideras; Nobis propterea humiliter supplicari fecisti ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur te specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, ac singulares personas, quibus praesentes Nostrae literae favent a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrer'nt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, tibi, ut pro hac vice dumtaxat in locum dicti ministri generalis adhuc vacantis dilectos filios Ignatium Busto in magistrum pulpiti, Augustinum Turrigos, Ignatium Ruiz, et Firminum Zabala in praesentatos, Emmanuelem Neyra, Joachimum Buitrago, Tiburtium Torres, et Antonium Collegas in praedicatores generales: Antonium Salazar, et Dominicum Obregon in praedicatores pariter generales sub titulo missionum assumere, et promovere; ac demum, si, et quando per dictum capitulum provinciale aliorum quatuor fratrum merita respective fuerint adprobata ad unam praedicationem generalem obtinendam, et ad unum aliud missionum magisterium, duasque praesentaturas sub eodem missionum titulo ad praesens vacantia, et pro quibus nemo in ultimo capitulo provinciali fuerat adprobatus, itidem assumere, ac novum etiam praedicatorem generalem, novumque missionum magistrum, duosque praesentatos hujusmodi promovere cum omnibus, et singulis praeeminentiis, privilegiis, exemptionibus, juribus, facultatibus, honoribus, et oneribus cuilibet ex gradibus praedictis competentibus respective solitis, et consuetis, libere, et licite possis, et valeas, servata in reliquis praecedentium Nostrarum literarum forma, et dispositione, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus omnibus, et singulis, illis, quae in memoratis Nostris literis voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima sexta decembris millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

Dat. die 16. dec. 1803. Anno IV.

CCLIX.

Confirmatio decreti cardinalis De Somalia protectoris ex motu proprio pro Raymundo Giovannini praeside generali provinciae Romanae ordinis monachorum Cistercensium.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Pastoralis Nostra sollicitudo exigit, ut religiosorum virorum quieti, et concordiae quantum cum Domino possumus, consulamus. Cum itaque, sicut Nobis dilectus filius Raymundus Giovannini monachorum ordinis Cistercensium provinciae Romanae praeses generalis nuper exponi fecit, postquam per Nostras in simili forma brevis die XXI. julii MDCCCI. expeditas literas dicti ordinis monasterium s. Crucis in Hierusalem de urbe dictae provinciae univimus, et incorporavimus, demandata etiam electione novi abbatis ejusdem monasterii ob expiratum quinquennale gubernium dilecti filii Alani Bagatti ipsius monasterii abbatis tunc absentis excitatae fuerint ab eodem abbate Alano nonnullae querelae, ad quas sedandas per dilectum filium Nostrum Julium Mariam Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalem De Somalia nuncupatum ejusdem ordinis protectorem die XI. septembris ejusdem anni rescriptum emitti mandavimus, quo non solum in dictis Nostris literis disposita servari jussimus, sed etiam, abrogata interina deputatione ejusdem abbatis Alani in procuratorem generalem totius ordinis, subrogavimus in eodem officio, donec, et quoad novum desuper consilium suscepissemus, procuratorem generalem pro tempore existentem dictae provinciae Romanae; cumque dictus Alanus hisce dispositionibus minime acquievisset, praeviis debitis licentiis, re integra ad congregationem venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis, et consultationibus, episcoporum, et regularium praepositam delata, atque in plena congregatione expensa die II. aprilis MDCCCII. prodiit resolutio confirmatoria incorporationis dicti monasterii sanctae Crucis ad formam Nostrarum literarum, itemque constitutum, servandam esse electionem dilectorum filiorum abbatis denominati Castillia in novum abbatem dicti monasterii, et deputationem alterius abbatis Joannis Colombini Fatteschi procuratoris generalis provinciae Romanae in procuratorem generalem totius ordinis ad Nostrum, et hujus s. Sedis beneplacitum, ac in reliquis ad ejusdem congregationis mentem; mens autem fuit quod dictus Alanus, si adgregari voluerit provinciae Romanae, provideretur suo loco, et tempore de aliqua abbatia, attentis ejus personalibus meritis, ac praeterea, si aliqui ex monachis provinciae Longobardinae institerint pro aggregatione provinciae Romanae, admitterentur, ac opportune per ipsius provinciae monasteria distribuerentur. Cumque ne huic quidem resolutioni acquievisset dictus Alanus, novam audientiam impetravit, quin tamen adhuc quidquam novi juris in contrarium deduxerit: atque interim de Nostra voluntate monitus pro ejus deputatione in abbatem monasterii ss. Fabiani et Sebastiani, extra urbem eidemque proposita conventione a dicto procuratore generali Fatteschi nomine etiam, praesidentis, et regiminis provinciae Romanae de annua pensione trecentorum quinquaginta scutatorum ipsi subministranda pro fructibus dictae abbatiae juxta apocam die XIII. novembris MDCCCII. subscriptam; idem Alanus acceptavit pensionem hujusmodi cum protestatione « sine praejudicio suorum jurium in causa » et adhuc recusat se gerere velle, uti abbas dicti monasterii ss. Fabiani et Sebastiani. Cum autem ex hujusmodi dissentionibus scandala, et incommoda in dicta congregatione oriantur.

Tenor motus proprii editi pro imponendo silentio jurgiis excitatis ab abb. Alano, qui praepositus monasterio ss. Fabiani et Sebastiani de urbe cum certis legibus.

§. 2. Nos malis hujusmodi firmum, et perpetuum remedium afferre, dictumque praesidentem, aliosque monachos hujusmodi specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, non ad alicujus preces Nobis super iis, quae infra statuemus, oblatas, sed motu proprio, ac certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, causam, seu causas, et quaestiones hujusmodi obtruncantes, dicto Alano abbati perpetuum silentium super praemissis indicimus, quaestionesque praedictas nullo umquam tempore coram memorata, et alia quacumque S. R. E. cardinalium congregatione, aut quolibet Romanae curiae judice, et tribunali, vel apostolico delegato proponi, et agitari posse decernimus, et mandamus: atque incorporationem praedictam monasterii s. Crucis, dictaeque cardinalium congregationis resolutionem, declaratamque mentem confirmantes cum ag-

gregatione facta ejusdem Alani provinciae Romanae, ejusque deputatione in abbatem monasterii praedicti ss. Fabiani et Sebastiani ad futurum usque capitulum generale dictae provinciae cum plena administratione bonorum, et redditnum ejusdem monasterii conventionem praedictam annuae pensionis trecentorum quinquaginta scutatorum sine apostolico beneplacito factam motu, et potestate similibus delemus, et abrogamus, irritamque decernimus, eidemque abbati Alano residendi in dicto monasterio ss. Fabiani et Sebastiani, vel in quovis alio monasterio dictae congregationis in urbe ad sui libitum eligendo, excepto semper monasterio s. Crucis in Hierusalem, facultatem concedimus, ita tamen, ut constitutiones, ac decreta capitularia provinciae Romanae servare, ac superioribus ejusdem, ut reliqui ejusdem provinciae monachi abbates, parere, atque ad regimen, et administrationem dicti monasterii ss. Fabiani et Sebastiani, ut abbatem decet, incumbere omnino debeat, ac teneatur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, neque causae, propter quas ipsae praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae, et justificatae fuerint, aut ex alia quacumque, quantumvis legitima juridica, et privilegiata causa, et capite etiam in corpore juris clauso nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae aut interesse habentium consensus, alioque quolibet, quantumvis magno, et substantiali, ac individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas quodcumque juris, et facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam ex motu proprio, et ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine concesso, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare, sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suumque plenarium, et integrum effectum sortiri, et obtinere, atque illis ad quos spectat, et quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus praemissis, ac Nostra, et cancellariae apostolicae regula de jure quasito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non congregationis, et ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die decima sexta decembris millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

CCLX.

Dat. die 16. dec. 1803. Anno IV.

Confirmatio duorum decretorum a d. card. vicario urbis editorum super incorporatione oblatorum s. Rufinae, et destinatione bonorum monasterii sanctissimae Crucis ad Longariam de urbe.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio primi decreti a cardinali vicario pro unione duorum monasteriorum.

§. 1. Nobis nuper exposuit dilectus filius Noster Julius Maria Sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis de Somalia nuncupatus in alma urbe Nostra vicarius in spiritualibus generalis, quod ipse juxta Nostram sibi prae-

Digitized by Google

vie declaratam mentem duo edidit decreta, in quorum primo die XII. superioris mensis maji constituit, ut in oblatarum monasterium sanctae Rufinae trans Tyberim, ubi vix quinque tantum religiosae mulieres remanserat, transferrentur, et unirentur aliae undecim oblatae, et tres famulae tunc in alio fere simili monasterio sanctae Crucis ad Longariam, quae una cum primodicti monasterii oblatis unum corpus in posterum efficerent sub eodem instituto, et regula, quin ad eas regulas, quas antea professae fuerant, servandas amplius tenerentur; ac pro translatarum hujusmodi receptione, et manutentione eidem sanctae Rufinae monasterio domum in platea sancti Calixti, sitam, aliamque parvam adjacentem domum numeris 9. et 10., notatas, ambasque simul tribus millibus septingentis viginti duobus scutatis monetae Romanae aestimatas cum aliqua supellectili arbitrio suo specificanda, et tradenda tribuit in perpetuum, et assignavit: ac praeterea pensionem annuam septuaginta duorum scutorum ejusdem monetae pro unaquaque oblata, et sexaginta pro unaquaque famula hujusmodi ad earum vitam dumtaxat respective duraturam dicto sanctae Rufinae monasterio solvendam esse ex redditibus relicti monasterii sanctae Crucis decrevit.

Tenor secundi decreti ab eodem cardinale editi super gubernio, et jurisdictione monasterii sanctae Crucis ad Longariam.

§. 2. In altero vero decreto die XXII. superioris mensis septembris successive constituit, ut in dicta domo sanctae Crucis gyneceum, seu mulierum hospitium restituatur, ac eadem domus perpetuis futuris temporibus juxta suam primaevam institutionem adhibeatur ad recipiendas mulieres, tum, quae anteactae vitae ultro poenitere velint, tum, quae ibi a superioribus ecclesiasticis collocabuntur, non tamen publica infamia notatae; ad quem effectum constituit pariter, et assignavit omnia, et singula bona tam stabilia, quam mobilia, jura, redditus, et actiones ad ipsam domum quomodolibet pertinentia praedictis duabus domibus exceptis, et supportatis oneribus adnexis, solutisque pensionibus praedictis. Gynecei autem, seu piae domus hujusmodi sanctae Crucis spirituale regimen, et oeconomicam administrationem commisit dilectorum filiorum Nostrorum almae urbis Nostrae parochorum collegio, a quo per modernos, et pro tempore in perpetuum existentes officiales secretae eorumdem parochorum congregationis exerceatur, ita tamen, ut jurisdictioni ipsius cardinalis vicarii, ejusque vicesgerentis nunc, et pro tempore in perpetuum existentium dicti officiales subesse debeant, atque eisdem vicario, et vicesgerenti administrationis, et regiminis hujusmodi rationem quotannis, vel quoties dictis superioribus placuerit, reddere teneantur. Cum autem sicut idem Julius Maria cardinalis Nobis exponere perrexit, quo decreta praedicta firmius subsistant, et serventur exactius, apostolicae Nostrae confirmationis subsidio muniri summopere desideret.

Confirmatio apostolica.

§. 3. Nos ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ambo decreta praedicta, ac omnia, et singula in eorum utrisque contenta, et expressa auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis, ac perpetuae apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in eis quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus, constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictorum monasteriorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeteris-

Digitized by Google

que contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia decembris millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

Dat. die 23. dec. 1803. Anno IV.

CCLXI.

Suppressio beneficii simplicis, ejusque applicatio in perpetuum archipresbyteratui terrae Ficulle Urbevetanae dioecesis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Nuper exponi Nobis fecerunt dilecti filii Joseph Bellucci archipresbyter, et capitulum insignis, ut asserunt, collegiatae ecclesiae s. Mariae Novae de terra Ficulle Urbevetanae dioecesis, nec non ejusdem terrae populus, quod archipresbyteratus prima dignitas enunciatae ecclesiae praeter chori servitium habet quoque adnexam sibi curam animarum, sed ejus congrua adeo est modica et tenuis, ut quandoque concurrentium defectu vacuus diu ac derelictus permanserit. Hinc ne id amplius contingat tanto cum detrimento communi, cupiunt exponentes congruam archipresbyteratus hujusmodi pinguefieri ecclesiastico beneficio simplici, quod sub invocatione sanctae Christinae in ecclesia ss. Annunciatae extra portas Ficulle extat erectum, et affert in annuum fructum scutata centum et septuaginta tria, obulosque sexaginta, oneribus tamen non computatis, quae ad scutata quindecim circiter ascendere perhibentur, scilicet beneficium istud, quum primum vacare evenerit, (nam de praesenti a dilecto filio Innocentio Mercanti urbis presbytero possidetur) uniri per Nos etiam cum pensionis onere aliquo, et incorporari in perpetuum archipresbyteratui praedicto: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eosque omnes ac singulos a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, beneficium simplex praedictum si et quando per obitum, cessionem, renunciationem, aut alia quacumque ex causa praenominati Innocentii, qui ejusdem ad praesens possessor est, ut praefertur, vacare contigerit, ex nunc pro tunc, et e contra auctoritate apostolica tenore praesentium supprimimus in perpetuum, illiusque bona et jura omnia, nec non omnes, et singulos fructus, redditus, et proventus praenominato archipresbyteratui in congruae augmentum perpetuo applicamus, ita tamen ut archipresbyteri pro-tempore universa et singula hujusmodi beneficii onera, quae sarta tecta esse, ac fore decernimus, debeant omnino semper explere ac annuam pensionem scutorum centum monetae Romanae, quam super ejusdem beneficii fructibus, redditibus, et proventibus favore personae per Nos, et apostolicam Sedem nominandae auctoritate et tenore praedictis, imponimus, ac reservamus perpetuis futuris temporibus teneantur persolvere.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, atque iis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective, inviolabiter observari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, recentis memoriae Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non regulis cancellariae Nostrae de jure quaesito non tollendo, ac dicti beneficii erectione, juribus, et privilegiis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis, apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in

Digitized by Google

contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia decembris, millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

Dat. die 23. dec. 1803. Anno IV.

CCLXII.

Deputatio trium parochorum in administratores perpetuos cujusdam collegii terrae de Ascona Comensis dioecesis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium. §. 1. In summo apostolatus apice, meritis licet imparibus, constituti, illud etiam curandum Nobis esse arbitramur, ut puerorum, seu juvenum collegia pro eorum animis ad religionem, et bonas artes informandis bene sapienterque erecta, serventur, et floreant.

Expositio precum. §. 2. Cum itaque sicut Nobis nuper dilecti filii moderni reipublicae Helveticae catholici moderatores exponi fecerunt, juvenum, seu adolescentium, et puerorum collegium in oppido de Ascona Comensis dioecesis a bo. me. Bartholomaeo Papio per suas testamentarias tabulas an. MDLXXX. institutum, atque clarae memoriae cardinalis Orsini nuncupati fidei, et jurisdictioni commissum, successive autem a fel. rec. Urbano VIII. praedecessore Nostro pro meliore ejus regimine per suas in simili forma brevis die XII. martii MDCXXIV. tunc, et pro tempore existentis archiepiscopi Mediolanensis curae et administrationi creditum, atque ineunte tempore ab archiepiscopo hujusmodi dilectis filiis oblatis sancti Sepulchri civitatis Mediolanensis per subdelegationem commissum sub omnimoda ejusdem archiepiscopi dependentia, ita nunc demum a pristino suo statu exciderit, ut ad illud restituendum, et servandum pro temporum, rerumque mutatione subdelegatos hujusmodi administratores per Nos, et hanc apostolicam Sedem immutari, aliosque novos ex eodem oppido deligi maxime expediat, qui praesentes melius, quam absentes ejusdem collegii utilitatibus prospicere valeant. Nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur eorumdem moderatorum zelum plurimum in Domino commendantes, piis eorum votis annuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati praevia sanatione super quocumque defectu, quatenus infrascripti parochi ejusdem collegii curam jam suscepissent, praeviaque convalidatione singulorum contractuum, aliarumque dispositionum ad dictum collegium spectantium ab ipsis recte initarum, loco oblatorum praedictorum in subalterno regimine, et administratione memorati collegii dilectos filios archipresbyterum Julium Caesarem Caglioni, et theologum Joannem Antonium Zennettini, ac poenitentiarium Josephum Mariam Pancaldi dicti oppidi parochos, eorumque respectivos in archipresbyteratu, et paraeciis hujusmodi successores in perpetuum eodem modo, et forma, quo dicti oblati ipsum collegium administrabant, et regebant, sub omnimoda tamen dependentia, et subordinatione nunc, et pro tempore in perpetuum existentis archiepiscopi Mediolanensis tum quoad morale, et doctrinale juvenum regimen, tum etiam quoad oeconomicum, auctoritate apostolica, tenore praesentium constituimus, et deputamus, firma in reliquis remanente dictarum Urbani praedecessoris literarum forma, et dispositione. Tenor concessionis.

§. 4. Non obstantibus in praemissis ejusdem Urbani praedecessoris literis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, collegii ipsius etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub Derogatio contrariorum.

Digitized by Google

quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet, concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia decembris millesimo octingentesimo tertio, pontificatus Nostri anno quarto.

Dat. die 12. jan 1804. Anno IV.

CCLXIII.

Instante marchione Carolo Massimi de urbe mandatur, ut archipresbyteri terrae Arsoli teneantur in perpetuum semel in mense ad officium defunctorum, et missam de requiem cum cantu; eorum vero cappellanus ad celebrationem missae in quadam ecclesia, et hora, statisque hebdomadae diebus.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Nuper Nobis exponi fecit dilectus filius marchio Carolus Massimo de urbe, vacare in praesens in terra de Arsoli Tiburtinae dioecesis archipresbyteratum curatum, qui, prout asserit, de jure est patronatus suae familiae: se autem zelo augendi suffragia animabus defunctorum fidelium optare quamplurimum, ut ante novam nominationem, seu praesentationem ad archipresbyteratum hujusmodi per se uti familiae primogenitum faciendam praedisponatur a Nobis de onere sane haud gravi, quo futuri archipresbyteri terrae praedictae teneantur in perpetuum unum officium defunctorum, unamque missam de requiem cum cantu, et assistentia quatuor presbyterorum in aliquo dierum cujuscumque mensis ad libitum recitare, et celebrare, sumptibusque cerae tantum ad id necessariae subjacere; nam quod insuper opus fuerit pro interventu presbyterorum, et pro quatuor similibus missis sine cantu eodem itidem die per eos celebrandis, se exponens proprio suppleturum aere promittit; qui rursus ad spirituale subsidium terrae ejusdem incolarum, qui mane in agros, agrorumque labores egrediuntur, aeque desiderat, ut cappellanus pro tempore, quem archipresbyter habere, ac ex redditibus binarum cappellaniarum jam ad id, ut supponit, apostolica auctoritate unitarum alere debet, teneatur et ipse quarta, et sexta feria cunctis in hebdomadis anni missam celebrare in ecclesia sancti Laurentii, quae ibidem multo est commodior agricolis, absque ullo tamen onere applicationis, sed hora solummodo eis, prius quam in campos discedant, opportuna: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus, prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut accedente consensu primi archipresbyteri ad praedictam ecclesiam curatam nominandi, seu praesentandi tam ipse, quam caeteri ipsius successores in perpetuum aliquo ad libitum die cujuslibet mensis non impedito ad unum defunctorum officium recitandum, unamque missam « de requiem » celebrandam pro fidelibus defunctis cum cantu, et assistentia praememoratis, ac ad cerae tantum expensas pro officiis, et missis hujusmodi perferendas; nec non ut dicti cappellani perpetuis futuris temporibus ad missae celebrationem, quae tamen applicatione eis libera sit, diebus (sed non sexta feria majoris hebdomadae) ecclesia, et hora suprarecensitis, obligentur, ac obligati permaneant, auctoritate apostolica tenore praesentium statuimus, atque decernimus, ac eidem exponenti dictos archipresbyteros, et cappellanos sic, ut praefertur, obligandi licentiam, et facultatem, qua indiget, tribuimus, atque impertimur; ea tamen sub lege, ut tam Precum concessio.

ipse, quam sui successores patroni pro tempore superius promissos sumptus de proprio tribuendos tribuere, ac subministrare reapse semper teneantur, ac debeant, alioquin praesentes literae nullius roboris sint eo ipso.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac iis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, et judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus fel. rec. Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Ceterum per praesentes non intendimus supradictum juspatronatus in aliquo approbare. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima tertia januarii millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quarto.

Dat. die 13. jan. 1804. Anno IV.

CCLXIV.

Facultas confratribus sodalitii sancti Sepulchri Maceratensis aggregandi sodalitio etiam mulieres, quae participent de ejus indulgentiis, ejusque sacco supervestiantur in morte.

Venerabili fratri episcopo Maceratensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi nuper fecerunt Nobis dilecti filii confratres sodalitii quod uti asserunt, sub titulo sancti Sepulchri ista in Maceratensi civitate legitime erectum existit, se quam plurimum cupere, ut eidem sodalitio etiam mulieres, praesertim ipsorum uxores ac natae aggregari possint, fierique participes indulgentiarum, quibus ditatum est sodalitium, ac earum in morte ejusdem sodalitii sacco, quemadmodum sacr. stigmatum confraternitas isthic habet in more pro consororibus suis, supervestiri: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune, providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine, Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus praenarratis, eisdem exponentibus, ac eorumdem successoribus adscribendi, et aggregandi juxta tamen formam per te praeligendam sodalitio praedicto etiam mulieres, quae sic aggregatae, et adscriptae de indulgentiis sodalitio, ut praefertur, concessis participare, et defunctae quum fuerint, sacco sodalitii indutas afferri libere, et licite valeant, licentiam et facultatem auctoritate Nostra apostolica pro tui arbitrio et prudentia impertiaris.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima tertia januarii millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quarto.

Dat. die 13. jan. 1804. Anno IV.

CCLXV.

Declaratoria extensiva ad regulares super facultate sibi nuper concessa dispensandi, ut sui dioecesani pro oleo, adipe suino uterentur in condiendis epulis in diebus prohibitis pro r. p. d. moderno episcopo Aveirensi.

Venerabili fratri moderno episcopo Aveirensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecisti, quod dudum fraternitati tuae sub certis modo, et

Digitized by Google

fòrma tunc expressis, auctoritate apostolica, facultas tributa fuit dispensandi cum populis tuae civitatis, et dioecesis in quadragesimae, et aliis prohibitis temporibus, ut ipsi loco olei in epulis condiendis adipe porcino uti possent, et valerent, ac alias, prout in Nostris desuper in simili forma brevis die IX. septembris anni superioris expeditis literis, quarum tenorem praesentibus, pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus, fusius continetur. Verum quia, sicut in eadem expositione additum erat, in dictis Nostris literis nulla specialis mentio de utriusque sexus regularibus facta fuit, ac praeterea pro meliori conscientiae tuae securitate rem omnem melius super alia quaedam, quae tunc obiter in iisdem literis obrepsere, per Nos declarari et extendi summopere desideres, Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor exquisitae declarationis

§. 2. Nos igitur integritatem tuam maxime in Domino commendantes, te specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis, censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, eidem fraternitati tuae, ut, etiam si tanta porcorum copia in ista dioecesi non existat, quanta in dictis literis significata reperitur, nihilominus cum omnibus, et singulis dioecesanis tuis saecularibus, et ecclesiasticis, ac etiam cum utriusque sexus regularibus (illis tantum exceptis, qui ex voto solemni ab escis carnalibus se abstinere tenentur) ac tandem cum personis universis in ista tua dioecesi commorantibus tam privatim, quam publice super condimentis praedictis dispensandi, ita ut ipsi non modo in quadragesimae, et aliis singulis diebus ab Ecclesia prohibitis, sed etiam in reliquis vigiliis, aliisque abstinentiae diebus immemorabili, ex locorum consuetudine, aut respectivis dictorum ordinum, et monasteriorum statutis servari solitis, seu praescriptis, in epulis quibuscumque condiendis pro oleo, suino adipe uti, sicque conditis vesci libere, et licite possint et valeant, et quilibet eorum possit et valeat, servata in reliquis dictarum literarum forma, et dispositione, plenam, et amplam facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus, civitatis, et dioecesis hujusmodi consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac omnibus et singulis illis, quae in memoratis Nostris literis non obstare voluimus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima tertia januarii millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quarto.

CCLXVI.

Dat. die 18. jan. 1804. Anno IV.

Concessio privilegiorum pro cappellanis communibus cappellae pontificiae.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Grata familiaritatis obsequia, quae dilecti filii Joseph Nadini Romanae, Franciscus Flaminj s. Salvatoris majoris respective jubilati, Antonius Mariotti, Antonius Ghilardi, et Nicolaus Tamberlich itidem Romanae civitatum, vel dioecesum presbyteri, et respective clericus modernae cappellae Nostrae pontificiae cappellani familiares Nostri Nobis, et apostolicae Sedi hactenus impenderunt, et adhuc sollicitis studiis impendere non desistunt; necnon vitae, ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, et virtutum merita, quibus eorum personas tam familiari experientia, quam etiam fide dignorum virorum testimoniis juvari percepimus, Nos inducunt, ut illis reddamur ad gratiam liberales.

Tenor motu proprii.

§. 2. Hinc est, quod Nos volentes illos specialibus favoribus, et gratiis prosequi, eosque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad supradictorum Josephi, Francisci, Antonii, Antonii, et Nicolai vel alicujus ipsorum, aut aliorum pro eis Nobis

super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de mera Nostra deliberatione, ac certa scientia auctoritate apostolica tenore praesentium Josephum, Franciscum, Antonium, Antonium et Nicolaum praedictos, et illorum singulos in Nostros, et Sedis apostolicae notarios recipimus, ac sacri palatii, et aulae Lateranensis comites (sine tamen dilectorum filiorum notariorum de numero participantium praejudicio) nec non nobiles Romanos, et urbis Romae, omniumque, et singularum civitatum, terrarum, et locorum Sanctae Romanae Ecclesiae mediate, vel immediate subjectorum cives creamus, et constituimus, ac in numerum, et consortium aliorum Nostrorum, et ejusdem Sedis notariorum, nec non palatii, et aulae hujusmodi comitum, ac nobilium Romanorum, aliorumque civium civitatum, et oppidorum praedictorum referimus, et conscribimus, ipsosque, etiamsi habitum, et rochetum notariorum dictae Sedis juxta decretum Lateranensis concilii novissime celebrati non deferant, aut civitates hujusmodi non incoluerint, nec umquam in iisdem civitatibus domicilium habuerint, ut nihilominus omnibus, et quibuscumque privilegiis, facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis, et indultis, quibus caeteri omnes notarii Nostri etiam de numero participantium, necnon comites, et nobiles, ac cives originarii tam in civitatum, et beneficiorum ecclesiasticorum, ac secularium etiam ex personis Romanorum originariorum vacantium assecutione, et exercitio tam in urbe, quam in civitatibus praedictis, ac alias ubique locorum, et gentium, nec non sessionum, et conventuum utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad illorum instar, sed pariformiter aeque principaliter, ac si privilegia, facultates, exemptiones, gratiae, et indulta pro ipsis emanassent (citra tamen exemptiones a sacro concilio Tridentino sublatas) itaut nedum quoad criminalia, sed etiam quoad civilia subjaceant ordinariis, ac facultates legitimandi, ad gradus promovendi, et notarios, seu tabelliones creandi, aliaque hujusmodi privilegia a notariis Sedis apostolicae, et comitibus palatinis praetensa, itaut illis supramemorati cappellani familiares Nostri nullibi uti valeant, ac irritum, et inane existat, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, uti, potiri, et gaudere, ac in omnibus, et singulis apostolicis, aliisque literis, instrumentis, et scripturis publicis, et privatis deinceps eorum nomine conficiendis sese notarios, comites, et nobiles, ac de nobili genere ex utroque parente procreatos, nec non Romanae, et aliarum civitatum cives, ut libuerit, inscribere, et se illis subscribere valeant, ac pro veris, et non fictis notariis, comitibus, nobilibus, et civibus habeantur, nihilque, qualecumque illud fuerit, cum iis expressionibus subreptitium, obreptitium, aut invalidum; sed illud idem efficax in omnibus et per omnia censeatur, concedimus, et indulgemus.

Receptio in notarios, et comites, et cives Romanos.

Nominatio in familiares papae.

§. 3. Et insuper illos, eorumque beneficia, et officia ecclesiastica quaecumque, quotcumque, et qualiacumque illorum fructus, res, et jura ubicumque locorum, regionum, et provinciarum, necnon in urbe, civitatibus, terris, et locis, eidem Romanae Ecclesiae mediate, vel immediate subjectis consistentia, praedia, domos, possessiones, et bona patrimonialia, aliaque temporalia mobilia, et immobilia, ac semoventia, nec non actiones, et jura praesentia, et futura cujuscumque qualitatis, quantitatis, et naturae, et cujusvis etiam annui valoris, fructus, redditus, et proventus hujusmodi sint, vel fuerint, ac etiam quaecumque ab illis vendenda, ac pro illorum, familiarumque suarum usibus emenda ab omnibus, et quibuscumque decimis, quartis, et dimidiis partibus, subsidiis etiam charitativis, necnon vectigalibus, portoriis, tributis, datiis, et pedagiis, collectis, et quocumque alio nomine nuncupatis angariis, perangariis, caeterisque oneribus, et contributionibus tam urbanis, quam rusticis, ordinariis, et extraordinariis, realibus, et personalibus, ac mixtis, etiam ratione munitionum moenium, et pontium, portuum, ac moliturarum, et mercium cujuscumque generis transitus, seu passus, et vecturae etiam in aliud territorium, seu provinciam terra, mari, et flumine, necnon equorum mortuorum, stabulationum militum, institutionis seminarii ecclesiastici, aut quacumque alia quantumvis gravi, et gravissimia causa (pro subventione contra infideles dumtaxat excepta) nunc, et pro tempore impositis; ita quod illi, et quilibet eorum nihil omnino horum, aut aliorum similium subire teneantur, nec

Concessio obtinendi plura beneficia ecclesiastica.

Exemptio a solutione vectigalium.

Digitized by Google

per cametae apostolicae, aut alios commissarios, seu vectigalium, et tributorum hujusmodi redemptores, conductores, et exactores quocumque privilegio, et facultate suffultos alias, quam, ut praefertur, valeant coarctari, quamdiu servitiis Nostris institerint dumtaxat, eximimus, et liberamus.

Facultas retinendi beneficia etiam cum cura animarum.

§. 4. Ad haec cum iisdem, ut quaecumque duo dissimilia, vel similia, simplicia sub singulis tribus tectis quarumcumque trium cathedralium, etiam metropolitanarum, aut aliarum ecclesiarum consistentia, etiamsi unum ex illis omnibus cum cura, aut dignitas etiam major, et principalis, canonicatus, et praebenda, personatus, administratio, vel officium fuerit, et ad dignitatem, personatum, administrationem, vel officium hujusmodi consueverit quis per electionem assumi, eisque etiam cura jurisdictionalis immineat animarum, si eis alias canonice conferantur, aut ipsi eligantur, praesententur, vel alias assumantur ad illa, et instituantur in eis, recipere, et dummodo illa omnia, uno excepto, personalem residentiam non requirant, insimul, quoad vixerint, retinere: nec non etiam, quamdiu Nobis inservierint, tum in beneficiis ecclesiasticis, non tamen parochialibus, vel curam animarum parochianorum habentibus, per eos pro tempore obtentis, etiam de jure, statuto, fundatione, vel privilegio personalem residentiam requirentibus, etiamsi dignitates in metropolitanis, vel cathedralibus majores, et in collegiatis ecclesiis hujusmodi principales fuerint, personaliter residere non teneantur, nec ad id per locorum ordinarios, seu ecclesiarum earumdem capitula, aut quosvis alios ad residendum interim in illis inviti compelli possint, omnesque, et singulos illorum beneficiorum obtentorum fructus, et redditus, durante servitio praedicto, cum ea integritate, distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperent, si in iisdem ecclesiis sive locis personaliter residerent, percipere, exigere, et levare, proviso tamen per eos, ut onera iisdem dignitatibus, et beneficiis quovis modo incumbentia congrue supportentur.

Concessio studii jurium civilium pro presbyteris.

§. 5. Necnon, etiamsi presbyteri fuerint, ac dignitates, et officia obtinuerint, leges, et jura civilia etiam publice in scholis, et universitatibus studiorum generalium ad quinquennium dumtaxat, dummodo iidem trigesimum aetatis annum non excesserint, audire, ac, si habiles, et sufficientes reperti fuerint, etiam ad doctoratus gradum in hujusmodi facultate se promoveri facere, ipsaque jura etiam publice docere, atque judicis, advocati, et procuratoris officium in causis ecclesiasticis, et civilibus tantum, exercere libere, et licite possint, et valeant de specialis dono gratiae dispensamus.

Jus eligendi confessorem qui absolvere valeat etiam in casibus reservatis.

§. 6. Liceat quoque ipsis, et eorum singulis aliquem idoneum, et ab ordinario approbatum presbyterum secularem, vel cujusvis ordinis regularem in suum eligere confessorem, qui vita eis comite eos, et ipsorum singulos a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, ac per eos incursis, et quibus ipsos pro tempore illaqueari contigerit, etiamsi absolutio Nobis, et successoribus Nostris Romanis pontificibus pro tempore existentibus specialiter, vel generaliter reservata existat, et quorumcumque votorum, et Ecclesiae praeceptorum transgressionibus, homicidio casuali,, manuum violentarum in quasvis personas etiam ecclesiasticas (non tamen episcopos, vel alios superiores praelatos) de praeterito injectionibus, seu consilii, vel favoris ad id praestationibus, jejuniorum omissionibus, nec non recitationis horarum canonicarum, aliorumque divinorum officiorum, ac denique ab omnibus, et quibuscumque aliis eorum peccatis, criminibus, excessibus, et delictis quantumcumque gravibus, et enormibus, etiam talibus, propter quae Sedes praedicta merito consulenda foret, ac in quibuscumque constitutionibus apostolicis contentis, semel tantum in vita, et mortis articulo, in reliquis vero dictae Sedi quomodolibet reservatis, aliisve quibusvis casibus semel in anno, confessionibus illorum diligenter auditis, sine tamen alicujus praejudicio, praefata auctoritate apostolica absolvere, et illis pro commissis poenitentiam pro modo culpae injungere salutarem: nec non vota quaecumque (ultramarino visitationis liminum beatorum Petri, et Pauli apostolorum, castitatis, et religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare possit.

Facultas reservandi pensiones ecclesiasticas.

§. 7. Ac etiam iisdem, eorumque singulis, ut quicumque locorum ordinarii, vel canonici metropolitanarum, seu aliarum cathedralium ecclesiarum, aut personae in dignitate eccle-

Digitized by Google

siastica constitutae tam in dicta curia, quam extra eam, etiam ad id per eos, aut eorum singulos coram notario, et testibus fide dignis eligendi, seu eligendae quascumque pensiones annuas eis, et eorum singulis super mensarum abbatialium, seu episcopalium, et archiepiscopalium, et quorumcumque aliorum beneficiorum ecclesiasticorum cum cura, et sine cura secularium, et quorumvis ordinum regularium, etiam hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani quomodocumque, et qualitercumque qualificatorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, et distributionibus etiam quotidianis, seu illorum loco fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, distributiones, et emolumenta sibi nunc, et pro tempore assignata, et reservata quandocumque simul, vel successive, in toto, vel in parte usque ad summam centum ducatorum auri de camera de eorumdem cappellanorum, vel cujuslibet ipsorum respective consensu in toto, vel in parte, et jam in mortis articulo cassare, et extinguere, ac, postquam cassatae, et extinctae fuerint, alias similes pensiones annuas super fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, et distributionibus, seu illorum loco fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, et emolumenta hujusmodi etiam usque ad summam praedictam uni, vel pluribus aliis personis etiam per eosdem cappellanos, et eorum singulos nominandis, et quaecumque, quotcumque, et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus, et expectantibus, seu clericali charactere insigniri volentibus, similiter eis, quoad vixerint, vel eorum legitimis procuratoribus iisdem modo et forma, quibus iisdem cappellanis assignatae, aut reservatae, vel assignati, concessi, seu concessa fuerint, etiam absque consensu easdem pensiones, et fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, ac distributiones, et emolumenta hujusmodi solvere debentium, etiamsi pluries cassatae, et de novo assignatae fuerint, usque ad summam, et quantitatem praedictam, ac alias cum omnibus, et quibuscumque exemptionibus, privilegiis, decretis, clausulis, cautionibus, vinculis, obligationibus, cautelis, ac etiam censuris, et poenis in prioribus reservationibus hujusmodi concessis, et contentis integre persolven. servata tamen forma constitutionis fel. rec. Innocentii pp. XI. praedecessoris Nostri super translationibus pensionum editae, reservare, constituere, et assignare.

Reservatio specialis super pensionibus.

§. 8. Volumus autem, ac sub poena nullitatis translationum hujusmodi districte praecipimus, quod respectu pensionum eis, et cuicumque eorum respective, ut praefertur, reservatarum, et assignatarum, seu reservandarum, et quocumque tempore assignandarum super quibuscumque cathedralibus, metropolitanis, monasteriis etiam consistorialibus, atque aliis quibusvis beneficiis tam simplicibus, quam residentialibus, aut aliter quomodocumque qualificatis intra urbem, ac statum ecclesiasticum Nobis, et sanctae Sedi in temporalibus immediate subjectum existentibus praefata transferendi facultas tum coram persona in dignitate ecclesiastica constituta, tum coram notario, et testibus eis, et cuilibet eorum respective ut supra impertita exerceri, aut expleri per eos, et quemlibet eorum respective nequeat, nisi favore dumtaxat illorum, qui vel ex eodem statu ecclesiastico, vel ex iisdem regnis, et provinciis originem trahant, in quibus et ipsi quoque Nostri, et sanctae Sedis in temporalibus subditi promiscue cum civibus, et naturalibus dictorum regnorum, et provinciarum ad pacificam tam beneficiorum quorumlibet ecclesiasticorum, quam similium pensionum possessionem admitti consueverunt.

Concessio immunitatum.

§. 9. Nec non, ut iidem cappellani, et eorum quilibet de omnibus, et singulis domibus, praediis, possessionibus, terris, et locis etiam jurisdictionalibus, caeterisque bonis immobilibus, et mobilibus, quae tamen non sint, altaris, seu altarium ecclesiarum ipsis cappellanis Nostris praedictis commissarum ministerio, seu alicui speciali earumdem ecclesiarum servitio, aut alias divino cultui, vel usui deputata, seque moventibus cujuscumque qualitatis, quantitatis, valoris, speciei, pretii, et conditionis existentibus, ac juribus, et actionibus ad eos ratione ecclesiarum etiam cathedralium, et metropolitanarum, monasteriorum, prioratuum, praepositurarum, dignitatum, et aliorum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum cum cura, et sine cura secularium, et quorumvis ordinum regularium, quae ex quibusvis concessionibus, et dispensationibus apostolicis in titulum, commendam, administrationem, et alias quomodolibet obtinuerint, et obtinent, ac obtine-

bunt, ac fructuum, redditum, proventuum ecclesiasticorum loco pensionum annuarum super similibus fructibus, redditibus, et proventibus eis reservatarum, et assignatarum, ac reservandarum, et assignandarum, quos, et quas perceperint, et percipiunt ac percipient in futurum, nec non emolumentorum quorumcumque Romanae curiae officiorum, ac alias quomodolibet spectantium et pertinentium, ac etiam de dictis fructibus, redditibus, proventibus, ac pensionibus annuis, necnon eorum industria, ac labore quomodolibet, et undecumque, licite tamen acquisitis, et acquirendis, ac alias etiam de muneribus, et officiis, quae exercuerint, et exercere contigerit, et alia quavis occasione, vel causa, seu contemplatione ad eosdem perventis, et perventuris, etiamsi in pecunia numerata, ac jocalibus, gemmis, aliisque pretiosioribus rebus consistant, tam in dicta curia, quam extra ubique locorum, etiam penes beneficia ipsa existentibus, quorum omnium qualitates, et veros annuos valores, etiamsi talia forent, quae in generali appellatione bonorum, et supellectilium non venirent, sed specialibus indigerent vocabulis, praesentibus ac si specifice, et singillatim exprimerentur, et denominarentur, pro sufficienter expressis, ac declaratis haberi volumus, ac etiam de ipsis proventibus ac pensionibus debitis, et debendis, ac nondum perceptis, et exactis, etiamsi eorum solutionis, aut perceptionis terminus nondum advenerit, pro illa rata, quae illis debita erit (constitutione declaratoria super fructibus, et pecuniis non exactis, quae forsan ad successores in ipsis beneficiis spectare, et pertinere debeant non obstante) etiam cumulative cum quibusvis aliis similibus vel dissimilibus facultatibus habitis, et habendis usque ad summam ducentorum ducatorum auri similium dumtaxat pro decentibus, et honestis impensis funebribus, quam etiam pro remuneratione illorum, qui eis viventibus inservierint, etiam ultra servitii meritum, ac in ipsorum consanguineorum, et affinium, ac quorumcumque piorum locorum favorem et usum et alias pro eorum arbitrio et voluntate absolutis testari, ac testamento, codicillis, fideicommissis, legatis, donationibus tam inter vivos, quam causa mortis, et aliis quibuscumque modis, et titulis, scriptura etiam minus solemni, etiam coram duobus, vel tribus testibus, aut etiam schedula eorum manu scripta, vel subscripta, ac alias in omnibus, et per omnia, prout, et quemadmodum eis videbitur, etiam in ipsa curia (non tamen extra residentiam) etiam in mortis articulo, et non facta mentione praesentis vel aliarum eis pro tempore concessarum similium facultatum, aut quod in vim illarum testari, seu disponere velint, et intendant, semel, atque iterum, et pluries disponere, statuere, et ordinare; itaut quidquid testatum, gestum, aut ordinatum, seu alias ab eis dispositum fuerit, etiam in vim simplicis distributionis, ac alias omni meliori modo valeat, et servari omnino debeat, ipsaque testamenta, codicillos, dispositiones, ordinationes, donationes, legata, et statuta etiam pluries, et toties, quoties eis videbitur, moderari, limitare, ac etiam in totum revocare, et alia de novo condere etiam libere, et licite valeant, plenam, et liberam concedimus facultatem.

Facultas disponendi etiam per testamentum de fructibus beneficiorum

Exclusio reverendae camerae spoliorum a successione intestata.

§. 10. Statuentes nihilominus, et ordinantes, eisque pariter indulgentes, quod, si contigerit ipsos ab intestato, et sine ulla, vel cum minus valida bonorum, ac rerum, et fructuum, redditum, et proventuum praedictorum dispositione in dicta curia, vel extra eam, ac etiam extra sua beneficia, aut alia loca debitae ab eis residentiae personalis, etiam nulla subsistente causa ab humanis decedere, omnia, et singula illorum bona, res, et jura etiam ex praefatis, et alias undecumque provenientia ad cameram apostolicam, seu in dictis beneficiis successores non pertineant, sed ad haeredem sanguinis eorumdem integre deveniant, et illis deficientibus inter eorum familiares arbitrio personae seu personarum, quas ad id scripto nominaverint, distribuantur, nisi de alia dispositione, vel intentione eorumdem, scriptura etiam minus solemni secus appareret, quam tunc, vel ut efficacem, ipsae personae, vel alii judices, seu executores omnino exequi, et adimplere, illique sese conformare in omnibus, et per omnia debeant; nihilominus quaecumque hujusmodi testamenta, donationes, legata, dispositiones, et alia forsan alias ab ipsis, etiam nulla, aut minus sufficienti facultate suffultis de hujusmodi juribus, actionibus, fructibus, pecuniis, jocalibus, aliisque rebus supradictis etiam in favorem consanguineorum, et

affinium praedictorum, et alias quomodolibet facta, cum omnibus inde secutis, ac etiam ea, quae per ipsos in futurum quomodolibet fient, ex nunc, prout ex tunc, et e contra pro dicta summa ducentorum ducatorum dumtaxat approbamus, et confirmamus, omnesque, et singulos juris, et facti, ac sollemnitatum omissarum, et omittendarum, necnon substantiales, aliosque defectus quoscumque, si intervenerint in iisdem, etiamsi tales sint, vel fuerint, quod specialis, et specifica de ipsis mentio habenda esset, supplemus.

Derogatio contrariorum.

§. 11. Non obstantibus praemissis, ac Lateranensis concilii novissime celebrati de certo eorumdem notariorum numero, etiamsi ad illum nondum deventum fuerit, cui per hoc alias derogatum non intendimus, ac de consensu praestando in pensionibus, et quibusvis aliis etiam per Nos, et Sedem praedictam quomodolibet editis, et in futurum edendis cancellariae apostolicae regulis, et stylo in similibus hactenus servato, et piae mem. Alexandri pp. VI. praedecessoris etiam Nostri tertiam partem bonorum ecclesiasticorum camerae praedictae deberi inter alia disponente: necnon ejusdem memoriae Bonifacii pp. VIII. etiam praedecessoris Nostri, per quam concessiones de fructibus in absentia percipiendis sine praefinitione temporis fieri prohibentur, ac quorumvis aliorum Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum, et quibusvis aliis apostolicis, ac in universalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, necnon legibus imperialibus, et aliis etiam municipalibus tam urbis, quam quarumvis aliarum civitatum, et locorum, in quibus cives originarii creati sunt, ac quarumvis ecclesiarum, monasteriorum, ordinum, et hospitalis praefati, necnon quorumvis collegiorum, et officiorum dictae curiae, ac regnorum, provinciarum, et urbis, ac aliarum civitatum, et locorum, ac praedictae camerae, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, stabilimentis, usibus, et naturis, etiamsi de illis servandis, et non impetrandis literis apostolicis contra ea, nec etiam ab alio, vel aliis impetratis, aut alias quomodolibet concessis utendo ipsi cappellani per se, vel eorum procuratores praestiterint forsan hactenus, vel in posterum eos praestare contigerit juramentum: privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis dictis ecclesiis, monasteriis, ordinibus, hospitali sancti Joannis Hierosolymitani, illorumque praesulibus, seu administratoribus, et superioribus, ac magistris, praeceptoribus, prioribus, militibus etiam antianis, capitulis, et conventibus, civitatibus, et locis, aliisque personis etiam particularibus, nec non archiepiscopis, episcopis, et aliis locorum ordinariis, etiam ejusdem S. R. E. cardinalibus, ac dictae camerae officialibus, illorumque collegiis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis per quoscumque Romanos pontifices praedecessores Nostros, ac Nos, et Sedem praedictam, etiam consistorialiter, etiam de ejusdem S. R. E. cardinalium consilio, ac per modum statuti, seu constitutionis perpetuorum, ac motu, et scientia paribus, deque apostolicae potestatis plenitudine, ac ad imperatoris, regum, reginarum, ducum, marchionum, et aliorum principum instantiam, seu illorum contemplatione in genere, vel in specie, aut alias quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis, et innovatis, et in posterum concedendis, confirmandis, ac innovandis, etiamsi in illis, ac statutis, et stabilimentis praefatis caveatur expresse, vel tacite, quod urbis nonnisi originariis civibus Romanis, ac civium eorumdem filiis, aliarum vero partium beneficia nonnisi personas illustres, seu nobiles, ac etiam originarios cives, aut alias certo modo in illis expresso qualificatos obtineri, aut conferri respective possint, et nullus in civem urbis, aut civitatum, oppidorum, terrarum, et locorum hujusmodi admitti, seu illorum privilegiis uti possit, nisi prius in dictis civitatibus, oppidis, et locis per certum tempus habitaverit, seu etiam in illis bona etiam stabilia forsan ad certum valorem ascendentia possideat; quodque praeceptoriae, et alia beneficia quaecumque dicti hospitalis s. Joannis Hierosolymitani tam ex ejus institutione, quam ex stabilimentorum praedictorum dispositione non in titulum perpetuorum beneficiorum conferri, sed in commendam ad vitam commendatariorum revocabiliter concedi debeant, ut sic pensionibus ecclesiasticis secularibus, aut aliis personis apostolica auctoritate reservandis gra-

Digitized by Google

vari non possint, quodque stabilimentis, et privilegiis praefatis etiam vigore clausulae implicitae derogationis latissime extendendae etiam per quascumque literas apostolicas, et quasvis etiam derogatoriarum derogatorias, efficacioresque, et insolitas clausulas derogari non possit, nec derogatum censeatur, nisi derogatio hujusmodi de consilio dictorum cardinalium fiat, et tunc demum ad id magistri, et conventus praefatorum expressus accedat assensus, sintque literae derogationis hujusmodi etiam per dictum magistrum subscriptae, ac ei, et praedicto conventui per diversas in forma brevis, aut alias literas diversis temporibus cum certis intervallis praesentatas intimatae, et non alias, nec alio modo, et semper in hujusmodi literis, quae sic fient, etiam de simili consilio derogationis sit apposita clausula, quod illorum effectum sortiantur de consensu magistri, et conventus praefatorum, et non alias, aliter, nec alio modo. Quibus omnibus, et eorum singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, ac in eis caveatur expresse, quod illis nullatenus derogari possit, quodque clausula implicitae derogationis in rescripto, etiam motu proprio emanato apposita aliter in literis exprimi, vel extendi nequeat, illorum omnium tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore, et firmitate permansuris, hac vice dumtaxat harum serie in genere, et in specie ad effectum praemissorum specialiter, ac expresse motu, et scientia similibus derogamus, ac derogatum esse decernimus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Vides habenda transumptis.

§. 12. Volumus autem, quod praesentium transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus ubique fides tam in judicio, quam extra illud adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, et adhiberi posset, si forent exhibitae, vel ostensae; quodque praedicti, antequam gratia creationis in notarios perfrui valeant, in manibus alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae professionem fidei juxta articulos pridem a Sede praedicta propositos emittere, et solitum fidelitatis juramentum praestare omnino teneantur, et quilibet ipsorum teneatur. Ceterum volumus pariter, atque decernimus, ut, si cui ex supradictis cappellanis similes testandi de bonis, ac pensiones transferendi facultates ab aliquo Romano pontifice praedecessore Nostro, cui simile cappellani ministerium praestiterit, concessae fuerint, praesentes literae illi, quoad facultates testandi de bonis, et transferendi pensiones hujusmodi minime suffragentur. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quarta januarii millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quarto.

CCLXVII.

Dat. die 24. jan. 1804. Anno IV.

Facultas praesidi generali monachorum Cisterciensium provinciae Romanae hypothecandi, alienandi, et permutandi bona in ejus provincia.

CHIROGRAFO

Monsignor Alessandro Lante protonotario apostolico Nostro, e della nostra camera tesoriere generale.

Expositio precum.

§. 1. Ci ha rappresentato il presidente generale dei monaci Cistercensi della provincia Romana, che appresso alla liquidazione del quarto dovuto agli acquirenti Duveyrier, e Perillier in scudi 44,443 93 adesivamente all' editto della nostra segretaria di stato dei 24. ottobre dell' anno 1801. per l'acquisto da essi fatto nell'epoca del governo repubblicano dei beni tanto liberi, che enfiteutici, che i detti monaci godevano, o godono in Chiaravalle, e Potenza l' avete voi indotto a Nostra insinuazione in sequela del peso indossatogli all' occasione della reintegrazione al possesso degli enunciati effetti di supplire per ora allo sborso della metà dell' enunciata somma, che spetta al detto Duveyrier nel periodo di due anni, ed in conseguenza prima del termine del quinquennio accordato al pagamento del quattro con i frutti corrispondenti, a similitudine di ciò, che aveva praticato la Nostra camera con il detto Duveyrier per simile indennizzazione,

dovutagli per l' acquisto dei beni camerali in forza delle Nostre disposizioni, che per riflessi particolari abbiamo creduto prescrivere a vantaggio del medesimo: ci ha rappresentato inoltre, che in esecuzione di tali beneficenze da Noi a pro di detto Duveyrier praticate ha convenuto la prestazione di detta metà in otto rate pagabili nel biennio anzidetto, oltre l'importare de' frutti calcolati a tutto novembre prossimo passato, ma che gli mancano immediatamente i mezzi onde supplire nelle respettive scadenze al pagamento delle promesse rate non potendole ottenere dai redditi sì dei beni enfiteutici, che proprj per le circostanze, che si sono riunite a loro danno dopo esser tornati al possesso degli enunciati beni, avendoci formato un quadro veramente infelice della loro situazione, sì per aver trovati i fondi nell' atto del rivindicato possesso molto deteriorati, e mal andati, cosa verisimile per le diverse occupazioni a cui sono andati soggetti in breve intervallo, sì per averli riscontrati mancanti di una gran parte dei bestiami, che formano la dote de' medesimi, e ne costituiscono la dovizia, ragion per cui tanto meno era il fruttato, sì per aver rinvenute tutte le palizzate, che trattengono la voracità del fiume Esino che circonda per una grand' estensione i beni anzidetti quasi devastate per esser state trascurate da molto tempo, ed in fine per aver perfino subito la caduta della fabbrica della mola uno degli oggetti più interessanti, perchè trascurate le necessarie riparazioni nell' epoca già rimarcata in un colpo corrosa dall' acqua è precipitata, per riparare alle quali disgrazie gli occorrono molte, e molte migliaja di scudi, abbisognandogli per la sola ricostruzione della mola giusta le perizie scudi dodici mila; ci ha soggiunto in fine, che in mezzo a tutti questi infortunj, i quali nel momento, che gli fanno percepire tanti prodotti di meno lo spingono alla necessità d' improntare gran somme per riporre nello stato di floridezza gli effetti riacquistati, gli si è dato eziandio l' arresto della contrattazione di tutte le derrate per il vil prezzo a cui presentemente in quella provincia corrono, onde ci ha supplicato di abilitarlo a poter prendere ad usura fino alla somma di scudi 50 mila quanto glie ne occorre per soddisfare tanto la metà del quarto liquidato dalla computisteria generale, della Nostra camera, che spetta al Duveyrier, che l' altra metà, che apparterrà al Perillier unitamente ai frutti decorsi, e decorrendi, non mancando gran tempo a compire il quinquennio, allo spirare del quale giusta la legge dell' indicato editto dei 24. ottobre 1801. devono senza ritardo aver soddisfatto l' intero importare del quarto surriferito con i corrispondenti frutti, autorizzandolo a maggior cautela de' sovventori ad ipotecare a favore di essi sì generalmente, che specialmente quella quantità de' fondi che corrisponder possa alle somme somministrate di qualunque specie essi siano liberi, cioè, o enfiteutici, ed a qualunque monistero della sua provincia, e religione appartenessero, giacchè senza questa cautela non rinverrebbe persona, che per il solo oggetto del subingresso delle ragioni del Duveyrier, e Perillier gli affidasse il suo danaro: ovvero in vista della difficoltà quasi insormontabile di rinvenire ad usura l' enunciata somma non tanto per la entità di essa, quanto per la sproporzione, ed irregolarità delle usure, che al presente domandano i sovventori, di graziarli a poter vendere, ed alienare tanti fondi in qualunque luogo posti, ed a qualunque de' monisteri della provincia Romana spettanti tanto se questi siano di libero, e diretto dominio de' medesimi religiosi, e loro monisteri, quanto se li ritenghino a titolo enfiteutico per l' entrante somma di scudi cinquanta mila con la facoltà eziandio di poter contrattare, e commutare con altri luoghi pii cedendo fondi maggiori, e ritirandone degli altri di minore estensione, conteggiando il di più a danaro senza che i medesimi in questo caso particolare abbiano bisogno d' impetrare le facoltà della Nostra congregazione del Concilio, e vescovi regolari, ripromettendosi il nomato padre presidente di reintegrare quei monasteri, e mense, i beni de' quali a questo determinato oggetto fossero stati distratti nel periodo di anni sessanta con altrettanti capitali tuti, e sicuri fino al totale importare di quelli alienati in maniera, che al compir di detto termine ciascun monistero, che ha sofferto la smembrazione anzidetta torni ad avere nella sua estensione altrettanti fondi, che perfettamente corrispondino all' importare di quelli alienati, al quale effetto si obbligherebbe in ogni anno rinvestire una determinata somma da moltiplicarsi affinchè di tratto in tratto con il prodotto del detto moltiplico si potessero acqui-

stare de' capitali tuti, e sicuri d' ascriversi con ordine, e vantaggio di quello, o quelli de' monisteri, o mense abbaziali, che fossero stati soggetti alle ridette alienazioni; avenduci dimostrato che con questo metodo gli effetti delle smembrazioni vengono direttamente a riverberare i monasteri, che le subiranno, e non giá i padroni diretti dei fondi godendoli tali monisteri a titolo di perpetua concessione, subito che in un certo intervallo vengono a ripristinarsi altrettanti capitali del valor de' distratti, ed alienati. Communicammo a voi la supplica, e nell' udienza dei 3. del passato dicembre se ne tenne maturo proposito, analizzando le circostanze dell' esposto, pesando i titoli a cui appoggiava l' inchiesta, e librando le cause tutte, che animavano la istanza, ed appresso alla più accurata ponderazione veggendo da una parte la necessità in cui è il ridetto presidente, e la sua provincia di supplire allo sborso del quarto dovuto ai detti Duveyrier e Perillier, e singolarmente alla metà di esso, che spetta al Duveyrier nel ristretto termine di un biennio per corrispondere alle Nostre intenzioni da voi significategli con biglietto de' 26. novembre 1803., e dall' altra parte la morale impossibilità di esso di potere riuscire ad uno sborso sì vistoso con i prodotti, e rendite de' fondi abbaziali per la riunione delle incontrate disgrazie, e di tutte le accidentalità, che ha dovuto subire commiserando la sua situazione siamo venuti nella determinazione di condiscendere colla nostra paterna clemenza all' istanza umiliataci colle modificazioni e dichiarazioni, che esprimeremo in appresso.

Tenor concessionis. §. 2. Quindi è che con il presente Nostro chirografo, nel quale vogliamo, che si abbia per espresso il tenor della supplica dell' istromento di reintegrazione al possesso dell' enunciate badie di Chiaravalle e Potenza, stipolato nel dì 16. marzo 1802. per gli atti del Gregorj segretario della nostra camera, e singolarmente il patto di soggiacere allo sborso dell' indennizzazione dovuta ai sunnominati compratori, delle disposizioni da Noi date per il pagamento della metà del riferito quarto al Duveyrier nel periodo di un bennio della convenzione firmata fra detto presidente, ed il medesimo mediante la persona del Gerard suo procuratore delle costituzioni de' Nostri predecessori, che vietano l' alienazione dei fondi, o camerali, o de' regolari, ed altri ecclesiastici, alle quali per i riflessi particolari, che concorrono nel presente caso intendiamo specialmente derogare, e di ogni altra cosa, che fosse necessaria esprimersi, e che avesse bisogno di special menzione, di Nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della suprema Nostra potestà ordiniamo a voi, ed espressamente vi commettiamo di autorizzare il presidente de' monaci Cisterciensi della provincia Romana al detto determinato oggetto di pagare, ed effettivamente sborsare tanto al Duveyrier nel periodo del biennio, quanto al Perillier nel fine del quinquennio le respettive metà del quarto liquidato dal computista generale della Nostra camera con i corrispondenti frutti siccome Noi con la pienezza della Nostra potestà lo autorizziamo a poter creare un debito fino alla somma di scudi 50 mila con uno, o più sovventori, ed in diversi tempi, ed ipotecare a favor di essi sì generalmente, che specialmente quella quantità dei beni a qualunque de' monisteri della sua provincia spettanti, che i medesimi sovventori potessero ricercare, ed il valor dei quali corrisponda alle somme sovvenute, quantunque i beni prescelti si godessero dai monaci a titolo enfiteutico, e la proprietà, o sia il diretto dominio ad altri spettasse, ed anche alla Nostra camera, volendo Noi, che a questo solo, e determinato effetto a favor dei sovventori abbiano a considerarsi come liberi in maniera che in qualunque caso di morosità della convenuta restituzione, o pagamento de' frutti possano impeterli, e giuste le solite regole, e disposizioni di ragione farseli aggiudicare restando il peso al detto padre abbate presidente, e sua provincia di reintegrare la mensa, e proprietà da cui fossero smembrati tali fondi nel periodo di tempo, che gli prefiggeremo in appresso in altrettanti capitali tuti, e sicuri corrispondenti all' entità, e valore degli obbligati, e distratti, ed inoltre accorderete, come Noi accordiamo alli sovventori suddetti il subingresso nelle ragioni de' ridetti Duveyrier e Perillier per la indennizzazione, che gli è stata da Noi accordata. Tutte le volte poi, che non gli riuscisse trovare ad interesse l' intera somma di scudi 50 mila, ovvero non la potesse avere a condizioni eque, e con discrete usure, lo abilitarete, siccome Noi lo abilitiamo a vendere, ed alienare tanti fondi ancorchè dalla sua religione,

Digitized by Google

e provincia si godessero a titolo enfiteutico, ed ancorchè il dominio diretto fosse della Nostra camera quanti ve n' entreranno per riunire o il totale della somma di scudi 50 mila, o quella rata, che gli mancasse oltre la somma trovata ad interesse a compimento dell' intero importare del quarto, e frutti, che spettano ai nomati acquirenti Duveyrier e Perillier, volendo, che l' alienazione non oltrepassi detta somma, a condizione però, che tali alienazioni sieguano previa l' affissione delle notificazioni colla solita riserva della vigesima, e sesta, e per il sollecito disbrigo riduciamo il termine della prima a soli giorni otto, e della seconda a soli giorni dieci, ed a tal' effetto assolviamo altresì il detto presidente dall' obbligo d' interpellarne i padroni diretti, e riportarne da essi il consenso, o l' approvazione, concedendogliela Noi fin da ora con la pienezza della Nostra potestà, giacchè resta provveduto all' indennizzazione di essi coll' obbligo, che ingiungerete, siccome Noi l' ingiungiamo al nominato presidente, e suoi successori pro tempore di ripristinare gli effetti alienati, e reintegrare ciascun monistero, o mensa abbaziale, con altrettanti capitali tuti, e sicuri, e se sarà possibile con altrettanti fondi perfettamente corrispondenti al valore di quelli distratti nel periodo, e tempo di anni trenta, e non più, e perchè i padroni diretti non abbiano a risentire pregiudizio, o danno per tali distrazioni neppur sul canone, che ritirano annualmente dalli rispettivi monisteri, a cui hanno concesso in enfiteusi i loro effetti, e ragioni, proibiamo al detto presidente, ed individualmente a ciascun monistero investito di poter domandare per l' oggetto, e titolo di tali alienazioni defalco alcuno al suo padrone diretto sul canone, che gli corrisponde, volendo, che a fronte della smembrazione gli si continui a pagare quello istesso canone, che gli soddisfacevano prima dell' alienazione medesima.

Providetur futurae reintegrationi. §. 3. Ad oggetto poi, che immancabilmente vada a verificarsi la reintegrazione prescritta, ordinerete, siccome Noi ordiniamo al sunnomato presidente estensivamente a tutti i suoi successori pro tempore di dovere ogni anno delle rendite dell' abbazia di Chiaravalle, e Potenza rinvestire con il vincolo di moltiplico, e con la legge, che un tal rinvestimento o moltiplico è diretto alla reintegrazione di quelli monisteri, e mense, i di cui beni sono stati o distratti, o ipotecati, senza poter mai convertire il detto denaro in altro uso fino a tanto, che non sarà seguita o l' intera liberazione de fondi ipotecati, o la reintegrazione perfettamente corrispondente al valore degli effetti alienati, scudi mille cinquecento, cominciando a contarsi l' epoca di un tal rinvestimento dalla data del presente Nostro chirografo, e siccome non è sì facile in ogni anno trovare a rinvestire una somma sì tenue in fondi, il di cui valore corrisponda alla medesima, per cui dovrebbesi tenere il più delle volte per qualche tempo oziosa, ed infruttifera, così a similitudine di ciò, che altre volte ha praticato la Nostra camera autorizziamo il detto presidente, ed i suoi successori a poter impiegare un tal denaro con il prodotto del moltiplico medesimo in rinvestimento a tempo con i frutti ricompensativi, con che alle respettive scadenze debba depositarsi sorte, e frutti, per tornarla a rinvestire con li medesimi vincoli, derogando in vista delle particolari circostanze, che concorrono nel caso presente alle disposizioni canoniche, ed alle costituzioni de' Nostri predecessori, che vietano a luoghi pii tal sorte di rinvestimenti, beninteso, che di tratto in tratto, allorchè mediante il moltiplico prescritto, si sarà riunita una buona somma la debba erogare in uno, o più rinvestimenti stabili, tuti, e sicuri ed immediatamente, e distributivamente li debba ascrivere, e cedere a vantaggio di quelle mense, o monisteri, che averanno subite le alienazioni, o smembrazioni anzidette, o in parzial reintegrazione, o in plenaria reindennizzazione in correspettività dell' importare del rinvestimento, e del credito, che per l' alienazione seguite conterranno le già dette mense, e monisteri: sarà inoltre obbligo del nomato padre presidente, e suoi successori pro-tempore di esibire in ogni anno a ciascuno degli abbati commendatarj sulla di cui mensa sarà caduta una qualche alienazione, o alla Nostra camera, se un qualche fondo di dominio diretto di essa fosse stato distratto, le prove legali del rinvestimento adempito della rata stabilita di scudi 1500, e del moltiplico prescritto giusta il metodo, e la forma già individuata, e perciò di questo moltiplico ne dovrà far tenere a parte un conto legale, e probante, e per-

Digitized by Google

chè con più speditezza, e facilità possa riunire la somma, che gli abbisogna per dimettere il quarto e frutti di sopra contemplati, abilitiamo eziandio il ridetto presidente a poter fare delle permute coi confinanti, o con altri, di fondi di un valore molto maggiore di quelli, che venisse a ricevere, ritirando in denaro contante il di più dell' importare del fondo, che cedesse, e commutasse, quantunque le persone, con le quali eseguisse tali contratti di permute fossero ecclesiastiche, e regolari, quali perciò avessero bisogno del Nostro beneplacito, accordando Noi fin da ora a qualunque delle contemplate persone ecclesiastiche, ed a qualunque superiore, o rettori di monisteri, o luoghi pii la facoltà di poter venire a tali permute, senza, che debbano per questo caso aver ricorso alle Nostre congregazioni del Concilio, e Vescovi Regolari o altro superiore ecclesiastico per l' impetrazione del necessario beneplacito, assolvendoli da tutte quelle necessarie solennità, che in qualunque altra circostanza sarebbe espediente coerentemente alle canoniche disposizioni, ed alle costituzioni de' Nostri predecessori, perchè i contratti fossero legittimi, volendo, che tali facoltà siano estensive anche al caso di qualunque altro contratto, che venissero a conciliare con il suddetto presidente o di compra, o vendita, o di sovvenzioni in danaro con la promessa de' frutti ricompensativi, piacendoci, che possino venire alla stipolazione de' medesimi con il nomato presidente, liberamente, senza alcuna altra solennità, o abilitazione. I fondi poi alienati dal surriferito presidente in esecuzione della presente Nostra concessione passeranno liberamente nei compratori quantunque direttamente non appartenessero alli monisteri della provincia Romana, ma fossero di diretto dominio o di qualche mensa abbaziale, o della Nostra camera, ed ancorchè fossero sottoposti a qualunque vincolo, o peso di fondazione sciogliendoli, e liberandoli, da qualsisia soggezione, vincolo, o ipoteca ecclesiastica, transferendo i medesimi su tutti gli altri beni, che godono i detti religiosi, e su quelli, che in forza del moltiplico ordinato, si anderanno ripristinando, considerandoli Noi quali altri beni secolari, su di cui non è vietata la libera contrattazione, derogando espressamente a qualunque costituzione, che facesse in contrario, e singolarmente alle lettere apostoliche, e moti proprii di concessione, dei contratti enfiteutici stipolati con li suddetti monaci Cistercensi della provincia Romana, i respettivi monisteri, per cui mai, ed in qualunque tempo gli enunciati compratori potranno essere turbati dai superiori pro tempore dei monasteri anzidetti, nè dai presenti abati commendatarj, o loro successori, nè dalla stessa Nostra camera; e per l' esecuzione delle cose suddette concediamo a voi la facoltà di stendere uno, o più decreti esecutoriali con abilitare il presidente generale a deputare tutti quei procuratori che crederà necessarj per la effettuazione dei suddetti contratti, e di fare tutt' altro che crederete opportuno approvando Noi fin d' adesso tutto ciò che sarà da voi fatto.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 4. Volendo, e decretando che il presente Nostro chirografo, benchè non esibito, nè registrato nella Nostra camera, e nei suoi libri, abbia sempre il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore ancorchè non vi sia stato citato, nè sentito monsignor commissario della Nostra camera, e qualunque padrone diretto al quale appartenessero i beni da ipotecarsi, vendersi, e permutarsi, volendo che a norma del medesimo Nostro chirografo sia sempre giudicato da qualunque tribunale, e congregazione, quantunque cardinalizia; e che non possa mai opporsi al medesimo alcun difetto neppure di orrezione, e surrezione, togliendo ad ognuno la facoltà di giudicare, ed interpetrare diversamente, non ostante la bolla di Pio IV. Nostro predecessore, *de registrandis*, le bolle di Simmaco, del detto Pio IV. e Pio V., e di altri Nostri predecessori *de rebus Ecclesiae et camerae non alienandis*, non ostante qualunque legge, uso, stile, consuetudine, statuto, e regola della Nostra cancellaria *de jure quaesito non tollendo*, e qualunque altro canone, e costituzione che facesse, o potesse fare in contrario, alle quali cose tutte avendone il tenore qui per espresso e per questo caso solo espressamente deroghiamo. Dato dal Nostro palazzo apostolico Quirinale questo di 28. gennajo 1804.

Pius PP. VII.

CCLXVIII.

Dat. die 21. jan. 1804. Anno IV.

Indulgetur Baptistae Mas monasterii B. M. Virginis de Valdigna ordinis Cisterciensis

Valentinae dioecesis abbati, ejusque in abbatia hujusmodi successoribus in perpetuum ut pontificalia deferre valeant, et in pontificalibus celebrare etiam in aliis ecclesiis, quae ad ordinem praedictum non spectant.

Dilecto filio Baptistae Mas monachorum ordinis Cisterciensis in monasterio B. M. V. de Valdigna Valentinae dioecesis abbati.

Pius PP. VII.

Dilecte fili Noster salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Sinceras tuae in Nos, et hanc sanctam Sedem fidei, et devotionis, aliisque virtutum meritis, quibus te insignitum esse accepimus, adducimur, ut te paterna benevolentia prosequamur, teque, tuosque in abbatia, quam obtines, successores honoribus libenter decoremus.

Expositio precum. §. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecisti tu, qui monachorum ordinis Cisterciensis in monasterio beatae Virginis Mariae de Valdigna dioecesis, vel provinciae Valentinae abbas existis, privilegio deferendi pontificalia, ut asseris, in ecclesiis tui ordinis donatus, eadem pontificalia etiam in aliis ecclesiis, quae ad dictum ordinem minime spectant, eodem privilegio frui posse plurimum desideres.

Tenor concessionis. §. 3. Nos te praemissorum meritorum tuorum intuitu, specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, tibi, ac tuis in dicta abbatia successoribus in perpetuum, ut in quibuscumque tam saecularium, quam regularium ecclesiis, extra tamen almam urbem Nostram existentibus, ac requisita prius loci ordinarii licentia, pontificalia deferre, et in pontificalibus celebrare libere, et licite possis, et valeas, dictique tui successores abbates pro tempore existentes pariter possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, dicti tui ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesima prima januarii millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quarto. Derogatio contrariorum.

CCLXIX. Dat. die 7. febr. 1804. Anno IV.

Instante congregatione ecclesiastica civitatis Perusinae, indulgetur, ut canonici cathedralis ecclesiae electi in deputatos dictae congregationis possint in absentia a choro percipere fructus canonicatus, et distributiones quotidianas pro diebus et horis quibus suae deputationis officio detenuti fuerint.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Expositum Nobis nuper est a dilectis filiis congregatione ecclesiastica Perusinae civitatis, cui, ut asseritur, legitime institutae ordinarius praeest, congregationem hujusmodi solere eligere deputatos ad assistendum pro sua etiam parte consiliis, congressibus, sindacationibus, aliisque actibus publicis, ubi de rebus agitur, quae sunt laicis quoque communes. Verum quia tales deputati nullo ad id munus alliciuntur lucro, nulloque rependuntur emolumento, difficile saepe fieri viros de seculari clero invenire, qui istud onus moleste non ferant, ac subire non renuant. Ne- Prooemium.

Digitized by Google

cessario idcirco debere illos exquiri in capitulo cathedralis ecclesiae, quos tamen ne chori servitium a deputationis officio avertat, conferre plurimum posse, si canonici cathedralis in deputatos congregationis electi a chori obligationibus eximantur pro tempore, quod ipsi in praedictorum negociorum tractationem impendent. Quapropter postulare exponentes, ac humiliter exorare, ut Nos in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, ac ipsorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, si et quando canonicos dictae cathedralis ecclesiae in deputatos dictae congregationis ecclesiae ab ea eligi, ac nominari contigerit, ut ipsi deputationis munere perdurante, et pro diebus tantum et horis, in quibus recensita negocia publica pertractanda fuerint, ipsique hujusmodi pertractationibus partes deputatorum expleturi intervenerint (super quo eorum conscientiam oneramus,) a choro, aliisque dictae ecclesiae servitiis, functionibusque abesse, ac interim omnes, et singulos sui canonicatus fructus, redditus, et proventus, nec non jura, obventiones etiam quotidianas, et extraordinarias quomodolibet nuncupatas in quibusvis rebus consistentes, et undecumque provenientes, quaeque solis praesentibus dari, et praestari solent, ac debent, atque ab ipsos ratione canonicatus spectantes, et pertinentes lucrifacere, exigere, et percipere, suosque in usus, et utilitatem convertere in omnibus, et per omnia perinde ac si cunctis nocturnis, et diurnis horis caeterisque chori, ecclesiaeque functionibus personaliter interessent, libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, ac cum ipsis desuper ex specialis dono gratiae dispensamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac iis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective, ac inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae cathedralis ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, ac personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die septima februarii millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quarto.

CCLXX.

Dat. die 7. feb. 1804. Anno IV.

Confirmatio in perpetuum cujusdam privilegii cum concessione aliarum facultatum circa electiones pro priore, et canonicis regularibus abbatiae Bernensis in diocesi Hollandiae Sylvae Ducensis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Expositum Nobis nuper est nomine dilectorum filiorum Antonii Van Geel prioris, et canonicorum regularium abbatiae Bernensis ordinis Praemonstratensis, quod istbaec

Digitized by Google

abbatia anno MCXXXIII. ut asseritur, primum erecta, deinde quia erectionis locum hostes subverterant, circa annum MDXC. in civitate Sylvae Ducis feliciter restituta, tandem anno MDCXLVIII. novis cladibus obruta, penitusque eversa denuo fuit. At canonici licet bonis expoliati, et extra claustra ejecti, nullis tamen locorum, temporumque injuriis umquam devicti, sua semper in vocatione firmiter permanserunt, regulari, quod semel professi sunt, instituto fideliter adhaerentes, et in Domini vinea, parochiales ecclesias dioecesis Sylvae Ducis numero octo vel novem per vetus privilegium, ut asserunt, sibi concessas administrando, jugiter adlaborantes. Porro in obitu abbatis, qui alibi residere assuevit, prior, et canonici praedicti de novo abbate canonice eligendo invicem conveniebant, ac formaliter capitulum celebrabant, tunc enim ex alio, ut inquiunt, privilegio verum repraesentabant, verumque constituebant conventum. Quapropter, ut adversus rerum vicissitudines opportune se muniant, ac privilegio eodem, quod huc usque viguit apud se, etiam in posterum in quacumque nova abbatis electione tuto perfrui pergant, illud nunc exponentes confirmari, atque perpetuari, et alia quaedam, ut infra circa tum abbatum, tum priorum quoque electiones indulgeri a Nobis vehementer desiderant, enixisque precibus humiliter postulant.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes, in sortem Domini vocatos in sancto ipsorum proposito servare, et in Dominicae vineae cultura confovere cupientes eosque, ac eorum singulos specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, illorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, eisdem exponentibus, ut privilegium veri conventus in abbatis electione ex concessione legitima, ut praefertur, penes eos vigere solitum ipsi perpetuo retinere, illoque in omni abbatem novum, caeteroquin canonice, eligendi occasione uti, et gaudere, eumdem que abbatem, quo in praesentia carent, ut primum per tempus licuerit, in conventuali capitulo, ac per secreta suffragia, si per compromissum juxta quod a constitutionibus ordinis praescribi perhibetur, impedimento aliquo nequeant eligere, et post capitularem electionem ad consuetam ejus installationem unus ex praedictis canonicis capitulariter designandus, quoties tamen illum, quem ad id statuta decernunt, desiderari contingat, rite procedere; rursus quamdiu eligendi abbatem opportunitas deerit, si interea temporis prior Bernensis, vel alius canonicus regens, ut aiunt, vita decesserint, reliqui canonici regulares abbatiae praedictae ad electionem novi prioris, novique regentis capitulariter, secretisque suffragiis devenire, novosque electos aliquis eorumdem regentium quem capitulum deputaverit, confirmare, ac juxta morem instituere libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima februarii millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quarto.

CCLXXI.

Dat. die 1. martii 1804. Anno IV.

Concessio favore perinsignis cathedralis ecclesiae sancti Clementis P. et M. civitatis Veliterarum tituli praeeminentiae, et privilegii basilicarum minorum urbis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. In summo apostolatus apice, meritis licet imparibus constituti ad ecclesiarum omnium statum, quarum Nobis a Domino commissa est cura, propensis studiis animum jugiter intendimus, illarumque honorificentiae, et splendori, prout rationi, et aequitati consentaneum videtur, libenter consulimus.

Expositio precum. §. 2. Exponi quidem Nobis nuper fecit venerabilis frater Noster Henricus episcopus Ostiensis, et Veliternensis S. R. E. cardinalis dux Eboracensis nuncupatus, sacri venerabilium fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. cardinalium collegii decanus, quod vetustissimis quaestionibus, nunc demum vehementius excitatis super praecedentia in processionibus inter dilectos filios parochos civitatis Veliternensis ex una, et beneficiatos cathedralis ecclesiae ejusdem civitatis ex altera parte, propterea quod parochi medii canonicos inter, et beneficiatos incedebant, ac eodem Henrico episcopo in arbitrum hinc inde electo, ipse pro data sibi a Domino prudentia ad quaestiones hujusmodi a saeculo et ultra vigentes radicitus tollendas, remque omnem perpetuo componendam ex visitationis decreto, ac praevio dilectorum filiorum capituli, et canonicorum dictae cathedralis ecclesiae consensu, parochis concessit, ut peculiare s. Crucis vexillum in processionibus elatum praeferrent, sub quo ipsi parochi stola induti, ac ante ipsos universus clerus secularis memoratae cathedrali non addictus incedere debeat, immediate vero capitulare aliud sequatur ejusdem s. Crucis vexillum, sub quo seminarii alumni, et convictores, cappellani hebdomadarii, beneficiati, et canonici incedant ultimi; per quod editum decretum omnia dissidia hujusmodi a tot annis ferventia extinxit ac omnino diremit.

Ratio concessionis. §. 3. Quoniam vero sicut in eadem expositione additum erat ex concessione, et decreto hujusmodi capitulum praedictum de suo jure super suae crucis unitate in processionibus praeferendae remisit, ad hanc reparandam jacturam, ac potissimum eo quod dicta cathedralis ecclesia sacrarum reliquiarum, sanctorumque corporum in ea quiescentium splendore, et antiquitatis inter reliquas cardinalitias suburbicanas ecclesias praestantia, templi magnificentia, canonicorum probitate, et doctrina ita floruerit, et floreat, ut non modo amplissimis laudibus a sancto Petro Damiano episcopo canonici fuerint affecti, sed successivis etiam temporibus ex ejusdem capituli gremio multi ad episcopalem dignitatem, undecim vero ejusdem ecclesiae episcopi ad summum pontificatum fuerint evecti, ac praeterea Lucius pp. III. praedecessor Noster ibidem sit summus pontifex renunciatus, quodque accedit ipsius civitatis Veliternensis celebritas, quae tanta est, ut ex ea sanctum Clementem papam et martyrem praedecessorem itidem Nostrum originem duxisse affirmetur, ac multi cum literis, tum dignitatibus praeclari viri ex ea prodierint, quos inter dilectus filius Noster Stephanus S. R. E. presbyter cardinalis Borgia nuncupatus sacrae congregationis de Propaganda Fide praefectus, idcirco dictus Henricus episcopus eamdem cathedralem in basilicam per Nos declarari summopere desiderat.

Tenor concessionis. §. 4. Nos igitur ejusdem Henrici episcopi votis, quantum cum Domino possumus benigne annuere volentes, ac omnes singulares personas, quibus praesentes Nostrae favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ecclesiam cathedralem praedictam Deo, ejusque martyri s. Clementi dicatam in ecclesiam basilicam minorem, ad instar basilicarum minorum urbis auctoritate apostolica tenore praesentium erigimus, et declaramus, eidemque ecclesiae, ac ipsius capitulo, et canonicis, ut conopoeum, vulgo *padiglione* cum tintinnabulo in processionibus praeferre ad instar earumdem basilicarum minorum urbis, nec non omnibus, et singulis privilegiis, praeeminentiis, honoribus, et antelationibus quibus aliae basilicae hujusmodi, tam de jure, usu, et consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, vel uti, frui, et gaudere in futurum poterunt, pari modo uti, frui, et gaudere libere, ac licite possint, et valeant, auctoritate, et tenore praesentis concedimus, et indulgemus.

Digitized by Google

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus felicis recordationis Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda martii millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quarto.

Dat. die 2. martii 1804. Anno IV.

CCLXXII.

Concessio juris possidendi bona stabilia, ac recipiendi novas moniales chorales, et sorores conversas pro monialibus sancti Benedicti civitatis Eugubinae.

Venerabili fratri episcopo Eugubino.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi nuper fecerunt Nobis dilectae in Christo filiae moniales ordinis s. Benedicti istius Eugubinae civitatis, quod ipsae antea in binis monasteriis, altero s. Clarae, altero s. Martialis divisim istihic inhabitantes, in unam deinde translatae, et conjunctae simul fuere communitatem monasterii de Carmelo nuncupati, ubi nunc manent, sed tantum ad tempus a rec. mem. Pio pp. VI. praedecessore Nostro praeordinatum, quum per apostolicas suas in simili forma Brevis die decima secunda decembris 1786. expeditas literas monasteriorum hujusmodi suppressionem decrevit, eorumque bona, jura, et actiones conservatorio, seu refugio pio, ut ajunt, puellarum pauperum civitatis ejusdem perpetuo addixit, et alias, prout iisdem in literis, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, fusius contineri perhibetur. Quoniam vero isthaec decreta suppressio tunc demum juxta dictarum literarum praescriptum perficienda plenarie foret, quum de communitate exponentium quinque tantum superessent moniales chorales, contigit interim, ut tibi, quem idem praedecessor ad harum ordinationum executionem opportunis cum facultatibus delegaverat, post varia super alimentis, quae a patrimonio refugii monialibus exponentibus ad postremam usque earum extinctionem congrue suppeditari oportebat, adhibita experimenta, satius, et patrimonio utilius sit visum, undecim praedia, aliquotque census eis alimentorum loco assignare: tum contigit simul, ut oeconomica hujus assignationis provisio tempus, locumque praebuerit animis viam excogitandi, qua moniales nihil de eo, quod ad utilitatem refugii extat praeordinatum, auferri, et praestitutam ipsorum abolitionem censeant posse anteverti.

Proponunt idcirco

Conditiones servandae ad gratiae effectus consequendos.

I. §. 2. Soluturas se proprio aere in perpetuum quidquid persolvi opus fuerit pro reficiendis, conservandisque aedibus omnibus, et singulis tam ruralibus, quam urbanis, ad conservatorium praedicti refugii pii spectantibus, nec non soluturas pariter illud omne, quod, a conservatorio jam solvitur, vel in futurum solvetur in taxas, contributiones, et onera publica, tum imposita, tum quomodolibet imponenda super fundis, et censibus, caeterisque quibuslibet bonis, quae possidet, ac possidere potuerit, ita tamen ut ipsae moniales in plenam, liberamque redeant possessionem, et proprietatem bonorum, ac censuum, uti et utensilium domus, et ecclesiae, quae nunc eis assignata sunt dumtaxat in usum, et fructum, utque insuper ad recte aequilibrandas initio suarum rerum rationes, unde nunquam ad onera, quae sibi assumunt, subinde possint impares fieri, contribuantur ipsis a patrimonio refugii per septem subsequentes annos septingentena scutata, id est singulis centena annis in decursu septennii, vel integra summa hujusmodi prius etiam quam septennium effluat, si refugio commodum fuerit.

II. Cedi ab exponentibus beneficio conservatorii omnes, et singulas dotes, quae occasione receptionum, et professionum tribui monasterio solent a novis professis; atque conversis, nihil retinendo pro se, nisi illud dumtaxat, quod praeter, et ultra dotem percipitur pro reliquis educationis, vestitionis, et professionis expensis: has autem futuras dotes deponi penes depositarium refugii ad extinguendum pro rata omne alienum aes, quod necessario contrahi a conservatorio debuit, ut ea, quae

Digitized by Google

praelaudatae literae praescribebant, mandarentur executioni: depositum porro dotum hujusmodi continuari usquedum tale aes alienum finietur dissolvi, imo ad dissolutionem hanc quantocitius properandam statui debere per formale decretum, ut pro hujusmodi effectu etiam a patrimonio refugii centum deponantur scutata quotannis.

III. Se suum praestare consensum, ut si forte ipsarum monasterium, atque communitatem quacumque ex causa contingat deficere: eo in casu omnia ipsorum bona, jura, et actiones relabantur conservatorio, ejusque proprietati, dominio, ec emolumento penitus cedant. Demum his ita propositis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

[Gratiae executio prudentiae episcopi committitur.]

§. 3. Nos igitur attento regularis olim Nostrae professionis inclyto ordine, quem exponentes profitentur, attentoque etiam, sicuti accepimus, desiderio tam fraternitatis tuae praecipuo, tum istorum civium communi pro dictis monialibus ista in civitate servandis, ipsas exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, easque, ac earum singulas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus enarratis, et quatenus enarrata monasterio aeque, ac conservatorio praedictis fore proficua in Domino duxeris, eisdem exponentibus licet ipsis ob praeordinatam in memoratis literis earum suppressionem, nec aliquid ad praesens in proprietatem possidere, nec ullam rursus monialem tam de choralium, quam de conversarum, ut dicitur, classe admittere liceat, nihilominus, tam bona, census et utensilia superius recensita, quam alia quaecumque hujusmodi, licite eis aliunde obventura, post hac in proprietatem recipiendi, acquirendi, et retinendi, nec non moniales novas chorales, novasque sorores conversas eodem, quo antea, modo ad vestitionem, et professionem adsciscendi, admittendi, et in aliarum numerum coaptandi sub oneribus tamen, et conditionibus supra per ipsas propositis atque promissis, aliisque etiam provisionibus, et cautelis per te conservatorii favore capiendis, atque injungendis, licentiam, et facultatem, qua indigent, auctoritate Nostra apostolica pro tui arbitrio, et prudentia impertiaris, atque concedas, easque a lege, et obligatione subeundi suppressionem praescriptam prorsus absolvas.

[Clausula sublata, et decretum irritans.]

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac dictis monialibus in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet aliter judicandi, et interpetrandi facultate et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

[Derogatio contrariorum.]

§. 5. Non obstantibus memorati praedecessoris literis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis nec non dicti conservatorii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die sexta martii millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quarto.

CCLXXIII.

[Dat. die 2 martii 1804. Anno IV.]

Erectio novae paraeciae in suburbio nuncupato Pio ad paludes Pontinas.

Moderno episcopo Terracinensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem,
et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Inter ceteras utilitates, quae obvenerunt ex celebri opere assiduis curis assumpto et ad exitum perducto per rec. mem. Pium pp. VI. praedecessorem Nostrum exiccandi, et ad culturam revocandi Pontinas paludes id aucto populo, atque commercio, multisque aedificiis extra istius civitatis moenia extructis, praesertim ad oram maritimam, suburbium coaluerit, quod praelaudati pontificis nomine suburbium seu burgum Pium isthic appellant.

Expositio precum. §. 2. Sane cum accepimus voluisse pro pastorali sua sollicitudine suburbanis incolis istis prospicere novae parochiae erectione, eamque ob causam in animum habuisse, ut a religiosa familia ordinis fratrum praedicatorum, quorum domui, ut vocant, generalitiae non exigua bona in regione ista concesserit, ecclesia s. Pii nuncupanda construeretur, sed quoniam id ob subsecutas rerum vicissitudines nondum confici potuit, nuper Nobis non sine magno animi Nostri moerore delatum Nobis est, incolas ejusmodi suburbanarum domorum, atque etiam eos damnatos ad opus publicum, qui in aggeribus fluminum Pontinorum, aliisque laboribus occupantur, militesque per ista loca stationem habentes, necessariis Christianae doctrinae instructionibus, ac monitionibus carere, et saepe etiam sine sacramentorum administratione e vita infeliciter migrare. Quapropter varias iis, quibus in civitate et agro Terracinensi cura animarum incumbit, adducentibus excusationes; necesse fuit, ut a dilecto filio magistro Alexandro Lante camerae Nostrae apostolicae generali thesaurario, cui hanc rem praecipue commendavimus, mitteretur isthuc ab urbe presbyter idoneus sumptibus, ac stipendio camerae Nostrae, qui de tui approbatione isto in suburbio sub cappellani tituli vices parochi interim gereret, donec solidius atque stabilius enarratis malis remedium afferendum duceremus.

Erectio ecclesiae parochialis. §. 3. Verum pro eo quod ab aeterno pastore Nobis commissum est, munere animadvertentes periculo diutius differri non posse, volentesque etiam ut plebis dicti suburbii aucta magisque in dies forsan excrescens, certum propriumque agnoscat rectorem, ideo novam parochiam in ecclesia inibi existente sub invocatione s. Mariae Portus Salvi, sumptibus bo. mem. Nicolai Ajelli extructa, et a memorato Nostro praedecessore consecrata auctoritate apostolica tenore praesentium in perpetuum erigimus, atque instituimus modo, et conditionibus infrascriptis, videlicet accedente consensu patroni seu patronorum ejusdem ecclesiae, quibus omnia patronatus jura intacta praeservamus.

Dotatio ecclesiae. §. 4. Sed quoniam novo parocho pars congruae supplenda erit ex publico aerario, donec ibi milites et praedicti ad opus damnati detinebuntur, ac donec aliter a Nobis provideatur, propterea volumus, ut prima vice ad Nostrum thesaurarium generalem altera vice ad praedictos patronos, et sic futuris temporibus alternatim pertineat jus nominandi, ac praesentandi parochum rite examinandum, approbandumque, ac juxta sacrorum canonum, et concilii Tridentini in parochialibus juris patronatus laicorum praescripta, a te, suisque pro tempore successoribus instituendum.

Concessio privilegiorum. §. 5. Praedictae autem ecclesiae omnia jura, privilegia, honores, et facultates ecclesiis parochialibus de jure competentes concedimus, atque attribuimus, ac praesertim jus baptizandi, et sacrum fontem erigendi, ac retinendi. Ad sepulturas vero, et caemeterium quum locus in ipsa ecclesia, ejusque pertinentiis neque comodus, neque sufficiens esse videatur, mandamus congruum situm praestari in cryptis vicini horti, qui ad Nostram cameram spectat. Eidem parocho ultra emolumenta, et obventiones ex hujusmodi curae exercitio debitas, ac de jure permissas, ac praeter praestationem a pio ecclesiae fundatore relictam sacerdoti ea in ecclesia missam diebus festis celebranti, volumus etiam a Nostra camera praestari quotannis, rebus in praesenti statu, ut supra manentibus, scutata nonaginta monetae Romanae, quorum triginta detrahenda erunt ex annua praestatione ab eadem Nostra camera fieri solita communitati Terracinae pro compensationibus conventis initio bonificationis Pontinae an. MDCCLXXVII, atque ad praedictos effectus thesaurario generali omnes facultates necessarias impertimur. Hujus autem novae paraeciae ambitum ita constituimus, ut comprehendat suburbium Pium, totumque illum Terracinae tractum,

qui a moenibus istius civitatis ad mare usque extenditur, suo prudenti arbitrio relinquentes facultatem designandi hinc inde limites, prout magis expedire videbitur, rurales domos incolentibus, ut a parocho istius ecclesiae commodius instruantur, et sacramenta recipiant. Qui limites semel designati, et constituti perpetuo in posterum servari debeant.

Exemptio novae paraeciae a jurisdictione ecclesiae cathedralis Terracinensis.

§. 6. Atque ita novam praedictam paraeciam, parochum, suburbium, et agri tractum intra hujusmodi fines a quolibet jure et jurisdictione parochiali cathedralis ecclesiae Terracinensis ejusque capituli, et canonicorum, et quibuscumque eorum praetensionibus separamus, eximimus, ac perpetuo liberamus, sublata cuilibet desuper contradicendi, et reclamandi facultate; sive in judicio, sive extra judicium, quacumque ex causa, titulo, atque praetextu.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 7. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, neque ullum obreptionis, aut subreptionis vitium, aliumque defectum, a quoquam eis opponi posse, licet citati, et auditi non fuerint praefati canonici, et quisquis alius sua interesse praetenderit, ac iis, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus, quatenus opus sit, recentis memoriae Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictae cathedralis ecclesiae Terracinensis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis, apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima martii millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quarto.

Digitized by Google

ANNO QUINTO

Dat. die 10. martii 1804. Anno V.

CCLXXIV.

Erectio novae domus congregationis Oratorii sancti Philippi Nerii in terra sancti Laurentii in Campo.

Dilecto filio Nostro S. R. E. diacono cardinali Albani nuncupato abbati commendatario monasterii sancti Laurentii in Campo nullius dioecesis, provinciae Urbinatensis.

Pius PP. VII.

Dilecte fili Noster salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joseph Medici presbyter saecularis congregationis s. Philippi Nerii, ac dilecti filii canonici prioris Dominici Baldoni procurator ad infrascripta exequenda constitutus, quod ipse ad majorem Dei gloriam, ac spiritualem istius terrae s. Laurentii in Campo utilitatem, unam domum presbyterorum saecularium ejusdem congregationis Oratorii ex bonis a dicto Carolo per suam irrevocabilem donationem inter vivos assignatis erigi posse plurimum desiderat: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis, opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictum Josephum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, circumspectioni tuae per praesentes injungimus, ut veris existentibus narratis, et constito tibi quod omnia ad praescriptum constitutionum apostolicarum requisita concurrant, ad petitam erectionem novae domus congregationis praedictae Oratorii s. Philippi Nerii, quatenus ipsius aedes cum ecclesia, campanili, sacristia, refectorio, et aliis officinis fuerint absolutae, et supellectili tum sacra, tum prophana sufficienter instructae, atque hisce expressis legibus, ut novae domus hujusmodi presbyteri tibi, ac pro tempore existenti commendatario abbati perpetuo subjaceant quantum per leges, et constitutiones s. fundatoris apostolica auctoritate confirmatas fieri licet. Secundo, ut bona pro hujusmodi nova domo assignata nec alicui domui ejusdem congregationis incorporari, neque ad alios pios usus distrahi ullo umquam tempore possint. Tertio si, et quando dicti presbyteri in hujusmodi domo degere nequeant, aut nolint, tunc Nobis, et Romanis pontificibus pro tempore existentibus successoribus Nostris integrum sit de dictis aedibus, et bonis disponere, prout in Domino videbitur, auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio, et conscientia procedas, nec non domus hujusmodi sic erigendae presbyteris, ut omnibus, et singulis privilegiis, gratiis, et favoribus spiritualibus, et temporalibus, quibus ejusdem congregationis domus s. Mariae in Vallicella de urbe potitur, et gaudet, pari modo potiri, et gaudere in perpetuum libere, et licite possint,

Digitized by Google

et valeant, auctoritate, et arbitrio praedictis concedas, et indulgeas.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus, quatenus opus sit, congregationis praedictae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima sexta martii millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 23. martii 1804. Anno V.

CCLXXV.

Exemptio ab omni onere, et gabella super piscatione ad Pontem Ruptum, et jure ibi piscandi pro ecclesia parochiali ss. Salvatoris de urbe ad pontem praedictum.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Quum sicut dilectus frater modernus rector parochialis ecclesiae ss. Salvatoris de urbe ad Pontem Ruptum nuper fecit exponi, jure sub eodem ponte piscandi seu piscari faciendi ecclesia hujusmodi polleat: ipse autem rector ad beneficium pauperum quibus ea in parochia degentibus parochi pro tempore ob parochialium fructuum tenuitatem parum possunt opitulari, cupiat atque exoret humiliter eximi per Nos tale jus ab omni, et quocumque onere, perinde ac exemptum est jus simile, quod a capitulo ecclesiae s. Mariae trans Tiberim possidetur ad pontem Sixtum, ubi ex apostolico, ut asseritur, privilegio nihil omnino solvitur pro vectigali, seu taxa, et gabella communi, nec quidpiam quoque impenditur atque praestatur pro captis inibi piscibus, quorum capita in Capitolii mensura recensentur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ut post hac memorata parochialis ecclesia, ejusque rectores pro tempore in perpetuum iisdem privilegiis, ac exemptionibus, quibus ut praefertur capitulum s. Mariae trans Tiberim quoad suam in ponte Sixto piscationem potitur, et gaudet, similiter in piscatione ad Pontem Ruptum facienda potiri et gaudere libere in omnibus, et per omnia possint ac debeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et ecclesiae et parochis praedictis in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis etiam speciali et expressa mentione ac derogatione dignis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia martii millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 24. martii 1804. Anno V.

CCLXXVI.

Novae concessiones in favorem agriculturae in agro Romano, ac provinciis Latii, Sabinae, et Patrimonii s. Petri.

NOTIFICAZIONE

Giuseppe per la divina misericordia vescovo di Frascati, commendatario di s. Cecilia,

Digitized by Google

card. Doria Pamphilj, della Santa Romana Chiesa, pro-camerlengo.

Pro camerarius chirographi publicationem curat.

§. 1. Premendo alla Santità di Nostro signore Pio Papa VII. che restino eliminati tutti gli ostacoli, li quali potrebbero eludere li benefici effetti delle disposizioni prese, e pubblicate col moto proprio delli 15. settembre 1802. pel favore, e l'accrescimento dell'agricoltura tanto nell'agro Romano, che nelle provincie suburbane di Marittima e Campagna, Lazio, Sabina, e Patrimonio, è piaciuto alla stessa Santità Sua di dare una maggiore estensione al provvedimento contenuto nel surriferito moto proprio all'articolo 5. del capitolo II., come potrà ognuno meglio rilevare dalla lettura della nuova cedola di moto proprio segnata da Sua Beatitudine li 24. marzo scorso, che è del tenore seguente, cioè

Pius PP. VII.

Motu proprio

Tenor chirographi.

§. 2. L'oggetto di animare, e promovere più particolarmente l'agricoltura nelle vaste, e poco coltivate campagne dell'agro Romano, e di una gran parte delle provincie suburbane, c'indusse a prescrivere li provvedimenti, che si contengono nella Nostra cedola di moto proprio delli 15 settembre 1802. Essi sono principalmente diretti ad ottenere quella maggior divisione dei latifondi, la quale è lungo tempo, che da tutti generalmente si desidera come il migliore, e il più sicuro mezzo, onde restituire le predette campagne a quel florido stato di coltivazione, che un tempo esse offrivano, e che avventurosamente appunto si ritrova nelle altre più lontane provincie del Nostro stato, nelle quali li possessi fondiari sono divisi in diverse colonie. E per assicurare maggiormente un tale importante oggetto nel medesimo moto proprio credemmo di doverci occupare in rimuovere tutti quelli ostacoli, e quelli inceppamenti, che li rispettivi proprietarj avrebbero potuto incontrare in effettuare la stessa tanto desiderata divisione dei loro latifondj, non avendo perduto di vista quello ancora, che poteva provenire dal così detto diritto del retratto; al quale effetto disponemmo all'articolo 5. del capitolo II. di detto Nostro moto proprio, che qualora le suddette divisioni de' latifondi seguissero col mezzo di vendite, non potesse mai aver luogo alcun diritto di retratto, o prelazione a favore del possessore del terreno vicino.

De jure retractus in venditionibus finitimis concedendo.

§. 3. Siccome però questa disposizione del predetto art. 5. oltre ad essere ristretta ai soli circondarj migliarj, che a tenore del medesimo moto proprio incominciano ad andare nel corrente anno soggetti alla nuova tassa di migliorazione, e a quelli, che vi si assoggetteranno in appresso, non comprende, che il solo caso, in cui un possessorre di latifondo soltanto ne alieni una porzione; così non abbiamo tralasciato di considerare, che tanto all'occasione di vendita di terreni situati fuori dei predetti circondarj soggetti alla riferita nuova tassa di migliorazione, quanto nel caso, in cui la vendita stessa si estendesse alla totalità del fondo, avrebbe continuato a militare a favore del possessore del terreno contiguo il predetto diritto del retratto; e in tutti questi casi per conseguenza ben lungi dal diminuirsi li latifondj si sarebbero anzi andati maggiormente ingrossando, in manifesta opposizione delle anzidette Nostre benefiche viste dirette al rifiorimento dell'agricoltura col mezzo della enunciata tanto desiderata divisione de' latifondj. Perciò dopo di avere inteso il parere della Nostra congregazione economica, la quale si è maturamente occupata di un tale oggetto nella sessione delli 20. febrajo scaduto, ed approvando intieramente la risoluzione della medesima, siamo venuti nella benigna determinazione di estendere, come colla presente Nostra cedola, in cui abbiamo per espresso, e di parola in parola inserto il tenore di qualsivoglia cosa necessaria ad esprimersi, di nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della Nostra suprema podestà estendiamo a tutti li casi possibili, e indistintamente a tutti i fondi la disposizione contenuta come sopra nel riferito articolo 5. del capitolo II. del citato Nostro moto proprio delli 15. settembre 1802. E in conseguenza dichiariamo, che tanto nei prescritti circondarj migliari, li quali nel corrente anno 1804. incominciano ad essere sottoposti, o soggiaceranno in appresso alla nuova tassa di migliorazione, quanto fuori dei medesimi circondarj, e parimenti sì dentro le così dette vigne di Roma, come in qua-

Digitized by Google

lunque parte dell' agro Romano, e circonvicine provincie comprese nei provvidementi del più volte citato moto proprio delli 15. settembre 1802., non potrà mai d' ora innanzi in alcun caso essere permesso a verun proprietario di terreno di costringere il possessore vicino di un fondo a cederglielo; e parimenti nel caso, che questi volesse o in tutto, o in parte alienarlo, al sud letto proprietario del fondo vicino non potrà mai competere alcuna prelazione, giacchè tanto in un caso, che nell' altro verrebbe a contrariarsi lo spirito dell' enunciata Nostra legge diretta alla suddivisione de' latifondj, li quali in tutti e due li suddetti casi verrebbero anzi maggiormente ad ingrossarsi; al quale effetto colla pienezza della Nostra suprema podestà deroghiamo alla nota costituzione delli 3 ottobre 1574. di Gregorio XIII. Nostro predecessore di felice ricordazione in quella parte, in cui parla del retratto sopra li predj rustici, non meno che alle succesive di altri Nostri predecessori nelle quali la medesima sia stata confermata, come ancora alle disposizioni statutarie confermate anche in forma specifica, e a qualunque altra legge, privilegio, o consuetudine, che facesse, o potesse fare in contrario.

Confirmatio aliarum legum ad rem editarum.

§. 4. Con questa ampliazione del divisato articolo del predetto moto proprio delli 15. settembre 1802. Noi diamo sempre più chiaramente a conoscere quanto siamo animati dal desiderio di vedere estesa, e perfezionata l' agricoltura nel Nostro stato; e in conseguenza ognuno potrà di leggieri immaginarsi, che saremo per insistere su la più esatta esecuzione dei diversi provvedimenti prescritti col moto proprio medesimo in vista dell' enunciato doppio interessante oggetto di accrescere, e perfezionare l' agricoltura, e che non saremo certamente per permettere che anche di detta Nostra legge abbia ad accadere ciò che è successo di tanti altri provvidi stabilimenti, li quali non per altra cagione non hanno corrisposto alla loro espettazione, se non perchè se n' è in progresso di tempo trascurata la esecuzione, e l' osservanza. Nulladimeno affinchè da tutti meglio si conosca questa Nostra costante volontà, e determinazione ci prevalghiamo del presente incontro per confermare, come confermiamo in tutte le sue parti l' anzidetta legge delli 15. settembre 1802. E perciò nuovamente altresì inculchiamo alla deputazione annonaria di usare di tutta la maggiore attività, e diligenza in proposito della divisata esecuzione dei riferiti provvedimenti contenuti nella legge stessa; poichè tale è mente, e volontà Nostra espressa.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 5. Volendo, e decretando, che al presente Nostro moto proprio, benchè non esibito, nè registrato in camera, nè ne' suoi libri, non possa mai darsi, nè opporsi di surrezione, orrezione, o altro vizio, o difetto della Nostra volontà, ma che così, e non altrimenti debba sempre nelle cose premesse giudicarsi, ed interpretarsi da qualunque giudice, o tribunale, benchè collegiale, congregazioni anche di reverendissimi cardinali, camerlengo di s. Chiesa, tesoriere, rota, camera, e qualunque altro, togliendo loro, ed a ciascuno di essi ogni facoltà, e giurisdizione di definire, ed interpretare in contrario; dichiarando Noi preventivamente fino d' adesso nullo, irrito, ed invalido tutto ciò, che da ciascuno di essi con qualsivoglia autorità scientemente, o ignorantemente si giudicasse, o tentasse di giudicare contro quanto si dispone nel presente Nostro moto proprio, quale dovrà avere il suo pieno vigore, benchè non vi sia stata chiamata, nè sentita qualunque persona, o corpo benchè privilegiato, privilegiatissimo, ecclesiastico, luoghi pii, ed altri, che avessero, o pretendessero avervi interesse. Non ostante la bolla di Pio IV. *de registrandis*, la regola della Nostra cancellaria *de jure quaesito non tollendo*.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non ostanti ancora qualsisiano chirografi, brevi, ordinazioni e costituzioni apostoliche Nostre, e de' Nostri predecessori, bandi, ed editti, leggi, statuti, riforme, stili, e consuetudini, e qualunque altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario, alle quali tutte e singole avendone il tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto, e registrato, supplendo Noi colla pienezza della Nostra potestà ad ogni vizio, o difetto, che vi potesse intervenire per questa sola volta, e per la piena esecuzione di quanto si contiene nel presente Nostro moto proprio ampiamente, e nella più valida forma deroghiamo. Dato dal Nostro palazzo apostolico Quirinale questo dì 24. marzo 1804.

Pius PP. VII.

Affinchè pertanto l'enunciata nuova benefica disposizione che ad ulterior favore dell' agricoltura tanto nell' agro Romano, che nelle provincie suburbane è piaciuto a sua Beatitudine di prescrivere colla riportata special cedola di moto proprio delli 24. marzo scaduto si deduca prontamente a notizia del pubblico, e niuno possa mai allegarne ignoranza, vogliamo, ed ordiniamo, che la presente Nostra notificazione venga pubblicata, ed affissa nei soliti siti di questa capitale, e delle altre città, e luoghi principali delle stesse provincie suburbane. Data in camera apostolica questo dì 6. aprile 1804.

G. card. Doria Pamphilj pro camerlengo.
P. Ferrari uditore.
N. Nardi segr. e cancell. della R. C. A.

Dat. die 26. martii 1804. Anno V.

CCLXXVII.

Allocutio habita in consistorio secreto die 26. martii 1804. in creatione duorum S. R. E. cardinalium.

Venerabiles fratres.

Quo potissimum in eligendis S. R. E. cardinalibus consilio duceremur, quid in viris ad summos honores promovendis praecipue Nos, constanterque spectaturi essemus, ex hoc ipso, venerabiles fratres, loco alias a Nobis patefactum est. Id scilicet Nobis, simul ac ad supremam Petri cathedram evecti sumus, propositum esse apertissime declaravimus, ut in conferendis ecclesiae dignitatibus illorum in primis rationem haberemus, qui christiana virtutum, et meritorum suppellectile magis abundarent, quique muneribus, quae ipsis demandata fuissent, magna cum laude perfuncti, gravissimis ad majora suffragiis vocarentur. Non alia certe, praeter hanc, patet via vel ad homines optime de Ecclesia meritos justis praemiis afficiendos, vel ad alios, ut praeclara illorum vestigia sequantur, acrius excitandos.

Hoc sane proposito, cujus Nos tenacissimos fore pollicemur, adducti sumus, ut Carolum Opizzonium Bononiensis ecclesiae archiepiscopum in numerum S. R. E. cardinalium adsisceremus. Is enim difficillimo tempore cum in rebus catholicae religionis tuendis omnes ingenii, zelique sui vires firmissime exeruisset, praeclare de eadem religione, optimeque meritus est: in Bononiensi archiepiscopatu postea gerendo prudentia, constantia, integritate, omnibus denique virtutibus, quae maxime episcopum decent, ita se Nobis commendavit, ut dignum plane judicaverimus, quem vestro, venerabiles fratres, collegio adscriberemus. Atque id quidem ab aliquo jam tempore taciti decreveramus. Quo enim magis virtutum ille suarum in pastorali munere obeundo censum ampliavit, eo paternus Nostrae erga eum charitatis affectus intensior, acriorque factus est. Etsi vero Nostrae in eum voluntatis aliquot indicia ei dedissemus, Nostrum tamen consilium ad exitum perducere aliquanto distulimus, ut nimirum novis ipse meritis cumularetur, digniorque vobis, venerabiles fratres, et cunctae Ecclesiae eo dignitatis gradu appareret, ad quem libentissimo illum animo hodie promovemus.

Confidimus, antistitem ornatissimum nova hac amplissimi honoris accessione decoratum acrioribus ad procurandum Ecclesiae bonum stimulis excitatum iri, Nobisque, et apostolicae Sedi ita adfuturum, ut merito Nos tantam ei dignitatem contulisse omnibus videamur.

Quae cum ita sint, ad majorem omnipotentis Dei gloriam, S. R. E. utilitatem, ac decus creare intendimus cardinalem Carolum Opizzoni archiepiscopum Bononiensem.

Quid vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra creamus S. R. E. presbyterum cardinalem.

Carolum Opizzoni archiep. Bononiensem.

Alterum item egregium virum collegio vestro adjiciendum putavimus, quem tamen in pectore reservamus, arbitrio Nostro quandocumque evulgandum; cum omnibus dispensationibus, derogationibus, et clausulis necessariis, et opportunis. In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

CCLXXVIII.

Dat. die 27. martii 1804. Anno V.

Instante custode conventus s. Francisci Muri Veteris in Hispania, indulgetur, ut etiam mulieres possint ingredi, et egredi per ec-

clesiae januam, quae ducit ad claustra inferiora conventus tam pro indulgentia portiunculae, quam in processionibus, quae per eadem claustra fiunt.

Venerabili fratri archiepiscopo Valentino.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Nuper Nobis exponi fecit dilectus filius Antonius Martinez custos conventus s. Francisci Muri Veteris, olim Sagunti, Nos ejus, ut asserit, antecessori, dum custodis munere fungeretur, indulsisse ad triennium, ut omnes utriusque sexus christifideles, qui metu solis nimium in conventus platea augusti mense aestuantis a portiunculae indulgentia lucranda non parum avertebantur, ingredi, egredique possent in festo s. Mariae Angelorum ecclesiam ejusdem conventus per januam, quae ad inferiora claustra ducit; tum etiam ut ne causa imbrium, qui frequentes ibi esse solent, quaedam processiones eam per plateam fieri consuetae impedirentur, peragi illae valerent per eadem claustra, si tempore processionum imbres de coelo ruere contigisset. Quum autem compertum experientia sit, devotionem, pietatemque fidelium non mediocre ex hujusmodi indulto Nostro incrementum accepisse, ideo quo latiores in ea Domini vinea agat radices, summopere cupit exponens, idem indultum, prius quam triennii tempus expiret non modo per Nos confirmari, sed etiam perpetuum reddi, perpetuoque pariter ampliari ad alias tres processiones, quae incedentibus una clero, communitatibus, et populo oppidi ibidem fiunt diebus trigesima julii, decima augusti, et feria sexta majoris hebdomadae singulis annis, nimirum, ut ad aestivas molestias, hybernasque inclementias penitus evitandas, quum caloris, pluviarum, ventorumque vis ingruit, liceat tunc his in processionibus, aliisque superius recensitis inferius coenobii claustrum permeare, vel mulieribus processionem sequentibus, ac cum periculo valetudinis in platea se sistere, ibique processionis reditum debeant expectare. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae, uti ordinis generali ministro, per praesentes committimus et mandamus, ut constito tibi de narratis, ac proviso per datam tibi a Deo sapientiam, ne ulla umquam eventura sint scandala, super quo etiam custodum pro tempore conscientiam onerabis; exponentis precibus pro tui conscientia, et arbitrio indulgeas juxta petita; Nos enim tibi omnes, quae tibi ad id opus sunt, facultates auctoritate apostolica tribuimus, ac impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et conventus praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice duntaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die vigesima septima martii millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

CCLXXIX.

Dat. die 3 aprilis 1804. Anno V.

Homilia habita in basilica Vaticana die 3 aprilis 1804. in consecratione r. p. d. Joachimi Tosii episcopi Anagnini.

A pastorum principe, qui dives est in misericordia sua, tamquam Aaron per ministe-

Digitized by Google

rium Nostrum, qui licet indignissimi, vices ejus in terris gerimus, vocatus ut pontifex fieres, sedulo cognita, venerabilis frater, cathedram, quam suscepisti oneris potius esse, quam honoris; operis, quam nominis; virtutum denique certe, non divitiarum (1): nec caeteroquin quod maxime prae oculis habendum esse monet s. Hieronymus, dignitatem, vel dignitatum nomina, sed opus dignitatis et principes, et judices, et sacerdotes salvare consuevisse (2). Ad episcopatum evectus, speculator factus es domui Israel: oportet itaque te vigilem esse et perspicacem, ac plusquam ducem exercitus diu, noctuque castra percurrere, omniumque curam, et sollicitudinem gerere (3). Sanctae Anagninae ecclesiae plurium civium suorum, qui gloriosissimum subiere martyrium, sanguine clarissimae, quaeque tot habuit antistites doctrina, et sanctitate celebres, materque foecunda extitit nonnullorum summorum pontificum, desponsatus, totus in curando, augendoque sponsae tuae decore esse debes, et, quam ab ipsis apostolorum temporibus se accepisse gloriatur, evangelicam fidem intemeratam, incorruptamque servare. In quo quidem officio eo ferventius te laborare necesse est, quo periculosiora, acerbioraque sunt tempora, in quibus versamur. Nec enim te latet, quod omnibus perspicuum est, tantam esse infelicissima hac aetate incredulorum copiam, tam magnam morum corruptionem, tam diram Ecclesiae persecutionem, ut instare plane, pressiusque Nos urgere videatur calamitosa ea tempestas, quam futuram his verbis praedixit apostolus « Hoc autem scito, quod in novissimis diebus erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, voluptatum magis amatores, quam Dei (4) » Tantam namque hujus furfuris hominum copiam ubique vagari videmus, ut vix oculos attollere possimus, quin in horum plurimos incidamus. Hi autem magno numero, frustra clamantibus, saepe etiam conniventibus iis, qui auctoritate sua eos compescere, publicamque morum honestatem, et religionis jura tueri deberent, bonis moribus, religioni, imo, quod sine ingenti horrore dici nequit, ipsi religionis auctori Deo apertum bellum indicentes, subdolis artibus millies profligatos errores e cineribus revocantes, et falsi nominis quamdam philosophiam, quam rectius stultitiam dicerent, protendentes, in id unum incumbere videntur, ut e fidelium cordibus omnem religionem evellant. In tanta porro malorum colluvie, quam dubitandum minime est a Deo permitti, ut dormientes excitentur, fortes exerceantur, boni meliores fiant, mali ovina jam sponte abjecta pelle, sub qua latebant, manifestius agnoscantur, vides profecto quanta tibi sit opus vigilantia, ne luporum ubique discurrentium rabidi dentes commissas tibi oves attingant: quanta te charitate ardere oporteat in confirmandis bonis in bono; quo zelo in avertendis a malo malis; qua denique animi fortitudine praestare debeas, ut arcere possis a finibus concreditae tibi dioecesis pestilentem contagionem illam, quae tam late hodie per universum orbem diffunditur. Accinctus itaque armatura Dei, virtuteque indutus Spiritus Sancti, qui mirabili quodam modo hodie per impositionem manuum Nostrarum in te descendit, suaque septiformi gratia roboravit, ut possis stare adversus diaboli insidias, sollicite cura, te ipsum probabilem exhibere Deo operarium, inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. Tui muneris est, quod infirmum est, consolidare, quod aegrotum, sanare, quod confractum, illigare, quod abjectum, conquirere: magno ergo animo exequere officium tuum. Non te deterreant vel adversariorum, si qui fuerint, potentia, vel multiplices eorum fraudes, nocendique artes. In alto loco cum sis positus, magno tibi opus est animo. Nil timeas in exequendo ministerio tuo, nisi Deum, qui animas, quas regendas suscepisti, requiret de manu tua. Sermo Dei penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animae (5) sit lorica tua, nihilque contra te valebunt inferni cona-

(1) Ex ep. CCCXXVIII. s. Bernardi nomine scriptam a Nicolao Clarae Vallensi tom. I. op. ejusdem s. Bernardi col. 580. edit. Parisien. Mabil. ann. 1719.

(2) In cap. III. Sophoniae tom. VI. edit. Vallarsii Veron. an. 1734. col. 721.

(3) S. Joan. Chrisostomus hom. X. in I. ad Timoth. cap. 3. pag. 599. edit. Parisien. Montfauconii ann. 1718.

(4) II. ad Timoth. III. 1. 2.

(5) Ad Hebraeos IV. 12.

tus. Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina (1). Sit tamen praedicatio tua non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus, et virtutis (2): longe quippe faecundior est operis splendor, quam sermonis: qui propterea caeteris praeces, virtute praestare potissimum debes, ut prodesse valeas; Deique legem verbo quidem praedicare, sed multo magis exemplo: exempla enim qualibet etiam disertissima oratione multo sunt eloquentiora. Praeclara menti tuae tenacissime semper inhaereat s. Bonaventurae sententia. Praelati Ecclesiae, inquit ille, apostolis assimilari debent, qui coeli merito dicti sunt. Nomine enim coelorum intelligitur auctoritas judicis, et praelatorum, qui sicut in officii dignitate, sic in merito, et vitae sanctitate coelestem apostolorum conversationem debent in se ipsis exhibere. Auctoritas enim apostolica in coelestibus sacramentis distribuendis, in verbi mysteriis exponendis, in sopiendis litibus, et judiciis faciendis ad ecclesiarum praelatos est ex ordinatione divina derivata. Coelestis igitur debent esse virtutis, et naturae, qui se, et alios debent de coelestibus expedire (3). Quae quidem a s. doctore verissime dicta profecto tibi commendabunt gravitatem operis, quod aggrederis, discesque in altum positus, non altum sapere, sed de te ipso timere, et non in tuis viribus, laboribus, industria, sed in solo superno auxilio illius, qui potens est vel de lapidibus suscitare filios Abrahae, totam fiduciam tuam ponere: nec enim qui plantat, neque qui rigat aliquid est, sed qui incrementum dat Deus (4). Ipse autem aderit tibi, si assidue oratione, jejunio, bonis operibus, tui, quod praecipuum est, abnegatione, effusisque gemitibus coelestia ejus dona ad procurandam animarum tibi concreditarum salutem expostulaveris; qui ut dignitatem tibi dedit, dabit etiam virtutem (5).

Quoniam vero nec ubique esse, nec omnia per te ipsum facere potes, tuum est adsciscere tibi seniores non tam aetate, quam moribus. Non dubitamus, quin plures praesto futuri sint in ecclesia tibi commissa, sed necesse est, ut cures, ne hi successoribus sui similibus careant. In efformandis itaque juvenibus qui ad altaris ministerium vocantur, maxima anxietate laborabis. Sedulo eorum mores inspicere debes, nec cuiquam facile manum imponere. Ex nimia indulgentia admittendi ad ecclesiasticos gradus, non igneras profecto quot gravia Ecclesiae mala importentur. Ecclesiasticus aliquis probus est? laudatur ipse. Eorum aliquis est malus? maledicta improperia, convicia in totum corpus effunduntur, et quod deterius est, inde mali peccati defensionem quaerunt. Interest gloriae, interest tranquillitati tuae, et quod gravius est, interest securitati conscientiae tuae, saluti interest universi gregis tui, ut quos ad sacros ordines, ad Ecclesiae ministeria, ad animarum curam vocaveris, sint sana doctrina instructi, moribus integri, ad erudiendum populum idonei, in administratione Sacramentorum circumspecti, ut cunctis praeluceant in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. Hisce enim adjutoribus indiges in excolendo agro Dominico, quem cum solus excolere non possis, his praesidiis instructus, certare debes bonum certamen, baculoque pastoris, et quasi canum latratu lupos ab ovili arcere, corruptos mores emendare, populum ad Dei cultum excitare, pertinacibus in malo resistere, et haec omnia praestare suaviter, in charitate non ficta, in verbo veritatis. Plus enim proficies charitate, clementia, mansuetudine, quam nimia severitate. Discretio sit moderatrix tua (6). In paternis admonitionibus, in severis potissimum correptionibus, sis temporis, loci, modique observator. Id satis tibi commendare non possumus: usu quippe, experientiaque didicimus Nos ipsi in irritum omnia cedere, ubi debita temporis loci, atque modi ratio non habeatur. Dum tamen tibi servandam in omnibus matris charitatem proponimus, non idcirco volumus te patris, judicisque severitatis oblivisci. Raro quidem utendum ipsa est. Utendum tamen. Erit tibi quandoque necesse impudentiae resistere, frontemque fronte concutere; cum nempe in homines durae, et attritae cervicis incideris, qui nec precibus, neque hortatio-

(1) II. ad Timoth. IV. 2.

(2) I. ad Cor. II. 4.

(3) De hierarchia ecclesiastica p. 4. cap. 3.

(4) Ex I. ad Cor. III. 7. 1.

(5) Ex serm. II. s. Leonis in die annivers. t. 1. col. 9. edit. Venetae Ballerin. ann. 1784.

(6) S. Bernardus lib. II. c. 2. col. 430. cit. edit.

nibus, neque correctionibus, neque minis cedunt. Dei zelo ardens virga animadversionis ipsis resistes, nec patieris ovem infectam totum ovile inficere. Gerens autem aliorum curam, vide, ne tui obliviscaris: quid enim tibi proderit si mundum universum lucreris, animae tuae detrimentum patiaris? Cum primum ad tuam dioecesim perveneris, omnium oculi in te convertentur, domus tua, ut scribebat Hieronymus ad Heliodorum episcopum (1), et conversatio quasi in specula constituta magistra erit publicae disciplinae. Quidquid tu feceris, id sibi omnes faciendum putabunt. Id porro si assidue animo revolveris, profecto nedum a virtute nunquam deflectes, sed in ipsa, prout dignitas tua postulat, proficies quotidie in sapientia, in intellectu, in longanimitate, in fide, in charitate non ficta, et a justo judice amplam eam mercedem consequeris, quam ex animo tibi imploramus.

CCLXXX.

Dat. die 6. aprilis 1804. Anno V.

Confirmatio decreti congregationis Rituum cum insertione ejusdem pro clero, et populo burgi Huercal Almeriensis civitatis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii clerus, et populus burgi Huercal civitatis Almeriensis, quod ipsi ab infrascripta cardinalium congregatione obtinuerunt decretum tenoris sequentis, videlicet.

Tenor decreti confirmandi.

§. 2. Electo nuper a clero, et populo burgi vulgo nuncupati Huercal civitatis Almeriensis s. Josepho beatae Mariae virginis sponso in patronum principalem dicti burgi, modo ex parte eorumdem pro confirmatione praefatae electionis sacrorum Rituum congregationi supplicatum fuit: et sacra eadem congregatio, ad relationem eminentissimi, et reverendissimi domini cardinalis Saluzzo, loco eminentissimi, et reverendissimi domini cardinalis Caracciolo ponentis, attento quod hujusmodi electio servatis servandis, et juxta praescriptum in decreto sanctae memoriae Urbani VIII. die 23. martii 1630. edito legitime, et accedente etiam consensu reverendissimi episcopi facta fuerit, eam approbavit, et confirmavit, praedictique s. Josephi sic in patronum principalem electi festivitati patrocinii, ut ipse clerus et populus orator exoptat, officium ritus duplicis primae classis cum octava, ac praerogativas omnes alias sanctorum patronorum principalium festis competentes attribuit, atque concessit die 13. martii 1804.

Julius M. card. de Somalia S. R. E. praef.

Loco ✠ Signi.

Confirmatio apostolica.

§. 3. Cum autem, sicut in eadem expositione additum erat, quo praeinsertum decretum firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae Nostrae confirmationis subsidio muniri summopere desiderent. Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, idem decretum, et singula in eo contenta auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus, et adprobamus, illique inviolabilis, ac perpetuae apostolicae firmitatis robur adjicimus, et omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in eo intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores; ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

(1) Ep. 60. in cit. edit. tom. I. col. 340.

Digitized by Google

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, dicti burgi consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die sexta aprilis millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 6. aprilis 1804. Anno V.

CCLXXXI.

Confirmatio decreti congregationis rituum pro oratorio de Vineals loci de Flassà Gerundensis dioecesis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Cum sicut dilecti filii pii fideles loci de Flassà Gerundensis dioecesis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quo in Deiparam afficiuntur devotionis affectu, ejusdem cultum, et venerationem in dies augeri summopere desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, illorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, audito etiam dilecto filio magistro Julio de Carpineo sacrorum rituum congregationis secretario, ut posthac in orario publico domus de Vineals dicti loci die XVI. mensis julii festum commemorationis beatae Mariae Virginis de monte Carmelo agatur cum omnibus missis propriis de eadem commemoratione, etiamsi occurat in eodem die festum triumphi sanctae Crucis, dummodo tamen officium triumphi sanctae Crucis non sit ritus dupl. primae, vel secundae classis; si autem fuerit ritus dupl. secundae classis dumtaxat, una tantum missa cum cantu de praedicta commemoratione Beatae Mariae Virginis de monte Carmelo celebretur, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti publici oratorii consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die sexta aprilis millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto. Derogatio contrariorum.

CCLXXXII. Dat. die 9. aprilis 1804. Anno V.

Reservatur super fructibus mensae episcopalis Palentinae in perpetuum pensio pro dotatione regiae cappellae del Pardo nuncupatae.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Pastoralis curae Nobis impositae munus hanc, inter alias, sollicitudinem a Nobis Proemium.

Digitized by Google

exposcit, ut ecclesiae omnes opportuna dotatione munitae dignoscantur, ad hoc ut in eis quantum fieri potest divinus cultus augeatur, ideoque animum Nostrum catholicorum principum vota ad id tendentia summopere commovent, ita ut ea omnia interponere nunquam dubitamus, quae in majorem omnipotentis Dei gloriam conspicimus redundare.

Expositio precum. §. 2. Cum itaque dilectus filius eques Antonius de Vargas y Laguna, carissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis catholici apud Nos, et apostolicam Sedem plenipotentiarius administer, ejusdem Caroli regis catholici nomine Nobis exposuerit, quod regalis cappella loci del Pardo nuncupati, in Toletana dioecesi existens, non satis amplo patrimonio potiatur, et ad hoc ut in ea nihil ad divini cultus honorem stabiliter servandum atque etiam augendum deficiat, de aliquo perpetuo subsidio muniri opportunum videatur, ac praedictus Carolus rex aciem suae considerationis convertens ad media, quae firmum annuum redditum regali cappellae praedictae constituere valeant, novit aliunde commodius haberi non posse, nisi cum infrascriptae pensionis assignatione, quam in subventionem praelaudatae regalis cappellae, modo tamen et forma infrascriptis per Nos assignari summopere desideret.

Ratio concessionis. §. 3. Cumque super fructibus, redditibus, et proventibus mensae episcopalis ecclesiae Palentinae, ad quam dum illa pro tempore vacat nominatio personae idoneae Romano pontifici pro tempore existenti facienda ad supradictum Carolum Hispaniarum regem catholicum ex privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, spectare, et pertinere dignoscitur, annua pensio, quae tertiae parti reddituum ipsius mensae episcopalis respondeat, pro personis a praedicto rege catholico nominandis per Nos in actu illius provisionis fuerit reservata, et ad quam integraliter percipiendam nondum personae omnes nominatae reperiantur, ideo si ejusdem pensionis rata sexcentorum octoginta septem ducatorum auri de camera, et juliorum octo monetae Romanae cum dimidio alterius julii similis non excedente, summam bismillium ducatorum de Vellon nuncupatorum monetae illarum partium constituentium eidem regali cappellae perpetuis futuris temporibus assignaretur, profecto dos sufficiens eidem in posterum dignosceretur constituta.

Tenor concessionis. §. 4. Nos propterea, qui ex officii Nostri debito, ad ea intendere non desistimus, quae divini cultus incremento expedire conspicimus, votis, ac precibus ipsius Caroli regis ad Nos per dictum suum administrum delatis in praemissis de speciali Sedis apostolicae benignitate favorabiliter annuere volentes, ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine regalem cappellam praedictam loci del Pardo nuncupati ad pensionem hujusmodi ab omni, et quocumque onere nunc imposito, et pro tempore quomodolibet imponendo, ac alias in omnibus, et per omnia, et omnino quoad omnia liberam, immunem, et exemptam super omnibus, et singulis ejusdem mensae episcopalis Palentinae fructibus, redditibus, et proventibus alias per Nos, ut praefertur, reservata, pro dicta tamen rata sexcentorum octoginta septem ducatorum auri de camera hujusmodi, et juliorum octo monetae praedictae cum dimidio alterius julii paris, eamque perpetuis futuris temporibus per venerabilem fratrem modernum, et pro tempore existentem ipsius ecclesiae Palentinae episcopum, et successores suos episcopalem ecclesiam antedictam pro tempore quomodolibet obtinentes, seu quoscumque ejusdem mensae episcopalis administratores pro tempore existentes annis singulis in termino, seu terminis in actu illius reservationis statuto, seu statutis, vel in posterum inter partes statuendo, seu statuendis integre, et absque ulla etiam minima diminutione persolvendam, et per ejusdem regiae cappellae rectores, seu administratores percipiendam, exigendam, levandam, ac in ipsius cappellae manutentionem, et utilitatem convertendam perpetuis futuris temporibus nominamus, eidemque regali cappellae constituimus, et assignamus, ac quatenus opus sit etiam de novo ad ipsius cappellae favorem reservamus, decernentes episcopum antedictum, omnesque successores praefatos, seu ejusdem mensae episcopalis administratores ad integram dictae pensionis solutionem pro supradicta tantum rata sexcentorum octoginta septem ducatorum auri de camera praedictorum, et juliorum octo monetae Romanae praedictae cum dimidio alterius julii similis, summam antedictam bismillium ducatorum de Vellon

constituentem juxta reservationis, constitutionis, et assignationis praefatarum tenorem fore efficaciter obligatos.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 5. Etiamsi vero nova reservatio hujusmodi extra consistorium Nostrum secretum, et absque venerabil. fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consilio facta extiterit, nihilominus quovis praetextu, et quavis causa etiam juridica, vel pia, aut privilegiata ad minorem summam reduci, annullari, vel invalidari, minusque illius reservationem infringi, aut nullam dici, nec non easdem praesentes de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, aut quocumque alio defectu notari, impugnari, invalidari; aut in jus, vel controversiam vocari, seu adversus illam quodcumque juris, vel facti, sive gratiae remedium impetrari, vel etiam motu proprio, et ex certa scientia concesso, et impetrato, quempiam uti, seu se juvari posse, sed eas semper validas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, perinde ac si pensio hujusmodi per praesentes de novo reservata in consistorio Nostro, et de eorumdem fratrum consilio, ac de consensu etiam illius, vel illorum, qui pensionem supradictam solvere debebunt, reservata fuisset; sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ejusdem S. R. E. cardinales praefatos etiam de latere legatos, vice-legatos, dictaeque Sedis nuncios judicari, et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

Deputatio executorum apostolicorum.

§. 6. Quocirca venerabili fratri Antonio ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali De Sentmanat y Cartella nuncupato patriarchae Indiarum, ac dilectis filiis magistro Joanni Baptistae Quarantotti in utraque signatura Nostra referendario, et antiquiori canonico ecclesiae Palentinae per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios faciant auctoritate Nostra pensionem praedictam juxta reservationis, constitutionis, et assignationis, praefatarum, ac decreti Nostri hujusmodi tenorem integre persolvi, contradictores per censuras ecclesiasticas appellatione postposita compescendo.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictaeque ecclesiae Palentinae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quomodolibet forsan concessis, confirmatis, et innovatis, ac Nostra, et cancellariae apostolicae regula de praestando consensu in pensionibus, ac Lateranensis concilii novissime celebrati, pensiones annuas super mensarum episcopalium fructibus, redditibus, et proventibus, nisi excessionis, aut alia probabili causa reservari prohibentis; quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorum tenores specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse harum serie derogamus; caeterisque contrariis quibuscumque; aut si praedicto episcopo, et successoribus praefatis, vel quibusvis aliis communiter, aut divisim ab apostolica sit Sede indultum, quod ad praestationem, vel solutionem pensionis alicujus minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Sanctio poenalis.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae nominationis, reservationis, constitutionis, assignationis, decreti, statuti, voluntatis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud s. Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo quarto, quinto idus aprilis, pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 12. aprilis 1804. Anno V.

CCLXXXIII.

Confirmatio edictorum cum insertione eorumdem pro consulibus tribunalis commercii portus Centumcellarum Viterbiensis dioecesis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Paterna, quam de Nostris, et S. R. E. in temporalibus subditis gerimus, cura et solicitudo postulat, ut quae a Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris in eorum utilitatem provide constituta sunt, ea illibata, et firma semper remaneant.

Expositio precum. §. 2. Exponi quidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni consules tribunalis commercii portus Centumcellarum Viterbiensis dioecesis, quod felicis recordationis Clemens pp. IX. et Benedictus pp. XIV. praedecessores Nostri ad augendum in dicto portu commercium per tunc existentes S. R. E. camerarios duo edicta respective promulgari jusserunt, quorum primum sequentis tenoris, videlicet.

Antonio Barberino vescovo di Palestrina card. Antonio della Santa Romana Chiesa camerlengo.

Tenor edictorum. §. 3. Considerando la santità di nostro signore papa Clemente IX. essere stato con somma provvidenza dalla santa memoria di papa Urbano VIII. fatto franco il porto di Civita-Vecchia, e poter essere di molto utile non meno a quel luogo, e a Roma, che a tutto lo stato ecclesiastico le grazie, e privilegj, che allora furono concessi a chi condurrà le mercanzie in detto porto, come amplamente si contiene nel chirografo del medesimo di san. mem. papa Urbano VIII. segnato sotto li tre di decembre 1630., e conoscendo ancora che può molto giovare la rinnovazione dell'editto, che parimente all'ora ne fu pubblicato in data delli 4. decembre del suddetto anno 1630. avendo perciò confermato il suddetto chirografo, e ordinato a Noi la rinnovazione del suddetto editto.

Per ordine dunque espresso di Nostro Signore, e per l'autorità del nostro officio di camerlengato, rinnovando li privilegi, e grazie suddette, e come in appresso.

Concediamo universalissimo porto franco ad ogni vascello di qualsisia portata che venirà di levante, e ponente, o mezzo giorno nel porto di Civita Vecchia con qualsivoglia robe, mercanzie, vittovaglie, o grascie, le quali tutte saranno per l'avvenire franche, libere e esenti da ogni dazio, o gabella, alboraggio, sensarie, e altri pesi e regaglie, che per l'addietro fossero solite pagarsi in detto porto, o terra.

E a mercanti, o capitani, o altri padroni, o commissarii sopra carichi, fattori di vascelli, o di mercanzia arrivati in detto porto si concede libera facoltà, di poter mandare altrove, dove loro parerà tutto, o parte del carico loro, ancorchè fosse vittovaglia, o grascia con gl'istessi, o con altri vascelli senza pagamento di gabella, dazio, o altra gravezza o regaglia.

Parimente si concede loro facoltà di scaricare in terra tutte, o parte di dette robe, mercanzia, vittovaglia, o grascia, e riporle in magazzini, o altri luoghi particolari dentro la terra di Civita Vecchia, o nella dogana pubblica, alli custodi della quale in questo caso si pagherà per ogni collo quel poco, che sarà conveniente per la guardia di dette robbe e di poterle tenere, e conservare in detti luoghi tutto il tempo, che vorranno, o da quelli in una o più volte estrarle per terra, o per mare senza gravezza d'alcun pagamento e portarle a quei luoghi che loro parerà. E accadendo, che Dio non voglia, che da luoghi sospetti di contaggio, o di peste venghino in detto porto vascelli con mercanzie, questi dovranno fare la solita purga sciorο, o sboro al lazzaretto, come si usa negli altri porti, mentre però non mostrino patenti nette di averla fatta in altri porti, chè in tal caso di patenti nette o di viaggio seguito senza aver tocco luoghi sospetti si darà loro libera pratica. Avvertendo nondimeno ciascheduno, che durante detta purga saranno ben trattati e provisti con buone condizioni di quanto farà loro di bisogno, e si abbrevierà il solito termine della purga, mentre non apparischino segni cattivi in essi.

E essendo, che la lanterna è l'assicuramento della presa del porto a naviganti, e che l'ancoraggio, e il riposo di essi ridotti in quello, o che per questi due comodi è necessaria una continua spesa, non deve per-

Digitized by Google

ciò esser grave a padroni de' vascelli, o mercanti, che ricevono tanto beneficio di contribuire per questo comodo qualche emolumento. Però pagherà ciaschedun vascello di alto bordo di portata di salme mille, o più, voti, o carichi scudi due di questa moneta per l'ancoraggio, e scudo uno simile per la lanterna. Gli altri vascelli di portata sopra 200 salme sino a mille pagheranno parimente carichi o voti uno scudo della medesima moneta per l'ancoraggio, e bajocchi 50. per la lanterna. E i vascelli di minor portata di salme 200. paghino giulj due per l'ancoraggio, e giulio uno per la lanterna.

Dichiarando, che non siano tenuti a detto pagamento quelli vascelli, che sono di ritorno da Roma, o vero, che essendo partiti dal detto porto fossero ritornati in esso per non poter proseguire il loro viaggio impediti dalla fortuna, o da altro.

Inoltre concede a tutti li mercanti, capitani, e padroni de' vascelli come sopra licenza di poter per il ritorno del loro viaggio provvedersi di ogni sorta di vettovaglie, e viveri, e d'ogni altra cosa loro necessaria a prezzi convenienti, e di poter far savora dove loro piacerà senza pagamento alcuno per servizio di loro vascelli.

E perchè la diligenza, che si deve fare in nettare, e purgare il porto, e darsina saria vana, mentre non si procurasse di mantenerlo netto, e purgato. Però si proibisce a qualsivoglia vascello di qualsisia portata, e a suoi padroni, e capitani sotto pena di scudi 100. per ciascuna volta di gettare nel porto, e darsina savora, o altra immondizia, ma le dovranno portare a scaricare nel luogo che loro sarà assignato dal capitano del porto.

Si concede a tutti li negozianti, e mercanti libero salvo condotto, che non possino esser molestati per causa civile, o criminale, nè nelle robbe, nè anco nelle persone loro, per debiti, o per delitti contratti, o fatti fuori dello stato ecclesiastico, dichiarando che non suffraghi loro questa esenzione per li contratti fatti e per li delitti commessi nel medesimo stato ecclesiastico.

E rispetto alli contratti fatti in Civita Vecchia subito, sola facti veritate inspecta, e con prestezza, e sommaria giustizia e de plano saranno spediti senza esser trattenuti in spese. Dato in Roma nella camera apostolica li 25. gennajo 1669.

Per l'eminentissimo sig. cardin. Antonio Barberini camerlengo.
Il card. Carlo Barberini.
Francesco Maria Autaldi aud.
Matteo de Angelis.

§. 4. Alterum vero sequentis pariter tenoris scilicet *Alterius edicti tenor.*

Annibale per la divina misericordia vescovo di Sabina card. di s. Clemente della Santa Romana Chiesa camerlengo.

Sono incessanti le paterne cure di Nostro Signore per ricercare mezzi più agevoli a fine di accrescere il commercio del suo stato, e a tal oggetto avendo voltato le sue mire verso il porto franco di Civita Vecchia, e giudicato non meno giusto, che provido consiglio di rinnovare, anzi accrescere, e ampliare li commodi, privilegj, e esenzioni, che dalla santa memoria d'Urbano VIII. Clemente IX. ed Innocenzo XII. suoi predecessori mediante gli editti de' cardinali camerlenghi di Santa Chiesa Nostri antecessori pubblicati li quattro decembre 1630., li 25. gennajo 1669., e li 26. settembre 1692. furono concessi al detto porto, ordinando a tal'effetto la fabbrica de' nuovi magazzini, e disponendo molti altri comodi intorno al detto porto, nel cui recinto ha approvata, e dichiarata una totale franchigia di ogni dazio o gabella a favore di tutti quelli, che vi condurranno merci, o faranno qualunque altra negoziazione. Laonde per ordine espresso della Santità Sua datoci a bocca, e per l'autorità del Nostro officio di camerlengato rinnoviamo, confermiamo, e concediamo li seguenti comodi, grazie, esenzioni, e privilegi cioè

Che il medesimo porto di Civita Vecchia sia nel suo recinto indistintamente, e universalmente franco ad ogni vascello, e legno di qualsivoglia nazione, e di qualunque portata, che vi verrà da qualunque parte del mondo, con qualsivoglia robbe, mercanzie, vittovaglie, o grasce, le quali tutte saranno per l'avvenire franche, libere, e esenti da ogni dazio, o gabella, alboragio, sensarie, e altri pesi, che per l'editto fossero solite pagarsi in detto porto, o terra.

Digitized by Google

E a mercanti, o capitani, o altri padroni e commissarj, sopraccarichi, fattori di vascelli o di mercanzia arrivati in detto porto, si concede libera facoltà di poter mandare altrove, dove loro parerà tutto o parte del carico loro, ancorchè fosse vittovaglia, o grascia con gl' istessi, o con altri vascelli senza pagamento di gabella, dazio, o altra gravezza o regaglia.

Parimente si concede loro facoltà di scaricare in terra tutte, o parte di dette robe, mercanzie, vittovaglia o grascia, e riporle nelli magazini, o nella dogana pubblica, alli custodi della quale in questo caso si pagherà per ogni collo quel poco, che sarà conveniente per la guardia di detta roba, e di poterle tenere, e conservare in detti luoghi tutto il tempo, che vorranno, e da quelli in una, o più volte estrarle per terra, o per mare senza gravezza d' alcun pagamento, o portarle a que' luoghi, che loro parerà. Ed accadendo, che Dio non voglia, che da luoghi sospetti di contaggio, o di peste venghino in detto porto vascelli con mercanzie, questi dovranno fare la solita purga sciolo, o sboro al lazzaretto, come si usa negli altri porti, mentre però non mostrino patenti nette di averla fatta in altri porti, che in tal caso di patenti nette, e di viaggio seguito senza aver tocco luoghi sospetti si darà loro libera pratica. Avvertendo nondimeno ciascheduno, che durante detta purga saranno ben trattati, e provisti con buone condizioni di quanto farà loro di bisogno, e si abbrevierà il solito termine della purga, mentre non appariscono segni cattivi in essi.

Si dichiara, che qualunque bastimento o carico, o voto, che approderà in detto porto, sia soggetto al peso dell' ancoraggio secondo la tassa, che si è di gran lunga agevolata, e che in breve si pubblicherà.

Inoltre si concede a tutti li mercanti, capitani o padroni di vascelli come sopra licenza di poter per il ritorno del loro viaggio provvedersi di ogni sorta di vettovaglie, e viveri, e d' ogni altra cosa loro necessaria a prezzi convenienti, e di poter fare savora dove loro piacerà senza pagamento alcuno per servizio de loro vascelli.

E perchè la diligenza, che si deve fare in nettare, e purgare il porto, o darsina, saria vana, mentre non si procurasse di mantenerlo netto, e purgato, però si proibisce a qualsivoglia vascello di qualsivoglia portata, e a suoi padroni, o capitani sotto pena di scudi cento per ciascheduna volta di gettare nel porto, o darsina savora, e altra immondizia, ma dovranno portare a scaricare nel luogo, che loro sarà assegnato dal capitano del porto.

Si concede a tutti li negozianti e mercanti, e loro famiglie, servitori, e ministri libero salvo condotto, che non possino esser molestati per cause civili, ne' criminali, nè nelle robbe, nè anche nelle persone loro per qualunque debiti, e delitti contratti, e fatti fuori dello stato ecclesiastico, con dichiarazione, che non suffraghi loro questa esenzione per li contratti fatti, e per li delitti commessi nello stato ecclesiastico.

E perchè restino assicurati li mercanti, e negozianti di non essere dispendiati nelle liti, e lunghezze per le controversie, che potessero fra loro insorgere in genere di mercanzie da cause di naufragi, o avarie, concede la santità di Nostro Signore all'università dei mercanti, e negozianti la facoltà di poter conoscere, e definire le cause appartenenti al commercio, istituendo la detta università in giudice privativo con potestà di giudicare esecutivamente, sommariamente di piano, avuto riguardo alla sola verità del fatto, senza strepito, e figura di giudizio, e con le facoltà, e prerogative, che si godono dagli altri consolati de' mercanti, e che la Santità Sua si degnerà più diffusamente dichiarare con suo motu proprio.

E affinchè li negozianti abbino con puntualità ad ogni loro piacere uomini pratici, e facchini d' impacare, e dispacare le merci, secondo la qualità respettivamente, si sono perciò dati gli ordini necessari al provvedimento per farli essere sempre pronti, che anzi verrà destinata la tassa delle loro mercedi a proporzione dell' opera, e fatica.

Affinchè non naschino disordini nelle merci già proibite, e che in avvenire proibire se ne potesse l' introduzione in questo stato pontificio; ordina la Santità Sua, che non per questo s' intenda proibito il loro transito per fuori di stato, e per tal' effetto resterà destinato il luogo dove si dovranno custodire per fino alla loro spedizione fuori di stato, o in altri luoghi dello stato stesso, dove non vi sia tal proibizione, e dette merci per ragione di custodia soccomberanno al tenue pagamento di bajoc-

Digitized by Google

chi cinque per ogni collo da soma, e sarà pure permesso di poterle visitare, contrattare, ed estrarle per fuori di stato dal medesimo porto senza pagamento d' alcun dazio, o gabella. Dato in camera apostolica questo di 5 agosto 1741.

A. vescovo di Sabina card. di s. Clemente camerlengo.
L. Mattei uditore.
Gio. Giuliano Rubini com. gen.
Gio. Francesco Conti segretario e canc. della R. C. A.

Die, mense, et anno, quibus supra, supradictum edictum affixum, et publicatum fuit ad valvas curiae Innocentianae, et in acie Campi Florae, ac in aliis locis solitis, et consuetis urbis per me Antonium Pellicia apost. curs.

Sebastianus Amadeus mag. curs.

Confirmatio apostolica.

§. 5. Cum autem sicut in eadem expositione additum erat, dicti exponentes quo praeinserta edicta firmius subsistant, et serventur exactius apostolicae Nostrae confirmationis subsidio muniri summopere desiderent; Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes; supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, eadem edicta, et singula privilegia in eis contenta, et expressa auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus, et adprobamus, illisque inviolabilis, et perpetuae apostolicae firmitatis robur adjicimus, et omnes et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in eis quomodolibet intervenerint supplemus et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur, ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Centumcellis sub annulo piscatoris die decima secunda aprilis, millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

CCLXXXIV.

Dat. die 12. aprilis 1804. Anno V.

Confirmatio decreti congregationis Rituum cujus vigore officium Cordis Jesu a ritu dupl. maj. elevatur ad dupl. secundae classis sine octava pro utroque clero civitatum, et dioecesum regni novae Hispaniae.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Cum sicut dilectus filius presbyter Emmanuel Perez Bonilla canonicus ecclesiae collegiatae s. Mariae de Guadalupe civitatis Mexicanae nomine dilectorum filiorum cleri saecularis, et regularis totius regni novae Hispaniae, civitatum scilicet, et dioecesum Mexicanae, Angelopolitanae, Santanderiensis, Mechoacanae, Jucutanae, Guadalaxarensis, Nicaraganae, Antequerensis, Chiapensis, Guatimalensis, Meridensis, Hondurensis, et de Sonora, Nobis nuper exponi fecit, ipse, aliique dicti regni clerici ad nimiam Christi Domini patientis, et pro humani generis redemptione morientis charitatem ferventius recolendam sacratissimi Cordis Jesu cultum, et venerationem in dies augeri summopere desiderent; Nobis propterea humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictum clerum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et ejus singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis

quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine, Nobis humiliter porrectis inclinati, audito etiam dilecto filio magistro Julio de Carpineo sacrorum Rituum congregationis secretario, officium cum missa sacratissimi Cordis Jesu in feria VI. post octavam sanctissimi Corporis Christi pro utroque dictarum civitatum, et dioec. clero a nobis superiore mense augusto sub ritu duplici majore concessum ad ritum duplicem secundae classis sine octava auctoritate apostolica, tenore praesentium elevamus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictarum civitatum, et dioecesum consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima septima aprilis millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

CCLXXXV.

Dat. die 20. aprilis 1804. Anno V.

Declaratio insignitatis ecclesiae collegiatae s. Mariae Magdalenae terrae de Gradolis dioecesis Montis Falisci.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Quantum venerationis vel ipsa sacra indumenta oculis, animisque Christifidelium ingerere valeant optime tenens apostolica Mater Ecclesia non solum varias pro varietate festorum et solemnitatum sacerdotibus suis praescripsit vestes in sacris faciendis, sed etiam in templis magis conspicuis, ubi major est populi christiani frequentia sacris ministris ibidem Altissimo famulantibus saepe particularia, et ad eorum dignitatem exprimendam aptissima insignia deferenda concessit.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici collegiatae ecclesiae s. Mariae Magdalenae terrae de Gradolis dioecesis Montis Falisci, in quo capitulo et prioratus dignitas, et canonicatus poenitentiarius etiam reperiuntur instituti, collegiata ipsa antiquitatis laude, patrimonii amplitudine, templi structura, canonicorum numero, probitate, et doctrina, populique christiani frequentia et devotione ita floreat, ut reliquis dictae dioecesis ecclesiis praestare censeatur, multum honorificentiae, et splendoris ad eam accederet ac divinus cultus, fideliumque devotio majora ibi incrementa susciperet, si collegiata ipsa ad insignitatis gradum per Nos, et hanc etiam Sedem evehatur, dictique canonici praeclaris insignibus donentur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, ac eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ecclesiam collegiatam praedictam sub titulo s. Mariae Magdalenae in insignem collegiatam cum iisdem tantum oneribus, ad quae de praesenti tenentur, auctoritate apostolica, tenore praesentium erigimus, et elevamus, eidemque ecclesiae, ejusque capitulo, ut omnibus, et singulis praeeminentiis, privilegiis, gratiis, et favoribus, quibus aliae

Digitized by Google

collegiatae insignes hujusmodi tam de jure, usu, et consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere poterunt in futurum eodem modo uti, frui, et gaudere, nec non modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus priori, et canonicis ipsius insignis collegiatae s. Mariae Magdalenae, ut rocchetum et mozzetam violaceam cum globulis, et asulis sericis cremisini coloris in hyeme, aestate vero cottam supra rocchetum tam in insigni collegiata praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate et tenore praesentis concedimus, et indulgemus, dictosque priorem, et canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die xx. aprilis MDCCCIV. pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 27. aprilis 1804. Anno V.

CCLXXXVI.

Ut orationem ad instar orationis quadraginta horarum eodem quo antea modo, et tempore celebrare possint, licet ipsa oratio sit in eadem civitate per turnum instituta pro confraternitate nostrae Dominae de la Soledad Gadicensis civitatis.

Venerabili fratri episcopo Gadicensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni officiales, et confratres confraternitatis Nostrae Dominae de la Soledad, canonice, ut asseritur, in cappella monasterii monialium Immaculatae Conceptionis, et advocationis B. Mariae Virginis civitatis istius Gadicensis erectae, quod ipsi ad majorem Dei gloriam, et spiritualem Christifidelium utilitatem, atque consolationem orationem ad instar orationis quadraginta horarum continuatarum, non autem, nisi noctis tempore interpolatarum, quam a feria tertia hebdomadae passionis usque ad sextam ejusdem hebdomadae feriam inclusive multis ab hinc annis celebrare consueverunt, in posterum etiam celebrare posse plurimum desiderant. Verum quia, sicut in eadem expositione additum erat, ipsa oratio quadraginta horarum per totum anni curriculum in aliis ejusdem civitatis ecclesiis ad praesens instituta reperitur, desiderii sui hujusmodi compotes fieri nequeunt absque speciali Nostra, et hujus apostolicae Sedis licentia, seu indulto; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes in suo laudabili proposito, quantum cum Domino possumus confovere, ac specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, quatenus constito tibi de narratis, eisdem exponentibus, ac pro tempore existentibus dictae confraternitatis confratribus, ut ipsi orationem praedictam ad instar orationis quadraginta horarum eodem, quo antea modo, et tempore celebrare solebant, etiam in posterum perpetuis futuris temporibus, ita tamen, ut ipsa oratio per totum anni circulum, ut praefertur, instituta pro eodem

temporis spatio dumtaxat in alia ecclesia, si quae sit nimis eidem cappellae confraternitatis proxima, non assignetur, celebrare libere, et licite possint, et valeant auctoritate Nostra apostolica, pro tuo arbitrio, et prudentia concedas, et indulgeas.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima septima aprilis millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 27. aprilis 1804. Anno V.

CCLXXXVII.

Translatio processionis sanctissimi Corporis Christi ad diem festum sancti Antonii de Padua in perpetuum pro ecclesia conventus fratrum de observantia, et confraternitate ibi erecta civitatis Valentinae.

Venerabili fratri episcopo Valentino.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni guardianus, et fratres conventus ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum istius Valentinae civitatis, nec non officiales, et confratres confraternitatis sancti Antonii de Padua vulgo el Morenito in dicti conventus ecclesia canonice, ut asseritur erectae, quod ipsi ad cultum erga sanctissimum Eucharistiae sacramentum magis promovendum, quam in festo sanctissimi Corporis Christi, vel intra ejus octavam peragere solebant, solemnem cum ss. Eucharistiae sacramento processionem eamdem in ipsius sancti Antonii festo peragere, et transferre posse plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, illorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, modernis ac pro tempore in perpetuum existentibus dicti conventus fratribus, dictaeque confraternitatis sancti Antonii de Padua confratribus, ut ipsi pro iis temporibus, et annis dumtaxat, quibus festum sancti Antonii hujusmodi ante solemnitatem sanctissimi Corporis Christi occurrat, processionem praedictam augustissimi Eucharistiae sacramenti, quam adhuc, sicut praefertur, alio stato die peragere soliti fuerunt, posthac in ejusdem sancti Antonii festo die, dummodo nullum inde proveniat divino cultui detrimentum, servatisque in reliquis iis omnibus, quae de jure, usu et consuetudine adhuc servari consueverunt, peragere perpetuis futuris temporibus libere, et licite possint, et valeant auctoritate Nostra apostolica, pro tuo arbitrio, et prudentia concedas, et indulgeas.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non conventus, ordinis, confraternitatis, et civitatis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque in contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima septima aprilis millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

Digitized by Google

Dat. die 4. maji 1804. Anno V.

CCLXXXVIII.

Indulgetur parocho, et beneficiatis ecclesiae parochialis s. Stephani Valentinae dioecesis, ut in perpetuum pro quarta eorum parte per turnum a chori servitio abesse possint.

Venerabili fratri Archiepiscopo Valentino.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Nuper exponi Nobis fecerunt dilecti filii parochus, clerusque beneficiatus ecclesiae parochialis sancti Stephani prothomartyris Valentinae civitatis, multos esse beneficiatos residentiales ejusdem ecclesiae, sed non multi fructus, beneficia, fructusque beneficiorum in distributionibus partim ex pia fundatione, partim ex oblatione votiva fidelium provenientia tantum consistere; ideoque se ad eas lucrandas choro quotidie, et tam mane, quam vespere pro multiplici functionum genere, necessario adesse debere; hinc ut paullulum nanciscantur otii in tanto labore, quartam ipsorum partem ac per temporis spatium praefigendum a Nobis, vicissim a choro quin tamen fructuum seu distributionum perceptionem amittant, abesse posse se vehementer optare, atque a Nobis humiliter poscere, eo vel magis quod simili otio aliae communiter gaudent, Valentiae parochiales ecclesiae, quodque aliunde, etiam absente, ut expetunt, quarta beneficiatorum parte a sancti Stephani parochiali, supersunt semper quatuordecim alii, qui quotidianum chori servitium sat bene poterunt illud explere.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes, et ipsorum singulos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus praenarratis, eisdem exponentibus licentiam, et facultatem, cujus vigore ipsi, ac successores ipsorum in perpetuum, pro quarta eorum parte, seu quatuor inter eos per turnum, ac pro duobus mensibus tantum in quolibet anno, dummodo tamen per majorem anni partem, ac cunctis praesertim diebus festis solemnioribus primisque horum vesperis, quos dies expresse volumus reservatos, choro intersint, ab eodem choro vacare, ac interim omnes, et singulos beneficiorum suorum fructus, redditus, et proventus etiamsi in solis, ut praefertur, consistant distributionibus, iis tamen exceptis, quae vulgare isthic vocabulo distributiones votivae, seu adventitiae dicuntur, quaeque personalem praesentiam, et assistentiam praecipue requirunt, lucrifacere, ac cum omni integritate percipere, suosque in usus, et utilitatem convertere, perinde ac si cunctis chori, ecclesiaeque functionibus personaliter intervenirent, libere, ac licite possint, et valeant auctoritate Nostra apostolica pro tui arbitrio, et prudentia impertiaris atque concedas.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus, conciliis editis generalibus, vel specialibus, constitutionibus, et ordinationibus, nec non parochialis ecclesiae praedictae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quarta maji millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 4. maji 1804. Anno V.

CCLXXXIX.

Erectio recessus clericorum congregationis ss. Crucis, et Passionis Domini Nostri Jesu Christi pro episcopo Aretino.

Digitized by Google

Venerabili fratri episcopo Aretino.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§. 1. Quod charissima in Christo filia Nostra Maria Aloysia Hetruriae regina, ac regens, sicut accepimus, eximiae pietatis suae studio intendit, quodque tua etiam fraternitas boni, sollicitique zelo pastoris vehementer exoptat, id perjucundam Nobis attulit voluptatem, ut eo nempe curam convertamus et mentem, quo in civitate ista Aretii pedem firmiter figat familia congregationis clericorum excalceatorum ss. Crucis, et Passionis Domini Nostri Jesu Christi nuncupatorum, quos quidem et spectato exemplo virtutum, et strenuo praesertim labore, quem tum sacris missionibus, tum exercitiis spiritualibus, tum aliis salutaribus modis in Domini vineam jugiter excolendam impendunt, Nostra singulariter dignos dilectione et gratia ducimus.

Expositio precum.

§. 2. Tuo siquidem nomine Nobis expositum est, manere isthic ecclesiam, monasterium, et hortum s. Bernardi, ad monachos ordinis sancti Benedicti congregationis Olivetanae olim spectantia, nunc vero episcopis Aretinis pro cleri istius sui ad spiritualia exercitia recessu inservientia: manere quoque prope ecclesiae et monasterii, hortique hujusmodi ambitum quatuor et semis circiter jugera terrae, seu ut vulgo ajunt, stajora, quae incorporata prius patrimonio sodalitii dicti de Murello, subinde concessa fuere dioecesano isti seminario. Te itaque hortum, monasterium, ecclesiamque dicti s. Bernardi, (nominandi tamen in posterum titulo sanctorum Joseph, et Bernardi,) memoratae congregationis clericis assignare, ac eisdem recensita quoque terrae jugera in toto aut in parte, prout necessitas, seu commoditas clausurae, ne ulli obnoxia sit servituti, postulare videbitur, pro nova eorum isthic stabilienda familia cedere statuisse: denique s. Bernardi fabricam, ubi reparatione opus sit, sumptibus patrimonii praedicti, utpote cui onus inerat eam conservandi, reparare velle. Hinc poscere humiliter, atque exorare, ut Nos tibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur votis hujusmodi tuis utilitatem gregis tibi commissi adeo majorem spectantibus, quantum cum Domino possumus, corde et animo obsecundare, teque specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, audita hac de re dilecti filii magistri Emmanuelis de Gregorio secretarii congregationis Concilii relatione, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus praenarratis, ac accedente prius quoad cessionem terreni spectantis ad patrimonium vulgo de Murello, atque expensas instaurationis fabricae consensu deputatorum seminarii, ad enunciatam cessionem praedictae ecclesiae sancti Bernardi, adnexique monasterii, et horti juxta petita, auctoritate Nostra apostolica, pro tui arbitrio, et conscientia gratis devenire possis, et valeas, ita tamen ut erigatur in monasterio adnexo recessus sub titulo ss. Joseph et Bernardi, formiterque tradatur clericis supradictae congregationis una cum monasterii ecclesia et horto, in ea etiam quantitate adjungendo, quam pro eorumdem clericorum claustro necessariam putaveris: injuncto clericis ipsis onere recipiendi in dicto eorum recessu ecclesiasticos omnes aretinae dioecesis, quos ordinarii pro tempore designaverint; sed praestita tamen per hujusmodi ecclesiasticos dictis clericis necessaria alimentorum compensatione a te taxanda.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Benedicti pp. XIV praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque etiam speciali, et expressa mentione, ac derogatione dignis contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quarta maji millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

CCXC.

Dat. die 4 maji 1804. Anno V.

Indulgetur ut in ecclesia parochiali oppidi s.

Digitized by Google

Joannis Chilensis dioecesis, dominica infra octavam visitationis Beatae Mariae Virginis sacerdotes eo convenientes missam propriam de visitatione celebrare possint. Est juxta rescriptum congregationis Rituum.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Cum, sicut dilectus filius presbyter Petrus Rufino oppidi civitatis nuncupati s. Joannis dioecesis s. Jacobi de Chile Nobis nuper exponi fecit, ipse pro suo in Deiparam devotionis affectu, ejusdem cultum, et venerationem in dies augeri summopere desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, audito etiam dilecto filio magistro Julio Carpineo sacrorum rit. congregationis secretario, ut in posterum quotannis in dominica infra octavam visitationis B. M. V. dummodo non occurrat officium ritus duplicis primae, vel secundae classis in ecclesia parochiali dicti oppidi, occasione peculiaris festi, quod de eadem visitatione agitur, ab omnibus sacerdotibus ad sacrum faciendum convenientibus ad dictam ecclesiam, celebrari possit missa de eadem visitatione, ut in die ejus proprio, cum commemorationibus tamen officii diei, dominicae, aliisque occurrentibus juxta rubricas in omnibus missis privatis, atque etiam in missa cum cantu, si in praedicta ecclesia celebrata non fuerit missa conventualis de die: occurrente vero officio duplicis secundae classis dumtaxat, ut celebrari possit missa cum cantu de visitatione cum commemorationibus in casu, ut supra, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae ecclesiae consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die octava maji millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

CCXCI.

Dat. die 11. maji 1804. Anno V.

Ut in concursu creditorum oratores possint absque ulla mora exigere credita sua legaliter probata usque tamen ad summam scutorum quinquaginta pro pharmacopolis civitatis Anconae.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Nuper exponi Nobis fecerunt dilecti filii pharmacopolae Nostrae civitatis Anconae; quod licet ceteris, uti asserunt, privilegiis per Romanos pontifices praedecessores Nostros sibi concessis vel illud accesserit, ut nempe, aliquo eveniente super alicujus bona creditorum concursu, primus praecipuusque eis detur locus tam in graduum scala, quam in pecuniae exactione, nihilominus ex tricis, impedimentisque forensibus fit saepe numero, ut credita eorum, quae persolvi ipsis sine mora deberent, exigi nequeant nisi longum post tempus, quodque etiam plus refert, magno cum impendio eorum et damno. Hinc quum pro medicamentis ad communes infirmorum necessitates promptis ac paratis habendis grave ipsi perferant onus expensarum, ob quas memoratis meruerunt privilegiis donari, ut ne privilegia hujusmodi ullis umquam cavillationi-

bus frustrata remaneant, et ipsi illud, quod ab aliis debetur, absque temporis, sortisque suae assequantur jactura; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes ac eorum singulares personas specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, attentis hac super re dilectorum filiorum magistrorum delegati apostolici Anconae, et auditoris Nostri relatione et voto, eisdem exponentibus, universis, ac singulis, si et quando, postquam e mortali vita decessit aliquis, cui per exponentes medicamenta praescripta a medicis subministrata in infirmitate fuerunt, super illius haereditate creditorum concursum contingat institui, sive alia quacumque ex causa, ac etiam inter vivos, hujusmodi instituatur concursus, tunc, ut ipsi in scala graduatoria caeteris creditoribus anteponantur, ac praevia exhibitione, et probatione legali crediti ad exponentes spectantis, creditum hujusmodi, usque tamen ad summam scutorum quinquaginta illico, et absque morae interpositione, exituque judicii dicti concursus minime expectato, eis ac cuilibet eorum solvatur, seu libere solvi possit, ac debeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et declaramus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac iis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque etiam speciali, ac expressa mentione et derogatione dignis contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima prima maji millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

CCXCII.

Dat. die 11. maji 1804. Anno V.

Acceptatio renunciationis, et respectiva dismembratio curae animarum ecclesiae cathedralis Terracinensis.

Venerabili fratri Episcopo Terracinensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Quum, sicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius Cajetanus Sanguigni archipresbyter curatus cathedralis ecclesiae Terracinensis, ad compescendas dissentiones, quae eo etiam usque provectae sunt, ut in ecclesiastica curia instituta formaliter fuerit inquisitio super administratione curae animarum ejus archipresbyteratui adnexae, ipse curam animarum hujusmodi tuas in manus renunciaverit, cupiatque propterea per Nos sibi in praemissis provideri opportune, ac, ut infra indulgeri.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos ipsum exponentem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, audita dilecti filii magistri Diomedis Carafa congregationis episcoporum et regularium secretarii relatione de cunctis, quae in processu criminali a curia episcopali, Terracinensi adversus exponentem constructo continentur, attentoque consensu, per eumdem exponentem praestito, ac per fraternitatem tuam acceptato, tuae eidem fraternitati per praesentes committimus, et mandamus, ut auctoritate Nostra apostolica sepa-

Digitized by Google

res ante omnia, atque dismembres curam animarum actualem dictae ecclesiae cathedralis a cura habituali penes archipresbyterum, vel singulariter, vel communiter cum aliis capitularibus residente, eamque sic, ut praefertur, separatam, ac dismembratam, decernas debere in posterum exerceri per vicarium curatum perpetuum in cathedrali ipsa constituendum, et in concursu eligendum, assignata ei praebenda, quam obtinet archipresbyter ratione curae actualis nunc ab ipso exercitae et ad hunc effectum ab eodem dimittendae, assignatisque emolumentis similium vicariorum curam actualem exercentium; remanente tamen archipresbytero in suo statu cum omnibus praerogativis, juribus, honoribus et oneribus canonicatus, archipresbyteratus, et primae dignitatis capituli, iis dumtaxat exceptis quae curam actualem respiciunt; quoad vero causam, et causas, de quibus in praemissis, eas ad Nos avocatas a Nobis, impositumque iis per Nos perpetuum silentium, nec non processum in ecclesiastica curia praefata constructum adeo abolitum haberi, habendumque declares, perinde ac si constructus nunquam fuisset, ita ut nullo umquam tempore, et ad quemvis effectum praedicto exponenti praejudicium ullum afferre; immo illius autographum cures transmitti ad praefatam sacram congregationem, penes quam in ejusdem secretaria servari praecipimus, nulla ejus copia unicuique facta.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, illisque ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum plenissime suffragari, ac inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus fel. rec. Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictae cathedralis ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima prima maji millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

CCXCIII.

Dat. die 11. maji 1804. Anno V.

Exemptio porticum civitatis Senogalliensis a venditione facienda pro dimissione aeris alieni communitatum ditionis pontificiae.

Pius PP. VII.

Reverendissimo card. Stefano Borgia.

Ratio exemptionis.

§. 1. Continuando lodevolmente ad occuparvi dell' interessante incarico alla vostra cura da Noi affidato col rescritto delli 29. novembre 1803. di mandare ad effetto l' alienazione dei beni delle comunità del Nostro stato Ecclesiastico per l' oggetto della dimissione dei debiti delle stesse comunità prescritta col Nostro moto proprio, delli 14. del precedente mese di luglio, ci avete ultimamente rappresentato, che dopo di essersi nella città di Sinigaglia accesa la candela su le offerte, che alcuni di que' creditori aveano esibite ai portici della stessa città situati lungo il fiume, ossia canale, quel magistrato era formalmente a voi ricorso perchè venissero esentati dall' alienazione. Voi ci avete minutamente, e ad una ad una esposte le ragioni per le quali il magistrato suddetto crede, che li portici suddetti entrino realmente nella classe dei suddetti edificii pubblici, ma nello stesso tempo non ci avete taciute le ragioni addotte dai creditori offerenti, perchè si debba andare avanti nell' alienazione, cosicchè ponderate esattamente le ragioni di ambe le parti fossimo in istato di prendere la conve-

niente determinazione. Per meglio ponderare un tal' affare abbiamo voluto rimontare sino all'origine, avendo minutamente a tale effetto considerato il chirografo della sa. mem. di Benedetto XIV. delli 5. maggio 1746. in forza del quale colla nuova ampliazione della predetta Nostra città di Sinigaglia ha avuto luogo eziandio l'erezione dei portici stessi situati lungo il fiume ossia canale; e dopo di avere altresì maturamente ponderato il decreto esecutoriale emanato sotto li 10. dello stesso mese, ed anno dal fu monsignor Giuseppe Ercolani, a cui il chirografo stesso era diretto per l'esecuzione, abbiamo verificato, che li suddetti portici non solo sono stati edificati aere publico, ma che inoltre il lodato Nostro glorioso predecessore ha avuto in vista, che servissero ad uso pubblico, cioè, e perchè durante il tempo della rinomatissima fiera, che si celebra in detta città coi medesimi si formassero delle botteghe per mercanti si esteri che nazionali, e che in tutto il restante dell'anno servissero ad ornamento, e decoro della città, e a comodo, ed uso di ogni ceto di persone. Abbiamo altresì rilevato, che l'osservanza è stata sempre uniforme alle predette disposizioni del lodato Nostro glorioso predecessore, mentre gli enunciati portici hanno insino ad ora sempre servito, e servono tuttavia ai predetti usi pubblici, pei quali se ne effettuò la costruzione, cosicchè abbiamo veduto, che non poteva rimanere il più piccolo dubbio, che gli anzidetti portici di Sinigaglia non dovessero realmente annoverarsi nella classe degli edificii destinati ad usi pubblici, che nel più volte citato moto proprio delli 14. luglio 1803. sono stati da Noi esclusi dalle prescritte alienazioni. E tanto più abbiamo creduto, che li suddetti portici di Sinigaglia dovessero realmente restare esentati dalla vendita, in quanto che abbiamo veduto, che con ciò non si veniva a recare il più piccolo pregiudizio ai creditori comunitativi, li quali aveano offerto ai portici stessi, giacchè in virtù dell'ultime sovrane Nostre disposizioni publicate colla vostra notificazione delli 19. aprile scaduto li creditori stessi per la pronta loro reintegrazione non solo possono rivolgersi all'acquisto degli altri fondi comunitativi dello stato di Urbino, e della provincia della Marca, ma eziandio di tutte le altre provincie del Nostro stato Ecclesiastico.

§. 2. Perciò in vista di tutti questi riflessi, ed anche per aderire al vostro savio parere col presente Nostro chirografo in cui abbiamo per espresso, e di parola in parola inserto il tenore di qualunque cosa quanto si voglia necessaria ad esprimersi, di Nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della Nostra suprema potestà, ordiniamo, e respettivamente dichiariamo, che li portici suddetti di Sinigaglia non solo restino ora esenti dal provvedimento del surriferito Nostro moto proprio delli 14. luglio 1803., e dalle successive analoghe disposizioni publicate da voi di Nostro ordine, al quale effetto dichiariamo nulle, ed irrite, e come mai non avessero avuto luogo tanto le offerte già esibite dai creditori comunitativi ai portici stessi, quanto tutti gli atti di licitazione già seguiti su le offerte medesime, ma vogliamo inoltre, ed espressamente ordiniamo, che li portici medesimi debbano anche in appresso, e in qualunque tempo avvenire andare esenti da qualunque alienazione tanto rapporto al diretto, che all'utile dominio col mezzo di contratti di emfiteusi, o de' livelli, e dichiarando anticipatamente sino da ora nullo, ed irrito qualunque atto, che con qualunque autorità si facesse contro il tenore della presente Nostra disposizione. Siccome poi fra gli enunciati giusti, e interessanti riflessi, che hanno determinato il Nostro animo a volere esentati detti portici dall'enunciate alienazioni prescritte col riferito Nostro moto propriò delli 14. luglio 1803. uno è stato eziandio quello, che coll'impedire il passaggio dei medesimi presso de' particolari si sarebbero prevenuti quelli aumenti di noli nell'occasione della fiera, li quali sarebbero stati di pregiudizio ai negozianti, li quali alla medesima concorrono soliti a prendere in affitto li portici stessi, così con questo stesso Nostro chirografo ordiniamo altresì, che tanto nel corrente anno, quanto in tutti gli anni avvenire non possa mai farsi la più piccola alterazione, ed accrescimento di pensione, ossia di corrisposta sullo stato degli ultimi affitti dei portici stessi; giacchè in questa guisa oltre al contentamento dei negozianti, ai quali sono soliti locarsi in tempo di fiera, si otterrà l'altro importantissimo intento, che una tal moderazione nei siti dei suddetti publici edificii obbligherà li particolari possessori degli altri soliti fondi ad affittarsi in detta occa-

Tenor motus proprii.

Digitized by Google

sione per uso di botteghe, e di fondachi, e imiteranno essi pure un simile lodevole contegno con grandissimo vantaggio della fiera medesima.

Deputatio executoris apostolici. §. 3. E per essere sicuri, che questa Nostra disposizione abbia realmente sempre il suo effetto ne commettiamo particolarmente l'esecuzione ai prelati presidenti pro tempore della Nostra legazione di Urbino accordando loro per questo tutte le più ampie, ed opportune facoltà, poichè tale è mente, e volontà Nostra espressa.

Clausulae salutares, et irritantes. §. 4. Volendo, e decretando, che al presente Nostro chirografo, benchè non esibito, nè registrato in camera nè ne' suoi libri non possa mai darsi, nè opporsi di surrezione, orrezione, o altro vizio, e difetto della Nostra volontà, ed intenzione, ma che così, e non altrimenti debba sempre nelle cose premesse giudicarsi, definirsi, ed interpretarsi da qualunque giudice, e tribunale benchè collegiale, congregazioni anche di reverendissimi cardinali, camerlengo di s. Chiesa tesoriere, rota, camera, e qualunque altro togliendo loro, ed a ciascuno di essi ogni facoltà, e giurisdizione di definire, ed interpretare in contrario.

Derogatio contrariorum. §. 5. Dichiarando Noi preventivamente fin d'adesso nullo, irrito, ed invalido tuttociò, che da ciascuno di essi con qualsivoglia autorità scientemente, o ignorantemente si giudicasse, o tentasse di giudicare contro quanto si dispone nel presente Nostro chirografo, quale dovrà avere il suo pieno vigore, benchè non vi sia stata chiamata, ne sentita qualunque persona, o corpo benchè privilegiato, privilegiatissimo ecclesiastico, luoghi pii, ed altri, che vi avessero, o pretendessero avervi interesse, non ostante la bolla di Pio IV, Nostro predecessore de registrandis, la regola della Nostra cancellaria de jure quaesito non tollendo; non ostante ancora quali si siano chirografi, brevi, ordinazioni, e costituzioni apostoliche Nostre, e de' Nostri predecessori, bandi, ed editti, leggi, statuti, riforme, usi, stili, consuetudini, e qualunque altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario: alle quali cose tutte, e singole avendone il tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto, e registrato, e supplendo Noi colla pienezza della Nostra suprema potestà, ad ogni vizio, e difetto ancorchè sostanziale, che vi potesse intervenire per questa sola volta, e per la piena esecuzione di quanto si contiene nel presente Nostro chirografo ampiamente, e nella più valida forma deroghiamo. Dato dal nostro palazzo apostolico Quirinale questo dì 12. maggio 1804.

Pius PP. VII.

CCXCIV.

Dat. die 12. maji 1804. Anno V.

Exemptio officinae medicamentariae hospitalis pauperum infirmorum a visitatione prothomedici Pergulae Eugubinae dioecesis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Quum sicut exponi nuper fecerunt Nobis dilecti filii deputati administratores hospitalis sancti Caroli Pergulae Eugubinae dioecesis, idem hospitale, quod totius territorii infirmis pauperibus patet, adeo ob anteactas rerum perturbationes factum sit inops, ut nisi omnes, quae minui prudenter possunt, minuantur expensae, adsit periculum, ne magnum pauperibus aegrotantibus cessurum sit detrimentum: quumque alias inter expensarum hujusmodi diminutiones occurrat et illa non levis, quae fieri quotannis solet in prothomedici taxam pro visitatione officinae medicamentariae hospitalis, cupiunt propterea administratores, ac humiliter poscunt per Nos provideri hac in parte hospitali, ac ut infra indulgeri.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur ipsos administratores specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, auctoritate apostolica tenore praesentium officinam praedictam memorati hospitalis a visitatione prothomedici, et ab omni, et quacumque taxa pro visitatione hujusmodi ei persolvenda eximimus, ac exemptam, prorsusque immunem, ac liberam facimus, et declaramus.

Digitized by Google

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, ac efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac supradicto hospitali in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque etiam speciali et expressa mentione, et derogatione, dignis contrariis quibuscumque.

Declaratio specialis.

§. 5. Volumus autem, quod cessata visitatione prothomedici in praedicta officina deputati administratores pro tempore debeant semper curam adhibere praecipuam, ut is, cui in hospitali officium pharmacopolae committitur, suam probe calleat artem, et juxta regulas artis conficiat pharmaca, ac diligenter pro usu custodiat. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quinta maji, millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 15. maji 1804. Anno V.

CCXCV.

Reformatio electionum superiorum in coenobiis religiosorum regni Hispaniarum.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Inter graviores curas, ac sollicitudines, quas omni fide, ac studio in suprema hac apostolici Nostri muneris procuratione impendendas esse a Nobis Ecclesiae cognoscimus, illae nimirum habendae sunt, quibus ordinum regularium, tam de eadem Ecclesia benemeritorum conservationi prospiciamus, eorum decus, ac bonum promoveamus, ab iisque omnia arceamus, quae nocumento iis esse possunt, in hac praesertim temporum calamitosissimorum injuria, in quibus maximo cum dolore Nostro tam multas regularium hominum familias maximis tempestatibus jactatas tot, ac tam graves aerumnas immerito subiisse cognovimus. At vero si miseranda coenobitarum conditio multis in regionibus gravissimi doloris, maximaeque tristitiae Nobis causa extitit, magnam ex alia parte consolationis, gaudiique causam Nobis praebuit charissimis in Christo filii Nostri Caroli IV catholici regis eximia religio, ac pietas, qua iis eosdem religiosos ordines in Hispania prosequitur, eorumque sanctissima instituta veneratur, ut qui optime perspectos habet uberrimos fructus, qui ex iisdem in sua regna semper maxima cum catholicae religionis, ac populorum suorum utilitate sunt profecti, ut propterea in praesenti ordinum religiosorum vicissitudine non modo nullos ex iisdem in amplissimis Hispaniae regnis, aut e medio sublatos, aut aliquo detrimento affectos videamus, verum etiam peculiari patrocinio defensos beneficas pientissimi regis curas erga se in dies experiri cognoscamus. Ex quo fit, ut eo promptiori animo benignas aures ejusdem catholici regis postulationibus praebere, earumque rationem habere ducamus, cum ille significet Nobis, se in iis, quae circa dictos ordines a Nobis postulat, id unum spectare, ut magis magisque in suis ditionibus ipsorum ordinum conservationi, atque utilitati prospiciat; iis malis amotis, quae fortasse per vicissitudines temporum induci in eosdem potuerunt, quibus, si quae adsunt, apostolici muneris Nostri est, ad eorumdem conservationem stabilius asserendam, atque utilitatem, splendoremque augendum, prout res postulat, in Domino salubriter providere.

Expositio precum.

§. 2. Siquidem laudatus idem catholicus rex exponi Nobis fecit inter caetera gravissima mala, quae ex proxima tum praeteritorum temporum perturbatione, tum opinandi licentia infeliciter etiam in suas ditiones sunt derivata, illud etiam factum esse, ut in ordines regulares ibi existentes quamvis in iis plurimi non minus virtute, quam doctrina spectabiles viri inveniantur, qui spiritum, et leges sanctissimorum suorum fundatorum servant, tamen magno cum regii animi sui dolore ii abusus irrepserint, ut ad eos evellendos atque eradicandos efficaciora remedia adhibenda esse videantur, ne iidem amplius iterum pullulare possint.

Deputatio visitatoris generalis.

§. 3. Quae cum Nobis exposita fuerunt, Nos excitati non minus officio apostolici ministerii

Digitized by Google

Nostri, quam desiderio obsecundandi religiosissimi regis studiis, ut in re tam gravi omni maturitate, ac circumspectione, et juxta normam, ac consuetudinem hujus sanctae Sedis procederemus, exempla sequuti gloriosissimorum praedecessorum Nostrorum, ac praecipue in simili causa cum in eodem Hispaniarum regno cardinalis de Ximenes visitator generalis omnium ordinum religiosorum in Hispanicis ditionibus existentium ab hac sancta Sede constitutus est, apostolica auctoritate Nostra visitatorem generalem omnium religiosorum in Hispaniarum regnis existentium eligendum censuimus, qui abusus omnes, qui in religiosas familias irrepsisse dicebantur, certo compertos habere studeret, ac ea facultate, quam Nos per apostolicas literas Nostras in forma brevis datas quarto idus septembris anno proximi superioris eidem impertiti sumus, si quid emendatione, ac correctione dignum invenisset, id emendandum ac corrigendum curaret; deferret vero ad Nos, Nostramque auctoritatem imploraret, si quid gravius idem deprehenderet, quod opportuna providentia indigeret, ut a Nobis ad id sanandum idonea remedia suppeditarentur. Quam Nos provinciam detulimus dilecto filio Nostro Ludovico Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali de Buorbon archiepiscopo Toletano, et archiepiscopalis ecclesiae Hispalensis administratori, qui sane vir propter singulares laudes regii generis, eximiae pietatis, zeli, ac sapientiae, amplissimaeque dignitatis, quas simul conjunctas habet, quibusque inter caeteros eminet, maxime idoneus visus fuit Nobis, qui posset tantum munus sancte, atque integre administrare. Hic vero tanto operi manu admota, exposuit Nobis, se tum ex iis, quae sibi de ordinibus regularibus in Hispaniarum regnis existentibus statim deferenda diligenter curavit, tum ex aliis, quae sibi eidem inquirenti de praesenti eorumdem statu innotuerunt, maxime opportunum judicare, ad regimen eorum ordinum regularium, qui hactenus ab uno tantum praeside generali gubernati fuerunt, totidem vicarios generales constituere, qui stabiliter in Hispanicis ditionibus residentes, independenter a supremo magistro ordinis partem eam respectivorum ordinum regant, quae in iisdem regionibus existit. Igitur non minus ab eo quam a pio rege catholico preces Nobis, ut apostolica auctoritate Nostra huic postulationi annuere dignaremur, oblatae fuerunt, illudque additum, hoc, attentis temporum rationibus, non solum stabili regimini ipsorum ordinum regularium opportunum fore, sed etiam ad visitationem ipsam utiliter perficiendam maxime collaturum.

§. 4. His petitionibus in maturum examen a Nobis vocatis, ac delecta in consilium juxta Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum consuetudinem, congregatione venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium, considerantes ex una parte quantae curae esse debeat apostolicae huic Sedi conservare unitatem ipsorum ordinum juxta suorum fundatorum spiritum, atque instituta, ex alia vero parte satisfacere cupientes, quantum in Domino possumus catholici regis desideriis, ac visitatoris studiis, ad bonum, ac utilitatem ipsorum regularium ordinum, ut in difficillimis eorumdem temporibus stabili eorum existentiae consulamus, simulque uberrimos illos fructus Ecclesiae asseramus, qui ex sanctissimis regularium institutis, ac virorum religiosorum exemplis, ac laboribus percipiuntur, de memoratae congregationis consilio, ac sententia censuimus ad futurum regimen praedictorum ordinum regularium in Hispaniarum regnis, ac ditionibus, ut supra existentium, ex eo exemplum petere, quod summus pontifex Leo X. fel. rec. praedecessor Noster per apostolicas literas quarum initium — *Ite et vos in vineam meam* — de ordine fratrum s. Francisci constituit, eamque pro praedictis ordinibus in Hispaniarum regnis, ac ditionibus ut supra existentibus, rationem statuere, per quam simul, et unitas eorumdem ordinum juxta respectivorum sanctorum fundatorum spiritum, ac leges conservetur, et studia regis catholici, et visitatoris a Nobis constituti expleantur; atque ad hoc tribuendum ea etiam Nos inducit consideratio, quod omnes pene ordines regulares conservati, ac propagati in Hispania sunt, plusquam alibi apud caeteras nationes, ac coenobitae longe plures in Hispania numerantur, quam quos alia ulla natio possit recensere. Itaque ex certa scientia, ac matura deliberatione ejusdem congregationis consilium sectantes, Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine constituimus, quae infra sunt. Votum congregationis deputatae.

De exercitio magisterii ordinum.

§. 5. Supremum magisterium ordinum in Hispaniis existentium, qui usque adhuc a generali, seu vicario generali natione Hispanis, atque in Hispania commorantibus gubernati non fuerunt, alternatim deinceps erit gerendum, nimirum erit una vice penes Hispanicae nationis virum, altera vero vice apud virum exterae nationis cujuscumque. Magisterium idem erit ad sexennium, nisi ad longius tempus statuendum gravibus intercedentibus causis ab apostolica Sede judicetur. Electio summi magistri juxta leges consuetas respectivorum ordinum a capitulo generali fiet. Cum summus ordinis magister ex Hispanis eligendus erit comitia generalia in Hispania habebuntur; Romae vero sive alibi, prout leges cujuscumque instituti statuunt, cum idem ex aliis nationibus erit eligendus. Evocari, accedere, atque admitti ad generalia comitia debebunt vocales tam ex Hispania, quam ex aliis nationibus. Cum magister generalis non erit natione Hispanus, tunc Hispani habebunt vicarium generalem Hispanum, et viceversa cum supremum magisterium penes Hispanum erit. Ordo extra Hispaniam existens habebit vicarium generalem aliarum nationum. Vicarii generalis munus erit ad idem tempus muneris superioris generalis, electio vicarii generalis fiet in eodem capitulo generali, simul ac summi magistri electio habita fuerit, sed ab Hispanis vocalibus eligetur, cum is vicarius generalis Hispanus futurus erit. Vocales vero aliarum nationum vicarium eligent cum is ad ordinem pertinebit, qui extra Hispaniam est. Tam summus ordinis magister, quam vicarius generalis, cum Hispani erunt, in regis Hispaniarum ditionibus residebunt. Si super vicarii generalis electione aliquae difficultates, ac controversiae exoriantur, harum cognitio, ac definitio ad vocales respectivos, qui eumdem elegerunt, privative pertinebit. At si per eos dirimi, aut expediri non poterunt, antequam capitulum dissolvatur, causa ab apostolica Sede definietur, sive ab eo, cui eadem apostolica Sedes specialem potestatem rei definiendae faciet. Si vicarius generalis, sive per obitum, sive per promotionem, sive alia quacumque de causa esse desierit, antequam ordinis magister tempus magisterii sui expleverit, cujus ut supra dictum est exequare durationem muneris debet, tunc si is Hispanus fuerit Hispani alterum item Hispanum sibi in Hispania in vicarium eligent, et ita viceversa ex aliis nationibus caeteri ad normam respectivorum institutorum, qui tamen perdurabit usque dum eam temporis partem expleat, quae ejus decessori reliqua erit ad munus suum absolvendum. In supradicto casu cessationis vicarii generalis intra sexennium sive per obitum, sive per promotionem, sive quacumque alia de causa, quando Hispani, ut supra dictum est, alterum Hispanum sibi in Hispania vicarium eligent, electionem, quae a solis vocalibus Hispani fieri debet, ab iis solis fieri permittimus, qui tunc temporis in Hispaniae peninsula commorabuntur, ut longae illae morae dilationesque vitentur, quae si accedere illi quoque vocales deberent, qui extra Hispaniae peninsulam sunt, et longius absunt, necessario acciderent.

De electione magistri generalis ordinis.

§. 6. Quod si summum ipsum magistrum generalem ordinis, a suo cessare munere, sive obitus, sive promotionis, sive alia quacumque de causa contigerit, ita ut novus in ejus locum magister generalis ad complendum sexennium, quod ab antecessore non fuerat absolutum eligendus sit, declaramus in hoc casu locum non esse alternae electioni, de qua supra dictum est, decernimusque, ut novus magister generalis, usque ad exitum sexennii ab antecessore inchoati duraturus ex ea parte ordinis deligatur, ex qua erat ipsius antecessor, ne ulla pars sit ordinis, quae per sexennium integrum non habeat magistrum generalem e viris electum ad ipsam pertinentibus. Electio autem in hoc casu novi magistri generalis ad complendum antecessoris sexennium substituendi fieri debebit a solis vocalibus nativorum illius partis ordinis, ad quam ipse antecessor pertinebat, ac nimiae interponantur morae, quae vitari nullo modo possent, si omnes omnino vocales accedere deberent, praesertim cum evenire non admodum difficile possit, ut magister generalis, cui successor deligendus sit prope ipsum sexennii finem ea aliqua e supradictis causis a munere suo cesset, ejusque successor propterea intra brevissimum tempus sit constituendus; quod si novus magister generalis eligendus in supradicto casu non completi sexennii ad ipsum sexennium complendum erit natione Hispanus, quia ejusdem nationis fuerit illius antecessor, a quo sexennium non fuit absolutum, statuimus, ut in hoc casu ad electionem illius ac-

Digitized by Google

cedere tantummodo debeant vocales illi Hispani, qui in ipsa Hispaniae peninsula commorabuntur ab accedendi onere dispensantes de Nostrae potestatis plenitudine eos alios vocales Hispanos, qui extra dictam peninsulam existant ob illam ipsam causam, quam diximus, scilicet ne electioni minime interponantur morae, quae si accedere illi quoque vocales deberent, qui extra Hispaniae peninsulam sunt, et longius absunt, necessario accciderent, praesertim cum ne ita fieret evenire posset, ut forsitan antea elaberetur reliquum sexennii spatium, quam novus magister generalis ad illud complendum substituendus, eligeretur. Vicarius generalis in capitulo generali, ut supra dictum est, statim post electionem summi magistri electus se ab eo confirmari postulabit, ac facultatibus muneri, quae ad munus gerendi pertinent, quorum utrumque sine dilatione ei summus magister tribuet. Quod si vicarius generalis extra capitulum generale eligetur per obitum, sive per promotionem, ac dimissionem ejus, qui in dicto capitulo fuerat electus, ut supra dictum est, in eo casu ad praecavenda omnia dilationum incomoda, ei vicario canonice deputato juxta enunciatam formam, nunc pro tunc per has apostolicas Nostras literas facultates impertimur, quibus provincias, quae ejus regimini subjacent, regere valeat per tempus illud intermedium, intra quod nulla mora interposita certiorem summum ordinis magistrum de sua electione faciet, ab eoque se confirmari postulabit, ac necessariis facultatibus muniri, quorum utrumque sine dilatione ei summus magister tribuet. Hae facultates vicariis generalibus a summo magistro tributae non cessabunt, sed firmae iisdem manebunt, etiamsi ordo summo suo magistro caruerit per ejus obitum intra sexennium, sive per ejus promotionem intra idem sexennium; ita ut post electionem novi summi magistri ad complendum sexennium eligendi, eas ab ipso petere non indigeant, quas ut eo in casu exercere absque ulla dubitatione valeant, nunc pro tunc de Nostrae potestatis plenitudine per has apostolicas literas confirmamus, et quatenus opus sit, iisdem vicariis impertimur. Facultates vero vicariorum generalium eaedem ipsae erunt, quas summus magister habet. Itaque vicarius generalis, cui tres, aut quatuor assistentes, sive definitores, sive consultores, aliique juxta regulas instituti adsint, in provinciis, quae ab eo regendae sunt, libere omnem jurisdictionem, sibi delegatam exercebit, quam ante ibidem summus ordinis magister exercebat. In negotiis vero, quae majoris momenti sunt, ad spirituale regimen ordinis, ac disciplinam pertinentibus, vicarius generalis, ut opportuna, ac tutiori ratione procedat, et ut instituti substantia in universo ordine conservetur, summum magistrum consulere debebit. Mutationes, et reformationes statutorum, quae necessariae, aut utiles ad respectivorum ordinum bonum videbuntur, si universum ordinem respicient, a capitulo generali fient; si vero ad partem tantum ordinis in Hispania existentis pertinebunt, de his in Hispania ipsa cum consilio tamen summi magistri agetur; sed neutrae ad effectum perduci poterunt sine Romani pontificis approbatione. Nota satis Nobis pietas, ac religio catholici regis, ejusque studium pro regularium ordinum bono Nos dubitare non sinunt eum effecturum, ut variationes hujusmodi probatae a Nobis, aut successoribus Nostris, in suis ditionibus exequantur. Tandem quod pertinet ad bona temporalia, declaramus, regulares in Hispania existentes libere in posterum administrare, atque erogare ipsorum bona, redditus, atque eleemosynas posse, nec amplius ad contribuendum expensis, atque ad subsidia suppeditanda domibus regularium caeterarum nationum teneri, quod tamen non ita intelligi debet, ut aere alieno, si quo forte erga eos obstricti sunt liberati judicentur. Hae ordinationes exequi debebunt statim post promulgationem hujus apostolicae constitutionis Nostrae. Quoad electiones vero, cum, attenta praesentium temporum conditione, eae haud fieri hac vice possint ea ratione, quae a Nobis supra constituta est; mandamus, ut in ordinibus, qui nunc praesidem generalem habent, is suo munere fungi pergat, usquedum absolvatur tempus, quod ordinis sui legibus praestitutum est: si qui nunc summo magisterio fungitur, natione est Hispanus fiet a Nobis electio tum vicarii generalis, tum caeterorum superiorum majorum ordinis extra Hispaniam existentis; si vero summus ordinis praeses Hispanus non est, Nos vicarium generalem, caeterosque superiores majores Hispanos constituemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 7. Praesentes autem literas et in eis contenta, et statuta quaecumque, etiam ex eo

quod quilibet in praemissis, seu in eorum aliquo jus, aut interesse habentes, seu habere praetendentes etiam quomodolibet in futurum, illis non consenserint, seu quod aliqui ex ipsis ad praemissa minime vocati, vel etiam nullimode auditi fuerint, aut ex alia qualibet causa nullo umquam tempore de subreptionis aut obreptionis, aut nullitatis vitio vel intentionis Nostrae, aut alio quovis magno, et substantiali defectu, sive etiam ex eo quod in praemissis solemnitates, et quaecumque alia forsan servanda, et adimplenda minime servata, et adimpleta fuerint, aut ex quibuslibet aliis causis, vel praetextibus notari, impugnari, aut alias infringi, suspendi, limitari; aut in controversiam vocari, seu adversus illas quodcumque juris, aut justitiae remedium impetrari, easque omnino sub quibusvis contrariis constitutionibus, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, decretis, vel declarationibus generalibus, vel specialibus, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine quomodolibet factis minime comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse, et fore, et tamquam ex pontificiae providentiae officio, et potestatis plenitudine Nostris factas, et emanatas, perpetuo validas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum, perpetuo, et inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vice-legatos, et Sedis apostolicae nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari irritum, et prorsus inane esse, et fore, volumus, atque decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis, constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non omnium, et singulorum dictorum regularium ordinum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis, apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 9. Ut autem praesentes, et in eis contenta quaecumque ad omnium notitiam facilius deducantur, volumus, ut earum transumptis, sive exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Fides habenda transumptis.

§. 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, ordinationis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo quarto, idibus maji, pontificatus Nostri anno quinto. Sanctio poenalis.

CCXCVI.

Dat. die 15. maji 1804. Anno V.

Indulgetur parocho, et beneficiatis ecclesiae parochialis oppidi Alcoy, Valentinae dioecesis, ut pro tertia, vel quarta eorum parte per turnum abesse possint a choro duos tantum menses in quolibet anno, certis tamen temporibus, et festis exceptis, et in absentia percipere fructus, et distributiones.

Venerabili fratri archiepiscopo Valentino.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

§. 1. Nuper Nobis exponi fecerunt dilecti filii parochus, et clerus beneficiatus ecclesiae parochialis oppidi Alcoy Valentinae dioecesis, se onus ferre inserviendi choro quotidie, Expositio precum.

sed beneficio, unde onus hujusmodi provenit, non reddere unicuique ipsorum quotannis nisi sexaginta scutata monetae Romanae de certo, seu, amortizado, uti vocant; et triginta septem de adventitio, seu votivo, eleemosynis tamen non computatis missarum, quas siquis poterit singulis celebrare diebus, poterit quoque quolibet anno ad summam centum sexaginta duorum scutatorum usque pertingere. Quamobrem, ut aliquid nanciscantur levaminis in tanto labore, cupiunt ipsi per aliquam temporis partem alternatim a choro in anno vacare, ac beneficiorum fructus et distributiones vel absentes percipere; eo vel magis quod ex nonnullis eorum per intervallum absentibus nihil pertimescendum sit detrimenti ecclesiae servitio, quum ibi unus, et viginti beneficiati praeter parochum numerentur, atque in eadem dioecesi jam aliae parochiales ecclesiae alternent ex apostolico indulto chori servitium: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac ipsorum singulos a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati: fraternitati tuae de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium concilii Tridentini interpretum, qui tuam hac de re relationem ad eosdem transmissam attenderunt, consilio per praesentes committimus et mandamus, quatenus veris existentibus narratis, eisdem exponentibus, eorumque in perpetuum successoribus auctoritate Nostra apostolica pro tui arbitrio, et conscientia gratis indulgeas, ut ad duos cujuslibet anni menses tantum tertia, vel quarta ipsorum pars per turnum a te constituendum a chori servitio vacare, et a residentia abesse possit, ac interim fructus omnes, et distributiones quotidianas percipere valeat, amissis tamen distributionibus inter praesentes, seu votivis, nec non exceptis a praemissa vacatione tempore adventus, et quadragesimae, diebus festis solemnioribus nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Paschatis, Pentecostes, et ss. Corporis Christi, et per totam octavam eorumdem festorum, nec non festo sancti titularis, quibus in diebus aliisque pro tuo arbitrio benevisis omnes ex praedictis exponentibus choro inservire, divinisque officiis personaliter interesse teneantur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae parochialis ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima nona maji millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

CCXCVII.

Dat. die 1. junii 1804. Anno V.

Facultas abbatissae monasterii sanctae Mariae Magdalenae civitatis Pisaurensis gestandi crucem auream ante pectus appensam ad instar abbatissae monasterii Fanensis, pro se, et succeditricibus in perpetuum.

Dilectae in Christo filiae modernae abbatissae monasterii sanctae Mariae Magdalenae ordinis sancti Benedicti civitatis Pisaurensis.

Pius PP. VII.

Dilecta in Christo filia Nostra, salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§. 1. Religionis zelus, vitae, ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, et virtutum merita, super quibus apud Nos fide dignis commendaris testimoniis Nos adducunt, ut honorificientiae tuae benigne consulamus.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilectae in Christo filiae istius monasterii sanctae Mariae Magdalenae moniales, quod ipsae ad majorem Dei gloriam, et externum abbatissatus officii splendorem augendum, te ejusdem monasterii abbatissam aliqua per Nos, et hanc apostolicam Sedem praerogativa, atque insigni honorificentia decorari summopere desiderent.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos te praemissorum meritorum tuorum, ac etiam earumdem monialium precum intuitu specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurreris hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes; supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, tibi, et pro tempore in perpetuum existenti abbatissae ipsius monasterii, ut crucem auream ante pectus appensam ad instar superiorissae similis monasterii Fanensis tam in choro, et et aliis monasticis functionibus, quam extra eas gestare, illaque uti libere, et licite possis, et valeas, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Decretum irritans.

§. 4. Teque desuper, et succeditrices tuas a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dicti monasterii, et ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die prima junii millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 4. junii 1804. Anno V.

CCXCVIII.

Leges servandae in contractibus emphiteuticis pro colonis paludum Pontinarum.

Alessandro Lante protonotario apostolico, della santità di nostro signore papa Pio VII. e sua reverenda camera apostolica tesoriere generale.

R. P. D. thesaurarium chirographum exequendum recepisse declarat.

§. 1. Ad oggetto di dare un' opportuno regolamento alle enfitensi dei beni camerali della bonificazione Pontina, mentre non si sono celebrati gli istromenti dai primi investiti, e dai posteriori acquirenti, o per fissare anche la norma a quei coloni, ed altri che hanno alcune porzioni di terre entro il circondario della medesima bonificazione, la Santità Sua ha mostrato la sua sovrana provvidenza colle ordinazioni espresse nel moto proprio che resta esibito negli atti del Salvatori segretario di camera sotto il giorno 7. del corrente mese, del seguente tenore.

Pius PP. VII.

Motu proprio

Tenor chirographi.

§. 2. Dopo essere stata liberata dalle acque paludose una vasta estensione di terre entro il circondario Pontino colla celebre impresa del Nostro predecessore Pio VI. di gloriosa memoria, furono le suddette concedute in enfiteusi perpetua a molte, e diverse persone per di lui rescritto dato in Terracina li 10. maggio 1791. e altri rescritti fatti in sequela di quello, con le condizioni quivi espresse; e segnatamente che dovesse da cadauno enfiteuta stipolarsi l' istromento colla inserzione della pianta corrispondente alla misura da eseguirsi sul luogo. Siccome però non furono celebrati tali istromenti, essendosi soltanto esibiti i rescritti negli atti del Salvatori segretario di camera; quindi è addivenuto, che molte di quelle terre sono passate dai primi enfiteuti ad altre mani o per contratti, o per disposizioni di ultime volontà, senza che la Nostra camera proprietaria ne abbia conseguito il dovuto laudemio, e senza esserne stata riconosciuta in padrona diretta da molti nuovi possessori, i quali sono anche all' istessa camera ignoti, e rendono inoltre maggiore la loro morosità nel pagamento de' canoni, per non trovarsi espressamente obbligati alla osservanza dei regolamenti stabiliti contro i debitori morosi dalle costituzioni apostoliche, e dallo stile camerale.

Volendo pertanto Noi riparare a questo sconcerto, contrario non meno alla intenzione del defonto pontefice, che all' economia della Nostra camera, avendo nella presente cedola

Digitized by Google

per espresso il tenore del sovraccitato rescritto, e degli altri consecutivi, anche emanati per mezzo del tesoriere generale, ed ogni altra cosa necessaria di esprimersi, di Nostro moto proprio, certa scienza, o pienezza della Nostra suprema potestà ordiniamo e stabiliamo, come segue.

De observantia constitutionum, et solutione canonis.

I. §. 3. Che tutti quelli, ai quali furono concedute le terre suddette, fabbriche, o altri fondi entro il circondario Pontino, in sequela della esibizione da loro fatta dai rispettivi rescritti ottenuti sino al tempo presente debbano onninamente intendersi sottoposti non solamente alle leggi ed ordini emanati, o da emanare sopra la bonificazione, e gli enfiteuti delle terre Pontine, ma ancora alle disposizioni delle costituzioni, e alle regole e stile camerale sopra gli enfiteuti ed altri debitori della camera apostolica, e specialmente alla costituzione di Gregorio XIII. altro Nostro predecessore di santa memoria, che incomincia *Ad Romani pontificis* pubblicata il primo giugno 1580. ed anche alla recente cedola di Nostro moto proprio del dì 23. aprile 1803. di maniera che non pagando i canoni ogni anno prima del fine del mese di ottobre in mani del ministro camerale a ciò deputato alle Pontine, o in altro luogo che venisse loro ordinato dalla camera o dal tesoriere generale, incorranno *ipso facto* la caducità, e si devolvano le terre alla medesima Nostra camera in quel modo che è prescritto rapporto agli altri enfiteuti morosi per l'annua solennità de' ss. apostoli Pietro e Paolo, ed autorizziamo monsignor tesoriere generale a concedere tali terre e fabbriche agli enfiteuti adjacenti, qualora siano idonei, e convengano nei medesimi patti, altrimenti darli ad altri, come giudicherà più espediente alla Nostra camera.

De onere praestandi recognitionem in dominum erga rev. cameram apostolicam.

II. §. 4. Che tutti quelli, i quali, hanno acquistato alcuna delle terre Pontine dai primi enfiteuti, e dai loro successori, s'intendano soggetti alle medesime leggi, ed inoltre nel perentorio termine di un mese da decorrere dalla pubblicazione della presente Nostra cedola debbano pagare alla Nostra camera apostolica i laudemj per i passaggi delle suddette terre, e per pubblico istromento da celebrarsi negli atti dell'istesso Salvatori segretario di camera riconoscere il diretto dominio della camera medesima con esprimere i patti ed i pesi analoghi a tal contratto, e specialmente la rinunzia ad ogni defalco di canoni o altro bonifico per causa di qualunque inondazione, rotta d'argini, o altro caso, la qual rinunzia peraltro debba intendersi rapporto anche ai primi concessionarj, e l'istesso debba farsi anche da ogni altro, che in avvenire acquistasse qualche terreno Pontino parimenti nel termine di un mese, dopochè sarà seguito il nuovo passaggio; altrimenti decorso questo termine ognuno de' suddetti, che non avrà pagato il laudemio, e celebrato l'istromento, come sopra, si abbia per decaduto dalla enfiteusi, e i terreni devoluti alla camera, oltre tutto ciò che si dispone dalle costituzioni apostoliche, e dal diritto comune.

De indemnitatibus annuatim solvendis.

III. §. 5. Quantunque sul principio della bonificazione nel 1777. il commissario Giulio Sperandini deputato dal Nostro predecessore facesse alcune convenzioni colle comunità e coi privati possessori di alcune porzioni di terre incluse nel circondario Pontino, o per altri loro diritti o pretensioni, assegnando alle comunità, ed alcuni altri annui compensi in danaro, preservate le ragioni a favore della Nostra camera di compensazioni contro li stabiliti contribuenti, permettendo ad altri l'uso di quelle porzioni di terreni inclusi, mentre si faceva la bonificazione, nel modo conciliabile cogli attuali lavori, e promettendo tra le altre cose, che a bonificazione compita si assegnerebbe loro tanta quantità di terreno asciutto nel confine del circondario, e tali convenzioni fossero anche enunciate nel chirografo segnato li 15. luglio 1780. in occasione dell'affitto fatto dalla camera dei terreni Pontini; nondimeno l'istesso pontefice l'anno 1791. nel concedere in enfiteusi i terreni bonificati a diverse persone giudicò di variare alquanto, e derogare in parte alle suddette convenzioni, disponendo in altro modo di quelli terreni, ed ordinando agli enfiteuti di mantenere tutti i coloni particolari entro i loro fondi, senza gravarli di maggiore risposta, e con facoltà di trasportarli nel confine della rispettiva loro possidenza, come più diffusamente apparisce dal sovra citato rescritto de' 10. maggio 1791. Ora siccome dopo essere state date ad altri in enfiteusi tutte le terre Pontine, e dopo i miglioramenti fattivi da molti enfiteuti, ed altre variazioni accadute nel decorso di tanti anni non potrebbe senza sconvolgimento di cose, e senza grave incomodo e pregiudizio

della camera apostolica ritornarsi a dare esecuzione alle convenzioni del 1777. perciò ordiniamo, che tutti quelli, ai quali si pagano i compensi annui in danaro, debbano continuare in avvenire a percepire l'istesso compenso, senza che abbiano ad eccitare pretenzione per averlo in una porzione di terreno; ed i coloni restino sottoposti alla disposizione del lodato rescritto; che debba restar fermo ciò che si dispose dal Nostro predecessore nel rescritto del 1791. e che quei coloni, i quali erano soliti di pagare le risposte, debbano continuarle a pagare agli enfiteuti a norma dell'istesso rescritto, senza poter riclamare, nè abbiano alcuna azione per tale assegna di terreni contro la camera apostolica non ostante il loro ricorso da Noi già delegato al tribunale della camera, e non ostante qualunque decreto di monsignor uditore, salve soltanto le ragioni per qualunque altra rispettiva pretenzione tra gli enfiteuti, ed i coloni.

De bonorum descriptione servanda in libris camerae.

V. §. 6. Che dalla computisteria generale della camera si debba formare e ritener sempre un'esatta e diligente descrizione o sia cabreo di tutte l'enfiteusi Pontine, con notarvi tutti i passaggi che accadessero nel tempo futuro, ed a quest'effetto ordiniamo, che anche quelli successori enfiteuti, i quali non sono obbligati a pagare il laudemio o ad ottenere nuova investitura, nondimeno debbano darne notizia negli atti dell'istesso segretario di camera entro un mese dopo la morte del loro padre o altra persona, a cui legittimamente siano succeduti, affinchè sia l'enfiteusi intestata alla loro persona, altrimenti incorrano ancor questi la caducità della enfiteusi.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 7. Volendo e decretando, che la presente cedola di Nostro moto proprio ammessa e registrata in camera a forma della costituzione di Pio IV. *de registrandis* vaglia ed abbia il suo pieno vigore, senza che gli si possa opporre vizio di orrezione e surrezione, o altro difetto, ancorchè non vi sia stato citato, nè sentito monsignor commissario della camera; nè gli stessi enfiteuti o coloni Pontini, o chiunque altro vi avesse, o pretendesse avervi interesse, e che così, e non altrimenti debba giudicarsi da ogni giudice ordinario o delegato, rota, camera, reverendissimo camerlengo, monsig. tesoriere generale, e monsig. Nostro uditore, e da qualsivoglia altro tribunale anche composto di reverendissimi cardinali, togliendo ad ognuno la facoltà di definire, o interpretare diversamente; e dichiarando invalido e nullo tutto ciò, che altrimenti si definisse o interpretasse. Non ostante il rescritto della Nostra suddetta delegazione, la Nostra costituzione *Post diuturnas*, e qualunque altra costituzione, legge, ordine, rescritto, consuetudine, che facesse o sembrasse fare in contrario, alle quali cose tutte, avendone il tenore qui per inserito, per l'oggetto della presente sufficientemente deroghiamo. Dato dal Nostro palazzo apostolico Quirinale questo dì 6. giugno 1804.

Pius PP. VII.

Executio.

§. 8. Mentre adunque noi facciamo note le pontificie provide leggi sopra gli oggetti suddetti, ne inculchiamo ad ognuno la osservanza, giacchè la presente notificazione dopo che sarà stata affissa ne' luoghi soliti in Roma, e nel circondario Pontino, e nelle città e luoghi a quelli confinanti, avrà sempre il suo pieno vigore, come se fosse stata ad ognuno personalmente presentata. Roma questo dì 9. giugno 1804.

Alessandro Lante tesor. generale.
Per mons. comm. gen. della R. C. A. ass.
N. Maria Nicolai primo sostit. commiss.
L. Salvatori segr. e canc. della R. C. A.

CCIC.

Dat. die 8. junii 1804. Anno V.

Applicatio bonorum spectantium ad haereditatem Fagoni in erectionem cappellaniae in ecclesia sancti Christophori dioecesis Civitatis Plebis.

Venerabili fratri episcopo civitatis Plebis.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi nuper fecit dilectus filius modernus parochus sancti Christophori dioecesis Civitatis Plebis, quod bo. me. Margarita Sancta, et Innocentia Fagoni terrae Castilionis apud lacum Trasimenum sese testamento ad invicem conscripserunt haeredes, unaque statuerunt ut post earum omnium mortem bo-

na communis haereditatis in suffragia anima rum suarum impendi deberent per testamentarios expresse ad id designatos executores; qui prius tamen, quam quidpiam executioni mandassent Nostro, ut asseritur, fuere jussi rescripto, ut de asse hujusmodi haereditario unam partem pro medietate in missas pro animabus testatricum celebrandas assignarent, de altera vero fundarent cappellaniam in parochiali ecclesia de Giojella quemadmodum ejus parochus ad suorum beneficium populanorum expostulaverat. Tali exemplo motus exponens, qui et unum se esse dicit de executoribus designatis, cupit vel ipse similem cappellaniam ex reliquo asse in missas erogando institui favore suae parochialis ecclesiae ubi multo major adest necessitas cappellani, qui et parocho adjumentum in ministerio, et populo commoditatem praestet in missa praesertim diebus festis. Hinc Nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictum exponentem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, audita relatione dilecti filii magistri Emmanuelis de Gregorio secretarii congregationis de Concilio, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus enarratis, ex enunciata medietate haereditatis Fagoni in tot missas erogandа perpetuam cappellaniam auctoritate Nostra apostolica erigere possis, et valeas in parochiali ecclesia sancti Christophori, injuncto tamen cappellano pro tempore perpetuo onere coadjuvandi parochum ecclesiae praedictae in cura animarum, nec non celebrandi ibidem singulis diebus festis etiam reductis missam applicando ad formam testamentariae dispositionis Fagoni.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus, quatenus opus sit, recentis memoriae Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die octava junii millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

CCC.

Dat. die 8. junii 1804. Anno V.

Beatificatio venerabilis servae Dei Veronicae de Julianis monialis sanctae Clarae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Laudes venerabilis servae Dei.

§. 1. Quos Deus praescivit, hos et praedestinavit conformes fieri imagini filii sui, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta. Jam vero, quantum imagini filii Dei conformis futura esset serva Dei Veronica de Julianis, statim ab ejus incunabulis apparuit. Ipsa namque infantula, quod aliis diebus copiosum lac sugebat, ejus paucas mane, et vespere gustabat guttulas quarta, et sexta feria, ac sabbato. Grandiuscula miro eumdem Christum Dominum pro nobis passum, et crucifixum imitandi desiderio flagrare coepit. Cum primum igitur per aetatem licuit, primaevam s. Clarae regulam in monasterio sanctimonialium, quas Capuccinas vocant, Tiferni tanto animi fervore est professa, ut ab ipso novae religiosae vitae initio perfectum aliquid, et consummatum attigisse jam videretur. Continuum triennale jejunium, Deo jubente, solo pane, et aqua, aliudque biennale aliquot hostiarum fragmentis, paucisque mali citrei seminibus refecta explevit. Corpus praeterea suum vigiliis, frigore, catenis, flagellis, urticarum manipulis, ac veste spinis undique contexta, aliisque poenarum generibus cruciavit. Flagrantissimo autem hoc Christo compatiendi desiderio effectum est, ut sex ipse martyrum Christus sponsam sibi dilectissimam cum uberrimis charismatum donis, tum passionis suae signis mirabiliter decorarit. Sed et omni virtutum genere eam sibi divinus sponsus copulavit. Tantum proinde in regularis disciplinae studium, ut ipsa aut duce, aut hortatrice, quandoque etiam abbatissae munere fungente, moniales non paucae virtutum meritis mirum in modum excellerent. Zelus quoque erga externos tantus, ut preci-

bus ad Deum fusis, perditorum hominum plurimos ad meliorem reduxerit frugem, sese pro ipsis ad subeundas peccatorum poenas libentissime offerens. Ea in sorores charitate fuit, ut noctes integras duceret insomnes, nunc earum ministeria ipsa in se suscipiens, nunc eisdem aegrotantibus inserviens. Tantus in ea puritatis castimoniaeque splendor, ut angelo quam homini similior videretur. Tam demum ardens in Deum charitas, ut nedum extra sensus, quam saepissime raperetur, sed vel ipsa corporis membra incendio aestuarent. Tot, tantisque virtutibus, supernisque bonis ditata, et sui, et mundi, et daemonum victrix ad Christum sponsum annum agens septimum supra sexagesimum laeta evolavit.

Judicium sacrae congregationis Rituum super virtutibus illius.

§. 2. Cum itaque mature diligenterque discussis per congregationem venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum, aliorumque consultorum processibus de hujus s. Sedis apostolicae licentia confectis super vitae sanctitate, et virtutibus tam theologicis, quam moralibus in gradu heroico, quibus servam Dei Veronicam de Julianis monialem ordinis sancti Francisci Capuccinarum nuncupatarum multipliciter claruisse, et super miraculis, quae per ejus intercessionem ad manifestandam hominibus ejus sanctitatem a Deo edita, et patrata fuisse dicebantur, eadem congregatio coram Nobis constituta censuerit, posse, quandocumque Nobis videretur, praedictam Dei servam, donec ad actum solemnis illius canonizationis deveniatur, publice beatam declarari, cum solitis indultis.

Beatificatio

§. 3. Hinc est, quod Nos piis, atque enixis totius memorati ordinis, et venerabilis fratris Floridi episcopi Aquipendiensis hujus causae postulatoris supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; de eorumdem cardinalium, et consultorum consilio, auctoritate apostolica, tenore praesentium facultatem concedimus et impertimur, ut eadem Dei serva Veronica de Julianis beatae nomine nuncupari, ejusque corpus, et reliquias venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferendas) exponi, imagines quoque radiis et splendoribus exornari, officium, et missam de ea singulis annis die IX. julii de communi virginum cum orationibus propriis, juxta ritum missalis, et breviarii Romani recitari libere, ac licite possit et valeat.

Concessio missae, et officii proprii.

§. 4. Porro officii recitationem, et missae celebrationem hujusmodi fieri concedimus, dumtaxat in universo ordine minorum s. Francisci capuccinorum utriusque sexus, atque in dioecesibus Urbaniensi, et Tifernensi, in quarum prima, Mercatelli scilicet ortum habuit, in altera vero vitam regularem duxit, ibique venerabile ejus corpus requiescit, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus tam saecularibus, quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur; et quantum ad missas attinet, etiam ab omnibus sacerdotibus ad ecclesias, in quibus festum peragetur, confluentibus. Praeterea hoc anno dumtaxat, videlicet post praesentes literas, quoad Indias a die, quo eadem literae illuc pervenerint, inchoando, in ecclesiis ordinis, et dioecesum praescriptarum solemnia beatificationis ipsius servae Dei cum officio, et missa sub ritu duplici majore die ab ordinario respective constituenda, postquam tamen in basilica principis apostolorum de urbe celebrata fuerint eadem solemnia, pro qua re diem XVII. hujus mensis assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem.

Derogatio contrariorum, et fides habenda transumptis.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non cultu editis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, seu exemplis etiam impressis et manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die octava junii millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

IN FESTO

BEATAE VERONICAE DE JULIANIS

Abbatissae Capuccinarum Tiferni.

Oratio

Orationes recitandae in missa, et officio.

§. 6. Domine Jesu Christe, qui beatam Veronicam virginem passionis tuae signis mirabilem effecisti; concede propitius, ut carnem crucifigentes ad gaudia aeterna pervenire mereamur. Qui vivis etc.

Digitized by Google

Secreta

Suscipe, misericors Deus, quas tibi humiliter offerimus laudis hostias; et interveniente beata Veronica virgine tua, fac eas nobis ad perpetuum provenire subsidium. Per Dominum etc.

Postcommunio

Coelesti munere roboratos fac nos, quaesumus Domine Deus noster, beatae Veronicae virginis tuae, et exemplis instrui, et patrociniis adjuvari. Per Dominum etc.

DECRETUM

Approbatio sacrae congregationis Rituum.

§. 7. Sanctissimus dominus noster Pius VII. pont. max. supplicante reverendissimo episcopo Aquipendiensi Florido Pierleoni postulatore, et referente r. p. d. Hieronymo Napulonio fidei promotore, suprascriptas orationes ab eminentissimo et reverendissimo domino cardinali de Somalia Sanctitatis Suae in urbe vicario, sacrorumque rituum congregationi praefecto, ac praefato promotore fidei revisas, in missa celebranda in die beatificationis beatae Veronicae de Julianis, et successive in officio in ejus honorem recitando cum missa, juxta facultates tributas in brevi ejusdem beatificationis, legi posse, benigne indulsit, quibuscumque in contrarium disponentibus minime obstantibus.

Die nona junii millesimo octingentesimo quarto.

J. Maria card. de Somalia S. R. C. praef.

Loco ✠ Sigilli.

I. de Carpineo C. R. C. secr.

Dat. die 15. Junii 1804. Anno V.

CCCI.

Ut praeter summam sc. 45. alias assignatam pro expositione sanctissimi Eucharistiae sacramenti, et supellectilibus sacris comparandis, etiam alteram annuam sc. 10. pro eadem expositione, et aliam sc. 16. pro aere alieno solvendo semel tantum ex eleemosynis in redemptionem captivorum collectis impendere valeant; pro confraternitate sanctissimae Pietatis civitatis Lucanae.

Venerabili fratri archiepiscopo Lucano.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii prior, et confratres confraternitatis sanctissimae Pietatis redemptionis captivorum nuncupatorum in ecclesia sancti Hieronymi istius civitatis Lucanae erectae, quod dudum sibi a felicis recordationis Pio pp. VI. praedecessore Nostro sub certis modo, et forma tunc expressis, auctoritate apostolica indultum fuit, ut ex quibusdam eleemosynis in captivorum redemptionem destinatis annuam summam scutatorum triginta pro expositione sanctissimi Eucharistiae sacramenti facienda, aliamque summam scutatorum quindecim per ordinarium definitam pro comparandis sacris supellectilibus annuatim impenderent, ac alias prout ex memorati Pii praedecessoris in simili forma Brevis die XVI. maji MDCCLXXXIII. desuper editis literis, quarum tenorem praesentibus, pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus, fusius continetur. Verum quia, sicut in eadem expositione additum erat, cerae pretium ita in dies auctum est, ut primo dicta pecuniae summa non amplius sufficiat ad eam emendam, neque alius supersit modus reddendi sexdecim alia scutata moderno ejusdem confraternitatis exactori debita, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut eisdem exponentibus, praeter, et ultra integram summam praedictam quadraginta quinque scutatorum, etiam aliam annuam scutatorum decem pro dicta expositione sanctissimi Eucharistiae sacramenti, ac insuper aliam scutatorum sex-

Digitized by Google

decim pro hac vice dumtaxat, ad effectum memoratum creditorem reintegrandi ex dictis eleemosynis erogandas, et impendendas plenam, et amplam facultatem auctoritate Nostra apostolica, pro tuo arbitrio, et prudentia gratis impertiaris.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quae memoratus Pius praedecessor in suis literis non obstare voluit, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quinta junii millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 10. julii 1804. Anno V.

CCCII.

Erectio seminarii cum facultate illud eximendi ab omni jurisdictione parochiali, et vicariorum capitularium, episcopali sede vacante pro episcopo Aveirensi.

Venerabili fratri episcopo Aveirensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Pastoralis officii studium quo fraternitas tua clericis in seminario habendis, atque in ecclesiastica disciplina educandis omnem adjecisse curam ostendit, Nos qui nihil magis ad Ecclesiae, et christianae reipublicae utilitatem conferre, quam bonam tenerae juventae instructionem existimamus, pergrate fecit sollicitos, ut tibi in re tanti ponderis, quantum cum Domino possumus, praesto esse festinemus.

Expositio precum. §. 2. Exponi siquidem Nobis fecisti, tuae istius ecclesiae seminarium adeo fuisse novissimi temporis calamitatibus affectum, ut non modo excussum imminutumque, sed penitus quoque dissolutum remanserit. Te autem tui zelo aeque ac debito muneris aliud alio in loco (nam penes cathedralem ecclesiam plura in praesentiarum obsunt impedimenta) erigere statuisse, ac in loco hujusmodi, quem vulgo vocant de Requeixo, aliquot conduxisse domus, ubi seu etiam alibi donec melius provideri tractu temporis possit, duodecim dioecesani pro nunc colligantur, alanturque alumni, praeter convictores suis se tantum sumptibus sustentaturos una cum praefectis, artiumque ac disciplinarum magistris, nec non duobus probis presbyteris, altero in superiorem seu rectorem, altero ad ejus supplendas vices destinandis: qui duo presyteri facultate insuper polleant administrandi iis, qui vitam in seminario degunt, sacramenta poenitentiae et Eucharistiae, tam vel ad Paschale praeceptum, quam ad viaticum, ac extremae unctionis, dempto hac in parte quocumque parochiali jure atque jurisdictione, etiam quoad funus, et sepulturam illorum, quos in seminario supremum obire diem contigerit, quique in seminarii cappella, praeviis consuetis exequiis celebrandis, gratis, et absque ulla distributione per seminarii clericos, atque presbyteros (missae, seu missarum eleemosyna tantum excepta) erunt humandi; nisi quis forte ecclesiam, ubi sepeliri velit, expresse declaraverit: tunc enim illius ecclesiae parochus poterit suo cum comitatu ad seminarium accedere, ejusque ad januam defuncti cadaver accipere. Praeterea seminarium istud te velle praeceptis ac regulis tum ad rerum temporalium, tum ad studiorum, morumque directionem juxta leges prudentiae, et circumstantias temporis, accomodatis, ac propterea a te, tuisque successoribus pro rerum, temporumque ipsorum eventu variandis, corrigendis, ac de novo condendis praemunire; ideoque illud ita tuae, ac successorum jurisdictioni subjicere, ac reservare, ut sede ecclesiae istius episcopali vacante vicarii capitulares nihil de iis omnibus, quae ad seminarium spectant per te, ac successores statuta, ac ordinata repererint, amovere, ac innovare umquam possint, sed si recte cuncta procedant, tantum inspicere, et necessitati, siquae quidpiam postulare videatur, dumtaxat consulere. Quapropter te optare plurimum, atque exorare, ut Nos tibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur te specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, tibi seminarium dioecesanum in loco, et forma superius expressis Tenor concessionis.

Digitized

erigendi, aliumque, etiam in locum successive pro opportunitate transferendi, et varias, ac variabiles regulas pro bono regimine constituendi, illudque ab omni tum parochi, intra cujus fines erigendum seminarium fuerit, tum vicarii capitularis, quando episcopalis sedes vacaverit, jurisdictione, uti praemissum est, eximendi, nec non seminarii rectorem, ejusque gerentem vices ad recensita sacramenta, etiam tempore paschali, ac in mortis articulo, omnibus et singulis in seminario habitantibus ministranda, et ad eorumdem inibi morientium exequias ac sepulturam in seminarii cappella disponenda deputandi, caeteraque supra enunciata mandandi, et exequendi, plenam, et amplam facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus, ac impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus tamen, ut memoratae leges, ac regulae quomodocumque, et quandocumque praescribendae, non praescribantur, nisi habito simul cum illis consilio, quos de cathedralis capitulo, quatenus adsit, ad id adsciscendos synodus Tridentina decernit: atque ut rector, vice rector, praefecti quoque, et magistri, et quisquis demum alius, qui in seminario hujusmodi praeeminentiae alicujus fungatur officio, sacramentum poenitentiae nonnisi expetiti, ac rogati ab alumnis, et convictoribus valeant ullo umquam tempore iis administrare, ac pusillorum puderi conscientiae offendiculum in tam metuenda re gravitas contubernalium superiorum injiciat. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima julii millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 23. julii 1804. Anno V.

CCCIII.

Unio territorii vallis de Arania dioecesis Urgellensis.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Pro pastorali sollicitudine in commissa Nobis a Christo Domino auctoritate dum in beati Petri cathedra fuimus collocati, oculos Nostrae mentis ad ecclesiarum statum, omniumque populorum eisdem subjectorum spirituali regimini convertentes, ea omnia pro animarum Christianorum salute statuere summo studio semper curavimus, ut juxta divinarum et ecclesiasticarum legum normam a pastoribus utiliter valeant gubernari.

Ratio concessionis.

§. 2. Quamobrem advertentes quod usque et de anno Domini millesimo octingentesimo primo per Nostras sub plumbo expeditas literas tertio kalendas decembris datas pontificatus Nostri anno secundo, attentis rerum circumstantiis, et ad catholicam unitatem in Gallia retinendam, omnes tam archiepiscopales, quam episcopales ecclesias in Gallicano dominio existentes, apostolica auctoritate suppresserimus, extinxerimus, et annullaverimus, novasque alias archiepiscopales, et episcopales ecclesias pro rerum, atque locorum conditionibus, et opportunitatibus erexerimus, atque novam illarum dioecesium circumscriptionem faciendam mandaverimus totis qua late patent in regionibus praedicto Gallicano dominio temporali subjectis, prout in literis praefatis fusius continetur; quarum vigore vallis de Arania ad Pireneos montes et flumen Garumnam posita, quae antea spirituali regimini ecclesiae Convenarum episcopi integre pertinebant, attenta praedicta suppressione illarum dioecesium nova circumscriptione, utpote sub temporali charissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis catholici dominio existentes minime fuit comprehensa, et populi in ea degentes absque proprio pastore remanserunt, ideoque ut alicujus episcopi intra Hispaniarum regis dominium consistentis ordinariae potestati et auctoritati subjiciatur, ipsiusque dioecesi adjungetur, et incorporetur necessarium et expediens fore conspicimus.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos itaque votis insimul ejusdem Caroli regis catholici libentissime obsecundantes, motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, vallem praedictam de Arania, totumque ejus territorium, omniaque in ea, seu eo contenta loca, et respective consistentes ecclesias etiam parochiales, monasteria, conventus, et beneficia, ac jura antea suppressae ecclesiae Convenarum spectantes et pertinentes, nec non utriusque sexus personas, habitatores, et beneficiatos, tam saeculares, quam regulares,

quoscumque cujusvis sint status, gradus, ordinis, ac conditionis episcopali ecclesiae et dioecesi Urgellensi apostolica auctoritate perpetuo adjungimus, et incorporamus, ac omnimodae jurisdictioni, superioritati, visitationi, et correctioni moderni ac pro tempore existentis episcopi Urgellensis, ita quod liceat ei per se, vel alium, seu alios ejus nomine in supradictae vallis territorio, locis contentis, atque ecclesiis, monasteriis, eorumque pertinentiis, et annexis veram, realem, actualem, et corporalem possessionem, seu quasi possessionem administrationis spiritualis, et omnimodi juris dioecesani propria auctoritate libere apprehendere, cujusvis licentia desuper minime requisita, apostolica auctoritate praefata tenore praesentium etiam perpetuo supponimus, atque subjicimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Interea praesentes literas cum omnibus in ipsis decretis atque statutis, firmas, validas, et efficaces esse, ac perpetuo fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus plenissime, et inviolabiliter observari volumus, et mandamus; sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios, et quosvis alios sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate ubique judicari, et definiri debere, ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, nullum, irritum, et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus quibusvis cancellariae Nostrae apostolicae regulis, ac Lateranensis concilii novissime celebrati, aliisque etiam in synodalibus, provincialibusque, generalibus, universalibusque conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, in genere, vel in specie alias forsan in contrarium praemissorum emanatis praesentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat ad praemissorum effectum plenissime, et amplissime motu pari derogamus, et derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 6. Volumus autem, ut praesentium transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in ecclesiastica dignitate constituae munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae adjunctionis, unionis, incorporationis, subjectionis, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum, ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo quarto, decimo kalendas augusti, pontificatus Nostri anno quinto.

CCCIV.

Dat. die 23. julii 1804. Anno V.

Facultas congregationi oratorii sanctissimae Communionis generalis de Urbe adgregandi quascumque ejusdem instituti congregationes ubique locorum existentes, servata tamen forma concessionis Clementinae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii presbyter Aloisius Mozzi praefectus, et socii congregationis oratorii sub titulo praecipuo sanctissimae Communionis generalis, vulgo del Caravita de urbe, quod ipsi ad majorem Dei gloriam, et spiritualem christi fidelium utilitatem alias congregationes, piosque conventus hujusmodi sibi adgregare posse plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes,

supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, eisdem praefecto, et congregationis oratorii praedicti praesentibus et futuris, ut ipsi alias quascumque ejusdem instituti congregationes extra Urbem ubique locorum erectas tam communi dicti oratorii congregationi quam alteri nobilium matronarum, piarumque mulierum, atque majorum conventuum vulgo ristretti, qui ibi tum festivis, tum ferialibus diebus haberi solent, respective adgregare (servata tamen forma constitutionis recolendae memoriae Clementis pp. VIII. praedecessoris Nostri editae) illisque omnes, et singulas indulgentias, et peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes, ipsius oratorii congregationi, et conventibus praedictis respective concessas communicare libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit supradicti oratorii congregationis, aliisque etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quarta julii millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 24. julii 1804. Anno V.

CCCV.

Indultum, ut in quibusdam statis festivis diebus operibus servilibus vacare possint pro civitate et dioecesi Bejensi.

Venerabili fratri episcopo Bejensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§. 1. Cum sicut quaedam sunt, ut inquit s. Leo Magnus praedecessor noster, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quae aut pro consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servata, ut in iis, quae vel dubia fuerint, aut obscura id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inveniatur adversum: propterea apostolica haec sancta Sedes pro paterna erga universos Christi fideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in iis auctoritatem interponere, quae caeteroquin ad majus divini cultus incrementum praescripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem ad otium, luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam non sine conscientiae angore contemnuntur.

Expositio precum.

§. 2. Quoniam vero, sicut ex parte tua Nobis expositum fuit in ista civitate, et dioecesi Bejensi ita excrevit festorum inobservantia, ut quamquam pro eo, quo flagras, pastorali zelo omnem operam studiumque ad abusus, et scandala hujusmodi tollenda contuleris, vigent adhuc tamen, quin ulla spes affulgeat, fore ut christianus populus ad veram festorum observantiam revocetur. Plerique enim habitatores, et incolae inopia laborantes, atque in sudore vultus panem comedentes fere vel inviti opera servilia, et mechanica diebus festis exercere coguntur, idque eo saepius accidit ob auctum dierum festorum numerum: ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos itaque, qui christifidelibus, quantum cum Domino possumus, salutare remedium potius ad aeternam salutem comparandam, et humanam vitam honeste sustinendam adhibere, quam per severiorem ecclesiasticae disciplinae rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos incolas specialibus

Digitized by Google

gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, omnibus utriusque sexus christifidelibus earumdem civitatis, et dioecesis Bejensis, ut deinceps omnibus diebus dominicis, nec non Natalis Domini Nostri Jesu Christi, et sequenti s. Stephani, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis resurrectionis, et sequenti, Pentecostes, et sequenti, ac Corporis Christi, ac Ascensionis, sancti Joannis Baptistae ac sanctorum Petri et Pauli apostolorum, et commemorationis omnium Sanctorum, praeterea quinque dicatis Beatae Mariae Virgini immaculatae, scilicet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis, nec non sancti patroni, aut tutelaris cujuslibet loci pro hominibus ejusdem loci dumtaxat festis diebus, in quibus integra maneat praecepti obligatio, in reliquis vero festis sive per hanc sanctam sedem praeceptis, sive per synodales ejusdem dioecesis constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem etiam auctoritate Nostra apostolica per te commutari volumus, praeceptis, praescriptisque, audita tamen missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus sine ullo prorsus conscientiae scrupulo vacare possint auctoritate Nostra apostolica concedas, et indulgeas, permittas, ac statuas, praecipias, et mandes.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non civitatis, et dioecesis praedictarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die vigesima quarta julii millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

CCCVI.

Dat. die 16. julii 1804. Anno V.

Concessio vestium oblongarum in locum veteris rubonis pro confalonerio, et magistratu civitatis Maceratae.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Paterna Nostra erga Nostros, et apostolicae Sedis in temporalibus subditos sollicitudo, et cura Nos movet, ut eorum votis quantum cum Domino possumus benigne annuamus, eosque specialibus gratiis, et favoribus libenter prosequamur.

Ratio et tenor concessionis.

§. 2. Cum itaque inter caeteras ditionis Nostrae ecclesiasticae civitas Maceratensis antiquitatis laude, literarum cultura, populique frequentia, ac provinciae Picenae praesidentia non mediocriter floreat, et constanti in Romanos pontifices, ac Sedem praedictam fide emineat, publicosque habeat residentes et confalonerios prudentia et integritate pollentes, Nos qui civitatem ipsam, ejusque communitatem, et homines praemissorum meritorum intuitu propensione quodam benevolentiae Nostrae complectimur affectu, dilectos filios modernos ejus publicos residentes, et confalonerios novo benevolentiae Nostrae munere donare, et amplioris honorificentiae praerogativa decorare volentes, atque eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore

consentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eisdem modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus dictae civitatis residentibus, et confaloneriis, ut ipsi loco rubonum, quos adhuc deferre consueverunt, in posterum alios rubones, seu oblongas vestes ad instar magistratuum alterius civitatis Nostrae Viterbiensis in quibuscumque actibus, et functionibus publicis respective deferre illisque uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus, dictosque residentes et confalonerios desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quopiam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae Maceratensis, aliarumque civitatum status Nostri ecclesiastici etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quarta julii millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 30. julii 1804. Anno V.

CCCVII.

Reformatio statuti Civitatis novae Firmanae dioecesis super testamentis, et haereditatibus ab intestato deferendis.

Alexander Lacchini utriusque signaturae referendarius protonotarius apostolicus.

Sanctissimi Domini Nostri
Papae Pii VII.

Auditor et judex commissarius specialiter electus et deputatus.

R. P. D. auditor sanctissimi chirographum exequendum recepisse declarat.

§. 1. Cum sanctissimus dominus noster Pius divina providentia papa VII. precibus populi Civitatis novae, ac illustrissimorum domini Petri Scocciacampana, et Alexandri Frisciotti ab illa communitate deputatorum benigne annuens chirographum propria manu Sanctitatis Suae die 29. labentis mensis julii subsignatum, Nobis pro executione in eo contentorum direxerit tenoris sequentis, videlicet.

Monsig. Alessandro Lacchini nostro udit.

§. 2. Sono ricorsi a Noi Pietro Scocciacampana, ed Alessandro Frisciotti, come deputati della comunità di Civitanova, esponendoci, che nello statuto di detta terra due rubriche, o capitoli si leggono, de' quali ci è stata umiliata l' autentica copia, uno — *de testamentis: de successionibus ab intestato, et de muliere dotata* — sotto la rubrica 28., e l' altro — *de successionibus ab intestato* — sotto la rubrica 37., che sembrano meritare una totale abolizione, essendo ambidue l' origine di continui inconvenienti, specialmente fra la gente di bassa condizione, e rustica, molte volte fra la gente colta in caso di morte immatura, e repentina, ed essendo occasione di grave pregiudizio per le donne. Tenor chirographi.

Dispositio statuti vigentis in terra Civitatis novae.

§. 3. Limita il primo l' arbitrio ai testatori di disporre delle loro libere facoltà a loro piacere, annullando i testamenti, nei quali l' erede istituito non fosse un' agnato, volendo in tal caso, che l' eredità sia aggiudicata all' agnato medesimo, a preferenza di qualunque altro; così pure vuole, e prescrive, che nell' eredità libera da vincoli di un' agnato, uomo, o donna che sia, ed intestata siano preferiti gli agnati maschi, e loro discendenti ad esclusione delle figlie femmine, quali debbano essere contente della sola dote, e quante volte non fossero già dotate non possano conseguire che la sesta parte della eredità a titolo di legittima da dividersi per egual porzione fra tutti quei, che possino aver diritto alla legittima, e gli alimenti da tassarsi, nè possono essere reintegrate alla successione, se non dopo mancata la discendenza mascolina agnatizia. Più strettamente il secondo, rubrica 37., dispone delle eredità intestate in pregiudizio delle figlie femmine, mentre stabilisce, che esse, e tutte le altre madre, sorelle, o siano ascendenti, e discendenti, o traversali sì in linea mascolina, che femminina, e tutte le agnate e cognate restino escluse, non solo dai fratelli maschi, ma anche dagli ascendenti, e trasversali maschi sino al terzo grado, riservando loro la sola dote, o la successione alla madre nella legit-

Digitized by Google

tima, quando non siano già da esse dotate, ed essa superstiti non lasci figli maschi, quali superstiti, vuole, che della legittima conseguir debbano la sola metà; e finalmente dispone, che della eredità di un figlio, e figlia intestata, la madre, e nonna paterna sopravvivendo, debbano ciascuna avere la metà della legittima. Bene spesso addiviene, come prosieguono ad esporci i ricorrenti, che molti ignoranti, e rustici non intesi di queste statutarie disposizioni, e persuasi, che le loro figlie femmine ereditar debbano quelle poche sostanze, che con i lori sudori hanno acquistate, se ne mojono senza testamento, e restano così essi, e le loro povere figlie, e nipoti femmine deluse, ed in miseria, venendo ad esse tolta la paterna eredità da un qualche agnato, e trasversale maschio; e lo stesso accade anche fra le persone colte in caso di morte immatura, o repentina con grave pregiudizio delle famiglie, che perciò rendonsi disagiate, ed anche non rare volte miserabili.

Reformationes propositae a consilio municipali.

§. 4. Essendosi pertanto dalla intera popolazione di Civitanova giudicate queste statutarie disposizioni troppo esorbitanti, e lontane dalla equitativa disposizione del gius comune, quando non si vogliano dire affatto opposte al diritto naturale, il consiglio generale tenuto li 10. aprile 1796., e ripetuto li 26. novembre 1802., e nuovamente sotto i 10. marzo anno corrente 1804., facendosi un carico delle replicate istanze, e ricorsi avuti da molti in varj tempi, e replicati dopo la ripristinazione del pontificio governo, e per detto consiglio li nominati Pietro Scoccianicampana, ed Alessandro Frisciotti deputati eletti a quest' oggetto sonosi fatti coraggio di ricorrere a Noi, umilmente supplicandoci a volerci degnare di togliere, ed abolire le dette due statutarie rubriche, e capitoli tanto esorbitanti, e pregiudizievoli per le femmine, ed a questi sostituire il nuovo capitolo, e rubrica distesa, previo il consulto di più uomini esperti nelle materie legali, quale colla risoluzione consigliare dei 10. marzo anno corrente ci è stata umiliata in autentica forma, concepita nei seguenti termini, cioè — De successionibus ab intestato — patre, vel matre, vel quovis alio ascendente decedentibus ab intestato, donec, et quoadusque filii masculi, nepotes, pronepotes, et alii quicumque descendentes masculi agnati superaerint, sive ex legitimo matrimonio sint procreati, sive legitimati per subsequens, aut per rescriptum hi succedant in universa illorum haereditate, exclusis foeminis per modum regulae, quae si dotatae non fuerint, legitimam dumtaxat, loco dotis consequentur. At ubi deficient praedicti masculi, quorum favore fuerunt foeminae esclusae, eas, earumque filios descendentes in omnibus juribus, et integra successione restituimus, nulla temporis obstante praescriptione, renunciatione, quietantia. Ordinem huic fere similem in collateralium intestatis haereditatibus servari volumus, itaut foeminae ab iis omnimode, et in quacumque parte censeantur exclusae, quoties masculi existant pari gradu proximitatis defuncto conjuncti, vel eorum filii, nepotes, pronepotes et alii quicumque descendentes masculi; correspective vero ad easdem collaterales haereditates vocatae, ubi nullus ex dictis masculis suppetat. Caeterum quoad ascendentium intestatas successiones in bonis filiorum absque prole decedentium, eas censurae juris communis subjicimus, unico excepto casu, quo ascendens ad hujusmodi successionem ex juris dispositione vocatus ad secunda vota transierit, quia tunc statuimus, legitimam dumtaxat in bonis filiorum hoc modo decedentium eum posse repetere; reliquum assem attribuentes proximioribus eorumdem conjunctis juxta sexus praerogativam in collateralium successionibus superius distinctam — Et hujus nuperrimae sanctionis vigore nullius roboris ab hinc erunt considerandae rubrica 28. lib. 2. et postrema lib. 5. hujus Novani statuti quoad successiones ab intestato dotatas.

Votum ad rem penditum ab archiepiscopo Firmano.

§. 5. Qual supplica essendo stata da Noi per mezzo vostro rimessa al reverendissimo cardinal arcivescovo di Fermo, perchè ci avesse informati sulla rappresentanza fattaci, e manifestato insieme il proprio sentimento, uditi coloro, che vi avessero interesse; egli col mezzo similmente vostro, confessando, che l' oggetto della proposta istanza merita tutta la riflessione, perchè trattasi di pubblica utilità, che riguarda la popolazione intera del rispettabile comune di Civitanova, ci ha riferito, che rinato in Italia nel secolo decimosecondo dopo la famosa scoperta delle pandette il diritto Romano, tutte le città Italiane,

le terre, i castelli presi si viddero da un generale ardente trasporto, che si comunicò a quasi tutta l' Europa di formarsi sull' esempio dei ritrovati codici una particolar legislazione adattata alle circostanze, al governo, agli usi, alle abitudini, ed agl' interessi di ciascuno; quindi è nata quella moltitudine di statuti, e leggi municipali, di cui tanto abbonda la nostra Italia. La successione intestata fu uno di quei grandi capi, intorno ai quali si esercitarono le nuove vedute, e le provvidenze dei statuenti; e siccome era una volta piaciuto a Giustiniano di adottare l' abolizione dell' antica preferenza, che sul fondamento delle dodici tavole davasi all' agnazione, così piacendo ai nuovi giureconsulti statuenti di reintegrare la preferenza abolita, diedero di mano a riformare da per tutto questa parte importante di legislazione, e di favorire quanto più si potesse gli agnati; il trasporto però per questo favore non fu in tutti eguale, e perciò i diritti dei quali aveva Giustiniano colmate le donne, e i discendenti, sebbene universalmente attaccati, lesi, e dilacerati non lo furono però da per tutto egualmente. Ci ha riferito ancora, che senza entrare nelle gradazioni diverse di una tal lesione, sembra, che il grado quasi estremo di essa, che si accosta ad una vera strage, in quei statuti si trovi, dove il favor dell' agnazione fa tacere affatto le voci del sangue, della natura, della pietà, dell' equità, e della ragione; avverte quindi, che la inveterata opinione generale, e dominante, che i padri insieme colla trasmissione del nome, lo che solo è certo, trasmettano ancora ai secoli avvenire per il mezzo de' soli maschi la loro sostanza, e che continuino dopo anche la morte a quasi vivere in essi soli, lusingando la tendenza, ed il desiderio dell' immortalità ingenito nell' uomo, può meritare di essere rispettata, ed i diritti delle femmine, che vogliono considerarsi come il termine delle famiglie, donde sono uscite, e buoni soltanto a dare incominciamento ad una nuova linea femminina nella famiglia a loro estranea, nella quale entrano, potrebbero altresì essere sacrificati ad una tale opinione, ma questo rispetto, o sacrifizio, che deesi alla opinione, ed alla conservazione del nome non dovrebbe certamente far del tutto obliare i riguardi, che richiama sempre il sangue, e la natura, le voci della quale come sante, e salutari altresì all' ordine politico, meritano di essere ascoltate; onde se s' incontrano dei statuti, che per soverchio favore dell' agnazione, danno in quell' estremo di dimenticare quasi affatto le voci del sangue, e non curarsi della tranquillità delle famiglie, presentandosi l' occasione opportuna di riformarli col secondare i desiderj di un intera comune, che ne sospira la riforma, e del cui interesse solamente si tratta, sembra che degni siano questi voti di essere benignamente esauditi. Tale è, come prosiegue a riferirci lo stesso reverendissimo cardinal arcivescovo, la condizione presente dello statuto di Civitanova intorno alle successioni principalmente intestate, essendo esse uno di quei, che per troppo favorire gli agnati han messo in dimenticanza i naturali dettami; per lo che i nuovi magistrati a nome di tutta la comune ardentemente richiedono di potere almeno per qualche grado riaccostarvisi senza molto toglier per altro ai riguardi, che finora sonosi avuti per l' agnazione. Analizzando poi egli la statutaria disposizione in quella parte, che si vuole abolita, ci ha rimarcato, che lo statuto non contento di coartare sotto la rubrica 28. le ultime volontà dei testatori, annullando le disposizioni medesime testamentarie, se l' erede istituito non è dell' agnazione, e aggiudicando la eredità all' agnato a preferenza di qualunque altro istituito, passa a prescrivere, che nella eredità intestata di un' agnato uomo, o donna che sia, vengano preferiti gli agnati maschi, e loro discendenti ad esclusione delle figlie femmine, quali contentar si debbano della sola dote, e quante volte non fossero già dotate, non possano conseguire, che la sesta parte della eredità a titolo di legittima da dividersi per egual porzione tra tutti quei, che possono aver diritto alla legittima, o gli alimenti da tassarsi, nè possano essere reintegrati alla successione se non dopo mancata la discendenza mascolina agnatizia. Più strettamente poi alla rubrica 37., come ci è stato già dagli oratori rappresentato, si dispone delle eredità intestate in pregiudizio delle femmine; mentre si stabilisce, che le figlie, e tutte le altre donne ascendenti, e discendenti, trasversali sì di linea mascolina, che femminina restino escluse non solo dai fratelli maschi, lo che sarebbe soffribile, ma ancora dagli ascendenti, e trasversali maschi

Digitized by Google

fino al terzo grado, riservando loro la sola dote, o la successione alla madre nella legittima, quando non siano già da essa dotate, e che superstiti non lasci dei figli maschi, che se questi vi siano, della legittima conseguir non debbano, che la sola metà, e finalmente si dispone, che della eredità di un figlio, o figlia intestata, la madre, nonna paterna, sopravvivendo, debbano ciascuna avere la metà della legittima.

Reformationes ab eodem archiepiscopo propositae.

§. 6. Passa poi esso reverendissimo cardinal arcivescovo a ragionare sulla riforma, e nuova rubrica, come sopra proposta per farne la surrogazione, e riferisce, che tutte le mire degli attuali consiglieri, e della comune di Civitanova altro non sono, che di togliere la soverchia odiosità, che presentano le disposizioni dell' antico statuto, lasciando intatte le prerogative discrete, o almeno soffribili, delle quali ha finora goduta l'agnazione essendo ad essi grave il vedere, che le figlie femmine di un padre, il quale o per ignoranza dello statuto, lo che facilmente si avvera nella moltitudine, o perchè non abbia prima di morire provveduto col testamento al loro interesse, restino affatto prive delle paterne sostanze, e debbano vederle passare nelle mani di lontani congiunti, i quali nemmen pensavano a conseguire quei beni, che punto non cooperarono al loro acquisto, e che dalle leggi medesime son tenuti in conto di estranei. Gli esempj; soggiunge egli, di tali figlie, che rimangono desolate, e che costrette sono a chiedere dei soccorsi per carità da quei remoti congiunti, che del patrimonio del loro padre divenuti sono possessori, hanno scosso colla loro frequenza la sensibilità di quella popolazione, che implora in oggi il rimedio opportuno a tali sconcerti, avuto anche riguardo alla tranquillità delle famiglie. E qualora si objettasse contro la grazia, che s' implora, che il nostro tribunale della rota tutte le volte, che ha dovuto spiegare il suo sentimento in riguardo a tali statuti esclusivi delle figlie femmine nelle successioni intestate, ha inclinato in quella opinione, che li dichiara favorevoli, e non odiosi nel concorso ancora delle medesime con i maschi agnati di linea trasversale, e più remoti di grado, ci ha fatto esso reverendissimo cardinale arcivescovo riflettere, primo, che quando il detto tribunale ha dichiarato favorevoli tali statuti, ha aggiunto, che almeno non sono odiosi *odio irrationabili* in favore dell' agnazione, secondo, che questa dichiarazione di favorevoli, e non odiosi, non è, se non che in rapporto ai diversi effetti, che un tal riguardo produr potrebbe nelle decisioni degl' interessi delle private famiglie, supponendo già emanate, e vigenti le statutarie disposizioni, e lasciando sempre intatta l' altra questione, se sia poi più degna del favore del principe una disposizione conforme al gius comune, quando o debba assolutamente crearsi di nuovo, o anche quando sia correttoria di una disposizione non conforme al detto diritto già fatta; terzo, che i statuti più uniformi al diritto comune, ed alla voce del sangue non siano almeno molto più favorevoli dei suddetti statuti esclusivi; quarto, che la rota medesima ha voluto, che tali statuti, come contrarj al gius comune, ricevessero ad esempio delle materie odiose la più stretta interpretazione, e non si potessero nemmen per poco estendere *etiam ex identitate rationis, neque de casu ad casum, neque de persona ad personam*; quinto, che intorno al dirsi favorevoli, o odiosi tali statuti, gran dibattimenti, dispute, e questioni vi sono state, e vi sono tuttavia tra i giurisprudenti, non mancando di quei, che li tacciano d' ingiusti, d' iniqui, d' inumani, quando al contrario unanime è di tutti i dottori, e tribunali la voce, che le disposizioni per le successioni, che sono conformi al diritto comune, sono per se medesime più favorevoli, e che niente hanno d' ingiusto, d' iniquo, d' inumano secondo la natura; sesto, che il più gran fondamento della rota nel dichiarar favorevoli quei statuti, che favoriscono l' agnazione in pregiudizio delle femmine si è, perchè essi vanno a seconda dell' opinione comune degli uomini, e che sono da essi posti in pratica frequentemente, dal che ne segue, che quando cominciano a sembrare nocivi a questi uomini medesimi, che li hanno stabiliti, secondar si deve questa nuova opinione; settimo, che è cosa estranea l' entrare nell' esame di tutti i rapporti o fisici, o economici, o politici, sotto i quali possono riguardarsi tali statuti per dichiararli o no, degni di favore. Le dispute potendo essere interminabili, duopo è fermarsi in questo punto fisso, che nello stato Ecclesiastico attuale politico, il gius comune è quello di Giustiniano, e perciò, qualunque disposizio-

ne, che vi si conforma, è più d' accordo coll' ordine politico, e deve perciò aversi per la più degna di favore; ottavo, che al detto rapporto legale si unisce il morale, giacchè le voci del sangue, molto più si accordano colle disposizioni inclusive delle femmine, che colle esclusive; nono, finalmente, che le disposizioni più conformi alla natura son quelle, che deggiono riputarsi anche le più utili, e vantaggiose per la economia, e per la politica. A tutti questi riflessi crede il prefato reverendissimo cardinale arcivescovo doverne aggiungere degli altri, e sono cioè, primo, che il desiderio del cangiamento, e la supplica sul medesimo proviene da quegl' istessi, che ebbero già l' autorità di statuire, e che quasi da se medesimi stabilirono a se stessi la legge; secondo, che lo statuto, di cui ora s' implora la riforma ebbe bisogno dal principio per la sua validità di una grazia del principe, che l' approvasse, perchè in dissonanza col diritto commune; terzo, che in conseguenza la grazia, che ora si domanda, altro non è, che quella di una deroga ad una grazia antica; quarto, che l' antico statuto non ottenne dal principe, se non se un' approvazione, o conferma, che si chiama in forma comune, e non già specifica, per cui sembra più facile il derogarvi. Ed in vista di tuttociò, pare a detto reverendissimo cardinal arcivescovo, che la surrogazione della nuova rubrica, come più coerente al gius comune, ai dettami della natura, ed ai voti della popolazione, debba aver luogo coll' abolizione delle vecchie rubriche, in quanto sono contrarie alle disposizioni della nuova.

Tenor decretae reformationis in posterum servandae.

§. 7. Noi dunque intesa avendo la prenarrata informazione, e voto, e volendo in vista delle cose di sopra esposteci usare verso dei ricorrenti gli atti della Nostra paterna clemenza, siamo benignamente condiscesi ad accordar loro la richiesta grazia, come in appresso. Avendo pertanto nel presente Nostro chirografo per espresso, e di parola in parola inserto, e registrato l' intero tenore dello statuto locale di Civitanova, e specialmente dei capitoli, o siano rubriche, che si vogliono abolite, o riformate, cioè *della rubrica 28. del libro* 2. sotto il titolo *de testamentis, successionibus ab intestato, et de muliere dotata*, e della *rubrica* 37. o sia ultima *del libro* 5. sotto il titolo *de successionibus ab intestato* semplicemente, e così di quell' apostolico sovrano indulto, da cui è stato lo statuto medesimo con tutti i suoi capitoli, e rubriche generalmente approvato, come anche il tenore delle accennate risoluzioni consiliari della comune di Civitanova, ove a replicati generali ricorsi di quella popolazione, si è stabilito d' implorare l' abolizione delle suddette rubriche, e la surrogazione dell' altra, il di cui tenore viene come sopra letteralmente trascritto, di ogni altra cosa quanto si voglia necessaria ad esprimersi; esimendo, e preservando primieramente Noi colla pienezza della Nostra suprema potestà qualunque dei supplicanti, e consenzienti da ogni qualsivoglia pena, nella quale per il ricorso fattoci per impetrare, ed ottenere la presente grazia, e per avere alla medesima respettivamente acconsentito, o per essersene serviti, e fatto in sequela verun' atto in qualsivoglia modo alla volontà dei statuenti, e delle passate sovrane disposizioni, da chicchessia persona, ancorchè privilegiata, e privilegiatissima, ecclesiastica, e luogo pio, e di special nota degna, si pretendesse di esser' eglino incorsi, o che potessero incorrere in futuro, per quanto però si esprime nel presente Nostro chirografo, sua esecuzione, e total' effettuazione della presente grazia, e non altrimenti; di Nostra certa scienza, e similmente colla pienezza della Nostra suprema potestà vi ordiniamo di dichiarare in nome Nostro, conforme Noi dichiariamo essere Nostra volontà, che dallo statuto di Civitanova siano, e debbano intendersi, dalla pubblicazione del Nostro presente indulto, assolutamente cassati, tolti, ed aboliti li suddetti capitoli, e rubriche, cioè la vigesima ottava del libro secondo, e la trigesima settima, o sia l' ultima del libro quinto, ed in luogo delle medesime venga surrogato il capitolo, o sia nuova rubrica dagli oratori proposta nel generale consiglio di detta comune di Civitanova celebrato li 10. marzo corrente anno 1804., e dal consiglio medesimo accettata nei sovra espressi termini, come è stata nel presente chirografo trascritta, ove in sostanza per la successione intestata dei discendenti si stabilisce, che fintantochè vi sono figli maschi, o nipoti, o pronipoti, o altri qualunque siano discendenti maschi, ed agnati, debbano succedere in tutta la eredità del padre, o madre, o altro ascenden-

te qualunque, escluse le femmine per modo di regola, le quali, se non siano state dotate, debbano avere la sola legittima in luogo di dote; mancando però i detti discendenti maschi, in favore de' quali sono soltanto escluse le femmine, non debbano già venire altri agnati maschi trasversali, o ascendenti, ma le femmine già escluse, e i loro figli, e discendenti siano reintegrati alla intiera successione. Per quella poi dei collaterali, o trasversali nelle eredità similmente intestate si stabilisce un'ordine somigliante, in maniera che le femmine restino da tale successione escluse, quante volte esistono de' maschi in pari grado congiunti col defonto, o i loro figli, nipoti, pronipoti, o altri discendenti maschi; ma questi non esistendo del suddetto grado, vengano alle dette eredità chiamate le femmine; e finalmente rapporto all' intestate successioni degli ascendenti si dispose, che morendo i figli senza prole le loro eredità debbano appartenere a chi vi è chiamato per disposizione del diritto comune, aggiungendosi unicamente, che se l' ascendente così chiamato passi alle seconde nozze, non possa conseguire nei beni dei figli, che la sola legittima, dovendosi il rimanente dell' eredità attribuire ai più prossimi congiunti, secondo però la prerogativa del sesso di già spiegata nelle successioni collaterali, qual nuova rubrica in surrogazione delle suddette due, che vengono cassate, ed abolite vogliamo, ed espressamente comandiamo, che con tutte le altre parti del medesimo statuto non contrarie alla presente Nostra ordinazione debba pienamente osservarsi, eseguirsi, ed adempirsi in ogni futuro tempo. Così volendo, ed ordinando noi, senza che possa fare il minimo ostacolo la volontà espressa degli antichi statuenti, nè qualunque sovrana sanzione approbatoria del medesimo statuto, cui nella parte, e parti, che soltanto fossero contrarie al Nostro presente indulto, come a qualunque altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario per il suddetto effetto unicamente intendiamo di derogare. In esecuzione pertanto del presente Nostro chirografo ne pronuncierete qualunque decreto, concederete in nome Nostro le opportune facoltà, e farete tutt' altro, che per totale adempimento, perpetua fermezza, e sussistenza di questa Nostra grazia, stimerete essere in qualsivoglia modo spediente, e necessario: essendo così mente, e volontà Nostra espressa.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 8. Volendo, e decretando, che al presente Nostro chirografo, quantunque non esibito, nè registrato in camera, e ne' suoi libri non possa mai darsi, nè opporsi di orrezione, o sorrezione, nè di alcun altro vizio, o difetto della Nostra volontà, ed intenzione, nè che mai sotto tali, o altri qualunque pretesti possa essere impugnato, moderato, o rivocato, e che così, e non altrimenti debba sempre giudicarsi, definirsi, ed interpretarsi da qualsivoglia giudice, e tribunale benchè collegiale, congregazioni anche de' reverendissimi cardinali, camerlengo di Santa Chiesa, vescovi, e governatori pro tempore della Nostra città di Fermo, di Civitanova, e di tutta la Nostra provincia della Marca, tesoriere, ruota, camera, e qualunque altro; togliendo loro ogni facoltà, e giurisdizione di giudicare, definire, ed interpretare in contrario; dichiarando Noi sin d' adesso preventivamente nullo, irrito, ed invalido tutto ciò, che da ciascuno di essi con qualsivoglia autorità scientemente, o ignorantemente fosse in qualunque tempo giudicato, o si tentasse giudicare contro la forma, e disposizione del presente Nostro chirografo, quale vogliamo che valga, e debba aver sempre il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore colla semplice Nostra sottoscrizione, benchè non vi siano state particolarmente intese, o citate qualsisiano persone ancorchè privilegiate, e privilegiatissime, ecclesiastiche, e luoghi pii, che vi avessero, o pretendessero avervi alcun' interesse, e che per comprenderle, facesse bisogno di speciale, ed individua menzione.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non ostante la volontà di chi ha anticamente formato lo statuto particolare di Civitanova, e li detti due capitoli, o rubriche, che vengono ora, come sopra, cassate ed abolite, e qualunque sovrana legge, e sanzione approbatoria del medesimo statuto, nella parte, e parti, che soltanto fossero contrarie al Nostro presente indulto; come pure non ostanti la bolla di Pio IV. di sa. mem. Nostro predecessore *de registrandis*, la regola della Nostra cancellaria *de jure quaesito non tollendo*, ed altre qualisisiano costituzioni, ed ordinazioni apostoliche Nostre, e de' Nostri predecessori, leggi, statuti, riforme, usi, stili, consuetudini; e qualunque altra cosa, che facesse o potesse

fare in contrario, alle quali tutte, e singole avendone il tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto, e registrato, e supplendo Noi colla pienezza della Nostra potestà pontificia ad ogni vizio, e difetto quantunque sostanziale, e formale, che vi potesse intervenire, per questa sola volta, e per la piena, e totale esecuzione di quanto si contiene nel presente Nostro chirografo ampiamente, ed espressamente deroghiamo. Dato dal Nostro palazzo apostolico al Quirinale questo dì 29. luglio 1804.

Pius PP. VII.

Executio. §. 10. Volentes itaque injuncta Nobis ab eodem ss. domino Nostro papa debitae executioni demandare: utendo facultatibus Nobis in ipso chirographo tributis, praefati ss. domini Nostri papae nomine approbamus resolutionem captam in consilio generali dictae communitatis habito *sub die decima martii proxime praeteriti* super reformatione statuti localis quoad *successionem mulierum*, et ad tramites hujus resolutionis cassari, et deleri mandamus *utrumque capitulum*, seu *rubricam vigesimam octavam libri* 2., ac postremam, sive *trigesimam septimam libri* 5. dicti statuti, eisque subrogari *novam rubricam in dicto generali consilio propositam, ac generaliter acceptam* juxta illius tenorem in pontificio chirographo expressum, eamque novam rubricam cum omnibus aliis statuti partibus huic indulto non contrariis perpetuo servari, et exequi volumus, quo supra nomine, ac mandamus. Cum praeservationibus, eximitionibus, et aliis in dicto chirographo fusius expressis, et juxta illius formam, seriem, ac tenorem. Non obstantibus eodem statuto, ac suprema quacumque sanctione illius approbatoria, in parte, et partibus tantum huic indulto contrariis, constitutionibus apostolicis, legibus, statutis, et aliis, quibus idem ss. dominus noster papa in suo praeinserto chirographo amplissime, atque expresse derogavit. Datum Romae ex aedibus nostrae residentiae in via Cursus hac die trigesima prima julii millesimo octingentesimo quarto.

A. Lacchini auditor.

Loco ✠ sigilli.

Ita est Franciscus Ruggieri caus. cur. cam. apostolicae ac r. p. d. auditoris sanctissimi notarius.

Loco ✠ signi.

CCCVIII.

Dat. die 30. julii 1804. Anno V.

Restitutio Societatis Jesu in regno utriusque Siciliae.

Dilecto filio Gabrieli Gruber presbytero, superiori, ac praesidi generali congregationis Societatis Jesu in imperio Rossiaco.

Pius PP. VII.

Dilecte fili salutem, et apostolicam benedictionem.

Memoratur restitutio ejusdem congregationis facta in Rossiaco imperio. §. 1. Per alias Nostras in forma brevis datas literas die VII. martii MDCCCI. petente serenissimo Paulo I., tunc totius Rossiae imperatore, justisque de causis animum Nostrum moventibus, praevia ad infrascriptum tantum effectum derogatione similium in forma brevis literarum Clementis XIV. praedecessoris Nostri incipien. — *Dominus, ac Redemptor* — super suppressione, ac extinctione regularis ordinis Societatis Jesu datarum die XXI. julii anni MDCCLXXIII., presbyteris secularibus in imperio Rossiaco degentibus, qui novae congregationi Societatis Jesu adscribi vellent, facultatem dedimus in unum corpus sese uniendi, adunandi, et conjungendi, sacramenta de consensu ordinariorum administrandi, juventutem bonis moribus, ac liberalibus disciplinis imbuendi, et sub regimine tunc in humanis degentis Francisci Kareu superioris, ac praesidis generalis hujusmodi congregationis, a Nobis ad Nostrum, et Sedis apostolicae beneplacitum deputati, intra fines dumtaxat imperii Rossiaci vivendi juxta regulam s. Ignatii a fel. rec. Paulo III. praedecessore Nostro suis constitutionibus confirmatam, et approbatam, prout in iisdem literis latius continetur.

Preces porrectae a rege Siciliarum pro obtinenda pari restitutione in ejus regno. §. 2. Nuper vero carissimus in Christo filius noster Ferdinandus, utriusque Siciliae, et Hierusalem rex illustris, exponi Nobis fecit, videri sibi, maxime in praesentium temporum circumstantiis, profuturum ad regni sui juventutem bonis moribus informandam, ac rectis salutaribusque doctrinis instruendam, si quemadmodum in Rossiae imperio, ita in suis dominiis constitueretur eadem congregatio Societatis Jesu, sub ipsa regula sancti Ignatii a praefato Paulo III. pontifice confirmata, inter cujus praecipua munia sodalibus eidem adscri-

Digitized by Google

ptis incumbentia, illud recensetur, adolescentes, aut in collegiis altos, aut in publicis gymnasiis congregatos instruendi, ac erudiendi.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur dicti Ferdinandi regis vota suorum subditorum spiritualem, ac temporalem utilitatem praeseferentia, ac majorem Dei gloriam, et animarum Christi fidelium salutem in primis respicientia, pro pastoralis Nostri officii debito, benigno animo excipientes, ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praefatas Nostras apostolicas in forma brevis literas pro imperio Rossiaco datas, ad regnum utriusque Siciliae extendimus, ideoque facultatem tibi concedimus, et impertimur; ut sive per te, sive per dilectum filium Cajetanum Angelini antedictae congregationis procuratorem generalem, omnes, et singulos, qui in utriusque Siciliae regno congregationi hujusmodi, quae Petropoli, ac imperio Rossiaco auctoritate Nostra per supradictas in forma brevis literas constituta existit nomen dare velint, eidem congregationi unire, ac conjungere intra fines regni utriusque Siciliae libere, ac licite possis, et valeas. Hos autem in una, seu pluribus domibus congregatos, ac sub tua, et pro tempore existentis praepositi generalis juxta primigeniam s. Ignatii regulam a Paulo pp. III. praedecessore Nostro suis apostolicis constitutionibus confirmatam obedientia viventes, ut pariter intra fines utriusque Siciliae ad puerorum institutionem in catholica religione, ac bonis moribus, et disciplinis incumbere, collegia, et seminaria regere, itemque christifidelium confessiones excipere, verbum Dei annuntiare, et sacramenta administrare respectivis locorum ordinariis adprobantibus, et consentientibus, libere, et licite similiter posse decernimus, et declaramus, eosdemque, ac domus, collegia, et seminaria, sic ut praefertur erigenda, congregationi Societatis Jesu in Rossiaco imperio constitutae unimus, atque adgregamus, et sub Nostra, et Sedis apostolicae immediata subjectione, et protectione recipimus.

Reservationes speciales.

§. 4. Reservantes Nobis, et successoribus Nostris Romanis pontificibus ea decernere, ac praescribere, quae ad societatem ipsam firmandam, et communiendam in Domino noverimus expedire, quemadmodum etiam in praememoratis Nostris literis die VII. martii MDCCCI., quas hic pro expressis haberi volumus, Nobis, et successoribus Nostris reservavimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes has Nostras praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces fore, et esse, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere debere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus quibuscumque ordinationibus, et constitutionibus apostolicis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, et indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, ac illis praesertim Clementis XIV. incipien. — *Dominus, ac Redemptor* — sub annulo piscatoris expeditis die XXI. julii MDCCLXXIII., in iis dumtaxat, quae praesentibus Nostris contraria sunt. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenore praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, et de verbo ad verbum inserto habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum tantum specialiter, et expresse derogamus, caeterisque in contrarium quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesima julii millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

CCCIX.

Dat. die 30. julii 1804. Anno V.

Erectio duorum collegiorum alterum in Hispalensi, et alterum, in Pacensi respective civitatibus.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Quo charissimum in Christo filium Nostrum Carolum Hispaniarum regem catholi-

cum, ut in orthodoxae fidei praeceptis imbuatur juventus magis diligentem ac sollicitum esse videmus, eo majori studio a Nobis curari decet, ut media non desint ad populos, quos ipse Carolus rex sibi subditos habet, in catholica religione, ac bonis artibus opportune instruendos.

Expositio precum.

§ 2. Cum itaque sicut idem catholicus rex per dilectum filium equitem Antonium de Vargas y Laguna, ejus apud Nos et apostolicam Sedem plenipotentiarium administrum exponi Nobis fecit retroactis temporibus fundata existerent quatuor in civitate Salamantina collegia majora nuncupata sub sancti Bartholomaei, et archiepiscopi, atque Ovetensis, et Conchensis respectivis denominationibus, ac alterum collegium majus sub titulo sanctae Crucis in civitate Vallisoletana, quibus et ultimodicti bibliotecae fructus, redditus, et proventus, videlicet unius, et alterius villae del Prorencio, ac alterius sancti Martini de Cuenca, alterius di Beleta, ac alterius de Pojatos, ac alterius de Fuenteesensa, ac aliorum in sancti Salvatoris, sanctae Mariae, et sancti Nicolai villae di Requena respective parochialibus cum eorum tribus adnexis di Caudete, Caizes, de Mira, Camporobles, omnes in dioecesi Conchensi, nec non alterius di Palacios Rubios, et novem reliqui beneficii sancti Bartholomaei respective nuncupat., perpetuorum simplicium et personalem residentiam non requirentium beneficiorum ecclesiasticorum in dioecesi Salamantina, ejusque territorio, parochialibus, seu aliis etiam respective ecclesiis terrarum, seu locorum praedictorum, supradicto sancti Bartholomaei, aliorum vero, vulgo Prestami, sancti Mathaei di Xerez, alterius de Castilblanco, alterius di Almaden, et Alanis in Hispalensi dioecesi; ac aliorum vulgo Prestamere de Lillo et Villatobas alterius di Munera, ac aliorum cum portione Prestaminum di Pinto, Parla, Alcorcon, Alcorendas, et sancti Sebastiani, quae in civitate Matriti administrantur in Toletana dioecesi, ac alterius de Aldeanueva, ac aliorum vulgo Prestami del Manzano, et del Lugar de Xecinos in dioecesi Salamantina, respective etiam perpetuorum simplicium et personalem residentiam pariter non requirentium beneficiorum ecclesiasticorum respective nuncupatis etiam parochialibus, seu aliis pariter respective ecclesiis supradictarum terrarum, seu locorum, itemque duorum novenniorum decimarum villae del Torrico in territorio de Propesa in Abulensi similiter respective dioecesi, antedicto. Archiepiscopi illorum autem di Moron Lebrixa, Sanlucar de Berrameda, y Villalva in dioecesi Hispalensi, et della Bellez y Beleuna respective etiam perpetuorum simplicium, dictamque residentiam similiter non requirentium beneficiorum ecclesiasticorum in Salamantina dioecesi; nec non vulgo Prestami di Loèches, et Ornachuelos in dioecesi Cordubensi similiter parochialibus seu aliis respective ecclesiis, terrarum, sive locorum supradictorum supradicto Ovetensi: ac alterius in villa sancti Clementis, et vulgo Prestamera della Roda, nec non media in sanctissimae Trinitatis, sanctae Mariae, et sancti Jacobi villae de Alcaron respective parochialibus ecclesiis dioecesis Conchensis, quae in praefata villa sancti Clementis administrantur, quartodicto Conchensi. Demum aliorum sanctae Mariae Magdalenae, de dos Hermanos; sancti Blasii de Carmona, s. Philippi etiam de Carmona, et vulgo la Campana, ac sanctae Mariae de Ecisa, sanctae Mariae de Arcos, sanctae Mariae, et sancti Petri, sancti Lucae La Mayor, et Xerena cum suis adnexis, nec non vulgo Prestamere di Azuualcazar, sancti Benedicti del Alamo Moquer y Palos Gibralcon; cum annexis, Villenovae del Rio, cappellae beatae de Marchena, et vulgo los dos Cortisos de Carpia, y Parcuna, omnes in Hispalensi dioecesi, ac aliorum di Yuncos, Olias, sanctae Mariae de Alcaraz y Torres, et vulgo Prestamo Campi Regalis, ac unius in Torre Laguna, alterius in Colmenar Vieso, et reliquum in Fuente Laencina omnes in dioecesi Toletana; nec non aliorum sancti Andreae, sanctae Crucis, sancti Michaelis vulgo di Molina, Torrubia, Culas, Corduente, Torremochuela, Pradilla, Terzaga, Terzaguilla, Pinilla Paralesos, Las Cuebas de Ayllon, Turmel, Baruelos, Valdelaqua, Picaro, Pnusaresos, Moranchel, el Sotillo, Barrio Pidro, Ontanares, el Villar Penarrubia, Mambrive y el Peral, omnes in dioecesi Seguntina, ac alterius de Gallegos, et duorum illi annexorum Eipesa et Sexusivo in Civitatensi dioecesi, ac reliqui similiter respective perpetuorum simplicium beneficiorum ecclesiasticorum, dictamque residentiam non requirentium de Villa Bolannos in Legionensis pro-

vinciae Compostellana dioecesi, parochialibus pariter, seu aliis respectivis ecclesiis terrarum, seu locorum supradictorum, qui omnes ultimo dicto sub titulo sanctae Crucis Vallisoletanae una cum bibliotheca praedicta respective collegiis ut praefertur, olim existentibus antea applicati respective reperiebantur, ne ob collegiorum hujusmodi deficientiam aliquod in posterum juventus patiatur detrimentum, ipse Carolus rex animo sibi proposuit duo nobilium adolescentium seminaria, unum in Hispalensi, ac alterum in Pacensi respective civitatibus ad formam seminarii nobilium Matriti existentis de novo erigere atque instituere, ad hoc ut ab ineunte aetate, nobiles juvenes in amplissimis Hispaniarum regnis orti, catholicae religionis praeceptis imbui, ac literarum studiis vacare, virtutibusque dare operam possint, atque hac ratione in pietate, ac scientiis prima aetate transacta non solum ad sua propria recte gerenda, sed etiam ad rerum omnium bonam administrationem aptissimi evadant, ac privatis, publicisque officiis operam dando, non parum valeant familiis et statui afferre utilitatis. In id vero apprime conduceret si fructus, redditus, et proventus omnium et singulorum supradictorum beneficiorum ecclesiasticorum praefatis duobus seminariis noviter erigendis, ut infra, assignarentur, atque applicarentur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ab universae domus Dei specula longe lateque prospicientes, quantum catholicae Ecclesiae utilitatem, atque ornamentum afferant, sacrarum, bonarumque artium studia, per quae depulsa ignorantiae caligine hominum mentes luce veritatis illustrantur, ejusdem Caroli regis votis libenter consulere volentes, omnium et singulorum beneficiorum ecclesiasticorum, ut supra jam distincte expressorum fructus, redditus, et proventus in quacumque re consistentes, et undecumque provenientes duobus nobilium seminariis praedictis, noviter, ut praefertur, erigendis, modo tamen et forma a Nobis infrascripto praesentium Nostrarum literarum exequutori inferius designatis ex nunc, et in posterum perpetuis futuris temporibus applicamus et assignamus: ita ut liceat futuris et pro tempore existentibus eorumdem seminariorum noviter erigendorum rectoribus, sive administratoribus, aut eorum procuratoribus fructus, redditus, et proventus praedictos, ac jura, obventiones, et universa emolumenta ex beneficiis eisdem provenientia, percipere, exigere, levare, ac supportatis, si qui sint, illorum respectivis oneribus in eorumdem collegiorum commodum, et utilitatem convertere libere, et licite possint, et valeant. Dilectum propterea filium Nostrum Ludovicum Sanctae Romanae Ecclesiae presbyterum cardinalem De Bourbon nuncupatum archiepiscopum Toletanum, et archiepiscopalis ecclesiae Hispalensis administratorem in praesentium literarum Nostrarum exequutorem eligimus, eique committimus, et mandamus, ut collatis cum laudato Carolo rege consiliis, omnes et singulos antedictorum beneficiorum ecclesiasticorum fructus, redditus, et proventus inter duo enunciata nobilium seminaria, in Hispalensi, et Pacensi civitatibus erigenda ita dividat, et unicuique ex eisdem seminariis applicet, atque assignet, prout magis ad ipsorum congruam manutentionem expediens futurum judicaverit, ad quem effectum eidem omnes et singulas tribuimus facultates.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 4. Praesentes autem Nostras literas nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, seu quopiam alio defectu notari, impugnari, invalidari, seu alias quomodolibet infringi, retardari, suspendi, limitari, restringi, ad viam, et terminos juris reduci, seu adversus illas restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut justitiae remedium impetrari nullatenus umquam posse, sed eas semper, et perpetuo validas, et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos, ac praedictae Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, et quosvis alios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et potestate, judicari, et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus de jure quaesito non tollendo, aliisque Nostris, et cancellariae apostolicae regulis, ac quatenus opus sit Lateranensis concilii novissime celebrati, dismembrationes perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque etiam

in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non omnium, et singularum supradictarum ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis, indultis, et literis apostolicis quibusvis personis in genere vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis; quibus omnibus et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas, et causas quantumvis privilegiata praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime, et plenissime ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus, ac sufficienter derogatum esse, et censeri etiam decernimus, contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 6. Earumdem denique praesentium exemplis sive transumptis manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, in praedicti Caroli regis dominiis, ac ubique eadem prorsus fides habeatur, tam in judicio, quam extra illud, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae appropriationis, commissionis, applicationis, incorporationis, derogationis, statuti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo quarto, tertio kalendas augusti, pontificatus Nostri anno quinto.

CCCX.

Dat. die 5. aug. 1804. Anno V.

Altare privilegiatum personale pro capitulo et canonicis s. Bartholomaei Beneventanae civitatis cum facultate benedicendi paramenta ecclesiastica.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Joseph Capobianco, aliique canonici collegiatae ecclesiae sancti Bartholomaei apostoli civitatis Nostrae Beneventanae, quod ipsi tam missas sibi suisque successoribus incumbentes, quam alias ex devotione celebrandas coelestium munerum, quorum dispensatione fidei Nostrae credidit Altissimus, elargitione a Nobis condecorari summopere desiderant, ac etiam licentiam benedicendi sacras dictae ecclesiae supellectiles eorum aliquibus per Nos concedi. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsorum exponentium votis, hac in re, quantum cum Domino possumus annuere volentes, atque eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut quandocumque moderni et pro tempore in perpetuum existentes dignitates, et canonici ecclesiae collegiatae praedictae sacrosanctum missae sacrificium quater in hebdomada ad quodcumque altare celebrabunt, missae sacrificium hujusmodi animae, seu animabus, pro qua, seu quibus celebratum fuerit, perinde suffragetur, ac si ad altare privilegiatum fuisset celebratum auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus. Canonicis vero ejusdem ecclesiae prioribus, majoribusque aedituis canonicis tam nunc, et pro tempore pariter existentibus, ut ipsi vestes sacerdotales, aliaque ornamenta, et paramenta ecclesiastica ad divinum cultum necessaria, in quibus sacra unctio non adhibetur, et in commodum memoratae ecclesiae dumtaxat benedicere libere, et licite possint et valeant, auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, ac constitutionibus, et ordinationi-

bus apostolicis, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die tertia augusti millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 7. aug. 1804. Anno V.

CCCXI.

Ut loco mozzetae cottam supra rocchetum deferre valeant in perpetuum pro archipresbytero, et canonicis collegiatae terrae Roncilionis Sutrinae dioecesis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Quantum splendoris, et venerationis vel ipsa sacra indumenta oculis, animisque Christifidelium ingerere valeant, optime tenens Apostolica Mater Ecclesia non modo varias pro varietate festorum, et solemnitatum sacerdotibus suis praescripsit vestes in sacris faciendis, sed etiam in templis magis conspicuis, ubi major est populi christiani frequentia, sacris ministris ibidem Altissimo famulantibus saepe particularia, atque ad eorum dignitatem exprimendam aptissima insignia deferenda concessit.

Expositio precum. §. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici insignis (ut asseritur) collegiatae ecclesiae sub titulo sancti Petri principis apostolorum, et sanctae Alexandrinae virginis et martyris terrae Nostrae Roncilionis Sutrinae dioecesis, collegiata ipsa, in qua archipresbyter dignitas, et canonici viginti existunt, templi nitore, sacrarum supellectilium copia, sacerdotum probitate, et doctrina, populique frequentia, ac devotione non mediocriter floreat, multum honorificentiae, et splendoris ad eam accederet, ac divinus cultus, fideliumque devotio majora ibi susciperet incrementa si ejusdem collegiatae dignitas archipresbyter, et canonici novis insigniis, novisque decorationibus donentur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes; supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuo existentibus, archipresbytero et canonicis collegiatae praedictae Roncilionis, ut ipsi loco mozzetae, quam adhuc supra rocchetum per totum anni curriculum deferre consueverunt, deinceps cottam supra ipsum rocchetum aestivo tempore dumtaxat tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque uti libere et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque archipresbyterum, et canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae collegiatae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima augusti millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto. Derogatio contrariorum.

Dat. die 7. aug. 1804. Anno V.

CCCXII.

Confirmatio rescripti congregationis Rituum pro civitate, et dioecesi Granatensi.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Cum sicut venerabilis frater modernus archiepiscopus Granatensis Nobis nuper exponi fecit, ipse pro eo, quo in ss. Trinitatem, Christum Dominum pro Nobis passum, ac Deiparae dolores afficitur devotionis affectu, eorum cultum, et devotionem in dies augeri summopere desideret; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Expositio precum.

§. 2. Nos igitur dictum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, Tenor concessionis.

et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, audito dilecto filio magistro Julio de Carpineo sacrorum Rituum congregationis secretario, ritum sequentium festorum, scilicet ss. Trinitatis ad dupl. primae classis cum octava, sacratissimi Cordis Jesu ad dupl. secundae classis sine octava, ac demum septem dolorum Beatae Mariae Virginis in feria sexta hebdomadae passionis ad dupl. primae classis sine octava pro civitate, et dioecesi Granatensi dumtaxat, auctoritate apostolica tenore praesentium elevamus.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non civitatis et dioecesis hujusmodi consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima augusti millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 11 aug. 1804. Anno V.

CCCXIII.

Erectio cathedralis ecclesiae Cassoviensis in comitatu Abaujvariensi.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.
Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. In universa gregis Dominici cura ab ipso animarum pastore Christo Domino licet immerito constituti, illud ex debito apostolicae servitutis animadvertere satagimus, ne ubi multiplex ovium numerus in diversis, ac inter se dissitis pabulantium ditionibus adest, unus tantum pastor invigilet, qui licet eis in pascendis maxima praestet experientia, vox tamen illius ob agrorum distantiam haud facile potest audiri. Ob id quandoque gregem ipsum dividendo studemus, ut illius una et altera pars in eo, in quo pabulantur, agro proprium habeat pastorem, cui fontium et herbarum qualitas ac ferarum lustra innotescant. Et cum idipsum nonnullos quoque christianos reges circa praesules ecclesiarum quarum regimen nimis esse dignoscitur extensum Nobiscum una sentire, et jam propterea providisse noverimus, maxima quidem cordis Nostri laetitia, quae a dictis regibus provide ad hunc effectum disposita sunt apostolicae Sedis patrocinio benigne fovere, et exequi curamus, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

§. 2. Cum itaque sicut dilectus filius comes de Khewenhüller charissimi in Christo filii Nostri Francisci secundi Romanorum regis in imperatorem electi, ac Bohemiae et Hungariae regis apostolici apud Nos et Sedem apostolicam administer plenipotentiarius, nomine ejusdem Francisci imperatoris et regis exposuit in regni Hungariae comitatibus atque districtibus longe lateque diffusa, ac nimia populorum copia redundans Agriensis dioecesis reperiatur, quae sub unius episcopi pastorali regimine haud gubernari posse dignoscitur; ideoque praedictus Franciscus imperator et rex pro facilius exequenda spirituali administratione cum magno fidelium utriusque ritus catholicorum commodo, maxime in votis habens novam per binos desideratissimos gloriosae memoriae reges in praedicto Hungariae regno praedecessores suos jam coeptam, et expeditam parochialium ecclesiarum coordinationem, ecclesia episcopali Agriensi ad praesens vacante, occasione illius vacationis hujusmodi ad felicem exitum perducere operae pretium esse duxerit, ut libera ac regia civitas Cassoviensis in comitatu Abaujvariensi sub dominio ejusdem Francisci imperatoris et regis existens, a praedicta ecclesia atque dioecesi Agriensi perpetuo dismembretur, ac dividatur, ibique parochialis ecclesia sanctae Elisabethae filiae Andreae eo nomine secundi dum viveret Hungariae hujusmodi regis existens in Expositio precum porrectarum ab Romanorum imperatore.

novam cathedralem ecclesiam cum sua dioecesi erigatur, et ad hujusmodi effectum praedictus comes de Khewenüller nomine supradicto Nobis enixe supplicaverit, ut hanc piam et laudabilem praedicti Francisci imperatoris, et regis dispositionem apostolicae Sedis gratia, et favore prosequi dignaremur.

Processus ad rem conditus a nuntio apostolico.

§. 3. Cumque ex processu a dilecto etiam filio Nostro, et dictae Sedis apostolicae nuntio in civitate Viennensi in Austria commorante in vim facultatis ei per decretum diei decimae mensis martii prolapsi a Nobis approbatum desuper auditis omnibus interesse habentibus confecto, et ab eodem nuncio ad urbem transmisso de necessitate simul et utilitate erectionis hujusmodi aeque, ac caeteroquin de praedictae Agriensis et metropolitanae Strigoniensis respective ecclesiarum, quae ad praesens respective vacant modernorum respective capitulorum, et canonicorum approbatione, et consensu constiterit, simulque accepimus, quod stante hujusmodi necessitate, si praedicta civitas Cassoviensis una cum praedicto, aliisque infrascriptis comitatibus atque districtibus parochialibus ecclesiis, cappellaniis, atque cooperaturis ab ecclesia et dioecesi Agriensi praedictis perpetuo, ut infra dismembraretur, divideretur, et separaretur, et in praedicta civitate Cassoviensi, praevia illius in civitatem episcopalem decoratione una sedes episcopalis institueretur, ac primo tamen parochialis ecclesia, quae satis ampla et elegantis existit structurae, praevia tamen infrascripta illius tituli collativi suppressione, et extinctione in episcopalem et cathedralem ecclesiam etiam perpetuo, ut infra, erigeretur aliaque infrascripta per Nos et Sedem apostolicam praedictam etiam ut infra fierent, et ordinarentur ex hoc quidem optimo animarum regimini, et spiritualis gubernii exercitio peropportune consuleretur.

Suppressio tituli parochialis ecclesiae in metropolitanam erigendae.

§. 4. Nos igitur, qui jam hodie nova limitum circumscriptione Agriensi dioecesi praedictae juxta ipsius Francisci imperatoris et regis insinuationem, et successivam praedicti nuntii relationem Nobis desuper respective factas salubriter in Domino ordinatas eamdem ecclesiam Agriensem, ut praefertur, vacantem ex archiepiscopi Strigoniensi metropolitico jure usque tunc subjectam ab ejusdem archiepiscopi Strigoniensis metropolitana jurisdictione et superioritate apostolica auctoritate perpetuo eximimus et liberavimus, ipsamque ecclesiam Agriensem in archiepiscopalem et metropolitanam ecclesiam dicta apostolica auctoritate, etiam perpetuo erexinus, et instituimus, prout in aliis literis apostolicis desuper expeditis plenius continetur, omnibus mature perpensis, ejusdem Francisci imperatoris et regis suorum praedecessorum pietatis et religionis exempla mirabiliter sectantis votis et precibus etiam hac in parte favorabiliter annuere, et una simul illorum populorum animarum salutis indemnitati prospicere volentes, motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine praedictam parochialem ecclesiam, illi usque titulum collativum, nomen, denominationem, naturam, et essentiam parochialis ecclesiae collativae, ita quod illa ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativa esse desinat, et de caetero uti talis in titulum collativum quavis auctoritate conferri, aut impetrari vel alias de illo quovis modo disponi amplius nequeant, et si illum deinceps ullo umquam tempore conferri aut impetrari, vel alias de illa quovis modo disponi contigerit, collationes, provisiones, impetrationes, aliaeque dispositiones de illa pro tempore quomodolibet factae nullae, et invalidae, nulliusque roboris vel momenti existant, neminique suffragentur, nec cuiquam jus, vel coloratum titulum possidendi tribuant, apostolica auctoritate perpetuo supprimimus, et extinguimus.

§. 5. Ac praedictam civitatem Cassoviensem in civitatem episcopalem Cassoviensem nuncupandam cum omnibus juribus, honoribus, praerogativis, ac privilegiis, non tamen titulo oneroso acquisitis, quibus aliae civitates episcopali sede insignitae, praesertim in dicto regno Hungariae existentes, et earum cives fruuntur et gaudent; ac similiter praedictam parochialem ecclesiam, ut praefertur, suppressam, et extinctam in cathedralem ecclesiam Cassoviensem nuncupandam futuro ac pro tempore existenti archiepiscopo Agriensi suffraganeam, eique metropolitico jure subjectam sub eadem sanctae Elisabethae invocatione, quae etiam parochialis ut antea esse debeat, et in ea Sedem et dignitatem episcopalem pro uno deinceps episcopo Cassoviensi nuncupando, qui eidem ecclesiae Cassoviensi, illiusque civitati et dioecesi, ut infra assi-

Erectio civitatis Cassoviensis in episcopalem.

gnandae praesit, synodum convocet, ac omnia et singula jura, officia, et munera episcopalia habeat, et exerceat cum suis capitulo, mensa episcopali, caeterisque cathedralibus, et pontificalibus insigniis, juribus, jurisdictionibus, praeeminentiis, praerogativis, privilegiis, honoribus, favoribus, gratiis, et indultis realibus, et personalibus, et mixtis quibus aliae in iisdem Hungariae et Bohemiae regnis existentes cathedrales ecclesiae, earumque praesules non tamen titulo oneroso, aut ex indulto vel privilegio particulari utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent. In dicta vero cathedrali ecclesia Cassoviensi, ut infra erigenda, unam praeposituram, quae post pontificalem major cum uno canonico praeposito, qui capituli caput existat, iisque gaudeat praeeminentiis, quae sibi de jure competere debent; ac unum lectoratum, qui secunda cum alio pariter canonicatu et alia praebenda pro uno canonico lectore; ac unum cantoratum qui tertia cum alio itidem canonicatu et alia praebenda pro uno canonico cantore; ac unam custodiam, qui quarta respective dignitates in dicta cathedrali ecclesia Cassoviensi, ut infra erigenda, etiam cum alio similiter canonicatu et alia praebenda eisdem dignitatibus respective invicem perpetuo unitis existentibus pro uno canonico custode respective nuncupando, ac reliquos duos canonicatus, totidemque praebendas pro duobus aliis futuris mere canonicis, nec non duas perpetuas cappellanias capitulares nuncupandas pro duobus pariter futuris in ea cappellanis capitularibus similiter nuncupandis, qui eidem ecclesiae Cassoviensi, ut infra erigendae, una cum clericis inservire teneantur. Qui quidem dignitates et canonici et cappellani capitulum dictae cathedralis ecclesiae Cassoviensis, ut infra erigendae, constituant cum suis pariter choro, mensa capitulari, arca, bursa, et sigillo communibus, quique in eadem cathedrali ecclesia Cassoviensi, ut in infra erigenda, chori servitium et divina officia, aliasque ecclesiasticas functiones laudabiliter persolvere teneantur, eadem apostolica auctoritate etiam perpetuo erigimus et instituimus, cum hoc tamen quod futurus episcopus Cassoviensis in dicta cathedralis ecclesia per Nos, ut praefertur, erecta theologalem et poenitentiariam praebendas ad praescriptum concilii Tridentini erigere debeat, et interim inter futuros in dicta cathedrali ecclesia Cassoviensi per Nos, ut praefertur erecta, prima instituendos canonicos eos pro nunc quos aetate, scientia, et pietate ad theologi ac poenitentiarii respective munera obeunda idoneos judicaverit destinare curet, quodque in eadem cathedrali ecclesia Cassoviensi per Nos ut praefertur, erecta, quae etiam parochialis ut antea esse debebit, ut praefertur, illius animarum dilectorum etiam filiorum parochianorum cura per unum parochum cum suis cooperatoribus, qui eidem parocho in exercitio curae animarum hujusmodi auxilium praestare debebunt exerceatur.

Constitutio novae dioecesis.

§. 6. Et insuper, ut praedictae cathedrali ecclesiae Cassoviensi per Nos, ut praefertur, erectae clerus et populus constitui valeat a praefata ecclesia Agriensi in archiepiscopalem, et metropolitanam ecclesiam pariter, ut praefertur, erectam praedictam civitatem Cassoviensem episcopalis civitatis titulo, ut praefertur, decoratam, et supradictum comitatum Abaujvariensem, et districtum Cassoviensem, et in eo supradictam Cassoviensem, ut praefertur, suppressam et extinctam, ac aliam Béla, ac aliam Enyitzke, et aliam Kenyhérz, ac aliam Mindszent, ac aliam Olòsuar, ac aliam Regete Ruszka, ac aliam Széplak, et reliquam Jokes respective possessionum seu terrarum respective parochiales ecclesias, ac unam Bareza, ac aliam Kapa-Ujfalù, ac aliam Leugyel Falva, et reliquam Miszloka respective nunciatas locales cappellanias, ac septem cooperaturas Cassovienses respective contentas. Ac itidem districtum Sepsiensem, et in eo unam Sepsi, et aliam Also Metzenzoff respective oppidorum, ac aliam Arany Selka, ac aliam Ruziera, ac aliam Kilya, ac aliam Saszo-Ujfalù, ac aliam Nagy Jela, ac aliam Perény ac Saztza, et reliquam Somodi respective possessionum, seu terrarum respective parochiales ecclesias, ac unam Osecs, et aliam Sauok, et aliam Opaka, et aliam Pany, et aliam Petris, et reliquam respective locales cappellanias Poly respective nunciatas, ac duas Sepsi, et alias duas Also Metzensoff, et reliquam respective cooperaturas Hilyo respective nunciatas, respective quoque contentas. Et similiter districtum Forroviensem, et in eo pariter unam oppidi Forro, ac aliam Also Novay, ac aliam Ents, ac aliam Felso Gagy, ac aliam Falso Va-

darz, ac aliam Herand Kerts, ac aliam Leh, ac aliam Szikszo, et reliquam Vaida respective possessionum seu terrarum respective parochiales ecclesias ac unam Deték, ac aliam Fai, ac aliam Inants, et reliquam locales cappellanias Nyesta respective nunciatas ac unam cooperaturam possessionis, sive terrae Forro respective etiam existentes. Ac ulterius districtum Gotziensem, et in eo pariter unam Aslo Misle, et aliam Bodoko-Varalya, ac aliam Fiszer, et aliam Gontz, ac aliam Nadasd, ac aliam Szanto, et reliquam Hezeze respective possessionum, seu terrarum respective parochiales ecclesias, ac itidem unam Gonoz Ruska, ac aliam Vizsody, et reliquas locales cappellanias Radvany respective nunciatas. Et similiter unam Hejeze, et alteram cooperaturas Gontz respective nunciatas, respective etiam existentes, ac ulterius comitatum Sazossiensem districtum Eperjessiensem, et in eo pariter unam civitatis Eperjess, ac aliam oppidi Nagy Saroc, ac aliam Basor, ac aliam Kapé, ac aliam Radats, ac aliam Sebes, ac aliam Szent György, ac aliam Szedlitze, ac aliam Jernye, ac reliquam Jolzetk respective possessionum, seu terrarum respective parochiales ecclesias, ac itidem unam Fenta, et alteram respective locales cappellanias Kende respective nunciatas, nec non etiam duas Eperjeso, ac alias duas Nagy-Sarost respective nunciatas cooperaturas respective quoque existentes. Et insuper districtum Sovariensem; et in eo pariter unam oppidi Sorar, ac aliam Boroszlo, ac aliam Boky, ac aliam Ketzer Peklm, ac aliam Nagy-Sadna, ac aliam Somos, ac aliam Sz-Istvanij, ac aliam Sz-Peter, et reliquam Tihany respective possessionum, seu terrarum respective parochiales ecclesias; ac unam itidem Harsag, ac aliam Kavetsany, ac aliam Lapis Patak, et reliquam locales cappellanias Voros-Vagas respective nunciatas. Ac etiam unam Sovar, et alteram cooperaturas Ketzèr-Peklm respective nunciatas, respective quoque existentes. Ac itidem districtum Cibinensem, et in eo pariter unam civitatis Cibinii, ac aliam Alsoszalokz ac aliam Berzevitze, ac aliam Darot, ac aliam Dobo, ac aliam Heibars, et aliam Krivany, ac aliam Lubatm, ac aliam Paloesa, et aliam Peth Ujfalù, ac aliam Plavnieza, ac aliam Roshovany, ac aliam Tarko, et reliquam Tareza respective possessionum, seu terrarum respective parochiales ecclesias; ac unam Hamburg, et alteram respective locales cappellanias Senviz respective nunciatas, ac unam pariter Cibiny, et alteram cooperaturas Pech Visalù respective quoque nunciatas respective consistentes. Nec non etiam districtum Sviokajensem, et in eo similiter unam Svioka, et aliam Trits, et aliam Hermany, et aliam Sernye, et aliam Lipatz, et aliam Nars-Atrdó, et aliam Sz-Kereszt, et aliam Sz-Mihaly, et aliam Szinie, et reliquam Berthoc respective possessionum, seu terrarum respective parochiales ecclesias, et unam quoque Zseb-Falu, et alteram locales cappellanias Szene-Ujfalù respective nunciatas, et unam cooperaturam Sviska nunciatam respective etiam consistentes. Ac districtum Bartphensem, et in eo similiter unam civitatis Bartpha, ac aliam Gabolto, ac aliam Lenarto, ac aliam Lofalva, ac aliam Raozlaviez, et aliam Richvald, et reliquam Osziko respective possessionum seu terrarum respective parochiales ecclesias. Ac unam pariter Felsö Valya, ac aliam Hertask, et reliquam respective locales cappellanias Sarpataka respective nunciatas, ac unam etiam cooperaturam Bartpha nunciatam respective quoque consistentes. Ac itidem districtum Zboroviensem, et in eo similiter unam Zboro, et aliam Hanus Falva respective oppidorum, et aliam Dublin, et aliam Haislm, et aliam Kaptoneza, et aliam Karatson-Mezo, ac aliam Kovrina, et reliquam Radoma respective possessionum, seu terrarum respective parochiales ecclesias, et unam pariter Hankocz, et aliam Hrabocz, et aliam Mesztiska, et aliam Nyirjeso, et reliquam Porfalva respective possessionum, seu terrarum respective locales cappellanias, et unam cooperaturam Zboro nunciatam respective etiam consistentes. Et insuper comitatum Zempliniensem, et districtum Ujhelyensem, et in eo similiter unam oppidi Ujhely, et aliam Barunes, et aliam Czeke, ac aliam Lauztocz, et aliam Impregh, et reliquam Nagy-Kazmer respective possessionum, seu terrarum respective etiam parochiales ecclesias, et unam localem cappellaniam Fraut Zanfalva, et duas cooperaturas Ujhely respective nunciatas respective quoque consistentes. Ac itidem districtum Sub-montanum, et in eo pariter unam Liszka, et alteram parochiales ecclesias Keresztnur respective oppidorum, et unam pariter Felsö Kortuelyes, ac aliam Pe-

tetse, ac aliam Mad, ac aliam Talya, ac aliam Darcyal, ac aliam Jokay respective nunciatas, ac aliam Erdo-Benye, Erdö Hervathy; ac aliam Girolts, ac aliam Hernad Némethy, et aliam Monok, et aliam Szerents, et reliquam Toltsva respective possessionum, seu terrarum respective locales cappellanias, et unam pariter Liszka, et aliam Mad, ac aliam Talya, ac aliam Tarczal, ac aliam Toltsva, et reliquam cooperaturas Tokay respective nunciatas etiam respective consistentes. Ac itidem districtum Hosmonensem, et in eo pariter unam oppidi Homana et aliam Cziroka Hosza Mezo, et aliam Gorögenye, ac aliam Leszkooz, ac etiam Lubisse, et aliam Nagy-Mihaly Ormego, ac aliam Papina, ac aliam Szena, ac aliam Sztara, et reliquam Udoa respective possessionum seu terrarum respective parochiales ecclesias. Ac unam quoque Felso-Uiortuelyes, et aliam Petetss, et aliam Izbunza Horza Mezo, et reliquam locales cappellanias Natafalva respective nunciatas. Ac itidem duas Homonne, et reliquam cooperaturas Lubisze respective nunciatas etiam respective consistentes. Nec non districtum Insulanum, et in eo pariter oppidi Saros Patak, ac aliam Datthyan, et aliam Hiraly Helmets, ac aliam Lebsz, ac aliam Nagy-Kevesd, aliam Nagy-Tarkany, ac aliam Rad, et reliquam Zeteny respective parochiales ecclesias, ac duas cooperaturas Patak respective nunciatas etiam respective consistentes. Ac districtum Galszetsiensem et in eo pariter unam Galszers, et aliam Butka respective oppidorum, ac aliam Nagy-Azar, et aliam Parno, et aliam Peleite, et aliam Szatsur, et aliam Szilvas Ujfalù, et aliam Toke Terebess, et reliquam Vasarhetoij respective possessionum, seu terrarum respective parochiales ecclesias, ac unam etiam Hegye, ac aliam Maoza, ac aliam Nagy Osebb, et reliquam locales cappellanias Vehers respective nunciatas. Ac unam cooperaturam Terebes quoque nuncupatam respective quoque consistentes. Ac demum districtum Sztropkoviensem, et in eo pariter unam Sztropko, et aliam Varannó respective oppidorum, ac aliam Dobra, ac aliam Sankotz, ac aliam Uortuehes, ac aliam Matuasosz, ac aliam Nagy Damaja, et aliam Magyaraska, et reliquam Jokert respective possessionum, seu terrarum respective parochiales ecclesias. Ac unam etiam Hrubo, et aliam Turany, et aliam Zsalobina, et aliam Turczoly, et reliquam locales cappellanias Nages-Hementze respective nunciatas, ac itidem una Varannó, et alteram cooperaturas Sztropka respective nunciatas etiam respective consistentes apostolica auctoritate praedicta etiam perpetua dismembramus, dividimus, et separamus.

Assignatio aliorum districtuum, et parochialium ecclesiarum.

§. 7. Nec non in iisdem comitatibus, districtibus, ac parochialibus ecclesiis sic, ut praefertur, dismembratis, divisis, et separatis respective etiam consistentes, et consistentia ecclesias, monasteria, praeposituras, conventus, et alia quaecumque, et qualiacumque saecularia, et quorumvis ordinum regularia beneficia ecclesiastica, omnesque pariter, et singulas utriusque sexus personas, habitatores, et incolas tam laicos, quam clericos presbyteros, beneficiatos, et religiosos, (non tamen exemptos) cujuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis existant ab ordinaria futuri, et pro tempore existentis archiepiscopi Agriensis respective jurisdictione, potestate, et superioritate illius consensui attento quod praedicta ecclesia Agriensis in metropolitanam, ut praefertur, erecta, ad praesens, ut praefertur, vacata, apostolica auctoritate praedicta supplendo, eadem apostolica auctoritate motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus itidem perpetuo eximimus et liberamus.

Subjectio decreta futuro novi pastoris.

§. 8. Nec non eamdem civitatem Cassoviensem, omnesque, et singulos superius expressos comitatus, districtus, parochiales ecclesias, oppida, possessiones locales, cappellanias, et cooperaturas hujusmodi sic, ut praefertur, dismembratos, divisos, et separatos, nec non ecclesias, monasteria, praeposituras conventus, ac saecularia, et regularia beneficia hujusmodi, omnesque et singulas personas, habitatores, et incolas etiam, ut praefertur, respective exemptos novae ecclesiae cathedrali Cassoviensi per Nos, ut praefertur, erectae, ejusque futuro praesuli pro suis civitate territorio, et dioecesi in qua ipse semper residere debebit, ac clero, et populo eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo concedimus, et assignamus; ac ordinariae futuri, ac pro tempore existentis episcopi Cassoviensis jurisdictioni, potestati, et superioritati itidem perpetuo supponimus et subjicimus.

Digitized by Google

Dotatio mensae episcopalis.

§. 9. Mensae autem episcopali Cassoviensi sic, ut praefertur, erectae pro ejus dote, et ad hoc ut futurus, et pro tempore existens episcopus Cassoviensis praesulis dignitatem decenter tueri valeat, omnes, et singulos redditus in bonis stabilibus consistentes, et ex decimis regiis provenientes annuatim usque ad summam viginti millium circiter florenorum monetae illarum partium eidem cathedrali ecclesiae Cassoviensi per Nos, ut praefertur, erectae a praedicto Francisco imperatore, et rege perpetuis temporibus jam assignatos dicta apostolica auctoritate perpetuo pariter tribuimus, atque assignamus.

Assignatio domus episcopalis.

§. 10. Ipsique futuro, ac pro tempore existenti episcopo Cassoviensi pro sui decenti habitatione domum congruam, ac sufficienter instructam munificentia praedicti Francisci imperatoris, et regis in praedicta civitate Cassoviensi haud longe ab ipsa cathedrali ecclesia Cassoviensi per Nos, ut praefertur, erecta distantem comparatam apostolica auctoritate praedicta perpetuo quoque addicimus, atque concedimus.

Dotatio mensae capitularis.

§. 11. Ac praeterea ut dignitates, ac canonicatus, et praebendae, et cappellaniae per Nos, ut praefertur, erectae de congrua pariter dotatione provideantur, illosque, et illas pro tempore respective obtinentes onera eis respective incumbentia supportare valeant; unicuique videlicet ex dictis sex canonicatibus et praebendis, ut praefertur, erectis summam mille florenorum dictae monetae; unicuique vero ex dictis quatuor dignitatibus etiam, ut praefertur, erectis ultra dictam summam, praepositurae videlicet aliam quingentorum, ac lectoratui aliam trecentorum, et cantoratui aliam ducentorum, et custodiae denique praefatis alias respective summas jam in partibus constitutas centum florenorum monetae hujusmodi. Cuilibet vero ex dictis duabus cappellaniis pariter, ut praefertur, erectis annuam summam tercentorum florenorum ejusdem monetae etiam in partibus constitutam dicta apostolica auctoritate similiter perpetuo applicamus, constituimus, et assignamus.

Concessio privilegiorum.

§. 12. Et insuper eisdem futuris, et pro tempore existentibus praeposito, lectori, cantori, custodi, canonicis, et cappellanis dictae cathedralis ecclesiae Cassoviensis, per Nos, ut praefertur, erectae, ut ipsi, eorumque officiales, et ministri res, bona, et proprietates omnibus, et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praeeminentiis, praerogativis, antelationibus, concessionibus, indultis, favoribus, et gratiis tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus aliae in praedicto regno Hungariae existentes cathedrales ecclesiae, eorumque capitula, canonici, ac dignitates, et beneficia in eis obtinentes, ac ministri, et illorum bona, res, et proprietates de jure, usu, consuetudine, privilegio, non tamen ex indulto vel privilegio particulari fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum similiter, et pariformiter, et absque ulla prorsus differentia in omnibus et per omnia, ac si illa eis principaliter, et in specie concessa esset, dummodo tamen sint in usu et non revocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa, sacrisque canonibus, et concilii Tridentini decretis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis non repugnent uti, frui, potiri, et gaudere possint, et valeant apostolica auctoritate itidem perpetuo concedimus, et impertimur.

Jus condendi statuta capitulo concessum.

§. 13. Ac futuris dignitatibus, et canonicis praedictis, ut ipsi capitulariter congregati pro dictae cathedralis ecclesiae Cassoviensis, ut praefertur, erectae, illiusque dignitatum, et singulorum canonicorum, et cappellanorum mensae capitularis sacrarii, illarumque omnium rerum, et bonorum tam spiritualium, quam temporalium prospero, et felici regimine, gubernio, et directione, onerumque illis respective incumbentium supportatione, divinorum officiorum, processionum, funeralium, anniversariorum, et aliorum suffragiorum celebratione, distributionum quotidianarum, et aliorum emolumentorum quorumcumque exactione, perceptione, divisione, poenarum per absentes, et divinis officiis non interessentes, seu onera et munera eis, et eorum cuilibet incumbentia subire negligentes incurrendarum incursu, singulorum praesentiis, et absentiis notandis, caeremoniis, et ritibus in dicta cathedrali ecclesia Cassoviensi, ut praefertur, erecta, illiusque choro, capitulo, et processionibus, et aliis actibus praedictis servandis, officialibus, et ministris dictae cathedralis ecclesiae Cassoviensis per Nos, ut praefertur, erectae necessariis deputandis, et amovendis servitiis, et ministeriis per ipsos obeun-

dis, ac eis salariis, et stipendiis assignandis, et quibusvis aliis rebus in praemissis, et circa ea quomodolibet necessariis, et opportunis quaecumque statuta, ordinationes, capitula, et decreta licita tamen et honesta, sacrisque canonibus, et concilii Tridentini praedicti decretis, ac praedictis constitutionibus apostolicis minime contraria, ac per futurum episcopum Cassoviensem prius examinanda, approbanda edere, et edita, praevia approbatione praedicti futuri episcopi Cassoviensis declarari, et interpretari, et ad meliorem formam redigere, ac reformare, seu alia de novo, ex integro, ac, ut praefertur, eisdem sacris canonibus, et concilii Tridentini hujusmodi decretis, et constitutionibus apostolicis praedictis minime adversantia, ac, ut praefertur, examinanda, et approbanda, et ab eis ad quos pro tempore spectabit sub poenis in contravenientes statuendis observanda, et adimplenda condere, et postquam condita fuerint toties quoties pro alias rerum et temporum conditione, et qualitate, vel alias expediens videbitur illa in toto vel parte corrigere, alterare, immutare, et in melius reformare, aliaque etiam et integro de novo, de simili ejusdem futuri episcopi Cassoviensis approbatione condere libere et licite possint, et valeant, dummodo tamen correctio, alteratio, immutatio, reformatio, et de novo condenda statuta hujusmodi eisdem sacris canonibus, et constitutionibus apostolicis praedictis, et concilii Tridentini hujusmodi decretis contraria, ut praefertur, non sint eadem apostolica auctoritate licentiam, et facultatem concedimus, et impertimur.

Reservatio jurispatronatus favore imperatoris, ejusque successorum.

§. 14. Ipsique autem Francisco imperatori regi, ejusque successoribus jus nominandi, seu praesentandi infra tempus a jure praefixum Nobis, et Romano pontifici pro tempore existenti personam idoneam ad praedictam cathedralem ecclesiam Cassoviensem per Nos, ut praefertur, erectam, et a primaeva illius erectione hujusmodi vacante in episcopum per Nos, et Romanum pontificem pro tempore existentem praedictum praeficiendam tam hac prima vice, quam in futuris illius vacationibus quomodolibet, non tamen apud Sedem apostolicam contingentibus, eoque prorsus modo quo alii episcopi ecclesiarum in regno Hungariae praedicto existentium ad nominationem eamdem praefici consueverunt. Nec non aliud jus quoque nominandi, seu praesentandi coram ordinario loci ad dignitates, ac canonicatus, et praebendas, et cappellanias per Nos, ut praefertur, erectos, et erectas hujusmodi tam pariter hac prima vice a primaeva illorum et illarum erectione, et institutione hujusmodi vacantes, quam etiam deinceps quovis modo vacaturos, et vacaturas personas itidem idoneas apostolica auctoritate praedicta similiter perpetuo reservamus, concedimus, et assignamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 15. Decernentes praesentes Nostras literas apostolicas semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus, et singulis ad quos nunc spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere, ac nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, et legitima etiam ex eo, quod causae propter quas eaedem praesentes emanarunt adductae, verificatae, et justificatae non fuerint de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, vel quopiam alio quantumvis magno, et substantiali, substantialissimo, et inexcogitato, ac specialem et individuam mentionem, et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in praemissis, eorumque aliquo solemnitates, et quaevis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite de jure, vel facto, seu statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimae, totalisque laesionis aut quocumque alio colore, praetextu, aliaque ratione, vel causa etiam quantumvis justa, rationabili, juridica, pia, privilegiata, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda forent, aut quod de voluntate Nostra, et aliis superius expositis nullibi appareret, seu alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, in jus, vel controversiam vocari, aut ad viam et terminos juris reduci, aut aliud quodcumque juris vel facti, aut gratiae vel justitiae remedium impetrari, seu etiam motu simili concesso, et impetrato quempiam uti, seu se juvari in judicio, et extra illud posse, neque easdem praesentes sub quibusvis similium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, per quascumque literas,

et constitutiones apostolicas, aut camerae apostolicae regulas quandocumque etiam in crastinum assumptionis Nostrae, et successorum Nostrorum Romanorum pontificum ad summi apostolatus apicem etiam motu, et scientia similibus etiam consistorialibus ex quibuslibet causis, et sub quibuscumque verborum expressionibus, et cum quibusvis causis, et decretis etiamsi in eis de eisdem praesentibus, earumque tenore specialis mentio fiat editas, et in posterum edendas comprehendi, vel confundi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas fore, et esse; sicque, et non alias per quoscumque judices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, et quosvis alios quavis facultate, potestate, praerogativa, et privilegio fungentes, ac honore, et praeeminentia fulgentes sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, irritum quoque, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 16. Non obstante quatenus opus sit Nostra, et cancellariae praedictae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis, vel edendis specialibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, ac formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie etiam motu, et scientia similibus pro tempore concessis, et concedendis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, illorumque omnium, et singulorum tenores ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum validissimum effectum latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide hac vice dumtaxat harum quoque serie motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Deputatio executoris apostolici.

§. 17. Per praesentes autem praedictum Nostrum et Sedis apostolicae nuncium in dicta civitate Viennensi in Austria commorantem in executorem earumdem praesentium Nostrarum literarum apostolicarum quoad illarum executionem tantum constituimus, et deputamus; eidemque nuncio facultatem, ut ipse quamcumque personam in dignitate ecclesiastica constitutam in executione praedicta subdelegare libere et licite valeat. Et tam ipsi quam personae ab eo subdelegandae hujusmodi facultatem quoque, ut ipsi et eorum quilibet super quacumque oppositione in actu executionis hujusmodi adversus praemissa, quomodolibet oritura, servatis tamen quae fuerint de jure servanda etiam definitive pronunciare libere et licite possint, et possit apostolica auctoritate praedicta concedimus atque impertimur.

Praeceptum de inscribendis fructibus in libris camerae apostolicae.

§. 18. Volumus autem quod praedicta cathedralis ecclesia Cassoviensis per Nos, ut praefertur, erecta juxta redditus illius mensae episcopalis, ut praefertur, assignatos ex gratia tamen speciali ad mille florenos auri de more taxari, et hujusmodi taxa in libris camerae apostolicae describi debeat.

Sanctio poenalis.

§. 19. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis, extinctionis, erectionis, institutionis, dismembrationis, divisionis, separationis, exemptionis, liberationis, concessionis, assignationis, suppositionis, subjectionis, applicationis, assignationis, concessionis, indulti prioris, et posterioris licentiae, et facultatis impertitionis, reservationis, assignationis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum

Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo quarto, quinto idus augusti, pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 11. aug. 1804. Anno V.

CCCXIV.

Erectio sedis episcopalis Szathmariensis.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Quum in supremo apostolatus officio cui divina dispositione praesidemus, atque in commissa simul humeris Nostris a Christo Domino pastorum animarum principe universa gregis Dominici cura, plane Nobis exploratum sit, quantum in hoc laboris est impendendum, et quantum etiam invigilandum ne vineae Domini ullo unquam tempore sors illa sit obventura de qua Christus Dominus ait — Messis quidem multa, operarii autem pauci; rogate ergo dominum messis, ut operarios mittat in messem suam —. Ad explendas idcirco ministerii Nostri partes persaepe oculos Nostrae mentis levamus in circuitu agri Dominici, inspicientes quid avellendum, quid extirpandum, aut destruendum, et aedificandum Nobis sit. Quapropter si gregem aliquem multiplici ovium numero refertum in tot inter se dissitis regionibus contentum sub unius tantum pastoris regimine haud gubernari posse comperimus, illum interdum dividere, et novas in ipso agro Domini ecclesias plantare, novosque in eo animarum pastores instituere curamus, ut per novas hujusmodi plantationes illarum spirituale gubernium, ac novis ecclesiarum praesulibus propius inspectum accuratius valeat exerceri. Porro super hoc laetamur quam maxime, et gaudio superabundamus curam quandoque intuentes christianorum principum regia potestate fulgentium, qui summa qua pollent sane admirabili pietate ac religione spirituali suorum subditorum animarum saluti laudabiliter dant operam, admoventque manum, eosque ad hoc apostolicae Sedis patrocinium expostulantes benigne recipere, ac fovere in eorum expostulationibus utpote ad commune fidelium spirituale bonum tendentibus satisfactos reddere Nostri muneris esse arbitramur.

§. 2. Cum itaque sicut dilectus filius comes de Khevveniller charissimi in Christo filii Nostri Francisci Secundi Romanorum regis in imperatorem electi ac Bohemiae et Hungariae regis apostolici apud Nos, et Sedem apostolicam administer, plenipotentiarius, nomine ejusdem Francisci imperatoris et regis exposuit, idem Franciscus imperator et rex circa statum ecclesiarum, in suis ditionibus existentium, suorumque respective subditorum spirituale animarum regimen, atque gubernium animum suum, mentemque convertens plane perspexerit, quod in peramplis atque diffusis Agriensis dioecesis limitibus, unus tantum episcopus sua pastoralia munera, ut par est, adimplere minime valet, ita ut multiplicatis inibi catholicam religionem profitentibus fidelibus spirituale pabulum quod cum pervigili animarum cura conjungi debet deesse noscatur. Cupiens idcirco novam jam per binos desideratissimos gloriosae memoriae reges in Hungariae regno praedecessores suos ejusdem Agriensis dioecesis conterminationem pro localium circumstantiarum opportunitate, prout maxime in rerum spiritualium utilitatem congruere conspiciebatur ad felicem exitum perducere, operae pretium esse existimaverit, ut nonnulli comitatus et districtus, a praedicta dioecesi Agriensi dividantur et separentur, ac in libera et regia civitate Szathmar Nemethiensi existens parochialis ecclesia Beatae Mariae Virginis in coelum Assumptae in episcopalem et cathedralem ecclesiam cum sua dioecesi erigatur propterea que praedictus comes de Khevveniller nomine praedicto Nobis enixe supplicavit, ut tam pia et commendabilia praedicti Francisci imperatoris et regis studia ad spiritualem animarum salutem tendentia apostolicae Sedis favore prosequi dignaremur. *Tenor precum porrectarum ab imperatore Romanorum.*

§. 3. Cumque ex processu a dilecto etiam filio Nostro, et Sedis apostolicae praedictae nuncio in civitate Viennensi in Austria commorante in vim facultatis ei per decretum diei x. mensis martii proxime praeteriti a Nobis approbatum tributae, desuper auditis omnibus interesse habentibus confecto, et ab eodem nuncio ad urbem transmisso de necessitate simul et utilitate erectionis hujusmodi aeque, ac caeteroquin tam de praedictae *Processus adhibitus super convenientia novae erectionis.*

Digitized by Google

Agriensis, quam de metropolitanae Strigoniensis respective ecclesiarum ad praesens respective vacantium, respective capitulorum et canonicorum approbatione, et consensu constiterit, simulque acceperimus, quod si a praedicta Agriensi dioecesi infrascripti comitatus atque districtus, et in eis respective existentes parochiales ecclesiae, oppida, possessiones locales, cappellaniae, et cooperaturae infrascriptae perpetuo dismembrarentur, dividerentur et separarentur; ac praedicta parochialis ecclesia, praevia infrascripta illius tituli collativi perpetua suppressione et extinctione in episcopalem et cathedralem ecclesiam per Nos etiam ut infra perpetuo erigeretur, aliaque infrascripta per Nos et Sedem apostolicam praedictam etiam ut infra fierent et ordinarentur, maxima quidem ex iis animabus illorum fidelium Christi sanguine redemptis, quarum curae et gubernio facilius novus pastor incumbere, et vigilare posset utilitas evenire.

Revocatio tituli collativi ecclesiae parochialis in cathedralem erigendae.

§. 4. Nos igitur qui jam hodie ad praemissorum effectum nova limitum circumscriptione Agriensi dioecesi juxta praedicti Francisci imperatoris et regis insinuationem, et successivam praedicti nuncii relationem Nobis desuper respective factas salubriter in Domino ordinatam praedictam Agriensem ecclesiam pro tempore existenti archiepiscopo Strigoniensi usque tunc suffraganeam, et metropolitico jure subjectam, illiusque futurum praesulem ab ejusdem pro tempore existentis archiepiscopi Strigoniensis metropolitana jurisdictione, et superioritate apostolica auctoritate perpetuo disjunximus, et exemimus, dictamque ecclesiam Agriensem in archiepiscopalem et metropolitanam eadem apostolica auctoritate itidem perpetuo ereximus atque instituimus prout in aliis Nostris literis desuper expeditis plenius continetur, omnibus mature perpensis, piis ejusdem Francisci imperatoris et regis votis et precibus etiam hac in parte favorabiliter annuere, et illorum populorum spirituali saluti prospicere volentes, motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine praedictam parochialem ecclesiam, illiusque titulum collativum, nomen denominationem, naturam, et essentiam parochialis ecclesiae collativae; ita ut illa ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativa esse desinat, et de caetero uti talis in titulum collativum quavis auctoritate conferri aut impetrari, aut alias de illo quovis modo disponi amplius nequeat, et si illam deinceps conferri, aut impetrari, vel alias de illo quovis modo disponi contigerit, collationes, provisiones, impetrationes, aliaeque dispositiones de illa pro tempore quomodolibet factae, nullae et invalidae, nulliusque roboris vel momenti existant, neminique suffragentur, nec cuiquam jus vel coloratum titulum possidendi tribuant apostolica auctoritate perpetuo supprimimus et extinguimus.

Erectio civitatis in episcopalem, et ecclesiae in cathedralem.

§. 5. Ac praefatam civitatem Szathmari Nemethiensem complexam in civitatem episcopalem cum suis juribus, honoribus, et praerogativis, quibus aliae in regno Hungariae praedicto civitates pontificali sede insignitae, et earum cives utuntur et gaudent; et similiter praedictam parochialem ecclesiam sic suppressam et extinctam in episcopalem et cathedralem ecclesiam futuro et pro tempore existenti archiepiscopo Agriensi suffraganeam eique metropolitico jure subjectam sub eadem Beatae Mariae Virginis in coelum Assumptae invocatione, et ut antea parochialem extituram in ea sedem et dignitatem episcopalem pro uno deinceps episcopo Szathmariensi nuncupando, qui eidem ecclesiae Szatmariensi, illiusque civitati et dioecesi et ut infra assignandae praesit, synodum convocet, ac omnia, et singula jura, officia, et munera habeat et exerceat cum suis capitulo, mensa episcopali caeterisque cathedralibus et pontificalibus insigniis, juribus, jurisdictionibus, praeeminentiis, praerogativis, privilegiis, honoribus, gratiis, favoribus, et indultis realibus, personalibus, et mixtis quibus aliae in praedicto regno Hungariae existentes cathedrales ecclesiae, earumque praesules non tamen titulo oneroso aut ex indulto particulari gaudent.

Erectio capituli cum suis dignitatibus.

§. 6. In dicta vero cathedrali ecclesia unam praepositituram quae inibi post pontificalem major cum uno canonicatu, et una praebenda pro uno canonico praeposito, qui capituli caput existat, iisque omnibus juribus, et praeeminentiis, quae sibi de jure competere possunt gaudere, debeat: ac unum lectoratum qui secunda cum alio etiam canonicatu et alia praebenda pro uno canonico lectore; ac unum cantoratum qui tertia cum alio itidem canonicatu et alia praebenda pro uno canonico cantore; ac unam custodiam quae

quarta respective dignitates in dicta ecclesia Szathmariensi in cathedralem ut infra erigendam existant, similiter cum alio canonicatu et alia praebenda eisdem dignitatibus invicem perpetuo unitis existentibus pro uno canonico custode, ac reliquos duos canonicatus, totidemque praebendas pro duobus aliis futuris mere canonicis dictae ecclesiae Szathmariensis in cathedralem ut infra erigendae, quorum alter archidiaconi, alter vero theologi respective munera explere teneantur. Nec non duas perpetuas sine cura personalem tamen residentiam requirentes cappellanias pro duobus etiam futuris in ea cappellanis, qui dignitates et canonici, ac cappellani praedicti capitulum praedictae ecclesiae Szathmariensis in cathedralem similiter erigendam, similiter cum choro, stallo, arca, bursa, et sigillo communibus aliisque signis et insigniis cathedralibus constituant, quique pariter apud ipsam ecclesiam Szathamariensem in cathedralem ut infra erigendam personaliter residere, ibique horas canonicas diurnas, et nocturnas, caeteraque divina officia solita et consueta cum debita mentis attentione, servataque ecclesiastica disciplina recitare, decantare, et psallere, ac alias eidem ecclesiae Szathmariensi in cathedralem ut infra erigendam laudabiliter deservire, et onera eis respective incumbentia adimplere debeant, et teneantur apostolica auctoritate praedicta perpetuo erigimus et instituimus, cum hoc tamen quod futurus episcopus Szathmariensis in dicta cathedrali per Nos ut praefertur, erecta poenitentiariam praebendam, atque in dicta civitate Szathmariensi seminarium puerorum ecclesiasticum ad praescriptum concilii Tridentini respective erigere debeat, illius conscientia desuper onerata remanente, quodque in dicta cathedrali ecclesia Szatmariensi per Nos, ut praefertur, erecta, quae etiam parochialis ut antea existet animarum dilectorum quoque filiorum parochianorum cura, quae ad praesens per unum parochum, eique adjunctum cooperatorem exercetur, deinceps per unum ex dictae cathedralis ecclesiae Szathmariensis per Nos, ut praefertur, erectae canonicis, praevio examine ad formam concilii Tridentini praedicti ad hoc idoneum repertum exercere similiter debeat.

Praefinitio novae dioecesis.

§. 7. Et insuper, ut praedictae episcopali ecclesiae Szathmariensi per Nos, ut praefertur, erectae dioecesis, ac clerus et populus constitui possint a praedicta ecclesia Agriensi in metropolitanam etiam, ut praefertur, erecta comitatum Szathmariensem praedictum ac districtum Szathmar Montanum, et in eis supradictam Szathmar-Nemethiensem, ut praefertur, suppressam et extinctam, et in cathedralem, ut praefertur, erectam, ac aliam Nagybania, et aliam Felso Banya respective civitatum, et aliam oppidi Szinyer Varallya, et aliam Dara, et aliam Ferneczelij, ac aliam Giarmath, ac aliam Jark, ac aliam Lapos-Banya, ac aliam Sarkos, ac aliam Zayta, et reliquam Giro-Tot Falu respective possessionum seu terrarum respective parochiales ecclesias. Ac unam Csenger, et alteram Misz Banya respective locales cappellanias, ac duas Felso Banya, ac aliam Nagy-Banya, et reliquam Szathmar Nemethi respective cooperaturas respective contentas. Ac itidem districtum Szathmar Nharolyi, et in eo unam Nagy Masteny, et aliam Erdod respective oppidorum, ac aliam Also-Homered, ac alium Barlafalva aliam Betthk, ac aliam Csanalos, ac aliam Feny, ac aliam Kaplony, ac aliam Meszo Perri ac aliam Nagz Karoly, ac aliam Sandorfalva, ac aliam Szanisrlò, ac aliam Jerebess, ac aliam Vallaj, et reliquam Vitka respective possessionum, seu terrarum respective etiam parochiales ecclesias, ac unam localem cappellaniam Papos nunciatam, ac unam Nagy-Mayteni, et alteram Sandorfalva respective cooperaturas respective existentes, et insuper comitatum Ugostsensem, et in eis unam oppidi Fisza Uilak, ac aliam Fantsika, ac aliam Kiroly Hasa, ac aliam Komkenyerd, ac aliam Novettenfalu, et reliquam Jur-Tarebess respective possessionum, seu terrarum respective etiam parochiales ecclesias, et unam cooperaturam Fisza-Uilak nunciatam respective etiam existentes. Ac similiter comitatum Ungvariensem, et districtum pariter Ungvariensem, et in eis pariter unam oppidi Ungvar, ac aliam Gsisser, ac aliam Dobo-Ruszka, ac aliam Domonya, ac aliam Kiss Rath, ac aliam Or, ac aliam Palotz, ac aliam Szenna, ac aliam Tyba, et reliquam Venna respective possessionum, seu terrarum respective etiam parochiales ecclesias, ac unam Jenke, ac aliam Nagy-Berezna, ac reliquam Nagy Talatska respective locales cappellanias, et unam cooperaturam Uvngar nunciatam respective quoque

existentes, ac itidem comitatum Bereghiensem et districtum etiam Bereghiensem, et in eis pariter unam Munkats, et aliam Beregszasz respective oppidorum, ac aliam Barthaza, et reliquam Mezo Kaszony respective possessionum, seu terrarum respective etiam parochiales ecclesias, et unam localem cappellaniam Schontum nunciatam, et unam cooperaturam Munkats etiam nunciatam respective quoque existentes. Ac demum comitatum Marmarosiensem et districtum etiam Marmarosiensem, et in eis itidem unam Szigeth, et aliam Huszt, ac aliam Testo, et aliam Visk respective oppidorum, ac aliam Boltsko, ac aliam Dombo, ac aliam Kobola Pojana, ac aliam Koros Mezo, ac aliam Mokra, ac aliam Sugatagh, et reliquam Rhonaszeh respective possessionum seu terrarum respective etiam parochiales ecclesias, ac unam Akna Rahò, et alteram Felso-Virso respective locales cappellanias, et unam demum cooperaturam Szigeth nunciatam respective etiam existentes apostolica auctoritate praedicta perpetuo dismembramus, dividimus, et separamus.

Idem ut supra.

§. 8. Ac in dictis comitatibus, districtibus, parochialibus ecclesiis, possessionibus localibus, cappellaniis, et cooperaturis sic, ut praefertur, dismembratis et separatis pariter consistentes et consistentia ecclesias, monasteria, praepositturas, conventus, et alia quaecumque, quotcumque, et qualiacumque saecularia, et quorumvis ordinum regularia beneficia ecclesiastica, omnesque pariter, et singulas utriusque sexus personas, habitatores, et incolas tam laicos quam ecclesiasticos, presbyteros, beneficiatos, et religiosos, non tamen exemptos cujuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis existant ab ordinaria futuri et pro tempore existentis archiepiscopi Agriensis jurisdictione, superioritate, et auctoritate illius consensui attento quod Agriensis ecclesia praedicta in metropolitanam, ut praefertur, erecta ad praesens, ut praefertur, vacantem dicta apostolica auctoritate supplendo eadem apostolica auctoritate itidem perpetuo eximimus et liberamus.

Subjectio locorum, et populorum jurisdictioni novi episcopi.

§. 9. Dictosque comitatus, et districtus, parochiales ecclesias, possessiones locales, cappellanias, et cooperaturas, ut praefertur, dismembratos, et dismembratas, nec non ecclesias, monasteria, praeposituras, conventus, ac saecularia et regularia beneficia hujusmodi, omnesque, et singulas personas habitatores, et incolas hujusmodi sic, ut praefertur, exemptos dictae cathedralis ecclesiae Szathmariensis per Nos, ut praefertur, erectae, illiusque futuro et pro tempore existenti episcopo pro suis civitate, et dioecesi in qua ipse semper residere debebit, ac clero, et populo apostolica auctoritate praedicta etiam perpetuo concedimus, et assignamus, ac ordinariae ejusdem futuri et pro tempore existentis episcopi Szathmariensis jurisdictioni, potestati, et auctoritati simili apostolica autoritate perpetuo quoque supponimus, et subjicimus.

Dotatio mensae episcopalis.

§. 10. Mensae autem episcopali Szathmariensi per Nos, ut praefertur, erectae pro illius dote, et ad hoc ut futurus, et pro tempore existens episcopus Szathmariensis praesulis dignitatem decenter tueri valeat, annuam summam viginti millium circiter florenorum monetae illarum partium ex quibusdam bonis hactenus ad episcopatum Agriensem spectantibus, atque ex decimis regiis provenientibus ab eodem Francisco imperatore, et rege perpetuis temporibus assignatam apostolica auctoritate praedicta similiter perpetuo tribuimus et assignamus.

Assignatio domus ab episcopo inhabitandae.

§. 11. Ipsique futuro, et pro tempore existenti episcopo Szathmariensi pro sui decenti habitatione domum ex munificentia et liberalitati praedicti Francisci imperatoris ac regis quamprimum in vicina dictae cathedralis ecclesiae Szathmariensis per Nos, ut praefertur, erectae juxta elaboratum planum extruendam ex nunc pro tunc postquam tamen illius fabrica fuerit expleta eadem apostolica auctoritate itidem perpetuo addicimus atque concedimus. Ac praeterea, ut dignitates, ac canonicatus, et praebendae, et cappellaniae praedictae per Nos, ut praefertur, erecti et erectae hujusmodi de congrua respectiva dotatione similiter provideantur, illosque et illas pro tempore respective obtinentes onera eis respective incumbentia supportare valeant, unicuique ex dictis sex canonicatibus et praebendis videlicet pro sui praebenda annuam summam millium, et quingentorum florenorum dictae monetae; unicuique vero ex dictis quatuor dignitatibus, ut praefertur, respective erectis ultra dictam summam praeposito videlicet aliam quingentorum, ac lectoratui aliam trecentorum, et cantoratui aliam du-

centorum, custodiae vero praedictis aliam respective summas, jam in partibus constitutas centum florenorum ejusdem monetae. Cuilibet autem ex dictis duabus cappellaniis etiam per Nos, ut praefertur, erectis summam trecentorum florenorum hujusmodi similiter in partibus jam constitutam dicta apostolica auctoritate etiam perpetuo applicamus, et assignamus.

Dotatio mensae capitularis.

§. 12. Et insuper futuris et pro tempore existentibus capitulo, et canonicis dictae cathedralis ecclesiae Szathmariensis per Nos, ut praefertur, erectae, ut ipsi, eorumque officiales, et ministri res, bona, et proprietates omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, antelationibus, praeeminentiis, praerogativis, concessionibus, indultis, favoribus, et gratiis tam spiritualibus quam temporalibus quibus aliae cathedrales ecclesiae in praedicto regno Hungariae existentes, earumque capitula, canonici, et dignitates, in eis obtinentes, et ministri, et illorum bona, res, et proprietates de jure, usu, consuetudine, vel privilegio, non tamen ex indulto vel privilegio particulari utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum similiter, et pariformiter et absque ulla prorsus differentia in omnibus et per omnia, ac si illa eis principaliter, ac in specie concessa essent, dummodo tamen sint in usu, et non revocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa, sacrisque canonibus, et concilii Tridentini decretis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis non repugnent, uti, frui, potiri, et gaudere possint et valeant apostolica auctoritate praedicta itidem perpetuo concedimus et impertimur.

Conceditur facultas constitutiones capitulares efformandi.

§. 13. Et similiter eisdem futuris capitulo dictae cathedralis ecclesiae Szathmariensis per Nos, ut praefertur, erectae, ut ipsi capitulariter congregati pro ejusdem cathedralis ecclesiae Szathmariensis per Nos, ut praefertur, erectae illiusque dignitatum, et canonicorum, mensae capitularis, sacrarii, illorumque omnium rerum, et bonorum tam spiritualium quam temporalium prospero ac felici regimine, gubernio, ac directione, onerumque illis pro tempore incumbentium supportatione, divinorum officiorum, processionum, funeralium, anniversariorum et aliorum suffragiorum celebratione, ac distributionum quotidianarum, et aliorum emolumentorum quorumcumque exactione, perceptione, repartitione, divisione, poenarum per absentes ac divinis officiis hujusmodi non interessentes, seu onera, et munera eis, et eorum cuilibet incumbentia subire negligentes incurrendarum incursu, praesentiis, et absentiis notandis, caeremoniis et ritibus in ecclesia, choro, capitulo, processionibus, et aliis actibus praedictis servandis, officialibus et ministris in dicta cathedrali ecclesia Szathmariensi per Nos, ut praefertur, erecta necessariis deputandis, et amovendis, servitiis et ministeriis per ipsos obeundis, ac eis salariis, et stipendiis praestandis et quibusvis aliis rebus in praemissis et circa ea quomodolibet necessariis, et opportunis, quaecumque statuta, ordinationes, et capitula, ac decreta licita tamen, et honesta, sacrisque canonibus, et concilii Tridentini praedicti decretis, dictisque constitutionibus apostolicis minime contraria, ac per futurum episcopum Szathmariensem prius examinanda et approbanda edere, et edita praevia approbatione ejusdem episcopi Szathmariensis declarari, et interpretari, et ad meliorem formam redigere, ac reformare, seu alia de novo, ex integro, ac ut praefertur, eisdem sacris canonibus et decretis concilii Tridentini hujusmodi, et constitutionibus apostolicis praedictis minime adversantia, ac, ut praefertur, examinanda et approbanda, et ab eis ad quos pro tempore spectabit sub poenis in contravenientes statuendis observanda condere, et postquam condita fuerint toties quoties pro rerum ac temporum conditione et qualitate, vel alias expediens videbitur illa in toto vel in parte corrigere, alterare, mutare, vel in melius reformare, aliaque etiam ex integro de novo de simili ejusdem episcopi Szathmariensis approbatione condere, libere et licite respective possint et valeant, dummodo tamen correctio, alteratio, immutatio, reformatio, et de novo condenda statuta hujusmodi sacris canonibus, et constitutionibus apostolicis, et concilii Tridentini hujusmodi decretis contraria, ut praefertur, non sint eadem apostolica auctoritate licentiam et facultatem concedimus et impertimur.

Reservatio juris patronatus favore imperatoris, ejusque successorum.

§. 14. Ac praedicto Francisco imperatori et regi, ejusque successoribus jus nominandi, seu praesentandi, infra tempus a jure praefixum coram Nobis et Romano pontifice pro

tempore existente personam idoneam ad praedictam episcopalem ecclesiam Szathmariensem per Nos, ut praefertur, erectam, et a primaeva illius erectione hujusmodi vacante in episcopum per Nos et Romanum pontificem pro tempore existentem praedictam praeficiendam, tam hac prima vice quam in futuris illius vacationibus quomodolibet, non tamen apud Sedem apostolicam praedictam contingentibus, eoque prorsus modo quo alii episcopi ecclesiarum in praedicto regno Hungariae existentes ad nominationem eamdem praefici consueverunt. Nec non aliud jus nominandi, seu praesentandi coram ordinario loci ad dignitates et canonicatus, et praebendas, et cappellanias per Nos, ut praefertur, respective erectos et erectas hujusmodi tam pariter hac prima vice a primaevis illorum et illarum erectione et institutione hujusmodi vacante, quam in singulis illorum et illarum futuris vacationibus personas itidem idoneas apostolica auctoritate praedicta etiam perpetuo reservamus concedimus et assignamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 15. Decernentes praesentes Nostras literas apostolicas semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus, et singulis ad quos nunc spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum firmiter et inviolabiliter observari debere, ac nullo umquam tempore ex quocumque capite vel qualibet causa quantumvis juridica et legitima, etiam ex eo quod causae propter quas praemissa emanarunt adductae, verificatae, et justificatae non fuerint de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, seu quopiam alio quantumvis magno, substantiali, substantialissimo, et inexcogitato, ac specialem et individuam mentionem, et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in praemissis, eorumque aliquo solemnitates, et quaevis alia servanda et adimplenda servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite de jure vel facto, seu statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam, enormis, enormissimae, totalisque laesionis, aut quocumque alio colore, praetextu, aliaque ratione vel causa etiam quantumvis justa, rationabili, legitima, pia, privilegiata, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, et aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, in jus, vel controversiam vocari, aut ad viam, et terminos juris reduci, aut aliud quodcumque juris vel facti, aut gratiae, vel justitiae remedium impetrari, seu etiam motu, et scientia similibus concesso, et impetrato quempiam uti, seu se juvari in judicio, et extra illud posse, neque easdem praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per quascumque literas et constitutiones apostolicas, aut cancellariae apostolicae regulas quandocumque etiam in crastinum assumptionis Nostrae, et successorum Nostrorum Romanorum pontificum ad summi apostolatus apicem etiam consistorialiter ex quibusvis causis, et sub quibuscumque verborum expressionibus, ac cum quibusvis clausulis et decretis etiam si in eis de iisdem praemissis, earumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat editas, et in posterum edendas comprehendi, vel confundi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas fore et esse, sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fulgentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, aliosque quoscumque quavis auctoritate, potestate, praerogativa, et privilegio fungentes, ac honore et praeeminentia fulgentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 16. Non obstante, quatenus opus sit, Nostra, et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet, etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, vel ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque indultis et ordinationibus apostolicis quibusvis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacio- Derogatio contrariorum.

Digitized by Google

ribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, aut aliis quomodolibet concessis; quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, illorumque omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, iisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes illis, alias in suo robore permansuris latissime, et plenissime, ac specialiter et expresse, nec non opportune, et valide ad praemissorum validissimum effectum, hac vice dumtaxat motu, scentia, et potestatis plenitudine paribus, harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Deputatio executoris apostolici.

§. 17. Per praesentes autem praedictum nuncium Nostrum in executorem praesentium Nostrarum literarum apostolicarum, quoad illarum executionem tantum constituimus, et deputamus, eidemque nuncio facultatem, ut ipse quamcumque personam in dignitate ecclesiastica constitutam, in hujusmodi executione subdelegare libere, et licite valeat, et tam ipsi quam personae ab eo subdelegandae, hujusmodi facultatem, quoque ut ipsi, et eorum quilibet, super quacumque oppositione in actu executionis hujusmodi adversus praemissa quomodolibet oritura, servatis tamen, quae fuerint de jure servanda, etiam definitive pronunciare, etiam libere, et licite possint, et respective possit apostolica auctoritate, praedicta concedimus, atque impertimur.

Praeceptum de inscribendis fructibus in libris camerae apostolicae.

§. 18. Volumus autem, quod praedicta ecclesia cathedralis Szathmariensis per Nos, ut praefertur, erecta juxta redditus praedictos illius mensae episcopalis, ut praefertur, assignatos, ex gratia tamen speciali ad mille florenos auri de more taxari, et hujusmodi taxa in libris camerae apostolicae describi debeat.

Sanctio poenalis.

§. 19. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam Nostrae suppressionis, exctintionis, erectionis, institutionis, dismembrationis, divisionis, separationis, exemptionis, liberationis, concessionis, assignationis, suppositionis, subjectionis, applicationis, concessionis, indulti, licentiae, et facultatis impertitionis, reservationis, concessionis, assignationis, decreti, derogationis, deputationis, alienationis, facultatis concessionis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud s. Mariam Majorem, anno incarnationis Dominicae, millesimo octingentesimo quarto, quinto idus augusti, pontificatus Nostri anno quinto.

CCCXV.

Dat. die 11 aug. 1804. Anno V.

Erectio sedis archiepiscopalis Agriensis.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Super universas terrarum orbis ecclesias eo disponente, qui cunctis imperat, et cui omnia obediunt, meritis licet imparibus constituti, agri Dominici more pervigilis pastoris inspecturi, quid ecclesiarum ipsarum praesertim cathedralium insignium statui, decori, et utilitati sit congruum. Quapropter divino illius fulti praesidio, qui cuncta ex sui benignitate, ad fidelis populi sui salutem disponit omnes quidem ad ea, quae ad dignitatem, et gradum ecclesiarum hujusmodi augendum pertinent officii Nostri partes libenter convertimus. Atque hoc tanto liberalius, promptiusque curandum censemus, quanto magis explorata christianorum principum regia potestate fulgentium pietas et devotio, et a Nobis expostulata, ac ipsarum civitatum celebritatem, illarumque civium, et populorum suorum simul inspectam qualitatem valde promereri in Domino judicamus.

Expositio precum porrectarum ab imperatore Romanorum.

§. 2. Cum itaque, sicut carissimus in Christo filius Noster Franciscus secundus Romanorum rex in imperatorem electus, ac Bohemiae, et Hungariae rex apostolicus Noster, alias exposuit idem Franciscus imperator, et rex ob nimium amplos, atque diffusos limites dioecesis Agriensis undecim quippe comitatus complectentis unum tantum episcopum sua pastoralia munia perficere sufficienter minime

posse agnovisset, ob id pro animarum subditorum suorum inibi degentium salutis incolumitate, meliorique illarum gubernio, et regimine in suis ditionibus excitando summopere exoptaret modo vacantis ecclesiae Agrensis, dioecesim hujusmodi in alias adhuc binas dioeceses, pro duabus noviter erigendis episcopalibus ecclesiis, per Nos dismembrari, eamque novis limitibus circumscribi episcopatum Agriensem, velut unum ex vetustissimis regni Hungariae episcopatibus dignitate etiam perpetui comitatus Hiversiensis, supremi comitis conspicuum, tum propter commodum partium Tibiscanarum in promovendis, et definiendis causis decisioni forum specialium obnoxiis deserviturum, tum etiam pro majori haereditarii regni Hungariae praedicti decore in archiepiscopalem, et metropolitanam sedem elevari. Ac eidem ecclesiae Agriensi in metropolitanam sic erigendae pro suis suffraganeis praeter novas binas ecclesias erigendas hujusmodi, alias adhuc duas vicinas Scepusiensem scilicet, ac Rosnaviensem ecclesias assignari. Nos tam pia studia dicti Francisci imperatoris, et regis obsecundare intendentes dilecto filio Nostro, et Sedis apostolicae nuntio in civitate Viennensi in Austria commoranti successive vigore decreti, sub die decima mensis martii currentis anni Domini millesimi octingentesimi quarti a Nobis approbati, ut ipse de causis dismembrationis, et erectionis hujusmodi, illarumque necessitate rite perpensis, juxta instructiones in praedicto decreto contentas, inde referret apostolica auctoritate commisimus. Novissime vero cum ex processu desuper confecto, et a praedicto nuncio ad urbem transmisso acceperimus, quod necessitate hujusmodi dismembrationis dioecesis Agriensis praedictae, reipsa existente, si dioecesi hujusmodi novus ambitus, et circumscriptio, ut infra definiretur; ipsa vero Agriensis ecclesia solidae, et elegantis structurae sub titulo, et invocatione sancti Joannis ante Portam Latinam pro tempore existenti archiepiscopo Strigoniensi metropolitano jure huc usque subjecta, quae praecipuum, quoad honorem, jura, et praerogativas sibi vindicat locum, et in qua capitulum duodecim canonicis, duodecim canonicatus, totidemque praebendas respective obtinentibus inter quos scilicet praepositus major nunciatus, qui praeposituram inibi post pontificalem majorem, nec non lector, qui lectoratum secundam, et cantor qui cantoratum tertiam, nec non custos, qui custodiam quartam, et alius praepositus, qui praeposituram beatae Mariae Virginis de Castro Agriensi nunciatam quintam, et archidiaconatus, qui archidiaconatum sextam inibi respective dignitates existentes una cum eorum respective canonicatibus, et praebendis ejusdem ecclesiae Agriensis dictis dignitatibus respective annexis obtinens enumerantur, compositum reperitur, praevia infrascripta ejusdem ecclesiae Agriensis, illiusque tituli, et cathedralitatis, et dignitatis episcopalis perpetua suppressione, et extinctione in archiepiscopalem, et metropolitanam ecclesiam erigeretur, aliaque infrascripta per Nos et Sedem apostolicam praedictam, et ut infra fierent, et ordinarentur, et maxima quidem infrascriptorum comitatuum, et districtuum eidem ecclesiae Agriensi, ut infra noviter assignandorum respective habitatoribus in specialibus utilitas proveniret, ac libera, et regia civitas Agriensis magis susciperet honoris incrementum.

§. 3. Nos igitur, qui jam hodie praemissis omnibus mature perpensis ipsius Francisci imperatoris et regis precibus Nobis ad id porrectis benigne annuendo unum Abaujvariensem, ac alium Sarossiensem, ac alium Szathmariensem, ac alium Zempliniensem, ac alium Ugoossiensem, et alium Ungrariensem, ac alium Bereghiensem, et reliquum Marmaroviensem respective comitatus una cum omnibus, et singulis illorum respective districtibus parochialibus ecclesiis, possessionibus localibus, cappellaniis, et cooperaturis ab Agriensi dioecesi praedicta, illiusque futuri et pro tempore existentis praesulis jurisdictione, et superioritate apostolica auctoritate perpetuo disjunximus et dismembravimus, ac unum s. Elisabethae civitatis Cassoviensis in praedicto comitatu Abaujvariensi existentem in Cassoviensem, et alteram respective parochiales ecclesias Beatae Mariae Virginis in coelum Assumptae civitatis Szatmar-Memethiensis in Szathamaniensem respective cathedrales ecclesias eadem apostolica auctoritate etiam perpetuo ereximus atque instituimus, ac praedictos scilicet Abaujvariensem et Sarossiensem, et Zempliniensem praefatae Cassoviensis, reliquos vero Szathmariensem, Ugoossiensem, Ungrariensem, Bereghiensem, et Marmaro- Dismembrationes factae pro erigenda nova dioecesi.

viensem respective comitatus hujusmodi sic, ut praefertur, sejunctos, et dismembratos una cum illorum respective districtibus, parochialibus ecclesiis localibus, cappellaniis, et cooperatoris praedictis dictae Szathmariensis respective cathedralibus ecclesiis, ut praefertur, erectis, earumque respective futuris, et pro tempore existentibus praesulibus pro eorum respective territoriis, civitatibus, et dioecesibus eadem apostolica auctoritate etiam perpetuo adjunximus, ac subjecimus, ac alias prout in diversis aliis Nostris literis desuper expeditis plenius respective continetur. Ut tandem ejusdem Francisci imperatoris, et regis vota in praemissis omnibus absolvantur, ejus precibus, etiam hac in parte Nobis delatis clementer annuere, illorumque Christifidelium spirituali bono ac saluti prospicere volentes.

Idem ut supra.

§. 4. Motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine in primis tam praefatam ecclesiam Agriensem, ut infra supprimendam, quam alias Scepusiensem, et Rosnaviensem respective cathedrales ecclesias praedictas eidem archiepiscopo Strigoniensi metropolitico jure, et respective subjectas, illorumque respective capitula a metropolitana ejusdem futuri, et pro tempore existentis archiepiscopi Strigoniensis jurisdictione, superioritate, et auctoritate illius consensui, attento quod ipsa metropolitana ecclesia Strigoniensis pastoris solatio destituta reperitur, dicta apostolica auctoritate supplendo, eadem apostolica auctoritate perpetuo respective eximimus, et liberamus. Dictamque ecclesiam cathedralem Agriensem, et in ea titulum, nomen, denominationem, naturam, et essentiam cathedralitatis, nec non dignitatem episcopalem eadem apostolica auctoritate etiam perpetuo supprimimus, et extinguimus.

Erectio civitatis Agriensis in episcopalem, et metropolitanam.

§. 5. Ac praedictam civitatem episcopalem Agriensem in civitatem episcopalem, ac metropolitanam, cum suis juribus, honoribus, et praerogativis, quibus aliae civitates archiepiscopali sede praefulgentes, earumque cives fruuntur, et gaudent, nec non praedictam cathedralem ecclesiam Agriensem sic suppressam, et extinctam in archiepiscopalem, et metropolitanam ecclesiam sub eadem sancti Joannis invocatione, et in ea sedem, et dignitatem archiepiscopalem pro uno deinceps futuro archiepiscopo Agriensi nuncupato, qui pallii, et crucis usu aliorum archiepiscoporum more cum suis capitulo, sigillo, arca, mensa archiepiscopali, omnibusque aliis archiepiscopalibus insigniis, privilegiis, honoribus, et praerogativis archiepiscopo debitis, ac concessis, nec non juribus, jurisdictionibus, facultatibus, praeeminentiis, gratiis, favoribus, et indultis realibus, personalibus, et mixtis quibus aliae metropolitanae ecclesiae, earumque praesules quomodolibet, non tamen titulo oneroso, aut ex indulto, vel privilegio particulari utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt eadem apostolica auctoritate etiam perpetuo erigimus atque instituimus. Ac nomine titulo, et honore sedis archiepiscopalis, et metropolitanae dicta apostolica auctoritate perpetuo quoque decoramus, ac futurum, et pro tempore existentem dictae metropolitanae ecclesiae Agriensis per Nos, ut praefertur, erectae praesulem in archiepiscopum dicta apostolica auctoritate similiter perpetuo declaramus. Eique ut caetera singula prout metropolitanis in eorum civitatibus, dioecesibus, provinciis a jure indultum existit facere, exercere, administrare, et exequi possit, simili apostolica auctoritate itidem perpetuo concedimus, et indulgemus.

§. 6. Ac praeterea eidem metropolitanae ecclesiae Agriensi per Nos, ut praefertur, erectae praefatas Cassoviensem, et Szathmariensem per Nos hodie similiter, ut praefertur, erectas, earumque futuros, et pro tempore existentes praesules, nec non Scepusiensem, et Rosnaviensem respective cathedrales ecclesias praedictas, earumque pariter modernos, et pro tempore existentes episcopos pro ejusdem futuri, et pro tempore existentis archiepiscopi Agriensis suffraganeis, qui tamquam membra capiti eidem futuro, et pro tempore existenti archiepiscopo Agriensi metropolitico jure subsint; ita quod ipse futurus, et pro tempore existens archiepiscopus Agriensis in Cassoviensi, et Szathmariensi, ac Scepusiensi, et Rosnaviensi respective civitatibus, et dioecesibus jus metropoliticum sibi vindicet, nec non Cassoviensi, et Szathmariensi, ac Scepusiensi, et Rosnaviensi ecclesiae praedictae eidem futuro, et pro tempore existenti archiepiscopo Agriensi ad omnia, et singula teneantur, et sint adstrictae, ad quae suffraganei suis metropolitanis ecclesiis, et

Assignatio ecclesiarum suffraganearum.

illarum metropolitanis tenentur, et obligati sunt, et obligantur secundum canonicas sanctiones dicta apostolica auctoritate etiam perpetuo concedimus, et assignamus. Ac eidem futuro, et pro tempore existenti archiepiscopo Agriensi praefatos suos suffraganeos consecrandi, ad provinciales synodos evocandi, ac cum eis etiam publica negotia terminandi, et causas quarumcumque appellationum, sive querelas allatas ad eum tanquam metropolitanum, juxta decreta concilii Tridentini devolutas, ac allatas juxta sacrorum canonum statuta spectantes agnoscendi, omniaque alia, et singula quae de jure, vel consuetudine, aut alias quoquomodo ad archiepiscopos, et archiepiscopale munus spectare, et pertinere solent, et debent faciendi, gerendi, exercendi, et exequendi plenam, et liberam auctoritatem concedimus, et facultatem.

Concessio privilegiorum pro capitulo metropolitano.

§. 7. Et insuper praefatos modernos, et pro tempore existentes capitulum, dignitates, et canonicos ipsius cathedralis ecclesiae Agriensis, ut praefertur, suppressae, et extinctae in capitulum, dignitates, et canonicos ejusdem metropolitanae ecclesiae Agriensis per Nos, ut praefertur, erectae cum omnibus honoribus, praerogativis, et juribus, quae ecclesiarum archiepiscopalium capitulis de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut aliis quomodolibet, non tamen ex indulto particulari conveniunt, et competunt eadem apostolica auctoritate perpetuo quoque substituimus, et subrogamus. Cum hoc tantum quod quilibet ex dictae metropolitanae ecclesiae Agriensis per Nos, ut praefertur, erectae canonicis nunc, et pro tempore respective existentibus summam millium, et quingentorum florenorum monetae illarum partium pro sui praebenda percipere, et tam primodictus praepositus major, ut praefertur, nunciatus quam secundo dictus praepositus nunc, et pro tempore respective existentes ultra dictam summam; primodictus praepositus, videlicet, ex bonis primaevae erectionis quartam partem illorum fructuum, redditiuum, et proventuum summam millium florenorum hujusmodi monetae constituentium habere, et percipere; praepositus vero secundodictus duas villas ex antiqua pariter fundatione, quae simul summam bis millium florenorum dictae monetae circiter annuatim, ut accepimus, inferunt cum obligatione in duos vicarios pro chori, et missarum celebrationis respective oneribus adimplendis manutenendi possidere respective debeant.

Praefinitio ambitus novae archidioecesis.

§. 8. Ac pro ambitu novae archidioecesis Agriensis ubi futurus, et pro tempore existens archiepiscopus Agriensis semper residere debebit comitatum Heressiensem, et in eo unam Heressiensem, ac aliam Maklariensem respective oppidorum, ac aliam Erdo Felch, ac aliam Fuzes Abonii, ac aliam Kiskova, ac aliam Komlo, ac aliam Mezo Farchany, ac aliam Fely, ac aliam Poroszlo, ac aliam Sarad Tarnasz Mihlos, ac aliam Fizna Nana, et reliquam Bessemsò respective possessionum, seu terrarum respective parochiales ecclesias, nec non Ivanha Jarmos respective locales cappellanias, ac unam Fuzes Abony, ac aliam Hesess, ac aliam Maklar, ac aliam Mezo Tarhany, et reliquam Erdo Felch respective nunciatas cooperaturas respective contentas. Nec non districtum medium Heressiensem, et in eo tres scilicet civitates Agrienses, ac aliam oppidi Herpeleth, nec non aliam Fel Debro, ac aliam Al Debro, ac aliam Domoszlo, ac aliam Eger Szalok, ac aliam Fel-Nemeth, ac aliam Felto Nana, ac aliam Kal, ac aliam Kapolna, et reliquam Keretsend respective possessionum, seu terrarum respective parochiales ecclesias, ac unam Bakra, ac aliam Markatsaz, et reliquam Szolath respective nunciatas locales cappellanias, nec non unam Eger Szalok, ac aliam Kal, ac aliam Kapolna, ac aliam Herpeleth, ac alias quinque in Agria existentes respective cooperaturas, respective etiam contentas; nec non districtum super Hevessiensem, et in eo pariter unam Petervasara, ac aliam Balla, ac aliam Batonii, et aliam Batos, ac aliam Bodonii, ac aliam Eschi, ac aliam Doroghaza, ac aliam Erdo Hoverd, ac aliam Retsk, ac aliam Sirok, et reliquam Szenth-Ersebeth respective oppidorum respective parochiales ecclesias; nec non unam Bator, ac aliam Bodony, ac aliam Retsk Petervasaram, ac aliam Sirok, et reliquam Sz. Ersebeth respective nunciatas cooperaturas; ac districtum Trans-Tybiscanum, et in eo unam Figred, ac aliam Kun Sz. Martony respective oppidorum, ac aliam Dera Vanya, ac aliam Kardszay Ujszallas, ac aliam Kenderes, ac aliam Ko-Felck, ac aliam Nagy Ivany, ac aliam Nagy Koni, ac aliam Fisza-Beò, ac aliam Fisza-Ors, ac aliam Fisza Piis-

potus, ac aliam Fisza Szaloh, ac aliam Jorob Sz. Miblos, et reliquam Fior Kerc respective possessionum, seu terrarum respective parochiales ecclesias, ac duas Kunc Sz. Martony respective nunciatas cooperaturas respective comprehensas; ac districtum Inser Patheri, et in eo duas scilicet oppidi Gyongyos, et unam Adats, ac aliam Botzonad, ac aliam Deth, ac aliam Erf, ac aliam Füged, ac aliam Gyongyos Halarz, ac aliam Gyongyos Tarjany, ac aliam Karatsond, ac aliam Nagy Rede, ac aliam Mera, ac aliam Sar, et aliam Solymos, ac aliam Vamos Gyorh, et reliquam Visznek respective possessionum, seu terrarum respective quoque parochiales ecclesias, ac unam Gyongyos, et alteram Visonta respective locales cappellanias. Ac tres scilicet Gyongyos, ac aliam Deth, ac aliam Erh Karassond, ac aliam Sar Adats Gyongyos, et reliquam Halasz respective etiam nunciatas cooperaturas respective pariter contentas. Ac itidem districtum super Pathen, et in eo pariter unam oppidi Pasztó, ac aliam Aptz, ac aliam Esani, ac aliam Etsed, ac aliam Tantsal, ac aliam Orth, ac aliam Pata, ac aliam Szardoh Pyspohi, et reliquam Tar respective possessionum, seu terrarum respective quoque parochiales ecclesias, nec non duas Paszto, ac aliam Horth, ac aliam Pata Fantsal, et reliquam Csany respective nuncupatas cooperaturas respective pariter contentos. Ac itidem districtum Jarygio, et in eo unam Avok Trallas, ac aliam Jasz Apathus, ac aliam Jasz Bereny, ac aliam Hatyan, ac aliam Alsosz Gyorgy, ac aliam Bessentroy, ac aliam Dosa, ac aliam Felso Sz. Gyorgy, ac aliam Feng Szara, ac aliam Idkohalma, et aliam Kiss-Er respective oppidorum, ac aliam Ladamy, et reliquam Michaly Telke respective possessionum, seu terrarum respective, et parochiales ecclesias; nec non unam Alto Szent-Gyorgy, ac tres Aroh Szalas, ac alias tres Jarz Apalthi, ac alias tres Jasz Bereny, ac duas Fengy Szara, ac unam Ladany Jakoalma, ac aliam Dosa Felso Sz., et reliquam Gyorgy respective cooperaturas respective pariter contentas. Ac itidem comitatum Borsodiensem, nec non districtum Varkonyiensem, et in eo una scilicet Arlò, ac aliam Balatony, ac aliam Oserneły, ac aliam Domabaza, ac aliam Sajo Nemethy, ac aliam Sata et reliquam Varkomii respective possessionum, seu terrarum respective quoque parochiales ecclesias, ac unam Arlo, et alteram Varkones respective cooperaturas respective etiam contentas. Ac districtum pariter Szendroviensem, et in eo unam scilicet oppidi Aparfalva, ac aliam Danhorvath, ac aliam Galgoez, ac aliam Sojocz Peter, ac aliam Szirak, ac aliam Szendrò, ac aliam Szukogy, et reliquam Edelems respective possessionum, seu terrarum respective pariter parochiales ecclesias, ac unam localem cappellaniam Szent Jakab nunciatam, ac duas Aparfalva, ac aliam Szirak, et alias duas Szendrò respective, et possessionum, seu terrarum respective quoque cooperaturas pariter respective contentas. Ac itidem districtum Missholeziensem, et in eo pariter unam oppidi Missolez, ac aliam Aszaló, ac aliam Gorombol y, ac aliam Hamor, ac aliam Harsany, ac aliam Palhonya, ac aliam Sajo-Lad, ac aliam Sajo Szoged, ac aliam Szirma Besseny o, et reliquam Fiszakierth respective et possessionum, seu terrarum respective, etiam parochiales ecclesias; nec non unam Oaod, ac aliam Uiscutta, ac aliam Felso-Zsoltza, et reliquam Malgi respective locales cappellanias, nec non et unam Aszalò, ac aliam Harsany, ac aliam Dios Gyoo, ac alias duas Mysholez respective quoque cooperaturas itidem respective contentas. Ac ulterius districtum Mezo-Kovesdiensem, et in eo simili unam scilicet Abraham, et aliam Arok Fo, ac aliam Boyat, ac aliam Felso Sarhany, ac aliam Hereszles Püspoly, ac aliam Kiss-Tallya, ac aliam Mezo-Koveds, ac aliam Novois, ac aliam Szent Istoams, ac aliam Szihalom, ac aliam Szomolya, ac aliam Sard, ac aliam Tybold-Darotz et reliquam Iseroz respective possessionum, seu terrarum respective, etiam parochiales ecclesias. Ac unam pariter Babolna, ac aliam Saly, et reliquam Szemuse respective et locales cappellanias, et similiter unam Hiss-Tallya, ac duas Meso-Hoverd, ac aliam Szent-Istrany, et reliquam Jan respective cooperaturas pariter respective contentas. Et insuper comitatum Szabolcsensem, ac districtum pariter Nagy Kalloviensem, et in eo similiter unam Nagy Kallò, ac aliam Nyir Egybasa respective oppidorum, ac aliam Nyir Bator, ac aliam Orosz, ac aliam Posts-Petri, ac aliam Rakomaz, ac aliam Ratzfyerto, ac aliam Uj-Vensello, et reliquam Zathad respective etiam possessionum, seu terrarum re-

spective quoque parochiales ecclesias. Ac itidem unam Berzel, et aliam Ibrany, ac aliam Nyir-Adony, et aliquam Rogdany respective etiam possessionum, seu terrarum respective locales cappellanias, nec non unam cooperaturam Rakomatz nunciatam respective pariter contentas. Ac similiter districtum Kiss-Vardensem, et in eo unam pariter oppidi Kiss-Varda, ac aliam Lithe, ac aliam Bokta, et aliam Levelek, ac aliam Napkor, et reliquam Tass respective etiam possessionum, seu terrarum respective quoque parochiales ecclesias. Et similiter unam Ajak, et alteram Kopots-Apathy respective locales cappellanias similiter respective contentas. Ac demum districtum Polgaviensem, et in eo pariter unam scilicet oppidi Polgar, ac aliam Egyek, ac aliam Lok, et aliam Nadudvar, ac aliam Püspok-Ladany, ac aliam Szoboszlò, et reliquam Sardos respective etiam possessionum, seu terrarum respective etiam parochiales ecclesias, et unam cooperaturam Polgar nunciatam respective itidem contentas, nec non utriusque sexus personas, habitatores, et incolas tam laicos quam ecclesiasticos, presbyteros, beneficiatos, religiosos non tamen exemptos cujuscumque status, gradus, et conditionis existant in supradictis comitatibus, et districtibus respective existentes, et commorantes praefatae metropolitanae ecclesiae Agriensis per Nos, ut praefertur, erectae, illiusque futuro, et pro tempore existenti archiepiscopo pro suis civitate, et dioecesi, ac clero, et populo apostolica auctoritate praedicta itidem perpetuo concedimus, et assignamus, ac ordinariae, et metropolitanae futuri, et pro tempore existentis archiepiscopi Agriensis jurisdictioni, potestati, et auctoritati similiter apostolica auctoritate perpetuo quoque supponimus, et subjicimus.

Assignatio dotis mensae archiepiscopalis.

§. 9. Et insuper mensae archiepiscopali Agriensi pro illius dote, et ad hoc ut futurus, et pro tempore existens archiepiscopus Agriensis praesulis dignitatem decenter tueri valeat, annuam summam sexaginta millium florenorum dictae monetae ex fructibus, redditibus et proventibus bonorum archiepiscopalium, ut ex decimis regiis provenientem, et a praedicto Francisco imperatore et rege perpetuis temporibus praefinitam eadem apostolica auctoritate etiam perpetuo constituimus et assignamus.

Concessio domus ab archiepiscopo inhabitandae.

§. 10. Eidemque futuro et pro tempore existenti archiepiscopo Agriensi pro sua decenti habitatione palatium prope cathedralem ecclesiam Agriensem, ut praefertur, suppressam et extinctam, et in metropolitanam ecclesiam, ut praefertur, erectam existens, quod pro episcoporum Agriensium huc usque inserviit, apostolica auctoritate praedicta similiter perpetuo adscribimus atque concedimus.

Reservatio iurispatronatus favore imperatoris, ejusque successorum.

§. 11. Ac praeterea eidem Francisco imperatori et regi, ejusque in regno Hungariae praedictae successoribus jus nominandi, seu praesentandi infra tempus a jure praefixum Nobis, ac Romano pontifici pro tempore existenti personam idoneam ad praedictam metropolitanam ecclesiam Agriensem per Nos, ut praefertur, erectam, et a primaeva illius erectione hujusmodi vacantem in archiepiscopum per Nos, et Romanum pontificem pro tempore existentem praedictum praeficiendam, tam hac prima vice, quam in singulis illius futuris vacationibus quomodolibet, non tamen apud Sedem apostolicam contingentibus, eoque prorsus modo quo ad nominationem, seu praesentationem hujusmodi olim episcopi Agrienses ab apostolica Sede praedicta praefici consueverunt. Nec non aliud itidem jus nominandi, seu praesentandi coram ordinario loci ad dignitates et canonicatus, et praebendas dictae metropolitanae ecclesiae Agriensis per Nos, ut praefertur, erectae quovis modo pro tempore vacaturas, et vacaturos personas itidem idoneas, ut antea apostolica auctoritate praedicta similiter perpetuo reservamus, concedimus, et assignamus.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 12. Decernentes easdem praesentes semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus, et singulis ad quos nunc spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum firmiter et inviolabiliter observari debere, ac nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, et legitima, etiam ex eo quod causae propter quas easdem praesentes emanarunt adductae, verificatae, et justificatae non fuerint de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, vel intentionis Nostrae, seu quopiam alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato et inexcogitabili, ac spo-

cialem, et individuam mentionem, et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo, quod in praemissis, eorumque aliquo solemnitates, et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite de jure, vel facto, seu statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis enormissimae, totalisque laesionis, aut quocumque alio colore, praetextu, aliaque ratione vel causa etiam quantumvis justa, rationabili, legitima, juridica, pia privilegiata etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, et aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad viam, et terminos juris reduci, aut aliud quodcumque juris vel facti, aut gratiae, vel justitiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu, et scientia similibus concesso, et impetrato, vel emanato quempiam uti, seu se juvari in judicio vel extra illud posse, neque easdem praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per quascumque literas et constitutiones apostolicas, aut camerae apostolicae regulas quomodocumque etiam in crastinum assumptionis Nostrae et successorum Nostrorum Romanorum pontificum pro tempore existentium ad summi apostolatus apicem etiam motu et scientia similibus, etiam consistorialibus ex quibusvis causis; et sub quibusvis verborum expressionibus, tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis etiam si in eis de eisdem praesentibus, earumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat editas, et in posterum edendas comprehendi; sed semper et omnino ab illis excipi, et quoties illae emanabunt toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas fore, et esse; sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, aliosque quoscumque quavis auctoritate, potestate facultate fungentes, ac honore et praeeminentia fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpetrandi facultate et auctoritate judicari, et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 13. Non obstantibus quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictaeque ecclesiae Agriensis, ut praefertur, suppressae et extinctae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus et personis sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere vel in specie etiam motu et scientia similibus pro tempore concessis, et concedendis; quibus omnibus et singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, illorumque omnium et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide ad praemissorum validissimum effectum, hac vice dumtaxat, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Deputatio executoris apostolici.

§. 14. Per praesentes autem praefatum nuncium Nostrum in dicta civitate Viennensi, ut praefertur, commorantem, in executorem praesentium Nostrarum literarum apostolicarum, quoad illarum executionem tantum apostolica auctoritate praedicta deputamus, eidemque nuncio facultatem, ut ipse quamcumque personam in dignitate ecclesiastica constitutam in executione praedicta subdelegare

libere et licite valeat. Ac tam ipsi, quam personae ab eo subdelegandae hujusmodi facultatem quoque, ut ipsi, et eorum qualibet super quacumque oppositione in actu executionis hujusmodi adversus praemissa, quomodolibet oritura servatis tamen, quae fuerint de jure servanda etiam definitive pronunciare, libere quoque, et licite possint, ac respective possit, eadem apostolica auctoritate concedimus, et impertimur.

Praeceptum de inscribendis fructibus in libris camerae apostolicae.

§. 15. Volumus autem, quod praedicta metropolitana ecclesia Agriensis per Nos, ut praefertur, erecta, juxta ejus redditus ex gratia speciali ad ter mille florenos auri de novo taxari, et hujusmodi taxa in libris camerae apostolicae describi debeat, quoque in dicta metropolitana ecclesia Agriensi per Nos ut praefertur, erecta futurus illius archiepiscopus poenitentiariam praebendam, ad praescriptum concilii Tridentini instituat, ejus conscientiam desuper onerando.

Sanctio poenalis.

§. 16. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam Nostrae exemptionis, liberationis, suppressionis, extinctionis, erectionis, institutionis, decorationis, declarationis, concessionis, indulti, auctoritatis, ac facultatis concessionis, substitutionis, subrogationis, assignationis, adscriptionis, reservationis, licentiae, et facultatis impertitionis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo quarto, quinto idus augusti, pontificatus Nostri anno quinto.

CCCXVI.

Dat. die 14. aug. 1804. Anno V.

Erectio in insignem collegiatam cum indulto gestandi cappam pro archipresbytero, mozzetam vero violaceam supra rocchetum pro canonicis in perpetuum pro ecclesia matrice de Davoli Squillacensis dioecesis.

Dilecto filio vicario capitulari ecclesiae Squillacensis, illius episcopali sede vacante, legitime deputato.

Pius PP. VII.

Dilecte fili salutem,
et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni archipresbyter, et cappellani matricis ecclesiae sub titulo sanctae Barbarae virginis, et martyris oppidi de Davoli Squillacensis dioecesis, quod cum ecclesia ipsa sufficienti patrimonii amplitudine, templi capacitate, sacrarum supellectilium copia, sacerdotum probitate, et doctrina, christianique populi frequentia inter alias istius dioecesis floreat, divinus in ea cultus, fideliumque devotio majora ibi susciperet incrementa, si eadem ecclesia in collegiatam per Nos, et hanc sanctam Sedem erigatur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes, specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, discretioni tuae, attento quod sedes episcopalis Squillacensis ad praesens vacat, per praesentes committimus et mandamus, quatenus praevia absolutione a praeterito, quia archipresbyter, et cappellani insignia abusive gestarunt, ut ecclesiam sanctae Barbarae praedictam in insignem collegiatam cum omnibus, et singulis privilegiis, gratiis, praeeminentiis, exemptionibus, et indultis, quibus aliae ecclesiae collegiatae hujusmodi quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, vel uti, frui, et gaudere consueverunt, auctoritate Nostra apostolica erigas, ac talem in futurum perpetuo esse, et fore constitutas, eamdemque ecclesiam collegiatam insignem nuncupari, archipresbyterum dignitatem, et cappellanos canonicos, pariter nuncupari, et haberi decernas, eorumque capitulares constitutiones, si ad normam sacrorum canonum fuerint exaratae, adprobes, atque confirmes. Nec non eisdem modernis, et pro tempore in perpetuum existen-

tibus archipresbytero cappam magnam violaceam tela serica alba subsutam cum pellibus armellinis, canonicis vero mozzetam pariter violaceam limbo viridi circumdatam, supra rocchetum tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque respective gestare, illisque uti libere, et licite possint, et valeant, eadem auctoritate concedas, et indulgeas.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus felicis recordationis Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, dictae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quarta augusti millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 14. aug. 1804. Anno V.

CCCXVII.

Erectio terrae Fortii in civitatem.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Paterna, quam de Nostris et apostolicae Sedis in temporalibus subditis gerimus cura, et sollicitudo postulat, ut locorum, et terrarum, quae constanti in sanctam Romanam Sedem fide, et devotione eminuerunt, et eminent novis praerogativis, et honorificentiis decoremus.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii universitas, et homines terrae Nostrae Fortii Montis Alti dioecesis, terra ipsa cum ob suam in eamdem Romanam Sedem fidelitatem, sinceram, et inconcussam devotionem, tum etiam ob bellicam virtutem ab Innocentio IV. Nicolao itidem IV. Urbano VI. Eugenio IV. aliisque Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris multis, et amplis privilegiis locupletata fuerit, atque ornata, cumque eadem terra a vetere suo splendore, et avitis virtutibus non modo non exciderit, sed etiam virorum ecclesiasticorum probitate, et doctrina, magistratuum prudentia, sacrarum aedium splendore, populique frequentia, et devotione superioribus temporum procellis magis perspecta, et probata, non mediocriter floreat, ac etiam collegiata insignis auctoritate apostolica, ut asseritur, illic erecta reperitur, itemque fratrum ordinis minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum conventus existat, nihilque eorum desideretur, quae ad civitatem efformandam videntur opportuna, Nobis propterea eadem universitas, et homines humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune, providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur, qui terram praedictam, illiusque universitatem, et homines praemissorum meritorum intuitu propensiori quodam benevolentiae Nostrae complectimur affectu, terram ipsam novo apostolicae beneficentiae munere donare, et amplioris beneficentiae praerogativa decorare volentes, ipsiusque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes supplicationi-

bus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, audito dilecto filio magistro congregationis cardinalium negotiis civitatum, et terrarum status secretario, ac etiam motu proprio, et ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine terram Fortii praedictam in civitatem Fortii nuncupandam tenore praesentium perpetuo erigimus, et instituimus, eique civitatis titulum, ac denominationem, cum omnibus honoribus, juribus, praerogativis, ac decorationibus, quae caeteris omnibus ditionis Nostrae pontificiae civitatibus competere dignoscuntur, nec non magistratui ejusdem terrae in civitatem, ut praefertur, erectae consuetis honoribus, et insigniis, quibus aliarum ejusdem ditionis civitatum magistratus de jure, usu, et consuetudine gaudere, seu quibus uti possunt pariformiter, et absque ulla differentia gaudere, potiri, et uti posse concedimus, et impertimur, ac ejusdem terrae incolas, et habitatores civium nomine decoramus, ita tamen, ut nunc, et pro tempore existens episcopus Montis Alti in ea residere minime teneatur; sed terra hujusmodi in civitatem sic erecta cathedrali ecclesiae Montis Alti, ut prius, subjecta remaneat.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo, quod quicumque in praemissis jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ab ea vocati, citati, et auditi, neque causae propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae, et justificatae fuerint, aut ex alia, quantumvis justa, legitima, et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite etiam in corpore juris clauso etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis ullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, et substantiali, et inexcogitato, ac inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvari posse, sed ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae camerarium, ac alios cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet aliter judicandi, et interpretandi facultate et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, dictae terrae, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis approbatis, et innovatis: quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quarta augusti millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

CCCXVIII.

Dat. die 17. aug. 1804. Anno V.

Concessio tituli, et honoris basilicae minoris favore ecclesiae cathedralis Recinatensis.

Digitized by Google

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. In summo apostolatus apice meritis licet imparibus constituti ad ecclesiarum omnium statum, quarum Nobis a Deo commissa est cura, propensis studiis animum jugiter adjicientes, illarum honorificentiae, et splendori, quantum cum Domino possumus, libenter consulimus.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis exponi fecerunt dilecti filii capitulum et canonici cathedralis ecclesiae Recinatensis, ipsa ecclesia antiquitatis laude, patrimonii amplitudine, templi majestate, ac nitore, sacrorumque ministrorum in eo Altissimo famulantium numero, probitate, et doctrina non mediocriter floreat, ac praeterea ipsa civitas Recinatensis singularissimo a Deo beneficio sit affecta, jam ex eo, quod celeberrimum in universo terrarum orbe sanctuarium Alma scilicet Domus, in qua *verbum caro factum est, et habitavit in nobis*, in ejus territorium e Dalmatia fuerit divinitus translata multum splendoris, et ornamenti ad dictam ecclesiam accederet, atque divinus in ea cultus majora susciperet incrementa, si eadem cathedralis ecclesia per Nos aliqua nova illustriori praerogativa donetur. Nobis propterea capitulum, et canonici praedicti humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eamdem cathedralem ecclesiam Recinatensem in basilicam minorem cum omnibus, et singulis privilegiis, gratiis, praeeminentiis, exemptionibus, et indultis, quibus aliae ecclesiae basilicae minores quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui et gaudere consueverunt, auctoritate apostolica tenore praesentium erigimus, ac talem ex nunc in futurum perpetuo esse, et fore decernimus, dictamque ecclesiam basilicam nuncupari, et haberi volumus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes praesentes literas firmas validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit dictae ecclesiae, et quibusvis aliis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die decima septima augusti millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

CCCXIX.

Dat. die 17. aug. 1804. Anno V.

Facultas mansionariis beneficiatis cathedralis Feretranae, ut loco almutiarum mozzetam nigram cum asulis, et globulis cremisini coloris gestare possint.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes illud saepe concedendum arbitramur, ut viri Altissimo in templis magis conspicuis famulantes pe-

culiaribus indumentis ad eorum munus exprimendum aptis utantur, quo externus etiam splendor quodammodo ad internum addatur, atque christiani populi in eos reverentia augeatur.

Expositio precum. §. 2. Cum itaque sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici ecclesiae cathedralis Feretranae, felicis recordationis Pius pp. VI. praedecessor Noster sub certis modo, et forma tunc expressis auctoritate apostolica ejusdem cathedralis dignitati, et canonicis tam nova splendiora insignia deferenda indulserit, cumque major cohaerentia inesset, ac plus honorificentiae adjungeretur, si quatuor etiam ipsius cathedralis mansionarii beneficiati novis decorentur insigniis. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur dictos exponentes, et beneficiatos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus mansionariis beneficiatis dictae cathedralis, ut loco almutiarum, quas adhuc gestare consueverunt, mozzetam nigram cum asulis, et globulis cremisini coloris tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibuscumque processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuslibet supra cottam gestare, illisque uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque mansionarios beneficiatos desuper a quoquam impediri, et perturbari nullatenus posse, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae cathedralis ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima prima augusti millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

CCCXX.

Dat. die 21. aug. 1804. Anno V.

Unio, et applicatio cujusdam cappellaniae una cum ejus oneribus parochiali ecclesiae Agelli commissa ordinario pro moderno parocho villae Agelli Spoletanae dioecesis.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Nuper Nobis exponi fecit dilectus frater Franciscus Talentoni parochus ecclesiae s. Martini villae Agelli Spoletanae dioecesis, ecclesiasticam cappellaniam per quemdam jam vita functum Angelum Marinetti ejusdem villae erectam testamento fuisse cum onere, ut cappellanus pro tempore duas missas quarta feria, et sabbato cujuslibet hebdomadae sive in Beatae Mariae Virginis Gratiarum castri sanctae Anatoliae, sive in sancti Martini villae Agelli ecclesia celebrare (licet nunc ex rescripto apostolico celebrentur in sancta Anatolia diebus festis), nec non scholam publicam in eodem castro peragere, puerosque ibi tum christianae fidei, tum literarum rudimentis deberet imbuere, jure ad cappellaniam hujusmodi nominandi ac praesentandi hominibus et consiliariis dicti castri relicto: bona tamen haereditaria, super quibus cappellaniam testator fundaverat, auctoritate apostolica, hospitali infirmorum Spoletanae civitatis addicta, applicataque subinde fuisse, injuncta hospitalis administratoribus deputatis obligatione solvendi quotannis scutata sexaginta cappellano praedicto, firmaque remanente recensitis hominibus et consiliariis nominatione ad cappellaniam juxta ordinationem testatoris. Sed progressu temporis graves in tali nominatione abusus irrepsisse, quos inter memoratur frater minorum observantium sancti Francisci a consiliariis et hominibus castri nominatus, ac pro lubitu institutus in cappellanum, eoque e vivis sublato, licet elapsi essent menses, quin ullus denuo nominatus fuis-

Digitized by Google

set, ac de suo propterea dicti consiliarii, et homines nominationis jure excidissent, nihilominus nominarunt presbyterum nullo quidem ad sequendum cappellaniam impedimento detentum, sed illum ordinario nomine, praesentarunt, atque ut ab ordinarii curia canonice institueretur, penitus despexerunt. Hinc ut omnia in posterum rite recteque fiant, et major quoque ex hujusmodi cappellania universo illarum partium populo redundet utilitas, videri exponenti summopere profuturum si eadem capppellania decernatur administranda perpetuo parochis pro tempore villae Agelli; tum quia isthaec villa non longe abest a castro s. Anatoliae, ac velut in medio consistit locorum, quae castri ambitu continentur; tum quia data Agelli parochis perpetuitate magisterii publici a cappellaniae fundatore praescripti totius consulitur de optata idoneitate magistri, tum quia et magnum exthinc accedet emolumentum parochiali ipsi ecclesiae Agelli, cujus redditus, admodum sane tenues in praesenti, aucti deinceps per cappellaniam hujusmodi, accersituri erunt rectores, qui defectu congruae non facile, nec cito, uti saepe factum est, ecclesiam deserant, et de Eucharistiae sacramento, quod ecclesiae paupertas custodire non sinit, jugiter asservando curam suscipiant. Quapropter rogare humilitor, ac exorare, ut Nos in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut constito tibi de narratis, ac interesse habentibus in scripto auditis, servatoque hominibus et consiliariis castri sanctae Anatoliae jure nominationis, jam scilicet, ut ipsi deinceps parochum villae Agelli semper praesentare debeant, atque praesentet, memoratam cappellaniam eidem parocho exponenti, ejusque pro tempore successoribus cum oneribus tum habendi publice in villa Agelli scholam praedictam, tum celebrandi, seu celebrari faciendi diebus festis in villae ipsius ecclesia missas a dicto fundatore ordinatas, tum jugiter asservandi sanctissimum Eucharistiae sacramentum in eadem ecclesia, auctoritate Nostra apostolica pro tui arbitrio, et prudentia adjudices, atque attribuas, eamdemque cappellaniam parochiali ecclesiae villae Agelli sic, ut praefertur, incorpores ac perpetuo unias.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Benedicti pp. XIV. predecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesima prima augusti millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

CCCXXI.

Dat. die 7. sept. 1804. Anno V.

Facultas Ubaldo Cassina archipresbytero Placentino utendi rocchetto, et palmari pro se, et successoribus in perpetuum.

Dilecto filio Ubaldo Cassina familiari Nostro, et parochialis plebanae ecclesiae de Pomario Placentinae civitatis archipresbytero.

Pius PP. VII.

Dilecte fili salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Sincerae fidei ac devotionis affectus, quem erga Nos, et hanc sanctam Sedem gerere comprobaris, aliaque virtutum merita, quibus te praeditum esse accepimus, Nos inducunt, ut honorificientiae tuae, successorumque tuorum archipresbyterorum libenter consulamus.

Expositio precum. §. 2. Exponi quidem Nobis nuper fecisti, quod tu, qui (ut asseris) sacrae theologiae doctor, et plebanae parochialis, et (ut asseritur) collegiatae ecclesiae de Pomario sub titulo sancti Vitalis Placentinae dioecesis archipresbyter, et prima dignitas existis, ac etiam inter praelatos Nostros domesticos es recensitus, quo major eidem archipresbyterali dignitati splendor accedat, facultatem deferendi rocchetum, utendique palmari, vul-

Digitized by Google

go, bugia, tibi successoribusque tuis per Nos concedi plurimum desideras.

Tenor concessionis. §. 3. Nos itaque, attentis etiam desuper relationibus venerabilis fratris Gregorii episcopi Placentini, te specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, tibi, successoribusque archipresbyteris dictae ecclesiae sancti Vitalis in perpetuum, ut rocchetum tam in dicta ecclesia, quam extra eam in quibusvis processionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare nec non palmari vulgo bugia, in quibusvis presbyteralibus functionibus uti libere, et licite possis, et valeas, dictique tui successores pariter possint, et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus: teque successoresque praedictos desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus fel. rec. Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima septembris millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 9. sept. 1804. Anno V.

CCCXXII.

Confirmatio decreti pro beneficiatis basilicae Vaticanae.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Inter multiplices, quae in commisso Nobis apostolatu Nos undique urgent, sollicitudines nihil habere antiquius duximus, quam fidelium mentes, eorumque magis, qui in sortem Domini vocati sunt, in mutuae dilectionis, perpetuaeque concordiae officiis tueri, ut unanimes semper corde, et spiritu pacem invicem habeant inter se, et in vinculo pacis tamquam corpus compactum charitate perfecta singula corporis membra crescant, in illo per omnia, qui est caput Christus.

§. 2. Exponi siquidem Nobis dilecti filii beneficiati basilicae Vaticanae fecerunt, editum nuper esse vi specialis Nostrae delegationis legale decretum, quod benevolum Nobis ipsorum respicit coetum, tenoris ut sequitur. Expositio precum.

Henricus miseratione divina episcopus Ostiensis, et Veliternensis cardinalis dux Eboracensis nuncupatus, sacri collegii decanus, Sanctae Romanae Ecclesiae vice cancellarius, basilicae principis apostolorum de urbe archipresbyter, ecclesiae sancti Laurentii in Damaso commendatarius.

§. 3. Ad fovendum mutuae charitatis studium, quam pro munere nostro in clero Vaticano magis in diem clarescere vehementer optamus, voluntatique obtemperantes summi pontificis, qui nobis in mandatis dedit, ut modum statueremus, quo in posterum convenire debeant canonici, ac beneficiati Vaticanae basilicae, quando pari numero ad suffragium simul ferendum, seu ad consulendum utrique coetui jus est. Utendo tum facultatibus dignitati nostrae competentibus, tum apostolica qua fungimur delegatione, vigore rescripti praeinserti die 13. augusti decernimus, statuimus, ac mandamus, ut uterque tum canonicorum, tum beneficiatorum coetus mutuo honore, ac benevolentia se se prosequentes, eo ordine in aula capitulari in posterum sedeant, consulant, ac suffragium ferant, ut canonici dexterum aulae latus teneant, beneficiati vero sinistrum. Sedilia vero, quae quoad structuram immobilia, et aequalia modo sunt, ita perpetuo sint, et persistant. Canonicorum sedilia aulaeo instructa atque ornata sint una cum substrato; beneficiatorum vero substrato tantum panni viridis coloris; ita ut sedilia canonicorum hoc praescripto modo uti nobiliora, ac sublimiora habeantur, beneficiatorum vero inferiora uti praeseferunt notissima decreta s. Visitationis, quae sane decreta at- Tenor decreti.

Digitized by Google

tentia rerum omnium circumstantiis in praesenti casu, nec non facultatibus nobis ut supra competentibus, ita accipienda, interpretanda, atque exequenda esse declaramus, decernimus, statuimus, mandamus, ac volumus, atque ita auditis etiam tum voce, tum scriptis utriusque partis deputatis, sublata omni lite perpetuum silentium utrique parti imponimus.

Ita etc. omni etc.

Datum Tusculi die 15. sept. 1804.

Henricus card. archiep.

Confirmatio apostolica.

§. 4. Quo vero decretum hujusmodi firmius subsistat, exactiusque servetur, illud per Nos beneficiati praedicti auctoritate apostolica approbari, et confirmari vehementer desiderant, enixisque humiliter precibus a Nobis efflagitant. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis, humiliter porrectis inclinati, praeinsertum decretum, ac omnia, et singula in eo contenta, auctoritate apostolica tenore praesentium rata, et valida habemus, et declaramus, illisque perpetuum, ac inviolabile apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos, tam juris, quam facti defectus, si quos desuper quomodolibet intervenisse contigerit, plenarie sanamus, atque supplemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; ac praedictis beneficiatis, eorumque pro tempore successoribus in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, et quatenus opus sit, memoratae basilicae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die vigesima octava augusti millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

CCCXXIII.

Dat. die 11. sept. 1804 Anno V.

Confirmatio decreti congregationis Rituum super adprobatione electionis s. Sebastiani martyris in protectorem principalem loci de Lanxorum Granatensis dioecesis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii clerus, populusque loci de Lanxaron Granatensis dioecesis, quod ipsi ab infrascripta venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium congregatione obtinuerunt decretum tenoris sequentis, videlicet.

Tenor decreti editi a sacra congregatione Rituum.

§. 2. Sacrorum rituum congregatio, referente eminentissimo et reverendissimo domino cardinale Litta ponente, ad humillimas preces cleri, et populi loci de Lanxaron Granatensis dioecesis, supplicantium pro confirmatione electionis sancti Sebastiani martyris in patronum principalem dicti loci nuper ab iisdem factae, accedente etiam assensu reverendissimi archiepiscopi, cum noverit hujusmodi electionem servatis servandis, et juxta praescriptum in decreto sa. me. Urbani pp. VIII. die XXIII. martii MDCXXX. edito, legitime factam fuisse, eamdem confirmavit, et

approbavit, praedictique s. Sebastiani sic in patronum principalem electi festivitati praerogativas omnes sanctorum patronorum principalium festis competentes attribuit, atque concessit. Die 1. septembris MDCCCIV.

J. Maria card. de Somalia S. R. C. praef.
M. A. Cattaneo S. R. C. secr. etc.

Confirmatio apostolica.

§. 3. Cum autem sicut in eadem expositione additum erat, dicti exponentes, quo praeinsertum decretum firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae Nostrae confirmationis subsidio munire summopere desiderent, Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, idem decretum, et singula in eo contenta, et expressa auctoritate apostolica, tenore praesentium, confirmamus, et adprobamus, illique inviolabilis, et perpetuae apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in eo quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et Sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, dictae villae, et dioecesis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die undecima septembris millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

CCCXXIV.

Dat. die 11. sept. 1804. Anno V.

Pensio super fructibus mensae episcopalis Tirasonensis, alias favore hospitii Caesaraugustani reservata nunc in perpetuum beaterio civitatis Tirasonensis assignatur.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. In supremo apostolicae Sedis solio, Romanus pontifex, cum potestatis plenitudine a Domino collocatus, ea omnia, quae pro locorum piorum existentia, et congrua dotatione necessaria dignoscuntur, nunquam concedere dubitat, prout in Domino salubriter conspicit expedire.

Ratio concessionis.

§. 2. Significavit Nobis dilectus filius eques Antonius de Vargas y Laguna, charissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis catholici, apud Nos, et apostolicam Sedem plenipotentiarius administer, ex parte et nomine ejusdem Caroli regis, quod pro meliori existentia loci pii hospitii nuncupati in civitate Tirasonensi erecti, attenta illius redditutum tenuitate, mediante infrascriptae pensionis assignatione, a Nobis plurimum praedicti hospitii substentationi consultum foret.

Similis ut supra.

§. 3. Cum autem alias super fructibus, redditibus, et proventibus mensae episcopalis ecclesiae Tirasonensis pensio annua quatuor centum trium ducatorum auri de camera, et juliorum decem monetae Romanae favore loci pii beaterii nuncupati, sive domus eruditionis civitatis Caesaraugustanae apostolica auctoritate ad quatuordecim annos pluribus vicibus prorogatos reservata reperiatur, ideo si pars ejusdem pensionis, in summa videlicet biscentum octodecim ducatorum auri de camera hu-

Digitized by Google

jusmodi, et juliorum novem monetae Romanae, cum tribus quartis ejusdem julii a beaterio praedicto abdicaretur, et antedicto Tirasonensi hospitio a Nobis in perpetuum assignaretur, ea quae eidem hospitio, pro illius commodiori existentia, necessaria dignoscuntur, opportune subministrarentur.

Similis ut supra.

§. 4. Et ne beaterio antedicto, mediante pensionis hujusmodi assignatione damnum aliquod afferatur, si pariter alia pensio in simili summa biscentum octodecim ducatorum auri de camera hujusmodi, et juliorum novem cum tribus quartis ejusdem julii monetae Romanae praedictae super fructibus, redditibus, et proventibus mensae archiepiscopalis ecclesiae Caesaraugustanae, jam in actu ipsius archiepiscopalis ecclesiae collationis, et provisionis, in summa, quae tertiam illorum fructuum, reddituum, et proventuum partem non excederet, pro personis a praefato Carolo rege nominandis, apostolica auctoritate reservata, eidem beaterio similiter assignaretur, nullam certissime jacturam subire conspiceretur.

Tenor concessionis.

§. 5. Quamobrem, ut benevolentia Nostra tam erga praedictum catholicum regem, quam erga Christi fideles omnes pro illorum spirituali, ac temporali bono semper ostendatur; ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, partem antedictae pensionis super fructibus mensae episcopalis Tirasonensis alias, ut praefertur, favore beaterii antedicti, sive domus eruditionis civitatis Caesaraugustanae, assignatae quoad summam dumtaxat biscentum octodecim ducatorum auri de camera hujusmodi, et juliorum novem cum tribus quartis Romanae monetae, per praesentes disjungimus, eamque hospitio civitatis Tirasonensis, cum exemptionibus, clausulis, decretis, et derogationibus, quibus per apostolicam Sedem beaterio praedicto alias reservata reperitur pari auctoritate vigore praesentium, hospitio antedicto civitatis Tirasonensis perpetuo concedimus, et assignamus, nec non quatenus opus sit, pro illius congrua dotatione et subsistentia de novo etiam ad ejus favorem reservamus.

Impositio novae pensionis.

§. 6. Postmodum vero, ad quodcumque antedicti beaterii, ex hujusmodi disjunctione, damnum avertendum ad aliam pensionem annuam ab omni, et quacumque onere novo et vetere, nunc imposito et pro tempore quomodolibet imponendo; ac alias in omnibus, et per omnia, et omnino quoad omnia liberam, immunem, et exemptam jam usque ad tertiam mensae archiepiscopalis Caesaraugustanae fructuum partem in actu illius provisionis, ut praefertur, reservatam, pro rata tamen aliorum biscentum octodecim ducatorum auri de camera similium, et juliorum pariter novem monetae Romanae praedictae, cum tribus quartis ejusdem julii similis, super omnibus et singulis, tam certis, quam incertis supradictae mensae archiepiscopalis Caesaraugustanae redditibus, et proventibus in quacumque re consistentibus, et undecumque provenientibus, beaterium antedictum earumdem tenore praesentium perpetuo nominamus.

De solutione pensionis quolibet anno facienda.

§. 7. Eisdemque hospitio, ac beaterio praedictis, et pro eis respective illorum rectoribus, sive praesulibus, aut administratoribus, vel deputatis, atque etiam eorum procuratoribus legitimis per venerabiles fratres Nostros modernos, et pro tempore existentes ipsarum ecclesiarum Caesaraugustanum archiepiscopum, et Tirasonensem episcopum, et successores eorum ecclesias praedictas successive quomodolibet obtinentes annis singulis in termino, seu terminis inter partes statuendis integre, et absque ulla etiam minima diminutione persolvendas, et per rectores, seu praesules, aut administratores, vel deputatos eorumdem locorum piorum hospitii videlicet, et beaterii praedictorum, seu eorum legitimos procuratores percipiendas, exigendas, levandas, et in hospitii, ac beaterii praefatorum usus, et utilitatem convertendas perpetuis futuris temporibus respective assignamus, et quatenus opus sit, tam ad hospitii, quam beaterii praedictorum favorem, pensiones supradictas apostolica auctoritate etiam de novo in perpetuum constituimus, et reservamus; decernentes archiepiscopum, et episcopum praedictos, eorumque successores praefatos ad integram dictarum pensionum respectivam solutionem juxta reservationes, constitutiones, et assignationes, praedictarum tenorem fore efficaciter obligatos.

Clausulae solitae.

§. 8. Et insuper pensiones hujusmodi, per praesentes, quatenus opus sit, etiam de novo reservatas, etiam si extra consistorium Nostrum secretum, et absque venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consilio, reservatio hujusmodi fa-

cta extiterit, ex quovis praetextu, vel qualibet causa, etiam juridica, pia, aut privilegiata ad minorem summam reduci, annullari, vel invalidari, minusque illius reservationem infringi, aut nullam dici, nec non easdem praesentes de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, au quocumque alio defectu notari, impugnari, invalidari, aut in jus, vel controversiam vocari, aut adversum illam quodcumque juris, vel facti, aut gratiae remedium impetrari, vel etiam motu proprio, et ex certa scientia concesso et impetrato quempiam uti, seu se juvari posse, sed eas semper validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, perinde ac si pensiones praedictae per praesentes assignatae, in consistorio Nostro secreto, et de eorumdem fratrum consilio, ac de consensu etiam illorum, qui pensiones supradictas solvere debebunt, respective reservatae fuissent; sicque, et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos, quavis auctoritate fungentes etiam causarum palatii apstolici auditores, ac ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales praefatos, etiam de latere legatos, vice-legatos, dictaeque Sedis nuncios judicari, et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Deputatio executoris apostolici.

§. 9. Quocirca dilectis filiis magistro Nicolao Riganti in utraque signatura Nostra referendario, ac archiepiscopi Caesaraugustani, et episcopi Tirasonensis praedictorum respective officialibus, nec non ecclesiarum Caesaraugustanae, et Tirasonensis, etiam respective antiquioribus canonicis per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios faciant auctoritate Nostra pensiones per praesentes, ut supra assignatas, et respective reservatas, juxta reservationis, constitutionis, et assignationis praedictarum, ac decreti Nostri hujusmodi continentiam, et tenorem integre persolvi, contradictores per censuras ecclesiasticas, appellatione postposita compescendo.

Derogatio contrariorum.

§. 10. Non obstantibus quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis, editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictarumque Caesaraugustanae, et Tirasonensis respective ecclesiarum, etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quomodolibet forsan concessis, approbatis, et innovatis, ac Nostra, et cancellariae apostolicae regula de praestando consensu in pensionibus, ac Lateranensis concilii novissime celebrati, pensiones annuas super mensarum archiepiscopalium, et episcopalium fructibus, redditibus, et proventibus, nisi ex concessionis, aut alia probabili causa reservari prohibentis; quibus omnibus et singulis etiamsi de illis eorum tenores specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma, ad hoc servanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem praesentibus pro pleno et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie latissime et plenissime derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque; aut si archiepiscopo, et episcopo praefatis, eorumque in archiepiscopatu Caesaraugustano, et episcopatu Tirasonensi respective successoribus, vel quibusvis aliis communiter, aut divisim ab apostolica sit Sede indultum, quod ad praestationem, vel solutionem pensionis alicujus minime teneantur, et ad id compelli aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Fides habenda transumptis.

§. 11. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici, aut alicujus personae in ecclesiastica dignitate constitutae subscriptis, ac sigillo munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 12. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae nominationis, reservationis, decreti, statuti, voluntatis, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit in-

dignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo quarto, quarto idus septembris, pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 11. sept. 1804. Anno V.

CCCXXV.

Confirmatio decreti congregationis Rituum pro clero, et populo villae de Lauxar Granatensis dioecesis super adprobatione electionis sancti Vincentii martyris in protectorem principalem dictae villae.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii clerus, populusque villae de Lauxar Granatensis dioecesis, quod ipsi ab infrascripta venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium congregatione obtinuerunt decretum tenoris sequentis videlicet.

Tenor decreti editi a sacra congregatione Rituum.

§. 2. Humillimis precibus cleri, et populi villae de Lauxar Granatensis dioecesis sacr. Rituum congregationi porrectis pro confirmatione electionis s. Vincentii martyris in patronum principalem dictae villae, sacra eadem congregatio, accedente etiam reverendissimi archiepiscopi assensu, ad relationem eminentissimi, et reverendissimi domini cardinalis Erskine ponentis, attento quod hujusmodi electio servatis servandis, et juxta praescriptum in decreto sa. me. Urbani pp. VIII. die 23. martii 1630. edito a praefatis oratoribus nuper legitime facta fuerit, benigne confirmavit, et approbavit, ac ipsius s. Vincentii martyris sic in patronum principalem electi festivitati praerogativas omnes sanctorum patronorum principalium festis competentes attribuit atque concessit. Die 1. septembris 1804.

J. Maria card. de Somalia S. R. C. praef.
M. A. Cattaneo S. R. C. prot.

Confirmatio apostolica.

§. 3. Cum autem sicut in eadem expositione additum erat, dicti exponentes, quo praeinsertum decretum firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae Nostrae confirmationis subsidio muniri summopere desiderent; Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, idem decretum, et singula in eo contenta, et expressa auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus, et adprobamus, illique inviolabilis, et perpetuae apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in eo quomodolibet intervenerint supplemus, et sanamus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari et definiri debere ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, dictae villae et dioecesis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die undecima septembris millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 11. sept. 1804. Anno V.

CCCXXVI.

Confirmatio decreti congregationis Rituum super adprobatione electionis s. Antonii ab-

Digitized by Google

batis in protectorem principalem pro loco de Sopontusar Granatensis dioecesis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii clerus, et populus loci de Sopontusar Granatensis dioecesis, quod ipsi ab infrascripta venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium congregatione obtinuerunt decretum tenoris sequentis, videlicet.

Tenor decreti editi a sacra congregatione Rituum. §. 2. Ad humillimas preces cleri et populi loci de Sopontusar Granatensis dioecesis sacrorum Rituum congregationi supplicantium pro approbatione electionis ab ipsis factae s. Antonii abbatis in patronum principalem supradicti loci; sacra eadem congregatio, accedente etiam assensu reverendissimi archiepiscopi, ad relationem eminentissimi, et reverendissimi domini cardinalis Crivelli ponentis, attento quod hujusmodi electio servatis servandis, et juxta praescriptum in decreto sa. me. Urbani pp. VIII. die XXIII. martii MDCXXX. edito legitimo facta fuerit, eamdem confirmavit, et approbavit, praedictique sancti Antonii abbatis sic in patronum principalem electi festivitati praerogativas omnes sanctorum patronorum principalium festis competentes attribuit, atque concessit die 1. septembris MDCCCIV.

J. Maria card. de Somalia S. R. C. praef.
M. A. Cattanio S. R. C. prot.

Confirmatio apostolica. §. 3. Cum autem sicuti in eadem expositione additum erat, dicti exponentes, quo praeinsertum decretum firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae Nostrae confirmationis subsidio muniri summopere desiderent; Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, idem decretum, et singula in eo contenta, et expressa auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et adprobamus, illique inviolabilis, et perpetuae apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in eo quomodolibet intervenerint supplemus, et sanamus,

Clausulae sublata, et decretum irritans. §. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, dictae villae, et dioecesis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die undecima septembris millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

CCCXXVII.

Dat. die 11 sept. 1804. Ann. V.

Confirmatio decreti congregationis Rituum super adprobatione electionis s. Antonii abbatis in protectorem principalem villae de Torviscon Granatensis dioecesis pro clero et populo dictae villae.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii clerus, et populus villae de Torviscon

Granatensis dioecesis, quod ipsi ab infrascripta venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium congregatione obtinuerunt decretum tenoris sequentis videlicet.

Tenor decreti s. congregationis Rituum.

§. 2. Electo nuper a clero, et populo villae de Torviscon Granatensis dioecesis s. Antonio abbate in patronum principalem dictae villae, modo ex parte ejusdem cleri et populi pro confirmatione praefatae electionis sacrorum Rituum congregationi supplicatum fuit et sacra eadem congregatio, accedente etiam reverendissimi archiepiscopi assensu, referente eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Caracciolo ponente, attento quod hujusmodi electio servatis servandis et juxta praescriptum in decreto sacrae memoriae Urbani papae VIII. die XXIII. martii MDCXXX. edito legitime facta fuerit, eamdem confirmavit, et approbavit, praedictique sancti Antonii abbatis sic in patronum principalem electi festivitati, praerogativas omnes sanctorum patronorum principalium festis competentes attribuit, atque concessit die I. septembris MDCCCIV.

J. Maria card. de Somalia S. R. C. praef.
M. A. Cattaneo S. R. C. prol.

Confirmatio apostolica.

§. 3. Cum autem sicut in eadem expositione additum erat, dicti exponentes, quo praeinsertum decretum firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae Nostrae confirmationis subsidio muniri summopere desiderent; Nos ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, idem decretum, et singula in eo contenta, et expressa auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et adprobamus, illisque inviolabilis, et perpetuae apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in eo quomodolibet intervenerint supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Nos obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, dictae villae, et dioecesis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die undecima septembris millesimo octigentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

CCCXXVIII.

Dat. die 11. sept. 1804. Anno V.

Territorium nuncupatum Villae Real alias dioecesis Elvensis, dioecesi Pacensi subjicitur.

Pius episcopus
Servus servorum Dei

Dilecto filio Nostro, et Sedis apostolicae nuntio in Hispaniarum regnis commoranti salutem, et apostolicam benedictionem.

Memorantur aliae literae apostolicae, quibus constituti fuerunt fines dioecesis Pacensis.

§. 1. Alias certiores facti a carissimo in Christo filio Nostro Carolo Hispaniarum rege, quod vigore concordatorum inter ipsum ex una, et dilectissimum in Christo filium Nostrum Joannem principem regnorum Portugalliae, et Algarbiorum regentem ex altera partibus sub die VI. mensis junii anni Domini millesimi octingentesimi primi initorum eorumdem respective regnorum fines ad Anae vulgo Guadianae fluminis ripas statuti fuerint: Nos per alias

Digitized by Google

Nostras sub plumbo expeditas literas datas sexto idus octobris elapsi anni Domini millesimi octingentesimi secundi, pontificatus vero Nostri anno tertio, territorium oppidi civitatis nuncupati de Olivencia temporali dominio ipsius catholici regis ad praesens subjectum cum omnibus, et singulis dependentiis, et adnexis a dioecesi Elvensi abdicavimus, et separavimus eumdemque dioecesi Pacensi incorporavimus, dictarumque literarum executionem tibi commisimus.

Ratio concessionis.

§. 2. Nunc autem praefati catholici regis nomine a dilecto filio equite Antonio de Vargas y Laguna ejus apud Nos, et apostolicam Sedem plenipotentiario administro expositum fuit, quod inter alia per supradictam concordiam eidem Carolo regi cessa loca, ille quoque tra praedictum territorium numeratur, qui vulgo dicitur Villa Real, qui sub spirituali jurisdictione praefati episcopi Elvensis pariter existebat, simulque Nobis fuit enixe supplicatum, ut iisdem urgentibus de causis, ob quas antedictum territorium de Olivencia a dioecesi Elvensi disjunctum, et Pacensi dioecesi fuit incorporatum territorium etiam Villae Regalis ab Elvensi dioecesi dismembratum, et dioecesi Pacensi absque ulla mora similiter unitum censeatur, alioquin gravia curae animarum illorum Christifidelium damna orirentur.

Revocatio praecedentium literarum.

§. 3. Nos idcirco talibus adducti rationibus ad omnes amovendas dubitationes, et quascumque difficultates praecavendas, quae super exercitio spiritualis animarum regiminis in earumdem animarum praejudicium forent pertimescendae, mentem Nostram clarius, distinctiusque aperiendo motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine per praesentes tibi committimus, et mandamus, ut priores Nostras literas ad praedictum locum Villae Regalis extensas, ipsumque locum cum suo territorio, ac populo, omnibusque tam laicis, quam ecclesiasticis saecularibus, et regularibus personis, ecclesiis, et monasteriis, si qui sint, aliisque rebus in illo consistentibus, nec non quibuscumque juribus, ac pertinentiis a supradicti episcopi Elvensis jurisdictione, potestate, et superioritate perpetuo dismembratum, disjunctum, et separatum, ac moderni, et pro tempore existentis episcopi Pacensis auctoritati, et jurisdictioni perpetuo subjectum, ejusque dioecesi unitum, adnexum, et incorporatum nuncies, atque declares, perinde ac si locus Villae Regalis cum suo territorio, omnibusque ei adnexis in prioribus literis Nostris fuisset expresse commemoratus, atque descriptus; et ad hujusmodi effectum eodem modo, quo in anterioribus literis Nostris potestatem impertimur, quamcumque aliam personam idoneam in ecclesiastica dignitate constitutam pro praesentium quoque exequutione subdelegandi, facultatesque omnes, et singulas concedimus, quae ad praemissorum plenarium effectum necessariae erunt, atque opportunae.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernimus propterea declaratorias hasce literas Nostras sub iisdem derogatoriis, aliisque clausulis comprehendi, quae in prioribus Nostris superexpressis literis fusius enunciantur; ideoque ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari, ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane pariter decernimus. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo quarto, idibus septembris, pontificatus Nostri anno quinto.

CCCXXIX.

Dat. die 17. sept. 1804 Anno V.

Facultas magistratibus Pisaurensibus utendi veste oblonga nigra, ac etiam torque aureo pro primo confalonerio, nec non duobus accensis cum clava, umbella, atque apparitoribus in numero, et qualitate per provinciae gubernatorem praefigendis, et postea adprobandis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Paterna Nostra solicitudo erga Nostros, et Romanae apostolicae Sedis in temporalibus subditos Nos movet, ut eorum votis, quantum cum Domino possumus benigne annuamus, eosque specialibus gratiis libenter prosequamur. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii communitas, et homines civitatis Nostrae Pisaurensis, civitas ipsa antiquitatis laude, cleri splendore, patritiorum virtute, civium probitate, ac in universum constanti in Romanos pontifices, Sedemque

praedictam vel difficillimis temporibus perspecta, et probata fide non parum floruerit, et floreat, magistratusque habeat prudentia, morumque integritate praeditos.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos qui civitatem praedictam, ejusque communitatem, et homines praemissorum meritorum intuitu propensione quodam benevolentiae Nostrae complectimur affectu, magistratus bujusmodi aliquo beneficentiae Nostrae munere decorare, et amplioribus honorificentiae praerogativis ornare volentes, atque eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus primo confalonerio, ut vestem sericam nigram oblongam vulgo rubone, et torquem aureum, reliquis vero dictae civitatis magistratibus, ut eamdem vestem oblongam sine torque deferre, et gestare; nec non umbellam, et duos accensos cum clava, itemque apparitores honorarios, seu corporis custodes in numero, et qualitate per modernum Nostrum illius provinciae gubernatorem praefigendos, ac ab ipsis magistratibus eligendos, et successive a dicto moderno, et pro tempore existente gubernatore in scriptis semper adprobandos, et sic adprobatos patentalibus literis per ipsos magistratus muniendos pro hujusmodi officio suscipiendo atque gerendo, palam praeferre, vel circumferre, illisque in publicis actibus et functionibus uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque magistratus desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae civitatis Pisaurensis, aliarumque civitatum status Nostri Ecclesiastici etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima septima septembris millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

CCCXXX.

Dat. die 22. sept. 1804. Anno V.

Incorporatio perpetua ecclesiae, conventus, et bonorum olim ad canonicos regulares ordinis sanctissimae Trinitatis spectantium pro mulierum conservatorio secessus de Cruce de urbe.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Pastoris aeterni vices gerentes in terris in illud praesertim Nostram omnem solicitudinem, et curam impendendam esse arbitramur, ne gaudium, quod est in coelis super uno peccatore poenitentiam agente aliquando cesset propter ejus in culpas recidentiam, ut plerumque fit, si non modo malum, sed vel ipsae quoque mali occasiones amoveantur.

Expositio precum.

§. 2. Exponi quidem Nobis nuper fecit dilectus filius Fortunatus Pinchetti presbyter et muliebris conservatorii secessus de Cruce nuncupati hujus almae Nostrae urbis director, quod cum nonnullae aetate florentes mulieres celtica, seu venerea lue affectae in nosocomio s. Jacobi incurabilium dictae urbis cum corpore, tum animo satis convaluissent, postea ex eodem nosocomio dimissae, ac ab omnibus derelictae in maximo versabantur periculo ad priorem lubricam vivendi rationem redeundi. Deplorabilem ipsarum conditionem miseratus dilectus filius presbyter Cyrus de Paolis domunculam apud nosocomium praedictum illis aperuit, in qua et salutaribus alerentur institutionibus, et in foemineis operibus se exercerent, adhibita etiam benefica diligentia dilectae in Christo filiae Mariae Theresiae Crucifixae tertii ordinis Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, quam dictis mulieribus praefecit, atque ita fundamenta jecit dicti conservatorii secessus, ubi nunc multae degunt mulieres, quae Magdalenam errantem prius sectatae, mox eamdem inclytam poenitentem sequi gloriantur, pluresque etiam advenirent, ibique constanter perseverarent, nisi loca, et alia necessaria deessent. Cum itaque, sicut in eadem expositione additum

erat, ecclesia s. Franciscae Romanae sita in urbis regione viae Felicis nuncupatae, et adnexus conventus jam canonicorum regularium ordinis sanctissimae Trinitatis provinciae Italicae desertus remanserit, eo quod dilectus filius Felix Bono unicus dicti conventus superstes ad statum presbyteri saecularis auctoritate apostolica translatus, praevia ad ejus vitam dumtaxat assignatione usus fructus cujusdam Sabini praedii ad dictum conventum spectantis Chiorano nuncupati in titulum patrimonii sacri, ab urbe discesserit, ac reliquis ipsius conventus bonis dilecto filio Nostro Julio Mariae Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali de Somalia nuncupato in dicta alma urbe vicario in spiritualibus generali per Nos in administrationem datis, donec et quoad ex illorum redditibus, creditoribus satisfieret, idcirco dictus Fortunatus, qui pro administratione hujusmodi gerenda a memorato Julio Maria cardinali subdelegatus reperitur derelictam ecclesiam, et conventus hujusmodi aedes cum suis pertinentiis universis memorato conservatorio per Nos, et hanc sanctam Sedem perpetuo addici, et attribui summopere desiderat ad majorem Dei gloriam, et dictarum poenitentium utilitatem; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur ipsum Fortunatum et mulieres praedictas specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ac motu etiam proprio, et certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, concessam deputationem administrationis praedictae revocantes, memorato conservatorio secessus dictam ecclesiam s. Franciscae cum sacello, et singulis reliquis ejus partibus, itemque praedictum conventum desertum a canonicis dictae congregationis, ejusque hortulum, et aedes cum omnibus, et singulis bonis, juribus, et pertinentiis universis, ac etiam cum singulis oneribus quomodolibet ecclesiae, et conventui hujusmodi adnexis addicimus in perpetuum, et attribuimus. Nec non memoratum Sabinum praedium Chiorano immediate post subsequutum dicti Felicis obitum motu, et potestate similibus in perpetuum pariter ex nunc, prout ex tunc, et e contra concedimus, et assignamus; ita tamen ut ipsum conservatorium extincti conventus creditoribus satisfacere teneatur.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 4. Decernentes easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, neque ex alia quacumque quantumvis legitima, juridica, et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite etiam in corpore juris clauso, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, quantumvis magno, et substantiali, ac individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut ad terminos juris reduci, sed ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac dicti conservatorii mulieribus, atque illis ad quos spectat, et pro tempore spectabit plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non, quatenus opus sit, provinciae, et ordinis sanctissimae Trinitatis hujusmodi statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis,

Digitized by Google

ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die vigesima quinta septembris millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 25. sept. 1804. Anno V.

CCCXXXI.

Confirmatio concordiae initae inter patronos ecclesiae B. M. Virginis nuncupatae — della Piazza — civitatis Anconae.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Memorantur vicissitudines, quibus ecclesia subjecta fuit, et jurgia suborta inter illius patronos.

§. 1. Pastoralis Nostra solicitudo exigit, ut majori Dei gloriae, ac Nostrorum, et S. R. E. in temporalibus subditorum concordiae, prout res, tempusque postulat, efficaciter consulamus. Cum itaque, sicut accepimus, templum collegiatae et parochialis ecclesiae sub titulo B. Virginis Mariae vulgo della Piazza nuncupatae de jure patronatus, ut asseritur, dilectorum filiorum communitatis, et hominum civitatis Nostrae Anconitanae superioribus calamitosissimis temporibus profanatum, atque ita expilatum, vastatumque remansisset, ut rebus postea divina providentia restitutis, communitas praedicta impar omnino esset sumptibus faciendis pro ejusdem templi reparatione; hos hac potissimum de causa capitulum, et canonicos dictae collegiatae per rescriptum dilecti filii magistri Diomedis Carafa congregationis venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium praepositorum secretarii ad ecclesiam archiconfraternitatis sub titulo ss. Sacramenti ejusdem civitatis transtulimus, reservato dictae communitati suo patronatus jure, et quibusdam conditionibus praescriptis; inauditis tamen dilectis filiis capitulo, ut canonicis basilicae s. Joannis in Laterano de urbe, in quorum solo eadem archiconfraternitatis praedictae ecclesia reperitur extructa. Quare memoratum Lateranense capitulum Nos de iis monens, quae antea fuerunt occultata; Nobis humiliter supplicari fecit, ut suis juribus prospiceremus. Supplicem hujusmodi libellum dictae cardinalium congregationi dignoscendum remisimus; atque ita Lateranensis capituli, dictaeque archiconfraternitatis nomine coram eadem cardinalium congregatione causa instaurata fuit contra capitulum et canonicos collegiatae praedictae s. Mariae, itemque contra communitatem patronam, et promotorem fiscalem curiae ecclesiae Anconitanae super obreptionis, vel subreptionis vitio, quo dictum rescriptum laborare intendebant. Tantum autem aberat, ut dicta communitas judicio contendere vellet pro memoratae collegiatae, et parochiae traslatione sustinendo, ut potius moleste ferret, pervetustum templum aere publico fere in civitatis centro, ubi major est populi frequentia, extructum, et praepositurae, collegiataeque titulo, ut etiam asseritur, a fel. rec. Sixto pp. IV. praedecessore Nostro decoratum, perpetuo desertum fuisse; idque eo acerbius in dies ferebat, quod eventus comprobarat, ablatis inde canonicis, et parochia, atque uno tantum ut praestatutum fuerat, sacerdote ibi apud sacram aediculam in loco templi sufficiendam subrogato, divinum cultum, populique devotionem non parum excidisse. Interea vero temporis priusquam causa hujusmodi, in memorata cardinalium congregatione proponeretur, cum ex spontaneis piorum fidelium oblationibus summa scutatorum mille monetae Romanae collecta, et apud dilectum filium comitem Josephum Bianchi deposita fuerit in ipsius templi reparationem eroganda, compertum est, quod juxta peritorum relationem nihil aliud pecuniae addendum esset ad rem perficiendam, quam longe inferior summa biscentorum supra quindecim scutatorum, et obulorum duorum supra viginti ejusdem monetae, constituto pretio pro operibus ad id necessariis per ipsos peritos exequendis. Quoniam autem multae et variae adhuc occurrebant difficultates, dicta communitas ad eas superandas dilecti filii Nostri Romualdi S. R. E. diaconi cardinalis Braschii de Honestis nuncupati ipsius civitatis Anconitanae protectoris

praesidium imploravit. Qui, toto negotio in se recepto, cum venerabili fratre nostro Leonardo episcopo Portuensi ejusdem S. R. E. cardinali Antonelli nuncupato dictae basilicae archipresbytero, dictaeque archiconfraternitatis protectore egit, ut excitatae controversiae ex bono, et aequo inter ipsosmet componerentur. Idem Leonardus episcopus, quo fervet religionis zelo, susceptum ab illo consilium libenter probavit. Uterque igitur pro sua ex dictis contrariis partibus, ambo tamen cardinales praedicti uno, eodemque simul aequitatis, et de divini cultus amore ducti omnem operam, laborem, et studium contulerunt, ut partium rationibus diligenter expensis, universisque circumstantiis consideratis, non modo obortas jam quaestiones funditus tollerent, sed etiam aliis difficultatibus, quae suborituræ essent, occurrerent, et complanarent. Quae omnia perfecerunt, initis inter se, et subsignatis pactis, et conditionibus sequentis tenoris videlicet.

Tenor pactorum conventorum.

I. §. 2. Che da chiunque sia stato fatto l'acquisto della profanata chiesa denominata di s. Maria della Piazza, sua adiacenza, annessi e connessi, o ne sia l'attuale detentore, debba farsene la restituzione a tenore degli ordini sovrani di sua Santità pubblicati coll'editto dell'em. e rev. sig. cardinale segretario di stato del giorno 24. ottobre 1801. E nel caso che al medesimo detentore si dovesse il quarto per la retrocessione di detto locale, se ne debba sborsare la somma per metà dalla confraternita, e per l'altra metà dalla comunità patrona.

II. Che dall'em. e rev. sig. cardinale Onesti Braschi debbano eleggersi, e deputarsi due nobili del ceto degli anziani, e consiglio, e dall'em. e rev. sig. cardinale Antonelli, come arciprete della basilica Lateranense, e protettore di detta confraternita, due de' fratelli della medesima, i quali gratuitamente si prestino a stipulare per pubblico istromento, o per apoca privata gli occorrenti contratti con il capo mastro muratore, e con il falegname in conformità delle perizie già formate, e con che i prezzi non eccedino quelli già liquidati, e con tutti gli altri artisti, l'opera de' quali potrà abbisognare per la decente ripristinazione della detta chiesa; come pure ad invigilare su i lavori, che si anderanno facendo, e trarre gli ordini per i dovuti pagamenti sopra il nobil'uomo sig. conte Giuseppe Bianchi, che dovrà continuare ad essere il depositario dei scudi mille provenienti da pie oblazioni, e respettivamente sopra il pubblico depositario della comunità, ed il camerlengo, ossia esattore della confraternita; come pure a fare tutt' altro, che all' effetto di cui si tratta, potrà rendersi necessario, ed opportuno.

III. Che tutte le altre spese in qualunque modo occorrenti, tanto per la conservazione di detta chiesa, quanto per tutt' altro, che abbisognar possa in avvenire, debbano rimanere a carico della comunità di Ancona, come sola ed assoluta padrona della medesima chiesa.

IV. Che ridotta, che siasi la chiesa ad uno stato servibile, e decente, debba il capitolo immantinente ritornare nella medesima, ed ivi esercitarsi le parrocchiali, ed ecclesiastiche funzioni, non potendo esso, come eretto in detta chiesa, e destinato per l'attuale servizio della medesima, aver altro diritto, o pretensione qualunque, se non che venga la stessa chiesa restituita allo stato primiero, e fornita di tutti quei comodi, che ivi trovavansi prima della di lei profanazione, al che rimane pienamente provveduto in vigore del presente piano, che in nome della comunità di Ancona, e della confraternita del ss. Sagramento di detta città dovrà umiliarsi al trono della santità di nostro Signore, affinchè voglia benignamente degnarsi di approvarlo con sue lettere apostoliche da spedirsi in forma di breve.

Questo di 3. settembre 1804.

L. card. Antonelli arcipr. e protettore.
R. card. Braschi Onesti protettore.

Preces porrectae pro obtinenda confirmatione conventionum.

§. 3. Cum autem, sicut dilecti filii tam moderni antiani, et consiliarii dictae civitatis Anconitanae, quam guardianus, et confratres memoratae archiconfraternitatis sanctissimi Sacramenti Nobis nuper exponi fecerunt, quo praeinsertae conventiones firmius subsistant, suaeque demandentur executioni, omnia apostolicae Nostrae confirmationis subsidio muniri summopere desiderent.

Confirmatio apostolica.

§. 4. Nos ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et singulares personas, quibus praesentes Nostrae literae favent a quibusvis excommunicationis,

Digitized by Google

suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, motu etiam proprio, ac certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine causam seu causas hujusmodi praecidimus, et prorsus extinguimus, ac perpetuum capitulo, et canonicis basilicae Lateranensis, officialibus, et confratribus archiconfraternitatis praedictae, ac communitati, et capitulo, atque canonicis collegiatae s. Mariae della Piazza, et Fisculi ecclesiae curiae Anconitanae silentium super praemissis indicimus (salvo remanente ejusdem basilicae jure super ecclesia, et archiconfraternitate praefatis) causamque, seu causas hujusmodi nullo umquam tempore coram praedicta cardinalium congregatione, aut quocumque Romanae curiae judice, et tribunali, seu apostolico delegato proponi, et agitari posse decernimus, atque mandamus.

Clausulae salutares.

§. 5. Ac praeinsertas conventiones, omniaque, et singula in eis contenta, et expressa auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus, et adprobamus, illisque inviolabilis, ac perpetuae firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus quomodolibet in eis interventos supplemus, et sanamus, easdemque conventiones tamquam solemnia decreta a singulis dictis partibus solemniter acceptata haberi, et servari volumus ita, ut dicta communitas suam ibi praefixam impensarum ratam pro dicto templo in pristinum restituendo, etiam sine congregationis Boni Regiminis licentia, et assensu. Decernentes easdem praesentes literas, et eis contenta quaecumque etiam ex eo, quod capitulum, et canonici dictae collegiatae sanctae Mariae, et alii quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, neque causae propter quas ipsae praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae, et justificatae fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis legitima, juridica, et privilegiata causa colore, praetextu, et capite etiam in corpore juris clauso nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, quantumvis magno, et substantiali, ac individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas quodcumque juris, et facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam ex motu proprio, et ex certa scientia concesso, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare, sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, ac efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, atque omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit plenissime suffragari.

Decretum irritans.

§. 6. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, Nostra et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, caeterisque contrariis quibuscumque. Quo autem eaedem praesentes literae promptius debitae demandentur executioni, memoratos Leonardum et Romualdum cardinales ad eas exequendas specialiter deputamus cum facultate etiam, ut unusquisque pro suo arbitrio alium sibi benevisum subdeleget ex utraque parte. Ceterum per praesentes non intendimus juspatronatum hujusmodi in aliquo adprobare. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quinta septembris millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

CCCXXXII.

Dat. die 28. sept. 1804. Anno V.

Facultas concessa episcopo civitatis provinciae Compostellanae imponendi onus super redditibus matriscoliae dignitatis ecclesiasticae Civitatensis ad favorem parochialis s. Andreae ejusdem civitatis.

Digitized by Google

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Venerabili fratri episcopo Civitatensi provinciae Compostellanae, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Inter varias, ac multiplices sollicitudines, quas pro communi Ecclesiae utilitate, et christianae reipublicae bono, Nobis divina providentia commissae suscipimus, id maxime Nobis cordi est, ut parochiales ecclesiae omnes per idoneos rectores gubernentur, et sufficienti dotatione munitae dignoscantur, ne animarum Christifidelium cura in eis ullatenus negligatur, et rectores ipsi pauperibus in eorum indigentiis auxilio esse valeant.

Expositio precum.

§. 2. Exposuit Nobis dilectus filius eques Antonius de Vargas y Laguna charissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis catholici, apud Nos et apostolicam Sedem plenipotentiarius administer nomine ejusdem Caroli regis, quod attenta tenuitate reddituum parochialis ecclesiae s. Andreae extra muros urbis Civitatensis, qui competentem annuam pro parocho congruam non constituunt cum gravi parochianorum etiam ejusdem ecclesiae praejudicio ex eo quod illius rectores omnia eis occurrentia auxilia praestare minime valeant, et ad hoc ut imposterum Christi fideles in ejusdem parochialis ecclesiae districtu degentes, ab optimo pastore gubernentur, et in eorum necessitatibus, ipsius opem implorare queant, nihil opportunius videatur quam mediante infrascripti oneris reservatione super omnibus, et singulis beneficiorum ecclesiasticorum fructibus, redditibus et proventibus, qui ab ejusdem parochialis ecclesiae parochianis titulo decimarum nonnulla annuatim percipiuntur, eidem parochiali ecclesiae dotem annuam aliorum biscentum ducatorum de Vellon nuncupatorum monetae illarum partium perpetuis futuris temporibus constituere.

Ratio et tenor concessionis.

§. 3. Cum itaque matriscolia dignitas non tamen post pontificalem major cathedralis ecclesiae Civitatensis provinciae Compostellanae, cujus, sicut et aliorum quinquaginta unius beneficiorum ecclesiasticorum, seu dignitatum in diversis Hispaniarum regnorum metropolitanis, cathedralibus, collegiatis, aliisque ecclesiis consistentium, et in infrascriptis concordatis nominatim expressorum, dum illa, et illae pro tempore ubicumque, quandocumque, et quomodocumque vacant, collatio, provisio, et omnimoda alia dispositio ad Nos, et Romanum pontificem pro tempore existentem, nec non Sedem apostolicam vigore recentium concordatorum inter fel. rec. Benedictum pp. XIV. praedecessorem Nostrum, et Sedem praedictam ex una, et clarae memoriae Ferdinandum Hispaniarum regem catholicum ex altera partibus initorum spectat, et pertinet, in parochiali ecclesia praedicta, ratione cujusdam perpetuo ei adnexo beneficio nonnullarum decimarum, una cum aliis pro tempore existentibus aliorum beneficiorum respective possessoribus, a dilectis filiis pariter ejusdem parochialis ecclesiae parochianis debitarum exatione gaudeat, ideo ut tenuitati reddituum parochialis ecclesiae praedictae occurratur, facultatem per praesentes discretioni tuae tribuimus, et impertimur, ut quemadmodum super aliis infradictae parochialis ecclesiae limites existentibus beneficiis, ita super illo, antedictae matriscoliae unito, servatis omnibus de jure servandis, annuum onus perpetuo duraturum proportionabiliter imponere valeas, ad insimul conflandam memoratam summam ducatorum biscentum de Vellon nuncupatorum, a singulis hujusmodi beneficiatis pro tempore existentibus in termino, seu terminis statuendo, vel statuendis quolibet anno libere pro respectiva rata solvendam, et in augmentum reddituum, sive dotis praedictae parochialis ecclesiae fideliter erogandam.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes matriscoliae praedictae possessores pro tempore existentes, ad instar aliorum, beneficia hujusmodi obtinentium, satisfactioni praefati oneris inutilitatem antedictae parochialis ecclesiae semper fore efficaciter obligatos, sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ejusdem S. R. Ecclesiae cardinales praefatos etiam de latere legatos, vice-legatos, dictaeque Sedis nuncios, judicari, et definiri debere, atque irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus, universalibusque conciliis editis specialibus, vel generalibus

constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictaeque majoris ecclesiae Civitatensis provinciae Compostellanae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quomodolibet forsan concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorum tenores specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie latissime, et plenissime ac specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae concessionis, ac facultatis impertionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud s. Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo quarto, tertio kalendas octobris pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 29. sept. 1804. Anno V.

CCCXXXIII.

Pensio perpetua super fructibus ecclesiae Placentinae provinciae Compostellanae ad favorem collegiatae s. Idelphunsi nullius dioecesis provinciae Toletanae.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Super universas orbis ecclesias, eo disponente, qui cunctis imperat, et cui omnia parent, meritis licet imparibus constituti, levamus in circuitu agri Dominici oculos Nostrae mentis more pervigilis pastoris inspecturi quid ecclesiarum etiam collegiatarum decori congruat, ut quae divinus cultus in majorem quoque christifidelium aedificationem augeatur ad ea, quae ad illarum ministrorum congruam substentationem necessaria dignoscuntur, Nostri officii partes utiliter intendere curamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Expositio precum porrectarum a rege catholico.

§. 2. Sane per dilectum filium equitem Antonium De Vargas y Laguna carissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis catholici plenipotentiarium administrum ipse Carolus rex Nobis exposuit, quod annui redditus massae capitularis saecularis, et insignis collegiatae ecclesiae sanctissimae Trinitatis regii situs sancti Idelphunsi nullius dioecesis provinciae Toletanae adeo tenues existunt, ut canonicis, aliisque ecclesiasticis personis ejusdem collegiatae ecclesiae capitulum componentibus minime sufficiant; proindeque plurimum cupiat per Nos mediante infrascriptae pensionis reservatione, ut infra, opportune provideri.

Ratio, et tenor concessionis.

§. 3. Ne igitur in ecclesiis divinus cultus umquam, minuatur et personae illae, quae assidue Deo in psalmis, hymnis, et canticis laudes persolvunt ad aliena animos non divertant, sed omni assiduitate in divinis ministeriis exercendis religiosum cultum in dies adhibeant, ipsius Caroli regis votis benigne annuere volentes ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, pensionem annuam perpetuis futuris temporibus duraturam, eamque ab omnibus, et quibuscumque oneribus, et impositionibus ordinariis, et extraordinariis, quomodolibet nuncupatis quavis etiam apostolica auctoritate, ac motu pari, etiam consistorialiter nunc impositis, et pro tempore quomodolibet imponendis, ac alias in omnibus, et per omnia, et omnino quoad omnia liberam, immunem, et exemptam triginta sex millium sexcentum octoginta octo regalium de Vellon nuncupatorum super mensa episcopalis ecclesiae Placentinae provinciae Compostellanae, ad quam, dum illa pro tempore vacat, nominatio personae idoneae Romano pontifici pro tempore existenti facienda, ad supradictum Carolum Hispaniarum regem catholicum ex privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, spectare, et pertinere dignoscitur, fructibus, redditibus, et proventibus certis, et incertis in quacumque re consistentibus, et undecumque, quomodocumque, et qualiter-

cumque provenientibus, praesentibus, et futuris, etiamsi super illis aliae pensiones annuae certis personis ecclesiasticis illas annuatim percipientibus apostolica auctoritate reservatae reperiantur, dummodo tamen insimul tertiam partem fructuum praedictae mensae episcopalis annuatim non excedant, eidem massae capitulari praedictae collegiatae ecclesiae, et pro ea modernis, ac futuris pro tempore existentibus ejusdem collegiatae ecclesiae canonicis, beneficiatis, cappellanis, aliisque ecclesiasticis personis quomodolibet nuncupatis ejusdem collegiatae ecclesiae capitulum componentibus, vel eorum camerario, seu thesaurario, aut alio particulari titulo nuncupatae personae in administratione, et exactione redditum praedictae massae capitularis specialiter ab eisdem deputatae per venerabilem fratrem Nostrum modernum, et pro tempore existentem ipsius ecclesiae Placentinae episcopum, et successores suos episcopalem ecclesiam praedictam quomodolibet obtinentes, vel ejusdem mensae episcopalis ecclesiae Placentinae administratores annis singulis in termino, seu terminis inter partes statuto, seu statuendo, aut statutis, vel statuendis, et sic successive de anno in annum, ac termino in terminum, vigore tamen earumdem praesentium, nec alias, alioquin praesens reservatio nulla sit eo ipso integre, et absque ulla etiam minima diminutione persolvenda apostolica auctoritate praedicta ipsarum tenore praesentium perpetuo reservamus, constituimus, et assignamus, decernentes praedictae ecclesiae Placentinae episcopum, et successores suos praesules pro tempore existentes, seu illius administratores ad integram solutionem pensionis per praesentes reservatae praefatae eidem massae capitulari antedictae collegiatae ecclesiae, ejusdemque capitulo juxta reservationis, constitutionis, et assignationis praedictarum tenorem fore efficaciter obligatos.

Confirmatio reservationis factae extra consistorium.

§. 4. Etiamsi vero reservatio hujusmodi extra consistorium Nostrum secretum, et absque venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consilio facta extiterit, nihilominus quovis praetextu, et ex quavis causa etiam juridica, vel pia, aut privilegiata ad minorem summam reduci, annullari, vel invalidari, minusque illius reservationem infringi, aut nullam dici, nec non easdem praesentes de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, ac quacumque alio defectu notari, impugnari, invalidari, aut in jus, vel controversiam vocari, seu adversus illam quandocumque juris, vel facti, sive gratiae remedium impetrari, vel etiam motu proprio, et ex certa scientia concesso, et impetrato quempiam uti, seu se juvari posse, sed eas semper validas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere perinde ac si pensio hujusmodi per praesentes reservata in consistorio Nostro, et de eorumdem fratrum consilio, ac de consensu etiam illius, vel illorum, qui pensionem supradictam solvere debebunt, reservata fuisset.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Sicque, et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales praefatos etiam de latere legatos, vice-legatos, dictaeque Sedis nuncios judicari, et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane etiam decernimus.

Deputatio executoris apostolici.

§. 6. Quocirca venerabili fratri Antonio ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali De Sentmanat y Cartella nuncupato, patriarchae Indiarum, ac dilectis filiis magistro Joanni Baptistae Quarantotti in utraque signatura Nostra referendario, et antiquiori canonico ecclesiae Placentinae per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios faciant auctoritate Nostra pensionem praedictam, juxta reservationis, constitutionis, et assignationis praefatarum ac decreti Nostri hujusmodi tenorem integre persolvi, contradictores per censuras ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictaeque ecclesiae Placentinae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quomodolibet forsan concessis, confirmatis, et innovatis: ac Nostra, et cancellariae aposto-

licae regula de praestando consensu in pensionibus, ac Lateranensis concilii novissime celebrati, pensiones annuas super mensarum episcopalium fructibus, redditibus, et proventibus, nisi ex cessionis, aut alia probabili causa reservari prohibentis; quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis eorum tenores specialis, specifica, et individua, non autem per clausulas generales, idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque; aut si praedicto episcopo, et successoribus praedictis, vel quibusvis aliis communiter, aut divisim ab apostolica sit Sede indultum, quod ad praestationem, vel solutionem pensionis alicujus minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Sanctio poenalis. §. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae reservationis, constitutionis, assignationis, decreti, statuti, voluntatis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo quarto, tertio kalendas octobris, pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 2. octob. 1804. Anno V.

CCCXXXIV.

Facultas dignitatibus, et canonicis cathedralis Lyciensis celebrandi in pontificalibus.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Quantum splendoris, ac venerationis vel ipsa sacra indumenta oculis, animisque Christifidelium ingerere valeant optime tenens Apostolica Mater Ecclesia non solum varias pro varietate festorum sacerdotibus suis in sacris faciendis praescripsit vestes, sed etiam in templis magis conspicuis, ubi major est christiani populi frequentia sacris ministris ibidem Altissimo famulantibus interdum particularia ornamenta deferenda concessit.

Expositio precum. §. 2. Cum itaque, sicut Nobis dilecti filii capitulum, et canonici cathedralis ecclesiae Lyciensis nuper exponi fecerunt, ipsi apostolico indulto utendi mitra gaudeant, ac eadem cathedralis ecclesia antiquitatis laude, patrimonii amplitudine, templi magnificentia, sacrorum supellectilium copia, sacrorumque ministrorum numero, probitate, et doctrina ita floreat, et floruerit, ut nonnulli ejus episcopi ad amplissimum S. R. E. cardinalium ordinem, unus etiam ad summum pontificatus apicem fuerint evecti, cumque praeterea accedat ipsius Lyciensis civitatis celebritas, quae tanta est, ut non modo capitalis illius provinciae existat, sed etiam regali studiorum universitate decorata, atque novendecim regularibus utriusque sexus conventibus, et monasteriis, ac variis conservatoriis, orphanotrophio, aliisque piis institutionibus locupletata reperiatur, multum splendoris, et ornamenti ad ecclesiam, et civitatem hujusmodi accederet, ac divinus cultus, populique devotio majora ibi susciperet incrementa, si ejusdem cathedralis dignitates, ac canonici novis praerogativis per Nos, et hanc sanctam Sedem donentur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus dignitatibus, et canonicis presbyteris dictae cathedralis ecclesiae Lyciensis, ut in ecclesia praedicta, ac etiam in aliis ejusdem civitatis, et dioecesis Lyciensis ecclesiis pontificalia deferre, ac in pontificalibus celebrare, ad instar dignitatum et canonicorum metropolitanae ecclesiae Neapolitanae in omnibus et per omnia (excepto

tamen pastorali, seu abbatiali baculo) libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium de speciali dono gratiae concedimus, et indulgemus, dictosque dignitates, et canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quopiam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ac dictae cathedralis ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda octobris millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

CCCXXXV.

Dat. die 29. octob. 1804. Anno V.

Allocutio habita in consistorio secreto diei XXIX. octobris MDCCCIV. super itinere suscipiendo ad imperialem coronam Naupoleoni Parisiis imponendam.

Venerabiles fratres.

Hoc ipso ex loco, venerabiles fratres, initum a Nobis concordatum cum majestate imperatoris Francorum, tunc primi reipublicae consulis, cum vobis annuntiaremus, gaudium, quo Deus totius consolationis cor Nostrum perfuderat ob rerum conversionem ad religionis catholicae bonum in vastissimis illis, et populosissimis regionibus ex eodem concordato secutam, vobis communicavimus. Sacra enim templa inde patefacta, atque ab iis, quas misere subierant, profanationibus mundata, excitatae arae, elatum denuo salutiferae crucis vexillum, verus Dei cultus revocatus, augusta religionis mysteria libere, et publice rursus celebrata, pastores legitimi populis dati, qui suam pascendo gregi operam navare possent, catholica religio ex latebris, in quibus delitescere coacta fuerat feliciter emersa, atque in media illius inclytae nationis luce iterum constituta, tot denique animae a deviis itineribus in sinum unitatis reductae, sibique, et Deo reconciliatae, justissima cordi Nostro exultantis, effusaeque in Domino laetitiae argumenta subministrarunt.

Tantum hoc, tamque mirificum opus quemadmodum gratissimos animi Nostri sensus tunc excitavit erga potentissimum principem, qui ad illud ope concordati perficiendum omnem suam auctoritatem exeruit; ita ejusdem operis recordatio perpetuos cordi Nostro stimulos admovet, ut, quoties occasio sese obtulerit, iisdem omnino sensibus Nos erga eum affectos esse reipsa ostendamus.

Jam vero idem potentissimus princeps carissimus in Christo filius noster Naupoleo Francorum imperator, qui de catholica religione ob ea, quae diximus, tam praeclare meritus est, significavit Nobis valde se cupere sacra unctione perfundi, et imperialem coronam a Nobis accipere, ut solemnis hujusmodi caeremonia religionis characterem eminentiori quo fieri potest gradu induat, et coelestes late benedictiones arcessat.

Hujusmodi petitio his expressa sensibus non modo luculentum religionis, et filialis erga sanctam hanc Sedem reverentiae testimonium per se ipsa Nobis exhibuit; sed manifestis etiam declarationibus conjuncta fuit, quibus imperator de constanti sua voluntate Nos certiores fecit juvandae quotidie magis sanctissimae fidei, cujus cladibus in florentissimis illis regionibus reparandis adeo collaboravit. Siquidem in scriptis, quae ad Nos transmitti voluit, disertis verbis hanc animi sui sententiam explicavit. Nobis enim significari fecit Nostri in Galliam itineris scopum non solam esse caeremoniam coronae ipsius capiti imponendae, sed magna Ecclesiae negotia praecipuam ejus partem sibi vindicatura, eaque sermonibus Nos inter, et ipsum habendi pertractanda fore, illorumque exitus progressui religionis, et bono populorum non posse non utillimos accidere.

Videtis itaque, venerabiles fratres, quam justas, quamque momentosas habeamus hujus itineris suscipiendi causas. Sanctissimae enim religionis Nostrae utilitas, gratique erga potentissimum imperatorem sensus Nos movent, qui cum omnem suam, uti diximus, auctoritatem explicuerit, ut catholicam religionem libere in Gallia profiteri, et publice exercere

liceret, nunc etiam animum Nobis ostendit ad procuranda ejusdem religionis incrementa adeo proclivem.

Magnam itaque in spem erigimur Nos hoc iter ejus invitatu suscipientes, et os ad os cum ipso loquentes, talia ad bonum Ecclesiae Catholicae, quae unica salutis arca est, ex ejus sapientia esse consequuturos, ut sanctissimae religionis negotium perfectum denique fuisse laetari possimus. Hujusmodi vero spes non tam verborum Nostrorum infirmitate, quam illius, cujus vicem immerentes in terris gerimus, gratia fulcitur, quae precibus, et sacris ritibus invocata large effunditur in corda principum, qui ad percipiendos hujus sacrae caeremoniae effectus recte dispositi, cum sint patres populorum de aeterna salute solliciti, vivere, et mori volunt veri Catholicae Ecclesiae filii.

His de causis, venerabiles fratres, praedecessorum Nostrorum exempla sequentes, qui aliquando etiam pro certo tempore propria relicta Sede sese in longinquas regiones contulerunt, ut religionis bonum procurarent, et principibus bene de Ecclesia meritis gratificarentur, hoc iter aggredimur, quamquam ejus longitudo, et minus idoneum anni tempus, et inclinata jam aetas, et parum firma, qua utimur, valetudo, Nos omnino deterrere debuissent. Sed nihili haec facimus, modo Deus det Nobis petitiones cordis Nostri.

Neque vero quae prae oculis habenda erant, antequam gravem adeo deliberationem caperemus, animum Nostrum ullo pacto fugerunt, sed ea quidem omnia et vidimus, et serio consideravimus. In qua quidem multiplici consideratione cum variae Nobis difficultates obortae essent, quarum aliquibus conscientia Nostra anceps, incertaque reddebatur, tales Nobis imperatoris jussu responsiones, atque declarationes datae sunt, ut, rebus omnibus perpensis, de itineris Nostri opportunitate ad bonum religionis, quod Nobis proponimus, consequendum Nos omnino persuaserint. Haec tamen fusiori sermone singillatim persequi opus non est, cum tota hujus tractationis ratio vobis explorata sit, quorum sententias, antequam in re tanti momenti quidquam a Nobis statueretur, et sciscitati sumus, et, uti par erat, plurimi fecimus.

Ne vero illud, quod in maximis deliberationibus suscipiendis ante omnia necessarium est, praetermitteremus, probe conscii quam semper sint, juxta divinae sapientiae effatum, cogitationes mortalium timidae, et incertae providentiae Nostrae, ab hominibus morum integritate, et pietate praestantibus, quorum orationes sicut incensum diriguntur in conspectu Dei, juges, enixasque preces fieri curavimus ad patrem luminum, ut, eo dirigente, id solum a Nobis ageretur, quod placuisset oculis suis, et bono, incrementoque Ecclesiae cessurum esset.

Testis est Nobis Deus, coram quo cor Nostrum humiliter effudimus, ad quem crebro manus Nostras ereximus in templo sancto suo, ut exaudiret vocem deprecationis Nostrae, essetque adjutor Noster, Nos nihil aliud Nobis proposuisse, quam quod in omni re gerenda proponere Nobis debemus, majorem scilicet ipsius gloriam, catholicae religionis utilitatem, animarum salutem, et apostolici muneris implementum, quod Nobis, licet immerentibus, ab eo creditum est. Testes vos ipsi estis, venerabiles fratres, quibus, ut vestris consiliis adjuvaremur, omnia cognita, et perspecta esse voluimus, atque intimiores animi Nostri sensus plenissime communicavimus. Itaque, tam gravi negotio divina ope ad exitum hac ratione perducto, fiducialiter agentes in Deo salvatore Nostro, alacri animo Nos itineri committimus, cujus suscipiendi causis adeo gravibus incitamur. Pater misericordiarum Deus gressibus Nostris, ut speramus, benedicet, atque hanc epocham religionis, gloriaeque suae incremento etiam illustrabit.

Exemplo praedecessorum Nostrorum, ac praesertim novissimo recolendae mem. Pii pp. VI., qui hoc idem decrevit cum Vindobonam esset profecturus, certiores vos facimus, venerabiles fratres, Nos ea jam disposuisse, et ordinasse omnia, quibus cautum est, ut curia, et causarum audientia una cum Nostris, et sanctae hujus Sedis administris post discessum Nostrum ab urbe, ad quam, regimine totius Ecclesiae, ac ditionis Nostrae ita postulante, redire maturabimus, in eo, in quo nunc sunt, statu, actuque permaneant. Cumque omnibus moriendi necessitatem impositam, et incertum mortis diem animo agitemus, illud quoque iisdem praedecessorum Nostrorum exemplis inhaerentes, ac novissimo Pii VI. Vindobonam proficiscentis, praecavendum, et praevidendum duximus, ut pontificia comitia

Digitized by Google

Romae habeantur, si nos Deus ab urbe absentes humanis rebus eripere voluerit. Postremo hoc a vobis vehementer petimus, et flagitamus, ut qua semper in Nos fuistis voluntate, eamdem perpetuo retineatis, Nosque absentes multo magis commendetis omnipotenti Deo, ac Domino Nostro Jesu Christo, ejusque gloriosissimae Matri Virgini, ac beato apostolo Petro, ut prosperum, ac fortunatum sit iter Nostrum, ac felicem exitum consequatur. Quod si, ut speramus, ab auctore omnium bonorum Deo impetrabimus, vos, venerabiles fratres, quos in partem vocavimus consiliorum Nostrorum, rerumque omnium, magnam etiam habebitis in communi gaudio partem, cunctique exultabimus, et laetabimur in misericordia Dei.

CCCXXXVI.

Dat. die 29. octob. 1804. Anno V.

Derogatio legum servandarum in electione novi pontificis in casu decessus durante itinere suscipiendo in petenda Luthetia Parisiorum.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium. §. 1. Quamvis nonnulli Romani pontifices praedecessores Nostri summa cum providentia, studio, ac vigilantia, ea omnia variis in temporibus juxta rerum opportunitatem statuere curaverint, quae ad spirituale universalis Ecclesiae regimen necessaria fore existimarunt; nihilominus certae quaedam causae interdum exigunt, ut vel ea, quae jam statuta sunt confirmentur, vel alia novis legibus decernantur, prout salubriter expedire conspicitur.

Ratio concessionis. §. 2. Ea nimirum est humanarum rerum miserrima conditio, ut aliquando necesse sit juxta temporum circumstantias ea ratione procedere, qua Ecclesiae utilitati opportuna methodo provideatur.

Memorantur providentiae in simili casu captae a Pio papa VI. §. 3. Hisce sane de causis praedec. Noster sa. me. Pius pp. VI. anno MDCCLXXXII. antequam ob ecclesiastica negotia versus Vindobonam proficisceretur, curiam et causarum audientiam, una cum omnibus suis, et hujus s. Sedis administris post ejus ab urbe discessum illo in statu, actuque, quo erant, remansuras, et in eventum fortasse sui obitus, pontificia comitia pro electione novi pontificis Romae juxta statutam formam habenda esse declaravit.

Derogationis tenor. §. 4. Quum itaque in praesentiarum pastoralis officii Nostri sollicitudo postulet, ut per aliquod temporis spatium ab urbe absentes Parisios accedamus; dum curiam, et causarum audientiam cum omnibus nostris, et apostolicae Sedis ministris Romae mansuras decernimus, humanae vitae periculis cogitare non praetermittimus. Minime idcirco dubitantes, quod venerabiles fratres Nostri S. R. E. cardinales in urbe de more resideant, si tempore Nostrae absentiae Domino placeat Nos ad superos evocare, illis legibus, quae de habendis comitiis in loco ubi mortuus sit pontifex constitutae sunt per hasce Nostras literas expresse derogamus, ac motu proprio, et ex certa scientia sancimus, ut habita de Nostro obitu notitia, peractisque consuetis suffragiis in praescripta formula, habeantur comitia pro electione futuri pontificis.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 5. Quapropter praesentes Nostras literas perpetuo validas, et efficaces existere, suosque integros effectus sortiri, et obtinere, atque etiamsi quilibet in praemissis jus vel interesse habentes, seu habere praetendentes non consenserint, nec ad ea vocati, neque auditi fuerint, ab eis ad quos spectat, et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere, ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum. §. 6. Non obstantibus quatenus opus sit, Nostris, et cancellariae Nostrae apostolicae regulis de jure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, a Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris super electione summi pontificis hactenus editis, in ea parte tantum praesentibus literis non congruentibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis. §. 7. Praesentium autem transumptis etiam typis impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et personae in ecclesiastica dignitate constitutae sigillo munitis, eadem fides prorsus volumus ut adhibeatur, ac si originaliter forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis. §. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae sanctionis, decreti, de-

Digitized by Google

rogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo quarto, tertio kalendas novembris, pontificatus Nostri, anno quinto.

Dat. die 30. octob. 1804. Anno V.

CCCXXXVII.

Electio vicarii generalis in locum absentis pro fratribus ordinis Missionum de urbe.

Pius PP. VII.

Deputationis tenor.

§. 1. Quum, uti accepimus, dilectus Nobis in Christo Franciscus Florentinus Brunet presbyter congregationis Missionis ab urbe, in qua post obitum bo. me. Joannis Felicis Joseph Cayla de la Garde ultimi superioris generalis, hucusque vicarii generalis munus sustinuit, discesserit, et in Galliam ob aliqua ipsius congregationis negotia peragenda profectus sit, non amplius reversurus, ad hoc ipsum officium implendum dilectum pariter Nobis in Christo filium Carolum Dominicum Sicardi, primum ejusdem congregationis assistentem generalem, sufficimus, ac deputamus; qui Romae degens hanc ipsam congregationem regat, atque gubernet.

Officia concredita.

§. 2. Quia vero huic officio adnexa est tum cura, et gubernatio communitatis mulierum, seu puellarum charitatis, ubicumque erectae, vel erigendae, tum deputatio presbyterorum dictae congregationis, qui ad missiones apud infideles continuandas, aut de novo stabiliendas missi jam sunt, vel subinde mittentur, utramque provinciam hujusmodi penes praedictum Brunet, sicut hucusque, ita et in posterum remanere volumus, et declaramus; ita ut ipse Sicardi Romae degens tamquam vicarius generalis solius, totiusque congregationis Missionis a Nobis nominatus, ac deputatus censeatur ad omnes ejusdem congregationis domos ubique, videlicet in Italiae, Germaniae, Poloniae, Hispaniae, ac Lusitaniae regionibus erectas, erigendasque in Domino gubernandas. Quapropter apostolicam benedictionem ipsi impertientes, eas omnes facultates, quae in regimine totius congregationis praedictae superiori generali competunt, eidem tribuimus, et, quatenus opus sit, auctoritate apostolica confirmamus.

Assignatio assistentium.

§. 3. Ut autem in re tanti momenti omnia secundum ordinem fiant, et juxta instituti missionis leges, et constitutiones serventur, suos ipsi assignamus assistentes, quorum consilio, et opera opportune utetur, nimirum, praeter ven. fratrem Nostrum Benedictum Fenaja archiepiscopum Philippensem, Nostrique in urbe vices-gerentem jam dudum a Nobis electum, dilectos filios Romualdum Ansaloni provinciae Romanae dictae congregationis visitatorem, Johannem Antonium Bistolfi, et Hectorem Hyppolitum Passerat, ejusdem congregationis sacerdotes. Insuper in officio admonitoris, qui de rebus non levioris momenti ad ejusdem vicarii generalis personam, et officium pertinentibus, ipsum commonefaciat, sacerdotem alterum, idest Sebastianum Bertarelli deputamus. Praesentibus valituris ad Nostram, seu Nostrorum in pontificatu successorum voluntatem. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesima octobris millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

Executio.

§. 4. Haec ss. dominus noster papa Pius septimus mandavit mihi infrascripto in audientia die xxx. octobris MDCCCIV., jussitque fideliter exequi in omnibus, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Benedictus archiepiscopus Philippensis vicesgerens.

Dat. die 31. octob 1804. Anno V.

CCCXXXVIII.

Confirmatio literarum apostolicarum editarum a Pio papa VI. super licentia cardinalibus concessa celebrandi comitia pro electione novi pontificis loco melius eis beneviso.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Memorantur literae ad rem expeditae a Pio papa VI.

§. 1. Quae et quanta superioribus annis non minus adversus sanctiora Ecclesiae jura, et libertatis quam adversus apostolicae Sedis di-

gnitatem, pontificiamque jurisdictionem perpetrata fuerint satis omnibus nota sunt: notae itidem literae a fel. recordationis Pio pp. VI. praedecessore Nostro, super electione novi pontificis emanatae, tam Romae, quam prope Florentiam, dum ipse in Carthusianorum coenobio morabatur, tempore quo etiam sacri collegii cardinales, hac illac dispersi, variis in regionibus hospitabantur. Nos vero ex quo catholicae Ecclesiae gubernacula, licet immerentes, Deo sic disponente tractanda suscepimus, innumeras, et gravissimas e sublimi hac apostolica specula pontificatui Nostro ingruentes prospeximus difficultates, easque periculi plenas existimavimus, quae libertati Ecclesiae in primis obesse videbantur.

Causa verificandae, ut novae concessioni fiat locus.

§. 2. Quoniam autem apostolici ministerii ratio nunc a Nobis exposcit, ut per aliquod temporis spatium, ab urbe recedamus, cum jam per alias Nostras hesterna die sub plumbo expeditas literas comitia pro novi pontificis electione, si quid absentibus Nobis humanitus acciderit Romae habenda statuerimus; animo cogitantes, quod ob imperscrutabilia Dei judicia novae in urbe possunt evenire calamitates, atque ita fortasse augeri, ut venerabiles fratres Nostri S. R. E. cardinales Roma discedere, ac alibi se se conferre cogantur, huic quoque malo, quod idem Deus avertat opportune consulendum esse judicavimus.

Confirmationis, et novae declarationis tenor.

§. 3. Vestigiis itaque laudati Pii praedecessoris inhaerentes, motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine ad cunctas in uno, alterove casu arcendas ambiguitates cardinalium collegio Romae existenti eas omnes circa negotium electionis futuri pontificis de novo elargimur peculiares facultates, quae ab eodem praedecessore Nostro Pio VI. per suas sub plumbo literas datas III. kalendas januarii anni Domini MDCCXCVII. fuerunt impertitae. Si vero collegium ipsum ab urbe debuerit exulare, in hujusmodi aerumnosis circumstantiis ad praestolandam liberam, et tranquillam pontificis successoris Nostri electionem comitia in alicujus catholica jurisdictione habenda decernimus, et mandamus, atque in hunc finem, omnes et singulas in allatis memorati Pii VI. praedecessoris sub plumbo literis datis ex coenobio Carthusianorum prope Florentiam idibus novembris anno Domini MDCCXCVIII. contentas facultates, Nos itidem venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus denuo concedimus, renovamus, confirmamus, omniaque, et singula statuta, ac mandata in una, aut altera ex iisdem literis, quarum tenores habendi erunt, perinde, ac si de verbo ad verbum essent praesentibus inserti, integre, ac inviolabiliter respective observari volumus, atque praecipimus. Pro certo idcirco habentes, quemlibet sacri collegii cardinalem, in negotio tanti momenti catholicae religionis, et Ecclesiae tranquillitatem spectante, nullam propriorum commodorum, sed universi catholici gregis curam dumtaxat habiturum, ut concordibus studiis novus pontifex celeriter eligatur, qui Petri naviculam assiduis agitatam fluctibus opportune regat, atque gubernet.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes propterea has pariter Nostras literas, etiam ex eo quod quilibet in praemissis jus, vel interesse habentes, seu habere praetendentes minime vocati, neque auditi fuerint perpetuo validas esse, et fore, atque ab omnibus, et praesertim iis, ad quos specialiter spectat, et pro tempore spectabit non solum plenissime suffragari, sed etiam inviolabiliter pariter observari, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus, etiam quatenus opus sit Nostris, et cancellariae apostolicae regulis de jure quaesito non tollendo, omnibusque aliis constitutionibus, et literis apostolicis, quae praedictus Pius praedecessor, suis literis specialiter enunciando voluit non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 6. Volumus insuper, quod praesentium transumptis, etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si originaliter forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam Nostri mandati, confirmationis, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud s. Mariam Majorem, anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo quarto, pridie kalendas novembris, pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 21. octob. 1804. Anno V.

CCCXXXIX.

Confirmatio deliberationis initae per secretarium status cum deputatione ejusdem in judicem privativum super futuris controversiis pro collegio Germanico Hungarico de urbe.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium. §. 1. In summo apostolatus apice, meritis licet imparibus constituti, illud curandum arbitramur, ut Nostrorum, et S. R. E. in temporalibus subditorum, ac praesertim ecclesiasticorum collegiorum jura, etiam post tot, tantasque superiorum temporum vicissitudines, sarta, tecta, sincera, et integra maneant.

Expositio precum, et decreti editi ad rem a cardinale Consalvo. §. 2. Cum igitur post editam Nostram illam constitutionem, quae incipit — *Post diuturnas* — dilectus filius modernus in provincia Urbinatensi delegatus Noster apostolicus jurisdictionem territorialem personalem quam ante notissimas superiorum temporum procellas collegium Germanicum Hungaricum de urbe, ac pro eo ipsius collegii protector, tam in fundis, quam personis ad abbatiam sanctae Crucis Fontis de Avellana Senogalliensis et Eugubinae, seu alterius dioecesis pertinentibus ab immemorabili tempore exercuerat, jam cessasse putaret; cumque venerabilis frater Noster Aloysius episcopus Albanensis S. R. E. cardinalis Valenti Gonzaga nuncupatus zelantissimus ejusdem collegii apud Nos, et sanctam Sedem protector Nobis humiliter supplicasset, ut ipsum collegium in jurisdictionum hujusmodi possessione manutenendum fore mandaremus, Nos, ut, qua par erat, procederemus maturitate, rem omnem dilecto filio Nostro Herculi ejusdem S. R. E. diacono cardinali Consalvi nuncupato secretario status dignoscendam remisimus, ut ipse pro suo acri ingenio, eorumque usu consuleret, prout rationi consentaneum esset. Qui Hercules cardinalis utraque parte in scriptis audita, ac rationibus hinc inde deductis diligenter expensis, praevio Nostrae vivae vocis oraculo, sentiit, atque deliberavit jurisdictionem collegii praedictam, per Nostram memoratam constitutionem minime fuisse abrogatam. In ipsa namque constitutione eas tantum jurisdictiones aboletas esse voluimus, quae alicui peculiari exemptioni, et privilegio personali, vel locali niterentur, aut ex officio aliquo in materiis, et delictis communibus penderent, non autem illas abrogavimus jurisdictiones, quae essent territoriales, ac feudales, qualis in dicta abbatia ipsius collegii jurisdictio fuisse dignoscitur.

§. 3. Nos itaque, ut multos Romanos pontifices praedecessores Nostros imitemur, qui idem collegium maximis favoribus ornarunt, quippe quia ex ejus gremio quamplurimi prodiere S. R. E. cardinales S. R. I. electores, archiepiscopi, episcopi, abbates, aliique qui et probitate morum, et doctrina non mediocriter floruere, ac etiam ecclesiasticis dignitatibus praefulgentes, deliberationem Herculis cardinalis praedictam apostolicae Nostrae confirmationis subsidio munire, idemque collegium specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac singulares personas, quibus praesentes Nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, motu proprio, ac certa scientia, ac maturo consilio Nostris, praedictam Herculis cardinalis deliberationem, seu sententiam, qua de jure sancitum, et declaratum fuit, ad praedictum collegium Germanicum Hungaricum, ac pro ipso ad ejus cardinales protectores pro tempore existentes spectare jus exercendi plenam, ac absolutam jurisdictionem feudalem, et territorialem in praedicta abbatia in omnibus causis civilibus, criminalibus, et mixtis, quae respiciant actiones, et jura ad eamdem abbatiam pertinentia, vel crimina etiam communia, quae intra fines abbatiae ab ejus ministris, colonis, alisque, licet exteris, comitti possint, eo ipso modo, quo caeteri barones, ac feudatarii ditionis Nostrae pontificiae suam in propriis feudis exercent jurisdictionem, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et adprobamus, illique inviolabilis, et perpetuae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in ea quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus: itemque si, et quando in posterum novae super jurisdictionis hujusmo-

Confirmatio dicti decreti.

di exercitio, et pertinentiis quomodolibet suborirentur dubitationes, et controversiae, tam cum delegato apostolico praedicto, quam cum alio quocumque jusdicente, pro iisdem dubiis tollendis, ac quaestionibus decidendis nunc, et pro tempore in perpetuum existentem cardinalem secretarium status in judicem privativum, et oeconomicum, qui de plano, ac sine strepitu judiciali, et quacumque appellatione remota, easdem controversias definiat, et dubia hujusmodi, prout rationi consentaneum erit, resolvat, ita ut quaestiones, vel dubia hujusmodi coram quocumque alio judice, aut tribunali, vel etiam S. R. E. cardinalium congregationi proponi non possint, auctoritate, et tenore praedictis constituimus atque deputamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac ejusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, memorata Nostra, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesima prima octobris millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 15 nov. 1804. Anno V

CCCXL.

Facultas dignitatibus, et canonicis collegiatae ecclesiae Valentiae Bracharensis dioecesis gestandi tibialia, et zonam violaceam ac fasciolam viridem in pileo in perpetuum.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigia prementes, ecclesiasticis viris, et Altissimo famulantibus in augustioribus templis peculiaria ornamenta deferenda interdum concedimus, ut ipsi vel per externas hujusmodi honorificentias excitati internarum splendore virtutum praelucere in domo Domini magis, magisque nitantur.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque sicut Nobis dilecti filii capitulum, et canonici insignis, ut asseritur, collegiatae ecclesiae sancti Stephani oppidi Valentiae Mirici Bracharensis dioecesis nuper exponi fecerunt, idem capitulum antiquitatis praesertim laude ita emineat, ut ex certis monumentis melior capituli cathedralis ecclesiae Thudensis pars ab origine fuisse dicatur, atque inter vetusta privilegia illud quoque numeretur, ut jurisdictione in toto Valentiano territorio cum jure, et titulo visitandi olim exercuerit, multum splendoris ad ipsum accederet, si ejusdem capituli dignitates, et canonici novis decorationibus per Nos, et hanc sanctam Sedem donentur; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, dignitatibus, et canonicis nunc, et pro tempore in perpetuum existentibus dictae collegiatae sancti Stephani, ut ipsi zonam violaceam cum floccis, seu lemniscis coloris similis, et tibialia itidem violacea, ac demum fasciolam cum lemniscis coloris viridis pilei fornici obvolutam privatim, ac publice in dicta dioecesi Bracharensi gestare, illisque uti libere, et licite possint, et valeant auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, ac dignitates, et canonicos praedictos desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae col-

legiatae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae de speciali mandato Nostro, apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima tertia novembris millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 13. nov. 1804. Anno V.

CCCXLI.

Institutio novae cathedrae de Mineralogia, et Historia Naturali in Romano archigymnasio Sapientiae pro collegio advocatorum concistorialium urbis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum, et ratio concessionis.

§. 1. Uberes dum menti Nostrae fructus occurrunt, quibus eo ditatur magis humana respublica, quo hominum ingeniis major, ampliorque patet literarum palestra, nihil sane ducimus omittendum quidquid ad extendenda augendaque artium, atque disciplinarum studia conferre posse conspicimus. Quum itaque rerum naturalium varia supellex, cui in archigymnasio Sapientiae almae urbis Nostrae omnifariam coagmentandae pluribus ab hinc annis tum a Nostris praedecessoribus, tum a Nobis etiam ipsis jugis est adhibita cura, adeo jam in musaeum excreverit, ut quemadmodum nuper exponi Nobis fecerunt dilecti filii collegium advocatorum concistoralium, nil desiderari aliud videatur, quam peritus, ac idoneus vir, qui custodiam musaei hujusmodi peculiarem suscipiat, et de mineralogia studiosam juventutem publice erudiat, orentque ipsi advocati, ac humiliter flagitent hanc in re per Nos provideri opportune, atque ut infra indulgeri:

Tenor concessionis.

§. 2. Nos ad archigymnasii decus, scentiarumque augmentum exponentium votis libenter obsecundantes, ipsosque omnes, ac unumquemque ipsorum a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus ipsorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, auditis prius dilectis filiis magistro Alexandro Lante camerae Nostrae apostolicae thesaurario, et archigymnasii praedicti moderno rectore, auctoritate apostolica tenore praesentium cathedram mineralogiae, et historiae naturalis eodem in archigymnasio erigimus, et constituimus, et in cathedrae hujusce lectorem publicum dilectum filium Carolum Josephum Gismondi congregationis clericorum regularium Matris Dei Scholarum Piarum nuncupatarum expresse professum, et luculenter tam ob ejus scientiam atque peritiam in rebus naturalibus, quam ob ejus idoneitatem ac zelum in recte edocendis juvenibus apud Nos commendatum, pro hac prima vice nominamus, et facimus, eique annuum scutatorum centum et viginti stipendium statuimus et assignamus, nec non omnes ac singulos honores, praerogativas, gratias, et indulta jam aliis archigymnasii lectoribus concessa ac per eosdem quomodolibet gauderi solita concedimus, atque tribuimus, onusque simul diligenter custodiendi praememoratum musaeum, seduloque incumbendi lectionibus, quas publice de mineralogia et historia naturali habiturus in archigymnasio erit per totum annum scholasticum ac illa praecipue dierum hora, quam ei advocatorum praedictorum collegium designaverit, imponimus, ac stricte injungimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros, effectus sortiri, et obtinere, ac iis omnibus, ad quos spectat, ac spectabit pro tempore, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non supradicti archigymnasii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Declaratio specialis quo ad emolumentum lo-

§. 4. Volumus autem, ac declaramus expresse, quod lector cathedrae hujusmodi nihil umquam in iis, quae ad augmentum stipen-

Digitized by Google

storis, ejusque electionem. diorum juxta praestitutas in archigymnasio regulas obtineri consuetum attinet, commune habeat cum aliis lectoribus, sed in recensita sui stipendii summa centum ac viginti scutorum semper manere, semperque de ea solum contentus esse debeat: quodque lecturam ejusdem praedictae cathedrae si et quando imposterum vacare contingat, tunc quoad novum eligendum lectorem adamussim servetur in omnibus et per omnia felicis recordationis Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri constitutio, quae incipit — *Inter conspicuos ordines.* Datum Romae de speciali mandato Nostro die decima tertia novembris millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 4 dec. 1804 Anno V.

CCCXLII.

Confirmatio decreti congregationis sacrorum Rituum pro clero saeculari, et regulari civitatis, et dioecesis de Cusco in Indiis Occidentalibus.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Quum sicut exponi nuper fecerunt Nobis dilecti filii clerus saecularis, et regularis civitatis, ac dioecesis de Cusco in Indiis Occidentalibus, ipsi pro peculiari erga sanctum Josephum beatissimae Mariae virginis sponsum suae devotionis affectum recitare quotannis in die decima nona cujuslibet mensis officium proprium cum missa in honorem ejusdem sancti, prout in illius die festo recitatur, plurimum cupiant, humiliterque a Nobis exposcant.

Tenor concessionis. §. 2. Nos ipsos exponentes in devotione hujusmodi confovere, ac specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, attenta dilecti filii magistri J. de Carpineo secretarii congregationis sacrorum rituum relatione, iisdem exponentibus, ut posthac praedictum officium cum missa ipsi in supradictis diebus ritu semiduplici, exceptis tamen temporibus adventus, quadragesimae, quatuor temporum, vigiliarum sive cum jejunio, sive absque jejunio, ac iis diebus, in quibus juxta rubricas reponendum sit officium dominicae, aut festi translati, libere, et licite recitare possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae de speciali mandato Nostro sub annulo piscatoris die quarta decembris millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 14. dec. 1804. Anno V.

CCCXLIII.

Indultum gestandi rocchetum, et mantellettum, vel cappam magnam, nec non palmatas in perpetuum pro canonicis collegiatae sancti Laurentii civitatis Florentinae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Quantum splendoris, ac venerationis vel ipsa sacra indumenta oculis, animisque Christifidelium afferre valeant optime noscens Apostolica Mater Ecclesia, non modo varias pro varietate festorum, et solemnitatum sacerdotibus suis in sacris faciendis praescripsit vestes, sed etiam in templis magis conspicuis, ubi major est populi christiani frequentia, sacris ministris ibidem Altissimo famulantibus saepe particularia etiam ad eorum dignitatem exprimendam aptissima insignia deferenda concessit.

Expositio precum. §. 2. Exponi quidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici regalis ecclesiae collegiatae insignis sancti Laurentii

Digitized by Google

civitatis Florentinae, quod quamquam ejusdem collegiatae dignitati, et canonicis a felicis recordationis Leone pp. X. praedecessore Nostro per suas apostolicas sub plumbo pridie nonas octobris MDXX., ac successive a recolendae memoriae Gregorio pp. XIII. praedecessore itidem Nostro per similes suas idibus junii MDLXXXIII. datas literas concessum fuit, ut ipsi loco cottarum linearum, et almutiarum, quas ex iis temporibus gestabant, habitum, quem alii canonici metropolitanae ecclesiae Florentinae tunc temporis deferebant, deferre (nigrum autem, non violaceum) possent, et valerent, numquam adhuc tamen habitu hujusmodi usi sunt, sed veterem illum suum retinuerunt, ac retinent. Cum autem sicut in eadem expositione additum erat, metropolitanae canonici decentioribus, et commodioribus nunc fruantur insignibus, cumque collegiata ipsa patrimonii amplitudine, templi nitore, sacrarum supellectilium copia, sacerdotum probitate, et doctrina, populi christiani frequentia, et missarum numero etiam ex eo, quod defunctorum principum Hetruscorum ossa ibi quiescunt, non parum inter alias Florentinas ecclesias floreat, divinus cultus, populique devotio majora ibi susciperet incrementa, si ejusdem collegiatae canonice tandem aliquando et sibi jamdiu concessis insignibus utantur, ac novis decorationibus donentur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos carissimae in Christo filiae Nostrae Mariae Aloisiae Hetruriae reginae illustris, et regentis intuitu, quae pro eo, quo semper flagrat avito religionis zelo, preces Nobis desuper oblatas vehementer commendavit, dictos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorumdem canonicorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, modernis, ac pro tempore in perpetuum existentibus dignitati, et canonicis memoratae sancti Laurentii collegiatae, ut ipsi posthac rocchetum, et mantellettam nigram limbo cremisini coloris circumdatam, ac tela serica ejusdem cremisini coloris subsutam, vel in aliis anni temporibus, aut solemnioribus festivitatibus loco mantellettae hujusmodi cappam magnam pariter nigram cum nigris armelliniis pellibus tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, et aliis functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, nec non palmari vulgo — bugia — in sacris faciendo, et aliis presbyteralibus functionibus exercendis in omnibus civitatibus, et locis Hetruriae regi subjectis uti libere, et licite possint, et valeant auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, dictosque dignitatem, et canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae collegiatae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae de speciali mandato Nostro die decima quarta decembris millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

CCCXLIV.

Dat. die 18. dec. 1804. Anno V.

Ampliatio indulti de uno ad duos menses vacandi a choro, et percipiendi in absentia fructus, et distributiones quotidianas in perpetuum pro beneficiatis ecclesiae parochialis s. Catharinae v. et m. civitatis Valentinae.

Venerabili fratri archiepiscopo Valentino.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Nuper exponi fecerunt Nobis dilecti filii beneficiati, qui clerum constituunt ecclesiae parochialis sanctae Catharinae virginis et martyris civitatis Valentinae, quod felicis recordationis Clemens pp. XIV. praedecessor Noster anno MDCCLXXI. ipsis indulsit, ut tertia eorum pars pro uno tamen mense cujuslibet anni vacare posset a choro absque di-

stributionum quotidianarum jactura, iis tamen exceptis, quae personalem praesentiam postulant. Tunc temporis autem sexaginta beneficiati ista in ecclesia numerabantur, qui in praesentiarum ad quadraginta tantum redacti sunt defectu redditaum, qui pro hoc solo numero substentationem congruam afferunt. Sed praeterquam quod multum imminuta est quantitas beneficiatorum, multum quoque eo ab hinc tempore excreverunt, tam mane, quam vespere functiones ecclesiasticae, ita ut gravius nunc factum sit pondus laboris iis, qui choro inserviunt. Hinc vacatione duorum in anno mensium aeque ac clerus fere omnis aliarum parochialium, licet et numero minor, et minori obstrictus servitio, ex apostolicae Sedis gratia isthic jam gaudet, posse gaudere vel ipsi desiderant, enixisque precibus humillime a Nobis efflagitant.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes, ac ipsorum singulos specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, quatenus veris existentibus praenarratis, laudati praedecessoris indultum, quod ad unum dumtaxat mensem in anno pro tertia parte beneficiatorum praedictae ecclesiae, ut praefertur, concessum fuit, deinceps ad duos menses uniuscujusque anni, et non ultra, ac exceptis festis solemnioribus a te designandis, pro quarta, vel quinta eorumdem, ac etiam successorum parte, per turnum, prout magis in Domino expedire censueris, ita quidem, ut pars hujusmodi a choro per eos menses abesse, et nihilominus omnes et singulos suorum beneficiorum fructus, redditus, et proventus, nec non distributiones quotidianas, servata tamen quoad has conditione prioris indulti, dummodo nempe praesentiam, assistentiamque personalem non requirant, exigere, atque percipere, suosque in usum, et utilitatem convertere, perinde ac si cunctis chori et ecclesiae servitiis, functionibusque interessent, libere, et licite valeant, auctoritate Nostra apostolica pro tui prudentia, et arbitrio gratis extendas, et amplies.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae parochialis ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro pleno, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die octava decembris millesimo octingentesimo quarto, pontificatus Nostri anno quinto.

CCCXLV.

Dat. die 22. dec. 1804. Anno V.

Territorium s. Cornelii alias in dioecesi Elensi existens, dioecesi Gerundensi incorporatur.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Memorantur praecedentes literae quibus constituta fuit dioecesis Elensis.

§. 1. Cum per apostolicas Nostras, alias sub plumbo expeditas literas apud sanctam Mariam Majorem decimo kalendas proxime praeteriti mensis augusti datas, pontificatus Nostri hoc anno quinto, vallem de Arania ad Pireneos montes positam prope flumen Garumnam, ejusque integrum territorium cum omnibus in ea, seu eo cujuscumque generis degentibus habitatoribus tam ecclesiasticis, quam laicis, omnibusque etiam ibi contentis ecclesiis etiam parochialibus, monasteriis, cappellis, ac beneficiis, alias sub ordinaria jurisdictione episcopalis ecclesiae Convenarum per Nos antea apostolica auctoritate suppressae, ne ob jam peractam in Gallicano do-

minio omnium dioecesum novam circumscriptionem, omniumque episcopalium ecclesiarum novam pariter erectionem, habitatores praedicti territorii, utpote non Gallicano gubernio, sed charissimo in Christo filio Nostro Carolo Hispaniarum regi in temporalibus obtemperantes, absque proprio ecclesiastico pastore remansuri essent, ordinationi, potestati, et jurisdictioni tam moderni, quam in posterum respective existentium ecclesiae Urgellensis episcoporum perpetuo subjecimus, ac praedictam vallem de Arania cum suo integro territorio eidem dioecesi Urgellensi adjunximus, et incorporavimus.

Exponitur ratio decernendae novae dismembrationis.

§. 2. Modo autem cum pariter intellexerimus quod vicus, aut regio sub sancti Cornelii titulo vulgo etiam Rivellas nuncupatus, aut nuncupata sub ipsius Caroli regis dominio existens, pridem sub episcopi suppressae ecclesiae Elensis spirituali jurisdictione comprehensa reperiebatur, simili ratione congruum existimamus, ut habitatores omnes in toto hujusmodi territorio, Gallicano dominio contermino degentes, moderni et pro tempore existentium Gerundensis ecclesiae episcoporum gubernio et jurisdictioni perpetuo subjiciantur.

Tenor novae assignationis.

§. 3. Apostolica itaque sollicitudine adducti, ac religiosis votis ejusdem Caroli regis obsecundando, integrum territorium supra enunciatum cum omnibus in eo contentis personis, et habitatoribus, tam ecclesiasticis, quam laicis cujuscumque generis, in temporalibus praedicto catholico regi obedientibus, et in eo existentibus ecclesiis et cappellis ante praedictam novam Gallicanarum dioecesum circumscriptionem sub episcopi suppressae episcopalis ecclesiae Elensis spirituali gubernio comprehensis motu proprio, et ex certa scentia, deque apostolicae potestatis plenitudine, episcopali ecclesiae, et dioecesi Gerundensi perpetuo per praesentes adjungimus, et incorporamus, ac omnimodae jurisdictioni, superioritati, visitationi, et correctioni moderni et pro tempore existentis episcopi Gerundensis, apostolica auctoritate praedicta supponimus, atque subjicimus, ita ut episcopus Gerundensis praedictus, per se, vel alium, seu alios ejus nomine in supradicta regione, seu vico, aut territorio, et in eo, seu eis contentis ecclesiis, aut cappellis, eorumque adnexis, et pertinentiis, veram, realem, actualem, et corporalem possessionem, seu quasi possessionem administrationis spiritualis, et omnimodi juris dioecesani propria auctoritate, earumdem vigore praesentium cujusvis licentia desuper minime requisita libere apprehendere possit, et valeat.

Clausula sublata.

§. 4. Quapropter praesentes Nostras literas, omniaque in eis contenta, semper et perpetuo validas, et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus inviolabiliter observari mandamus.

Decretum irritans.

§. 5. Sicque, et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios, vel quovis alios sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, ac definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis, editis specialibus vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus, apostolicis in genere vel in specie alias in contrarium praemissorum forsan emanatis, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes; quibus omnibus, et singulis ad praemissorum omnium validissimum effectum, amplissime, plenissime, nec non specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 7. Praeterea volumus, ut praesentium transumptis, sive exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quae praesentibus ipsis haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam Nostrae adjunctionis, unionis, incorporationis, subjectionis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno in-

Digitized by Google

carnationis Dominicae millesimo octingentesimo quarto, tertio decimo kalendas januarii pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 22. jan. 1805. Anno V.

CCCXLVI.

Facultas regi catholico incorporandi in perpetuum unam commendam militiae s. Jacobi.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Ex parte carissimi in Christo filii Caroli Hispaniarum regis catholici Nobis expositum nuper fuit, quod ipse, qui militiae sancti Jacobi de Spatha administrator perpetuus auctoritate apostolica deputatus existit, pro eo quo fervet religionis zelo, proque eximio suo erga personas sub vexillis crucifixi Domini expresse militantes studio, ad levandam inopiam qua laborat regalis conventus dilectarum in Christo filiarum religiosarum vulgo *las Comendatoras* ordinis sancti Jacobi et mayor oppidi civitatis nuncupati Matriti Toletanae dioecesis, eidem conventui praeceptoriam seu commendam de Hinososa del Valle militiae praedictae per obitum bonae memoriae jam comitis de Dublaiset vacantem perpetuo concedere, atque incorporare intendit, quatenus Nostra, et hujus sanctae Sedis super hoc licentia sibi suffragetur, et facultas. Quare Nobis ejusdem Caroli regis nomine humiliter supplicatum fuit, ut dicto conventui in praemissis providere dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur susceptum a pio rege consilium maxime in Domino laudantes, easdem religiosas specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, eidem Carolo regi dictam praeceptoriam, seu commendam de Hinososa memorato religiosarum conventui auctoritate Nostra apostolica in perpetuum concedendi, uniendi, atque incorporandi, ipsisque religiosis mulieribus in conventu hujusmodi nunc, et pro tempore in perpetuum existentibus, ut praeceptoriam, seu commendam praedictam sic obtinere, illiusque fructus, redditus, et proventus quoscumque percipere, exigere, et levare, ac in conventus, ejusque ecclesiae usus, utilitatemque convertere libere, et licite possint, et valeant, sine tamen ullo jurium aerario dictae militiae sancti Jacobi competentium, et praescripti, seu statuti per decretum generale vulgo per punto generale in cedula XVI. februarii MDCXXXVII. quoad solutionem decenniorum pacta, et a fel. rec. Pio pp. VI. praedecessore Nostro per suas in simili forma brevis die XI. decembris MDCCLXXXII. expeditas literas confirmata praejudicio, atque cum debito in perpetuum persolvendi reliqua omnia onera regalia, et ordinaria, quae quolibet anno super dicta praeceptoria, seu commenda distribuenda erunt, indulgendi plenam, et omnimodam facultatem eadem auctoritate, tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae militiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima secunda januarii millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 25. jan. 1805. Anno V.

CCCXLVII.

Erectio montis frumentarii in favorem nosocomii civitatis Alatrinae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. In summo apostolatus apice, meritis licet imparibus constituti, illud praecipue curandum Nobis esse arbitramur, ut ea quae locorum ordinarii in pauperum levamen provide institui cupiunt, firmiter etiam, ac perpetuo instituantur.

Ratio concessionis. §. 2. Cum itaque, sicut accepimus, publicum nosocomium civitatis Nostrae Alatrinae reddituum penuria ita laboret, ut auctum nuperrimis temporibus infirmorum numerum, alendo, atque curando impar fuisset, nisi venerabilis frater Joseph ejusdem civitatis episcopus pro sua, qua in pauperes fervet charitate verbo, et exemplo divites cives ad opem ei ferendam excitasset, cumque idem Joseph episcopus providas suas bujusmodi curas in perpetuum futurum tempus extendens cupiat montem frumentarium ex undecim, quae extant tritici rubris ipsius nosocomii erigi, ac perpetuo inviolabiliter servari in subsidium quoque pauperum agricolarum, quibus triticeum semen ad serendum desit; Nobis propterea humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur susceptum a dicto episcopo consilium maxime in Domino laudantes, atque ipsum episcopum, dictique nosocomii administratores specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, montem frumentarium bujusmodi ex dictis undecim tritici rubris incipiendum, atque ex continuis augmentis successive complendum donec ad trecenta tritici rubra pervenerit, vel ad alium inferiorem numerum per ipsum Josephum episcopum intra annum proximum definiendum, sub immediata nunc, et pro tempore existentis episcopi Alatrini subjectione, adhibitis tamen duobus deputatis ecclesiastico uno, altero saeculari per ipsum episcopum eligendis, atque ad ejus nutum in hujusmodi officio perdurandis, et cum privilegio manus regiae pro faciliore frumentorum repetitione, augmentorumque exigentia, nec non cum reliquis omnibus, et singulis privilegiis, quibus montes frumentarii bujusmodi civitatum, et locorum status Nostri pontificii tam de jure, usu, et consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, atque gaudere poterunt in futurum, auctoritate apostolica, tenore praesentium in favorem dicti nosocomii erigimus in perpetuum, instituimus, et erectum declaramus.

§. 4. Volumus autem I. ut ejusdem montis administratores ab episcopo deputati teneantur singulis annis rationem reddere suae administrationis eidem episcopo, nulla interposita mora. II. Frumentum, seu triticum nemini distribuatur, nisi agricolis pauperibus, qui illud revera seminaturi sint, ac praestito ab eorum singulis, quatenus opus sit, fidejussore. III. Ut annuatim repetatur frumentum praestitum cum respectivis augmentis per similes montes exigi consuetis. IV. Denique postquam rubrorum triticeorum numerus ad suum complementum pervenerit, augmenta, et emolumenta inde percepta, expletis oneribus, in dicti nosocomii dumtaxat utilitatem erogentur, neque in alios usus convertantur sine speciali Nostra, et Romanorum pontificum successorum Nostrorum facultate: dos vero, vel sors principalis frumentaria ejusdem montis omnino inalienabilis perpetuo maneat. Quas omnes, et singulas conditiones perpetuis futuris temporibus inviolabiliter servari, dicta auctoritate constituimus, atque mandamus. Leges servandae.

§. 5. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac dicto nosocomio, ejusque administratoribus in omnibus, et per omnia plenissime suffragari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausulae sublata, et decretum irritans.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, dictae civitatis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privi- Derogatio contrariorum.

legiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae de speciali mandato Nostro die vigesima quinta januarii millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 29. jan. 1805. Anno V.

CCCXLVIII.

Confirmatio nonnullarum literarum apostolicarum quibus jam hominibus terrae Valtupinae Fulginatensis dioecesis indultum fuit, ne praetor terrae ejusdem assumi posset ex eis, qui originarii essent vicinarum civitatum.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. In summo apostolatus apice, meritis licet imparibus, constituti ea, quae a Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris in favore Nostrorum, et Sanctae Romanae Ecclesiae in temporalibus subditorum provide concessa sunt, illaesa remanere volumus, ac etiam saepe confirmamus.

Expositio precum. §. 2. Exponi quidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii, universitas, et homines terrae Nostrae de Valtupina jam Nucerinae, nunc autem Fulginatensis dioecesis, quod dudum sibi a fel. rec. Urbano pp. VIII. praedecessore Nostro sub certis modo, et forma tunc expressis auctoritate apostolica concessum fuit, ac successive a rec. mem. Benedicto pp. XIII. praedecessore itidem Nostro pariter confirmatum, ut in ipsius terrae praetorem nemo umquam eligi et assumi posset ex iis, qui originarii essent vicinarum civitatum, terrarum et locorum non ultra decem millia passuum ab ipsa terra distantium, ac alias, prout ex respectivis dictorum Urbani, et Benedicti literis in simili forma brevis die XIII. jan. MDCXLIII., et XXVI. septembris MDCCXXIX. desuper expeditis, quarum tenorem, praesentibus pro expresso haberi volumus, uberius continetur. Cum autem, sicut in eadem expositione additum erat, quo literae praedictae firmius in suo robore existant, et serventur exactius, apostolicae Nostrae confirmationis praesidio communiri summopere desiderant.

§. 3. Nos dictos exponentes specialibus favoribus et gratiis, prosequi volentes, ac eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, memoratas Urbani, et Benedicti praedecessorum literas, et omnia, ac singula in eis contenta auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et adprobamus, illisque inviolabilis, ac perpetuae firmitatis robur noviter adjicimus, servarique mandamus. Tenor confirmationis.

§. 4. Decernentes easdem Nostras praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis plenissime suffragari, et ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quae in praesentibus Urbani, et Benedicti praedecessorum literis concessa sunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae de speciali mandato Nostro sub annulo piscatoris die vigesima nona januarii millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno quinto. Derogatio contrariorum.

Dat. die 29 jan. 1805. Anno V.

CCCIL.

Facultas aggregandi pro confratribus sodalitii Animarum Purgatorii de Yecla Carthaginensis dioecesis.

Venerabili fratri episcopo Carthaginensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi nuper fecerunt Nobis dilecti filii confratres sodalitii, quod sub titulo Animarum Purgatorii in parochiali ecclesia villae de Yecla Carthaginensis dioecesis canonice, ut asserunt, extat erectum, se quamplurimum cupere, ut indulgentiarum, quibus sodalitium gaudet, participes fieri possint etiam ii ex christifidelibus, qui habitum per confratres hujusmodi gestari solitum, ac propriis sodalitii sumptibus textum, consutumque, et ab aliquo ecclesiastico viro debita ad id facultate praedito benedictum assequi, eoque in morte supervestiri voluerint. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ipsorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus praenarratis, eisdem exponentibus, ac eorumdem quoque in perpetuum successoribus admittendi, et aggregandi, (juxta tamen formam a te praefigendam, provisoque simul per te, ne qua umquam turpis lucri occasio subrepat) sodalitio praedicto eos etiam fideles, qui praedictum habitum expetierint, quique, sic admissi et aggregati de indulgentiis sodalitio, ut praefertur, concessis participare, et defuncti quum fuerint, ejusdem sodalitii habitu indutos efferri et sepelliri libere, ac licite possint et valeant, licentiam et facultatem auctoritate Nostra apostolica pro tui arbitrio, et prudentia gratis impertiaris.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae de speciali mandato Nostro die vigesima nona januarii millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 1. febr. 1805. Anno V.

CCCL.

Erectio metropolitanae ecclesiae Ratisbonensis.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. In universalis Ecclesiae cura, quam redemptor Noster imperscrutabili suo judicio Nostrae humilitati committere dignatus est, eam inter caeteras officii Nostri sollicitudines praecipuam habendam esse cognoscimus, ut omnes christifideles ad orthodoxae fidei praesidium, ad religionis catholicae incrementum, et ad aeternam animarum salutem a propriis et idoneis pastoribus gubernentur. Atque idcirco gravibus impellentibus causis, et solum Deum prae oculis habentes Nostra studia in hanc rem conferre nunquam omittimus, prout necessitas exigit, ac temporum, locorum, et personarum qualitatibus mature pensatis conspicimus in Domino salubriter expedire.

Memorantur praecedentes literae latae pro efformatione novarum dioecesium in regnis Gallicorum.

§. 2. Hinc est, quod Nos ad servandam unitatem, et restituendum catholicae religionis exercitium in amplissimis regionibus, quae temporali dominio charissimi in Christo filii Nostri Naupoleonis Francorum imperatoris nunc subjacent, per Nostras sub plumbo expeditas literas datas Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo primo tertio kalendas decembris, pontificatus Nostri anno secundo, novam statuerimus dioecesium circumscriptionem, atque inter caeteras metropolitanam ecclesiam Moguntinam perpetuo suppresserimus, eamdemque ecclesiam noviter erexerimus in ecclesiam episcopalem suffraganeam archiepiscopi Mechliniensis, quoad eam antiquae dioecesis territorii partem, quae in sinistra fluminis Rheni ripa sita, Gallorum paret

Digitized by Google

imperio, firmis interea atque integris remanentibus quoad reliquam ipsius antiquae dioecesis partem in ejusdem fluminis dextera ripa positam omnibus juribus, privilegiis, ac jurisdictione tam venerabilis fratris Caroli Theodori de Dalberg jam archiepiscopi Moguntini, quam illius metropolitanae ecclesiae capituli, Nobisque reservavimus curam secundodictae parti memoratae antiquae dioecesi in posterum prospiciendi. Idem quoque decrevimus, quoad aliam ecclesiam metropolitanam Trevirensem quam pariter suppressimus, et in novam episcopalem ecclesiam ereximus, praefati Mechliniensis archiepiscopi suffraganeam pro territorii parte sita intra limites imperii Gallicani, salvis in reliqua parte juribus itidem, privilegiis, et jurisdictione prioris illius archiepiscopi, et capituli prout in praefatis Nostris literis fusius continetur. Existente similiter civitate Coloniensi cum parte antiquae suae dioecesis sub Gallicano imperio, eamdemque vigore hujusmodi Nostrarum literarum jam dismembrata, et unita novis Galliarum dioecesibus, habitoque jam antea consensu capituli ipsius metropolitanae ecclesiae a pluribus annis vacantis, titulum, denominationem, naturam, et essentiam ejusdem ecclesiae Coloniensis pari modo apostolica auctoritate, omnino suppressam, et extinctam censendam esse declaramus; firmis de caetero remanentibus ejusdem ecclesiae, et capituli juribus, privilegiis, et jurisdictione in antiquae dioecesis parte ad dexteram Rheni ripam sita, ac reservata Nobis cura prospiciendi in posterum similibus partibus antiquarum dioecesium Coloniensis ac Trevirensis, extincto tamen quocumque jure metropolitico, suppressis archiepiscopalibus ecclesiis Moguntina, Coloniensi, ac Trevirensi antea spectante.

Consulitur decori suppressae sedis Moguntinae.

§. 3. Cum autem prae oculis semper habuerimus conspicuam sedem Moguntinam, quae a sancto ipso Bonifacio Germaniae apostolo illustrata antea pendebat, multum expediens futurum judicavimus, eamdem veteris dioecesis Moguntinae partem aliae sedi addicere, in quam jura, honores, ac privilegia suppressae metropolitanae ecclesiae Moguntinae auctoritate Nostra transferantur, cumque per obitum bonae memoriae Josephi Conradi de Schrofenberg episcopi Frisingensis, simulque Ratisbonensis ecclesiae administratoris a biennio circiter vacet eadem ecclesia Ratisbonensis, cujus gubernii spiritualis administrationem, attento lapsu temporis, juxta concordata Germaniae, capitulo illius cathedralis pro electione novi episcopi praefiniti, atque ex peculiaribus causis per Nostras in forma brevis die decima quinta julii anni Domini millesimi octingentesimi tertii sub annulo piscatoris expeditas literas praedicto Carolo Theodoro ad Nostrum et Sedis apostolicae beneplacitum commisimus, opportunum Nobis videtur in difficillimis hisce temporibus congruum aliquid juxta rerum et circumstantiarum exigentiam statuere, tam de vacante sede episcopali Ratisbonensi, quam de supramemorata parte antiquae dioecesis suppressae metropolitanae Moguntinae in dextera Rheni ripa existente.

Votum ad rem panditum a nonnullis S. R. E. cardinalibus.

§. 4. Nonnullorum propterea venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium exquisita sententia, illud apprime expediens visum est, quod ecclesia ipsa cathedralis Ratisbonensis optimae structurae, de rebus omnibus necessariis instructa, et copioso clero referta, praevia illius exemptione a quacumque Salisburgensis metropolitani superioritate in archiepiscopalem et metropolitanam ecclesiam erigeretur, atque hoc pacto majus obtineret honoris augmentum.

Erectio civitatis Ratisbonensis in archiepiscopalem.

§. 5. De consilio igitur eorumdem venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine Ratisbonensem episcopalem ecclesiam a quocumque archiepiscopali Salisburgensis metropolitico jure, superioritate, jurisdictione, et auctoritate perpetuo eximimus ac liberamus, illiusque titulum, denominationem, naturam et essentiam cathedralitatis, ac dignitatis episcopalis perpetuo quoque supprimimus, et extinguimus. Civitatem vero Ratisbonensem in archiepisopalem, et metropolitanam civitatem cum juribus, honoribus et praerogativis hujusmodi archiepiscopalibus civitatibus competentibus, nec non cathedralem ecclesiam Ratisbonensem sub invocatione sanctorum Petri et Pauli apostolorum in ecclesiam archiepiscopalem et metropolitanam, cum sede et dignitate archiepiscopali, pro uno deinceps archiepiscopo Ratisbonensi nuncupando, qui pallii, et crucis usum ad instar aliorum archiepiscoporum, cum suis capitulo, sigillo, arca, mensa archiepiscopali, omnibusque archiepiscopalibus insigniis, privilegiis,

Digitized by Google

honoribus, titulis, et praerogativis, nec non juribus, jurisdictionibus, facultatibus, superioritatibus, ac praeeminentiis, gratiis, favoribus, ac indultis realibus, personalibus, et mixtis, quibus aliae metropolitanae ecclesiae, earumque praesules utuntur, fruuntur et gaudent, ac praesertim iis, quibus antedicta metropolitana suppressa sedes Moguntina, illiusque archiepiscopi et capitulum legitime potiebantur, ac pacifice gaudebant, atque uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt simili apostolica auctoritate perpetuo erigimus, atque instituimus; nomine, titulo, et honore sedis archiepiscopalis, et metropolitanae decorantes, illiusque pro tempore existentem praesulem archiepiscopum declarantes, eidemque, ut singula, quae metropolitanis in eorum civitatibus, dioecesibus, et provinciis agere a jure indultum est, facere, exercere, administrare, et exequi possit, apostolica auctoritate perpetuo concedimus, et indulgemus.

Constitutio mensae capitularis.

§. 6. Ad capitulum porro hujus novae metropolitanae ecclesiae erigendum, cum ob plures locorum, ac rerum circumstantias minime Nobis explorata sint ea omnia, quae ad tale capitulum apprime efformandum essent necessario agnoscenda, cumque in doctrina, fide, ac prudentia ipsius Caroli Theodori in archiepiscopum ejusdem novae metropolitanae a Nobis praeficiendi, multum confidere debeamus, per praesentes Nostras literas ei committimus, ut servatis omnibus de jure servandis, auditisque singulis in hoc interesse habentibus, capitulum hujusmodi, cum suis dignitatibus, canonicis, officiis, ac praebendis, juxta praescriptum concilii Tridentini, nec non ut primum poterit, curet statuere, cum arca, bursa, et sigillo communibus, aliisque signis, et insigniis honoribus, privilegiis, praerogativis, praeeminentiis, ac juribus, quae antea a capitulo suppressae metropolitanae ecclesiae legitime, ac pacifice fruebantur. Tali autem efformato capitulo, ut pro illius dignitatum, et canonicorum, omniumque rerum, ac bonorum tam spiritualium, quam temporalium prospero, et felici gubernio, ac directione, nec non onerum supportatione, divinorum officiorum celebratione, ac distributionum quotidianarum, aliorumque emolumentorum quorumcumque perceptione, ac divisione poenarum per negligentes incurrendarum declaratione, caeterisque aliis circa praemissa necessariis et opportunis statuta, ordinationes, et decreta sacris canonibus, et apostolicis constitutionibus minime adversantia condere valeat, eidem Carolo Theodoro licentiam, et facultatem concedimus atque impertimur: mandantes tamen, ut omnia et singula, quae pro capitulo hujusmodi constabiliendo acta erunt, ad Nos transmittat, ut praevio consueto examine apostolica Nostra approbatione roborentur; itemque praescribentes, ut donec memoratum capitulum novae metropolitanae non erit erectum, et cum suis statutis a Nobis plenissime approbatum, omnia in eo, quoad praesens sunt statu remaneant, nihil ex una vel altera parte innovando, atque nullum juribus veterum canonicorum tam Moguntinae, quam Ratisbonensis ecclesiarum, ut praefertur, suppressarum praejudicium quomodolibet inferatur, ac demum eidem Carolo Theodoro injungentes, ut interea quotidiano servitio archiepiscopalis ecclesiae Ratisbonensis expedienti modo provideat.

Privilegia concessa capitulo.

§. 7. Capitulo insuper hujus novae metropolitanae ecclesiae Ratisbonensis statim atque erit in praemissa forma erectum, et cum suis statutis ab apostolica Sede approbatum, facultatem perpetuis futuris temporibus impertimur gaudendi jure, ut in qualibet sedis archiepiscopalis vacatione, infra tres menses, a die vacationis hujusmodi canonici capitulariter congregati, divino implorato praesidio novum ejusdem metropolitanae ecclesiae Ratisbonensis archiepiscopum juxta canonicas leges, et ad formam juris, ac statutorum antiquae suppressae metropolitanae ecclesiae Moguntinae in posterum eligere libere ac licite possint, et valeant, qui postmodum a Nobis et Romanis pontificibus successoribus Nostris in ejusdem ecclesiae antistitem, erit consueto more confirmandus, et per apostolicas sub plumbo literas de ipsa metropolitana ecclesia providendus.

Declaratio specialis

§. 8. Quod si fortasse vacatio Ratisbonensis ecclesiae quovis modo accidat priusquam ejus novum capitulum praemissa methodo sit erectum, et cum suis statutis ab apostolica Sede approbatum, cum maxime intersit, ut ad novi praesulis deputationem quam expeditissime procedatur, decernimus et mandamus, quod jus eligendi novum Ratisbonensem archiepiscopum a Romano pontifice deinceps

confirmandum infra praefinitum tempus, et juxta formam canonicarum legum, ac statutorum suppressae metropolitanae ecclesiae Moguntinae, in hoc tantum peculiari casu ad solos antiquos canonicos ipsius Moguntinae suppressae ecclesiae spectet, et pertineat, ac spectare, et pertinere debeat, absque eo, quod capitulo suppressae episcopalis ecclesiae Ratisbonensis aliquo modo in id se se ingerere liceat; suspenso in simili dumtaxat casu manente omni et quocumque jure hujus antiqui capituli circa proprii episcopi electionem.

Ambitus novae dioecesis praefinitur.

§. 9. Pro ambitu vero novae archidioecesis Ratisbonensis in qua futurus et pro tempore existens archiepiscopus residere debebit, ultra Ratisbonensem civitatem assignamus, tam omnia et singula oppida et loca in suppressa episcopali dioecesi Ratisbonensi contenta, quae ad praesens ipsius a Nobis deputandi archiepiscopi etiam temporali dominio subjacent, quam oppida, et loca jam efformantia partem alteram suppressae Moguntinae archidioecesis ad dexteram Rheni ripam existentia, quae pariter temporali dominio subsunt antiqui archiepiscopi Moguntini, cui adhuc integra manet in illis jurisdictio, cum omnibus et singulis personis tam ecclesiasticis, quam laicis cujuscumque gradus, et conditionis, quas ordinariae futuri, et pro tempore existentis archiepiscopi Ratisbonensis potestati, et auctoritati perpetuo subjicimus, atque supponimus.

Dotatio mensae Archiepiscopalis.

§. 10. Ut autem futurus, et pro tempore existens archiepiscopus Ratisbonensis dignitatem suam decenter sustinere valeat, redditus omnes, ac proventus a memoratis territoriis Moguntinae et Ratisbonensis suppressarum dioecesium, temporali etiam ipsius novi archiepiscopi dominio, ut praefertur, subjectis provenientes, atque ad summam centum octoginta circiter millium florenorum monetae illarum partium annuatim, ut asseritur, ascendentes pro dote mensae archiepiscopalis ecclesiae Ratisbonensis, apostolica pari auctoritate perpetuo etiam constituimus et assignamus.

Idem ut supra.

§. 11. Eidem praeterea ut supra a Nobis erectae metropolitanae ecclesiae Ratisbonensi omnes, et singulas episcopales ecclesias, quae ad dexteram ripam antedicti fluminis Rheni sitae sunt, quaeque antea vel Moguntinae vel Trevirensis, aut Coloniensis ecclesiarum, ut praefertur, suppressarum juri metropolitico suberant, vel ad praesens venerabilis fratris moderni Salisburgensis archiepiscopi juri subsunt metropolitico (praevio tamen venerabilium fratrum Salisburgensis archiepiscopi, et suppressae metropolitanae ecclesiae Trevirensis antistitis, nec non dilectorum filiorum suppressae archiepiscopalis ecclesiae Coloniensis capituli, et canonicorum expresso consensu a supradicto novae metropolitanae ecclesiae Ratisbonensis deputando archiepiscopo prius exquirendo ac reportando, et semper exceptis ecclesiis illis, quae in imperialis regiae Austriacae domus, atque in Borussiae regiis dominiis existunt, itemque salva in omnibus, et integra manente Sedis apostolicae auctoritate circa erectiones dioecesium, et divisiones provinciarum, quovis tempore ac quomodolibet libere exercenda) in ejusdem futuri, et pro tempore existentis archiepiscopi Ratisbonensis suffraganeas assignamus, ad hoc ut harum praesules, ejusdem archiepiscopi metropolitico juri subsint, atque ipse futurus et pro tempore existens archiepiscopus Ratisbonensis in hisce dioecesibus metropoliticum sibi vindicet jus, ac suffraganeos ad provinciales synodos evocare, et cum eis publica etiam negocia pertractare, causasque appellationum, et quaerelarum ad eum juxta decreta concilii Tridentini devolutas terminare, omniaque alia et singula, quae ad archiepiscopale munus juxta canonicas sanctiones quomodolibet spectant, et pertinent facere, gerere, exercere, et exequi valeat plenam concedimus facultatem et auctoritatem.

De consensu praebendo ab aliis episcopis novae erectionis dioecesis Ratisbonensis.

§. 12. Postquam vero Salisburgensis archiepiscopus, et suppressae metropolitanae ecclesiae Trevirensis antistes, nec non suppressae pariter Coloniensis archiepiscopalis ecclesiae capitulum consensum ab eis ut supra exquirendum praestiterint, ut idem futurus archiepiscopus Ratisbonensis consensum hujusmodi authentica exempla, et notulam ecclesiarum omnium suo metropolitico juri vigore praesentium subjiciendarum, itemque tabulam exprimentem singula loca novam archiepiscopalem Ratisbonensem dioecesim efformantia, ad Sedem apostolicam quantocitius transmittere teneatur, volumus, atque mandamus.

Consulitur veteri territorio non comprehen-

§. 13. Et quoniam nova archidioecesis unam tantummodo partem comprehendit antiquae suppressae episcopalis dioecesis Rati-

Digitized by Google

ne in nova constitutione dioecesis Ratisbonensis.

sbonensis, cujus administrationem jam antea memorato Carolo Theodoro, ut supra, commisimus, Nos ut spirituali gubernio quorumcumque christifidelium, qui aliorum principum temporali dominio subjacent opportune consultum sit, eumdem Carolum Theodorum futurum archiepiscopum Ratisbonensem in spirituali administratione, et jurisdictione populorum omnium existentium in locis antiquae dioecesis Ratisbonensis, quae aliis subsunt principibus ad Nostrum, et Sedis apostolicae tantummodo beneplacitum confirmamus: declarantes tamen, quod si forte ante obitum saepedicti Caroli Theodori nondum de ultimodicta veteri dioecesis portione aliquid ab apostolica Sede fuerit constitutum, nullum exinde in ejusdem spirituali gubernio jus possit ullo modo acquirere successor eligendus archiepiscopus Ratisbonensis, quodque Nobis et apostolicae Sedi libere maneat reservata facultas praescribendi rationem, qua populorum in praefato territorio degentium spirituali administrationi debeat provideri.

Id ipsum pro territorio antiquae dioecesis Moguntinae.

§. 14. Eidem pariter Carolo Theodoro futuro archiepiscopo Ratisbonensi potestatem tribuimus, ut in casum, in quem locus aliquis antiquae Moguntinae dioecesis ad dexteram Rheni ripam positus intra limites novae archidioecesis Ratisbonensis minime comprehendatur, spiritualem jurisdictionem in eodem loco, ad Nostrum et Sedis apostolicae beneplacitum, ut prius exercere libere ac licite possit et valeat.

Deputatio administratoris ecclesiae Vormatiensis.

§. 15. Animo demum revolventes, quod jam a triennio circiter praedictus Carolus Theodorus in manibus Nostris dimiserit episcopalem ecclesiam Vormatiensem, quam ex apostolico indulto una cum archiepiscopali Moguntina ecclesia retinebat, quodque Vormatiensis civitas cum parte antiquae suae dioecesis uni ex novis dioecesibus imperii Gallicani fuit incorporata. Nos vigore praesentium literarum habentes pro suppresso, et extincto titulo, denominatione, et essentia veteris episcopalis ecclesiae Vormatiensis, firmis tamen in eo statu, in quo ad praesens reperiuntur juribus, ac privilegiis capituli ipsius Vormatiensis ecclesiae suppressae, ut spirituali gubernio illius partis antiquae dioecesis, quae ad dexteram Rheni ripam existit opportune provideatur, memoratum Carolum Theodorum futurum archiepiscopum Ratisbonensem in administratorem ultimo dictae partis praefatae dioecesis confirmamus donec aliter a Nobis, et ab apostolica Sede fuerit constitutum.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 16. Decernentes easdem praesentes literas Nostras etiamsi in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, nec causae propter quas eaedem praesentes emanarunt sufficienter adductae, justificatae, et verificatae non fuerint, semper et perpetuo validas et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, atque ab omnibus, et singulis ad quos nunc spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum firmiter et inviolabiliter observari debere, ac nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, et legitima de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, seu quopiam alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, et inexcogitabili, ac specialem, et individuam mentionem, et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in praemissis solemnitates, et quaevis alia servanda, et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quovis alio capite de jure vel facto, seu statuto, vel consuetudine aliqua, aut quocumque alio colore, praetextu, aliaque ratione vel causa quantumvis legitima, juridica, pia, privilegiata etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, et aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, retardari, in jus, vel controversiam vocari, aut ad viam et terminos juris reduci, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiae, vel justitiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu, et scientia similibus concesso, et impetrato, vel emanato quempiam uti, seu se juvari in judicio vel extra illud posse, neque easdem praesentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per quascumque literas et constitutiones apostolicas, aut cancellariae apostolicae regulas comprehendi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas,

Digitized by Google

et plenarie reintegratas, atque perpetuo validas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ejusdem S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios judicari, et definiri debere, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 17. Non obstantibus quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis specialibus, vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictaeque Ratisbonensis, nec non aliarum quoque Moguntinae, Trevirensis, Coloniensis, ac Vormatiensis, ut praefertur, suppressarum, et Salisburgensis respective ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis, quibusvis personis sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, et irritantibus, ac aliis decretis in genere vel in specie quomodolibet concessis; quibus omnibus et singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret illorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur et insererentur, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime, ac specialiter et expresse, nec non opportune et valide ad praemissorum dumtaxat validissimum effectum harum serie, quatenus opus sit, derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Praeceptum de inscribendis fructibus in libris camerae. §. 18. Volumus autem, quod praedicta metropolitana ecclesia Ratisbonensis, per Nos, ut praefertur, erecta juxta ejus super expressos redditus, ex gratia speciali ad decem mille florenos auri modo taxari, et in libris camerae apostolicae taxa hujusmodi describi debeat.

§. 19. Earumdem denique praesentium transumptis, sive exemplis manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem ubique fides prorsus habeatur tam in judicio, quam extra illud, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae, vel ostensae. Fides habenda transumptis.

§. 20. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae exemptionis, liberationis, suppressionis, erectionis, declarationis, concessionis, indulti, facultatis, assignationis, reservationis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Parisiis, anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo quarto, kalendis februarii, pontificatus Nostri anno quinto. Sanctio poenalis.

CCCLI.

Dat. die 19. febr 1805. Anno V.

Indultum recolendi in protectricem principalem Beatae Mariae Virginis sub titulo de Gratia pro oppido Carmonensi Hispalensis dioecesis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Tanto studio, tantaque charitate beatissima Virgo Maria nobis omnibus divinam opem obtinere gestit, ut — quemadmodum per ipsam Deus descendit in terram, ita etiam per ipsum homines ascendant in coelum. — Quoniam vero mortalium iniquitas divinam indignationem in se quam saepissime concitat eadem Deipara — est arcus foederis sempiterni, ut non interficiatur omnis caro — Reliquorum namque coelestium incolarum preces divinae benignitati dumtaxat, Mariae vero preces materno etiam cuidam juri innituntur. Quare ad divini sui filii thronum ipsa accedens, advocata petit, ancilla orat, mater imperat. Prooemium.

Digitized by Google

Preces porrectae pro obtinenda concessione.

§. 2. Haec et ejusmodi plura comperta habentes dilecti filii universitas, et homines oppidi civitatis nuncupati Carmonensis Hispalensis dioecesis quum nuperrimis temporibus contagiosae febres, quae amarulentae dicuntur in sibi finitimis regionibus grassarentur, ad gratiae, misericordiaeque matrem confugerunt, atque cum privatas, tum publicas ante ipsius imaginem sub titulo — de Gratia — nunc in templo religiosorum virorum s. Hieronymi extra oppidi moenia repositam preces ex intimo corde effuderunt, ut per validissimam suam apud omnipotentem intercessionem tam mali abs eorum patria averteretur. Voti compotes facti, aliasque per plures gratias eidem virgini acceptas referentes, tandem in publicis comitiis die decima sexta superioris novembris habitis Deiparam sub invocatione. de Gratia, quam sibi prius in matrem assumpserant, in principalem etiam totius oppidi patronam elegerunt; ejusque festum in ipsius nativitatis festo die octava septembris celebrandum solemniore ritu in posterum fore constituerunt, si Nostra, et hujus s. Sedis desuper sibi suffragetur approbatio, et facultas. Quamobrem universitas, et homines praedicti Deiparae patrocinium in dies sibi potentissimum experti, Nobis nuper exponi fecerunt, se ad ejusdem Deiparae cultum augendum, venerationemque firmandam maximo desiderio flagrare, ut electionem laudatae virginis in protectricem principalem sui oppidi juxta praescriptum felicis recordationis Urbani pp. VIII. praedecessoris Nostri anno MDCLIII. cunctis suffragiis factam servari, festumque ejusdem virginis quotannis in posterum tamquam patronae principalis celebrari concedere, aliaque, ut infra indulgere, auctoritate Nostra apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur specialem ipsis exponentibus (qui super praemissis ordinarii consensum, quatenus nondum obtinuerint, obtinere curent) gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, omnibus, et singulis utriusque sexus dicti oppidi Carmonensis Christifidelibus, ut quotannis festum praedictum Beatae Mariae Virginis die octava septembris etiam tamquam patronae principalis ejusdem oppidi ex praecepto Ecclesiae recolant auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus: ac omnibus, et singulis tum saecularibus, tum regularibus utriusque sexus, qui horas canonicas recitare tenentur, officium et missam nativitatis ejusdem Beatae Mariae Virginis cum octava solemniore ritu pro principalium protectorum festis praescripto etiam de praecepto recitent, et celebrent, auctoritate, et tenore praedictis injungimus, atque mandamus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, et quatenus opus sit dicti oppidi consuetudinibus, privilegiis, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae de speciali mandato Nostro die decima nona februarii millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno quinto.

CCCLII.

Dat. die 27. febr. 1805. Anno V.

Erectio in basilicam ecclesiae cathedralis Parisiensis.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. In supremo militantis Ecclesiae solio, divina sic disponente clementia constituti, ecclesiarum antiquitate praesertim dignitate praestantium decori, prout officio apostolicae servitutis obstringimur libenter intendimus, in easque ornandas, augendasque ministerii Nostri conferimus auctoritatem, ut inde cunctorum erga eas reverentia, et honor accrescat, divinusque cultus, quod Nobis unice esse propositum debet, majora in dies accipiat incrementa.

Praestantia ecclesiae Parisiensis memoratur.

§. 2. Inter eas autem praefulget maxime ecclesia, media in Lutetiae Parisiorum insula,

Digitized by Google

nobili ac sumptuoso constructa opere, ac Deo in honorem Beatissimae Virginis Deiparae sacra, quam tota Gallia, et Parisiorum in primis civitas patronam studiosissime veneratur. Ea siquidem pontificalis cathedrae honore, tertio, ut praefertur, ab Ecclesiae saeculo cum gauderet, a felicis recordationis Gregorio pp. XV. praedecessore Nostro in metropolitanam erecta nova dignitatis accessione Sedis apostolicae gratia locupletata est. Novissime vero cum post tot calamitates reddita, Deo favente, Galliarum ecclesiis pace, nova per Nos decreta fuerit Gallicanarum dioecesum circumscriptio, praefatae ecclesiae metropolis honorem integrum servavimus, ipsique octo suffraganeas ecclesias adsignavimus.

Pontificalia solemni ritu in ea celebrata.

§. 3. Insignem hanc, vetustissimamque ecclesiam, cui etiam nunc canonici, presbyteri, et clerici magno numero inserviunt, in Parisiensi hac Nostra plurium mensium commoratione semel, iterumque invisimus, inibique Deo placationis hostiam solemni etiam pontificali ritu obtulimus praesentibus novem ex dilectis filiis Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, omnium fere Galliae antistitum choro, magnaque Gallicani cleri parte circumsepti.

Ratio concessionis.

§. 4. Aucta igitur augustissimi hujus templi majestate, capitulum, et canonici se, suamque ecclesiam mirifice illustratos sentientes, rationem sibimetipsis oblatam fuisse existimarunt, ut novis favoribus eamdem ecclesiam per Nos augeri, amplificarique curarent. Itaque ad perennandam et itineris in Galliam Nostri, et diuturnae Nostrae in hac urbe commorationis memoriam, humiliter supplicarunt Nobis, ut metropolitanam Parisiensem ecclesiam quemadmodum cum ecclesia s. Nicolai de Tolentino ditionis Nostrae actum est a felicis recordationis Pio pp. VI. praedecessore Nostro in basilicam declararemus.

Tenor concessionis.

§. 5. Nos vero, cum ab antiquae consuetudinis observantia alienum non sit, ut iis ecclesiis, quas Romanus pontifex justis de causis ampliori confoverit benignitate, ac prae aliis duxerit honestandas, insignia honoris adaugeantur, et plenioris gratiae praerogativa tribuatur; cupientes in primis, eo devotius, atque ferventius in Parisiensi metropolitana ecclesia Deo laudes exsolvi, quo per amplificationem illius capitulum et canonici majorem ab apostolica sede praeeminentiae honorem, et gratiam fuerint consequuti, ad honorem omnipotentis Dei, et gloriosissimae Virginis venerationem, cui praefata ecclesia specialiter dicata est, inque paternae benevolentiae Nostrae erga capitulum, et canonicos dictae ecclesiae argumentum, eosdem capitulum, et canonicos specialis gratiae favore prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati metropolitanam praedictam Parisiensem in ecclesiam basilicam minorem ad instar basilicarum minorum urbis Nostrae, et ad formam quoque memoratae concessionis ecclesiae s. Nicolai Nostrae Tolentinae civitatis factae, apostolica auctoritate tenore praesentium erigimus, et declaramus, eidemque ecclesiae, et illius capitulo, ac canonicis, conopaeum vulgo padiglione, cum tintinnabulo, ad instar earumdem basilicarum urbis Nostrae in processionibus praeferre, nec non omnibus aliis praerogativis, privilegiis, facultatibus, jurisdictionibus, juribus, exemptionibus, titulis, honoribus, praeeminentiis, et antelationibus, quibus aliae basilicae hujusmodi, earumque canonici de jure, usu, consuetudine, ac indultis legitime tamen, et canonice, deque hujus s. Sedis licentia, benignitate, ac concessione hactenus gavisi sunt, pari modo uti, frui, potiri, et gaudere libere, et licite possint, et valeant apostolica auctoritate praedicta earumdem praesentium vigore concedimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes praesentes Nostras litteras firmas, validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; atque ab omnibus ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet in futurum spectabit inviolabiliter observari; sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, dictaeque Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari et definiri etiam debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis, editis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictaeque me-

tropolitanae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis in genere, vel in specie, in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis; quibus omnibus, et singulis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime, ac specialiter, et expresse ad praemissorum validissimum effectum harum quoque serie apostolicae potestatis plenitudine derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae declarationis, concessionis, impetrationis, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Parisiis anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo quinto, tertio kalendas martii, pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 8. martii 1805. Anno V.

CCCLIII.

Indultum utendi roccheto et mozzeta nigra in perpetuum pro cappellanis ecclesiae matricis de Carinis Mazariensis dioecesis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigia prementes ecclesiasticis viris, qui almae Sionis aemuli divinas laudes in domo Domini solemniter persolvunt, peculiaria ornamenta deferenda concedimus, ut ipsi per externas quoque honorificentias excitati, internarum virtutum splendore omnibus, qui in domo sunt, praelucere magis magisque studeant.

Ratio concessionis.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii moderni archipresbyter perpetuus, atque tredecim ad nutum, et amovibiliter electi cappellani chorales, itemque alii decem eorum supranumerarii cappellani matricis ecclesiae sub titulo B. M. V. in coelum Assumptae oppidi civitatis nuncupati de Carinis Mazariensis dioecesis, ecclesia ipsa novi templi nitore, sacrarum supellectilium copia, sacerdotum probitate et doctrina, populique frequentia, ac devotione non mediocriter inter alias dictae dioecesis ecclesias floreat, cumque ipsum oppidum habitantium, et ecclesiarum multitudine, domorum regularium, ac etiam piarum saecularium sodalitatum numero, aliisque publicis suae christianae in Deum, et proximum charitatis monumentis pariter fulgeat, multum splendoris cum ad matricem ecclesiam tum ad oppidum accederet, ac divinus cultus, fideliumque devotio majora ibi incrementa susciperet, si dicti archipresbyter, et cappellani aliquibus decorationibus per Nos, et hanc apostolicam Sedem donentur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus archipresbytero, et cappellanis choralibus, et supranumerariis ecclesiae matricis praedictae ut ipsi, durante cappellani, et supranumerarii hujusmodi officio, dumtaxat, rocchetum, et mozzetam cum caputio nigram tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque archipresbyterum, et cappellanos desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Digitized by Google

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, dictae matricis ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quinta martii millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno quinto.

Dat. die 12. martii 1805. Anno V.

CCCLIV.

Sanatio literarum apostolicarum super nonnullis mentionibus, quae factae in eis non fuerant, et quibus nunc suppletur pro episcopo Leiriensi.

Venerabili fratri Emmanueli episcopo Leiriensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Fraternitatis tuae nomine nuper expositum Nobis est, per apostolicas Nostras in simili forma brevis die XIX. aprilis MDCCCIII. expeditas literas Nos concessisse tibi amplam facultatem faciendi sub certis modo et forma favore tui seminarii dioecesani reservationes.

I. Decimae partis redditaum tuae mensae episcopalis.

II. Decimae pariter partis reddituum dignitatum, et canonicatuum habentium integram praebendam tuae ecclesiae cathedralis.

III. Quintae partis reddituum fabricae ejusdem cathedralis ecclesiae.

IV. Dimidiae decimae reddituum dignitatum, et canonicatuum insignis ut ajunt collegiatae ecclesiae de Ourem, et quartae partis reddituum dignitatis cantoratus ipsius collegiatae.

V. Dimidiae decimae reddituum beneficiorum, quae fundata extant in ecclesiis collegiatis s. Mariae, s. Joannis, et s. Petri Portus de Moz, nec non prioratus villae de Alpedriz, et alias prout in eisdem literis, quarum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis haberi volumus, fusius continetur. Quoniam vero, sicut asseritur, praenominata beneficia ecclesiarum tum cathedralis, tum collegiatae s. Mariae de Moz, tum prioratus de Alprediz ad regium pertinent patronatum, caetera vero collegiatarum de Ourem, s. Joannis, et s. Petri de Moz sunt juri patronatus serenissimae domus Brangantiae ita quidem, ut dilectissimus in Christo filius Noster Joannes regnorum Portugalliae et Algarbiorum regens suum jam pro memoratis reservationibus consensum praestiterit; ideo ne qua umquam suboritura sit quaestio super dictis literis Nostris, ex eo quod nulla in eis facta sit mentio patronatuum hujusmodi, uti etiam quod enunciatum in eisdem non fuerit redditus dignitatum, et canonicatuum supradictae cathedralis ecclesiae versari plane omnes in distributionibus quotidianis te ad res seminarii tui quam maxima securitate tuendas et magnopere cupere, et humiliter obsecrare, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur te specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi hujus tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes; supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, licet nullum in praedictis literis Nostris factum sit verbum de regis jure patronatus quoad beneficia superius recensita tuae ecclesiae cathedralis et collegiatae sanctae Mariae de Moz, ac prioratus de Alpedriz, nullumque de jure patronatus serenissimae domus Brangantiae quoad beneficia collegiatarum de Ourem, et s. Joannis, ac s. Petri Portus de Moz, ac licet quoque nunciatum non fuerit redditus dignitatum, et canonicatuum dictae tuae cathedralis in quotidianis distributionibus tantum consistere, nihilominus easdem literas valide, efficaciterque vigere, earumque vigore sartum tectum perpetuo ha-

Digitized by Google

bendum, servandumque esse, ac fore in omnibus, et per omnia, quae in eis contenta sunt, perinde ac si in eisdem tam de dictis patronatibus specialiter, quam de dictis distributionibus expresse memoratum fuisse, auctoritate apostolica tenore praesentium decernimus, et declaramus, et quatenus opus sit, omnem, et quemcumque defectum, siquem iisdem in literis ob mentionum hujusmodi praetermissionem quomodolibet intervenisse contigerit, plenarie sanamus atque supplemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus omnibus, et singulis quae in praedictis literis Nostris concessimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae de speciali mandato Nostro sub annulo piscatoris die duodecima martii millesimo octingentesimo quinto pontificatus Nostri anno quinto.

Digitized by Google

ANNO SEXTO

CCCLV.

Dat. die 15. martii 1805. Anno VI.

Ampliatio privilegii altaris privilegiati pro capitulo ecclesiae metropolitanae Firmanae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici metropolitanae ecclesiae Firmanae, quod sicuti in dicta ecclesia unum dumtaxat altare privilegio apostolico quotidiano pro animabus fidelium defunctorum a purgatorii poenis liberandis decoratum reperiatur, tot sunt missarum onera ad hujusmodi altare celebranda, et alia missarum sacrificia, quae Christifideles pro defunctis ad dictum altare celebrari flagitant, ut canonici beneficiati, et alii sacerdotes choro ejusdem metropolitanae ecclesiae inservientes missas sibi incumbentes, seu devotionis causa non sine tam proprio quam aliorum presbyterorum ad dictam ecclesiam adventantium incommodo in altare privilegiato hujusmodi celebrare possunt; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, ut quandocumque sacerdos aliquis ex canonicis beneficiatis, aliisque choro dictae metropolitanae ecclesiae dumtaxat inservientibus ad quodcumque altare dictae metropolitanae ecclesiae sacrosanctum missae sacrificium tum pro satisfactione onerum sibi incumbentium, quam devotionis causa pro anima cujuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit celebrabit, missae sacrificium hujusmodi animae, seu animabus pro qua, seu pro quibus celebratum fuerit perinde suffragetur, ac si ad altare privilegiatum fuisset celebratum auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae de speciali mandato Nostro sub annulo piscatoris die decima quinta martii, millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

CCCLVI.

Dat. die 18. martii 1805. Anno VI.

Concessio usus pavilionis, et tintinnabuli ecclesiae Recinetensi, utpote basilicae minori etiam in processione ad visitandam almam domum Lauretanam quotannis fieri solita, cum jure praecedentiae, quo gaudet capitulum Recinetense.

Digitized by Google

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Nuper Nobis exponi fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici cathedralis ecclesiae Recinetensis se favorabiliter impetrasse a Nobis, ut ecclesia hujusmodi in basilicam minorem erigeretur, quemadmodum eam Nos per apostolicas Nostras in simili forma brevis die XVII. augusti MDCCCIV. expeditas literas in minorem basilicam cum omnibus et singulis privilegiis, praeeminentiis, gratiis, et indultis per similes basilicas minores haberi, et gaudere solitis, et consuetis ereximus, et alias prout eisdem in literis, quarum tenorem praesentibus pro expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur: nunc autem se vehementer optare, ut pavilione, et tintinnabulo, quas basilicae minores solemne habent in processionibus adhibere ipsi possint libere uti, ea etiam occasione, quando juxta antiquam, ac immemorabilem consuetudinem in die festo Annunciationis Beatae Mariae Virginis, vel alio si talis fuerit impeditus, sacram Lauretanam domum processionaliter visitant; atque ut pavilio, et tintinnabulum cathedralis basilicae Recinetensis tunc praecedentia gaudeat super pavilione et tintinnabulo cathedralis basilicae Lauretanae, eodem plane modo, quo Recinetenses canonici praedicto die praecedunt Lauretanis canonicis, qui vi decreti a congregatione sacrorum Rituum post rationes hinc inde in formali judicio deductas editi, et a fel. rec. Clemente pp. VIII. praedecessore Nostro per apostolicas suas in pari forma brevis die XXVII. junii MDCIII. expeditas literas confirmati tenentur canonicis Recinetensibus capitulari processione Lauretum ingredientibus obviam ire capitulariter usque ad portam civitatis, illosque excipere cum honore, et ad dexteram ponere, sicque ad sacram domum praememoratam solemniter sociare. Quapropter licet exponentes suo freti jure nil prorsus quoad recensitam pavilionis, et tintinnabuli praecedentiam extimescant, nihilo tamen minus, ut quodcumque quomodolibet suboriturum ejus causa jurgium tollatur de medio, Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, ac, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, ac eorum singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, ac absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ut in die Annunciationis Beatae Mariae Virginis, vel alio die, si eum aliquando impeditum esse contigerit, dum capitulum Recinetense processionaliter excipitur modo, et forma, ut praefertur, a capitulo Lauretano, tunc pavilio, et tintinnabulum cathedralis basilicae minoris Recinetensis perpetuis futuris temporibus in processione praedicta, aliisque functionibus ecclesiasticis possit semper, et valeat incedere in manu dextera pavilionis, et tintinnabuli cathedralis basilicae minoris Lauretanae auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, statuimus, et declaramus. Ac dilectis filiis capitulo, et canonicis Lauretanis, ut singulis functionibus praedictis dexteram manum, quam ipsi, sicut praemittitur, Recinetensi capitulo cedere solent, similiter cedant, seu cedi facere debeant per eos a quibus fertur pavilio, et tintinnabulum suae cathedralis basilicae, illis qui ferunt pavilionem, et tintinnabulum cathedralis basilicae Recinetensis in virtute sanctae obedientiae, ac etiam sub poenis in casu contraventionis Nostro, et Sedis apostolicae arbitrio ferendis injungimus, mandamus, atque praecipimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem has Nostras literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et capitulo Recinetensi plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus omnibus, et singulis, quae in memoratis literis tum Clementis

by Google

praedecessoris, tum Nostri concessa sunt, non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decimaoctava martii millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

Dat. die 28. martii 1805. Anno VI.

CCCLVII.

Concessio altaristis basilicae cathedralis Recinetensis facultatis deferendi numisma sacrum ad instar altaristarum basilicae Lauretanae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni beneficiati altaristae nuncupati primae, et secundae erectionis cathedralis basilicae minoris civitatis Recinetensis, quod quamquam dictae ecclesiae canonici per hanc sanctam Sedem nonnullis honorificentiis decorati reperiuntur, ipsi tamen altaristae sine ulla speciali externa decoratione adhuc remanent; ideoque ad majorem Dei gloriam, et Christi Domini in cruce patientis, Deiparaeque, ac sancti protectoris ejusdem civitatis memoriam jugiter in suis animis excitandam, sacrum numisma cruci insertum collo appensum gestare posse plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus primae, et secundae erectionis beneficiatis praefatis, ut sacrum numisma ad instar altaristarum alterius minoris basilicae Lauretanae, non tamen eadem forma, cruci insertum, et suprapositum serico funiculo nigroflavo cum flocculo simili alligatum, in cujus numismatis antica insculpta sit almae domus Lauretanae effigies cum inscriptione — *Non fecit taliter omni nationi:* — in postica vero s. Flaviani ipsius civitatis protectoris imago cum alia inscriptione — *protector noster aspice* — tam in ecclesia praedicta, quam extra eam ad instar eorumdem altaristarum Lauretanorum palam gestare, eoque uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque beneficiatos altaristas desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima octava martii millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

Dat. die 28. martii 1805. Anno VI.

CCCLVIII.

Applicatio regiae cappellae conventus ordinis s. Francisci dioecesis Abulensis fructuum nonnullorum beneficiorum ecclesiasticorum.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Venerabili fratri episcopo Abulensi salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Apostolici ministerii ratio exigit, ut in votis catholicorum principum paterna charitate obsecundandis, pastoralis officii partes interponere non praetermittamus, eaque statuere curemus, quae expedire in Domino arbitramur.

Expositio precum.

§. 2. Exposuit Nobis charissimus in Christo filius Noster Carolus Hispaniarum rex catholicus per dilectum filium equitem Antonium de Vargas y Laguna ejus apud Nos, et apostolicam Sedem plenipotentiarum administrum, quod annui redditus regiae cappellae sub ti-

by Google

tulo sancti Petri de Alcantara conventus fratrum ordinis minorum sancti Francisci nuncupatorum sub reformatione ejusdem sancti Petri in villa de Arenas nuncupata dioecesis Abulensis existentis ad congruam summam pro supremo cultu in ea, ut decet, Deo praestando, non pertingunt, ideo mediante infrascriptorum perpetuorum simplicium beneficiorum ecclesiasticorum perpetua suppressione, et extinctione, ac respectiva illorum fructuum eidem regiae cappellae applicatione, opportune ejusdem regiae cappellae dotationi consultum foret.

Supprimuntur titula beneficiorum

§. 3. Nos igitur praedicti Caroli regis postulationibus annuentes facultatem fraternitati tuae tribuimus, ut duo in terra, seu loco vulgo despoblado de Palazuelos, quorum uni aliqua fortasse incumbit cura animarum, ac alterum vulgo Prestamo loci despoblado de Galindos, ac aliud nuncupatum medio Prestamo loci di Cervillego de la Gruz, et reliquum perpetua simplicia beneficia ecclesiastica loci etiam nuncupati despoblado de Torralba sub respectivis eorum invocationibus in totidem ecclesiis praedictae Abulensis dioecesis, vel ad praesens certo quem Nos haberi volumus pro expresso modo vacantes, vel ab eorum respective possessoribus adhuc obtentis, apostolica tibi delegata auctoritate, ex nunc, quatenus vacantes existant, ex nunc autem pro ut ex tunc, postquam tamen per obitum illorum respective possessorum, aut alias certo alio modo illos vacare contingat, eorum titulum collativum, nomen, denominationem, naturam, et essentiam beneficiorum ecclesiasticorum, ita quod deinceps perpetuis futuris temporibus collativa esse desinant, et de caetero in titulum collativum conferri nequeant apostolica praedicta tibi ad hunc effectum specialiter delegata auctoritate perpetuo supprimas, et extinguas.

Assignatio fructuum favore regiae cappellae.

§. 4. Illis vero sic suppressis, et extinctis, omnia et singula eorum bona, res, proprietates, fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, et emolumenta quaecumque quovis nomine nuncupata, et in quacumque re consistentia, et undecumque provenientia in praelaudatae regiae cappellae dotationis, et manutentionis augmentum, in modum tamen ut eorumdem bonorum, ac fructuum, redditruum, et proventuum praefatorum administratio, per rectores, seu administratores, vel deputatos ipsius regiae cappellae exerceri debeat, liceatque ipsis etiam per alias personas ad id deputatas beneficiorum hujusmodi per te, ut praefertur, suppressorum, et extinctorum, bonorum, rerum, proprietatum, fructuum, redditruum, et proventuum, jurium, obventionum, et emolumentorum praedictorum quorumcumque, veram realem, corporalem, et actualem possessionem propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, dictaque bona, res, proprietates locare, dislocare, arrendare, fructus quoque, redditus, et proventus praefatos percipere, exigere, levare, et proviso per te curae animarum, quatenus primo dicto beneficio nunc onus hujusmodi adnexum adhuc existat, ac satisfactis prius per ipsius regiae cappellae rectores, seu administratores, vel deputatos, omnibus et singulis eorumdem beneficiorum, ut praefertur, suppressorum, et extinctorum oneribus in ipsius regiae cappellae dotationis augmentum hujusmodi apostolica praedicta auctoritate applices, atque appropries.

Declaratio specialis.

§. 5. Si vero accidat, aliquod ex beneficiis suprammemoratis, non in praefata Abulensi, sed in alia Hispaniarum regni dioecesi existere, hoc in casu, facultatem pariter tibi tribuimus, ut certiorato prius ordinario loci, illud etiam ad formam praesentium Nostrarum literarum supprimere, et eidem regiae cappellae illius bona, et redditus applicare valeas, cum lege tamen quod circa dioecesum diversitatem Nos quamprimum certiores reddere tenearis.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 6. Volumus autem, ut praemissa omnia per te apostolica praefata delegata auctoritate facienda, ab omnibus adimpleantur, non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae regula de unionibus et applicationibus ad partes committendis, ac de exprimendo in literis apostolicis vero annuo beneficiorum valore, nec non Lateranensi, aliisque etiam in provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis constitutionibus, et ordinationibus, statutis, privilegiis, indultis, ac literis apostolicis, quomodolibet concessis, quibus omnibus ejusdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes latissime, ac plenissime, nec non specialiter, et expresse ad praemissorum effectum hac vice derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae facultatis, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae de speciali mandato Nostro anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo quinto, septimo kalendas aprilis, pontificatus Nostri anno sexto.

Dat. die 9. aprilis 1805. Anno VI.

CCCLIX.

Facultas incolis trium parochiarum Bracharensis dioecesis colligendi diebus festis quasdam algas, quae deponi solent a mari ad litus, quaeque utiles sunt agris faecundandis.

Venerabili fratri archiepiscopo Bracharensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi nuper fecerunt Nobis dilecti filii incolae trium parochiarum Bracharensis dioecesis, nempe sancti Michaelis, quae vulgo dicitur das Marinkas, sancti Bartholomaei de Mari, et sancti Petri ad fines de Belinho, quod agri, quos ipsi colunt, et quorum fructu vivunt, passim cuncti manent juxta mare, a quo refluente in pelagum post aestum aquarum solet relinqui interdum in oris quaedam maceries, quam vocant algaço, quamque valde aptam experti ipsi sunt ad terras suas veluti limo, quo carent, saginandas; at nisi cito materies haec inde asportetur, facile fit, ut mare ipsum tempore novi fluxus eam absorbeat, atque disperdat. Hinc si algas hujusmodi in sicco depositas cerni contingat diebus festis, ut per Nos ad occasionem fugientis boni opportune captandam illas colligere vel tunc ipsis liceat, vehementer exoptant, enixisque humiliter precibus a Nobis efflagitant.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus praenarratis, eisdem exponentibus licentiam, et facultatem, cujus vigore ipsi diebus etiam dominicis, aliisque festivis de praecepto, (ex solemnioribus tamen aliquo, vel aliquibus, prout in Domino satius tibi videatur, exceptis) memoratam materiam arripere, et de maris littore educere libere, et licite possint, et valeant, auctoritate Nostra apostolica pro tui prudentia, et conscientia gratis impertiaris; ita tamen, ut per suos parochos moneantur assidue de obligatione audiendi missam diebus praedictis, a qua non intendimus eos dispensari.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus apostolicis, ac universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae de speciali mandato Nostro die nona aprilis millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

Dat. die 9. aprilis 1805. Anno VI.

CCCLX.

Confirmatio regularum, et constitutionum congregationis mulierum Praesentationis sanctae Mariae Virginis civitatis Cork.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Pastoralis officii cura, quae in universum Domini gregem Nobis ex alto commissa est, illud a Nobis magis expostulat, ut voces pastorum qui ad Christianam pietatem suis in ovibus augendam apostolicae Sedis opem efflagitant sollicite excipiamus, eorumque zelo studia quoque Nostra conjungere properemus.

Expositio precum per rectorem episcopo Corcagiensi.

§. 2. Expositum siquidem Nobis tuo nomine fuit, quod bo. me. Honorata Nagle nobilis, locuplesque istius regni catholica foemina in plurimâ fundandas domus bona impen-

dit sua, eo consilio nempe, ut ibi reciperentur, virgines piae, quae muneri, atque labori puellas, praesertim pauperes in rudimentis catholicae fidei informandi, honestisque artibus, quae propriae ipsarum sunt instruendi, tum mulieres in nosocomiis publicis aegrotantes invisendi, eisque spiritualia, ac temporalia auxilia praebendi devovere se vellent. Quumque nonnullae jam instituto charitatis hujusmodi nomen dedissent, aliaeque plures se se illud amplectendi cupidas passim ostenderent, si idem institutum a Sede apostolica approbatum fuisset, recolendae mem. pp. VI. praedecessor Noster (eo vel magis quod talibus votis pondus etiam suarum postulationum accederet) per apostolicas suas in simili forma brevis die tertia septembris MDCCXCI. expeditas literas de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis propagandae fidei propositorum consilio, fraternitati tuae tribuit facultatem tam pro civitate Corcagiensi, quam pro aliis civitatibus, oppidis, ac terris Hiberniae habito prius tamen, ubi de dioecesi aliena ageretur proprii ordinarii consensu, praedictas domus erigendi, ac instituendi in collegia, ubi ad superius recensita charitatis opera subeunda piae reciperentur virgines, quae etiam expleto probationis tempore vota simplicia obedientiae, paupertatis, et castitatis nuncupata emittere deberent, et alias prout in eisdem literis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus fusius continetur. Mirum autem dictu est quam rapide atque feliciter institutum istud percreverit post apostolicam ejus approbationem, mirumque etiam quot quantosque ubique isthic afferat fructus. Quandoquidem non in Corcagiensi solum jam viret florenter, sed et in civitates, et dioeceses Dublinensem, Watersardiensem, Kilhenniensem, atque oppidum usque Kerlanei radices extendit, quodque plus refert ad instituti istius collegia non modo puellae, sed etiam adultae, ac nuptae ipsae mulieres eam, quam plerumque ignorant fidei, et morum doctrinam discendi studio undique confluunt, ita ut virgines institutum hujusmodi profitentes, de praesenti religionis incremento laetae, illudque in posterum magis magisque exoptantes unanimi flagitent ore se in veras moniales posse converti, ac per vota solemnia educationi et instructioni puellarum praecipue pauperum consecrari, quod quidem et tibi ad stabilitatem, ac perfectionem instituti valde conferre, et ad virgines, quae gloriae, ac Dei zelo magis exaestuant firmius in eo detinendas profuturum esse videretur. Quoniam vero idem Pius praedecessor in praedictis literis easdem virgines quo suis in muniis alacriores fierent omnibus cumulate ditavit indulgentiis, et gratiis spiritualibus jam alias concessis a sancta hac Sede monialibus Ursulinis, earumque ecclesiis, atque collegiis, ac tibi etiam injunxit, ut constitutiones et regulas ad s. Ursulae institutum, ac juxta instructionem eorumdem cardinalium de Propaganda Fide accommodatas, tu pro dictis virginibus conderes constitutiones, et regulae hujusmodi jam nunc a te sedulo concinnatae studio, et gravi aliorum istius regni ordinariorum roboratae suffragio, maturoque praeterea praedictorum cardinalium cribratae judicio, Nostris nuper subjectae sunt oculis tenore, ut sequitur.

AD MAJOREM DEI GLORIAM

REGOLE E COSTITUZIONI

§. 3. Della congregazione delle sorelle religiose della Presentazione di Maria sempre Vergine eretta nella città di Cork per la caritatevole istruzione delle fanciulle specialmente povere, a tenore della bolla della sa. me. di Pio papa VI. e successivo decreto della sagra congregazione approvato dal santo padre Pio VII. felicemente regnante. *Tenor constitutionum.*

PARTE I.

Capo I.

Del fine di questa congregazione.

I. §. 4. Le sorelle ascritte a questa congregazione, oltre il fine principale e comune a tutti gli ordini religiosi, quale è di attendere in ispecial modo allo studio di perfezionare se stesse nella via del Signore, dovranno avere altresì quello, che è particolare, e distintivo dell'istituto, cioè di applicarsi con tutto l'impegno ad istruire le fanciulle specialmente povere nei principj della religione e della pietà cristiana. Nell' intraprendere questo ben ar- *De fine congregationis.*

duo ma altrettanto meritorio incarico le sorelle, che Dio si è graziosamente compiaciuto di chiamare a questo stato di perfezione, incoraggiranno se stesse, ed animeranno il proprio fervore, e zelo coll' esempio del loro divino maestro, che dimostrò in ogni occasione un tenero amore per i fanciulli, espresse un grandissimo piacere nell' avvicinarli, e dichiarò, che chiunque accoglie queste fanciulle in di lui nome, accoglie lui stesso. Considereranno inoltre, che coltivando le tenere menti delle fanciulle coll' imprimergli l' orrore per il vizio, e l' amore per la virtù istruendole nei doveri della religione, è un unirsi alle funzioni di quei celesti spiriti, che Dio ha posto angeli custodi per guardarle e dirigerle nella strada della eterna salute.

De muneribus sororibus impositis.

II. §. 5. È un dovere imposto alle sorelle d' insegnare giornalmente alle fanciulle il catechismo, che esse gli spiegheranno con brevità e semplicità, adattando il loro discorso all' età, e capacità delle medesime. Siano caute di non proporre alcuna cosa astrusa, che possa imbarazzare loro stesse, o le fanciulle. Le avvezzino a pensare, e parlare riverentemente di Dio, e delle cose sagre, non permettendogli di essere curiose nelle loro questioni, ma esortandole costantemente a sottoporre il loro intendimento alla obbedienza della fede, e a tener sempre disposta la mente loro a ricevere le istruzioni di quelli, che Cristo ha destinato a regolare la Chiesa di Dio, la quale ha comprato col suo sangue.

Idem ut supra.

III. §. 6. Insegneranno alle fanciulle di offrire loro stesse a Dio dal primo uso della ragione: quando la mattina si svegliano, d' innalzare a lui i loro cuori, di adorare sua Divina Maestà, ringraziandola di tutti i beneficj, e di armarsi col segno della croce: le istruiranno come debbono offrire tutti i loro pensieri, parole ed opere, a gloria di Dio; come implorare la di lui grazia per conoscerlo, ed amarlo, ed adempire i di lui comandamenti: le insegneranno a fare ogni sera l' esame della loro coscienza e ad onorare e rispettare i loro parenti, e superiori.

Idem ut supra.

IV. §. 7. Le istruiranno in quanto occorre a prepararsi per la confessione, e a confessare le proprie colpe con tutta sincerità e dolore. Saranno ben attente a disporle per il sagramento della cresima, e per la prima comunione.

De pauperibus gratis excipiendis.

V. §. 8. Siccome i poveri sono il grande oggetto, ed il fine speciale di questa pia istituzione, perciò si stabilisce colla presente per obbligo inviolabile da osservarsi, che le sorelle di questa congregazione non ammetteranno se non che le povere fanciulle alle loro scuole, nè potranno ricevere per una tale denaro, o altro emolumento temporale, contentandosi della gloriosa ricompensa promessa a quelli, che istruiscono molti nella giustizia.

Declaratio specialis.

VI. §. 9. Nulladimeno se questa religiosa congregazione fosse stabilita nei villaggi e castelli dove non vi sono scuole per l' educazione delle fanciulle, allora potrà essere permesso colla licenza espressa, e col consenso espresso del vescovo diocesano di ammettere alle loro scuole le figlie di persone comode; ma gli emolumenti ricevuti in queste occasioni non dovranno essere applicati in uso delle sorelle, ma in sollievo delle povere fanciulle. Se le povere fanciulle sono in tanto numero, che richiedessero tutta l' attenzione delle sorelle, queste non dovranno per alcun pretesto incaricarsi della cura di altre. Le pensionarie e convittrici siano giovani, o vecchie non si ricevano in conto alcuno nelle case delle sorelle eccettuato, che se fosse una fondatrice, o una benefattrice molto insigne.

Capo II.

Delle scuole.

De scholis intra clausuram retinendis.

I. §. 10. Le scuole per le povere fanciulle saranno proporzionate al numero delle religiose capaci di attendervi senza però troppo incaricarle, ed opprimerle. Saranno le scuole dentro la clausura.

De charitate humilitate, et puritate adhibenda a sororibus deputatis.

II. §. 11. Le sorelle destinate dalla maestra superiora per attendere alle scuole intraprendendo l' incarico con zelo grande, carità ed umiltà, e con purità d' intenzione, e confidenza in Dio, e coraggiosamente si assoggetteranno ad ogni fatica commessagli, ricordevoli della loro vocazione e della gloriosa ricompensa del fedele adempimento de' proprj doveri.

De oratione mentali praemittenda manualibus operibus.

III. §. 12. Quando le maestre entreranno nelle scuole, solleveranno i loro cuori a Dio, ed alla Regina del cielo: saluteranno allora con riverenza interna gli angeli custodi delle fanciulle raccomandando loro stesse, e le ca-

re piccole alla loro cura, e protezione. Procureranno d' ispirare alle fanciulle una sincera divozione alla passione di Gesù Cristo, alla di lui presenza reale nel santissimo Sagramento, alla immacolata Madre di Dio, ed alli loro angeli custodi.

De divisione classium instituenda.

IV. §. 13. Le scuolare di ogni scuola saranno divise in classi di dieci o dodici secondo il loro numero. Sopra ogni classe la superiora destinerà qualunque delle più avanzate ed accostumate per sopraintendente ad invigilare su di loro per tenerle in ordine, e farle ripetere le lezioni, ed il catechismo e dar conto di quelle, che si assentano, e riferire ad esse se udissero o osservassero qualche cosa d' inconveniente nella loro condotta nelle scuole, e fuori di esse.

De regestro nominum puellarum admissarum.

V. §. 14. In ogni scuola vi sarà un libro, nel quale la maestra registrerà i nomi e l' età delle fanciulle nel loro ingresso, e nomi de' loro parenti, il loro impiego, ed abitazione, come pure il giorno, mese ed anno, in cui le fanciulle sono state ricevute nelle scuole.

De horarium distributione, et muneribus respective in illis implendis.

VI. §. 15. Saranno istruite le fanciulle a leggere, e scrivere, cucire e filare. Le ore delle scuole saranno la mattina dalle nove fino alle dodici e un quarto, e nel giorno da un' ora fino alle tre e mezza.

Idem ut supra.

VII. §. 16. Un quarto prima delle dodici si farà silenzio nelle scuole per avvezzare le fanciulle a raccogliersi alla presenza di Dio, e per dare alle sorelle il comodo di fare l'esame loro particolare, dopo di che si dirà l'*Angelus Domini* con gli atti di fede, speranza, e carità.

Idem ut supra.

VIII. §. 17. Nella mezz' ora prima, che terminino le scuole della sera si farà alle fanciulle una lezione spirituale di qualche libro istruttivo adattato alla loro capacità, o una meditazione che non sia superiore alla loro intelligenza per così istradarle alla vera e soda pietà. Saranno prescelti a tal' uopo soltanto que' libri, che verranno approvati e reputati idonei dal vescovo. Dopo di che reciteranno inginocchiate cinque Pater ed Ave, per li benefattori di questo religioso istituto, con cinque imposte del rosario, e le litanie della Madonna per raccomandare loro stesse alla di lei santa protezione.

De visitatione superiorissae.

IX. §. 18. Le scuole saranno mantenute nette ed ariose quanto sarà possibile. La superiora le visiterà almeno un volta la settimana.

De vacationibus.

X. §. 19. Vi sarà vacanza nelle scuole in tutti i sabati, e dalla festa della beatissima Vergine del Carmine fino al lunedì dopo l' ottava dell' Assunta, e dal 20. dicembre sino al lunedì immediatamente dopo il capo d' anno, e dal mercoledì della settimana santa fino al lunedì dopo la domenica in Albis, in ogni festa di precetto, e nella festività della Presentazione della beatissima Vergine.

De muneribus implendis tempore vacationum.

XI. §. 20. Nei giorni di vacanza le sorelle saranno sempre pronte ad istruire quelle povere donne ignoranti, che fossero raccomandate loro dal clero della parrocchia nelle orazioni, e nei misterj principali della religione, nelli comandamenti di Dio e della Chiesa, negli atti di fede, speranza, e carità, e nelle disposizioni necessarie per fare una buona confessione, ed una degna comunione.

Capo III.

Delli voti.

De votis emittendis.

I. §. 21. Siccome le sorelle per divenire più conformi al loro sposo celeste Gesù Cristo nell' abbandonare il mondo hanno rinunciato alla proprietà di ogni cosa terrena, spesso considereranno, e rivolgeranno nella loro mente, quanto il loro divino maestro ami teneramente la santa povertà, nato in una stalla, giacente in una mangiatoja, soffrendo fame e sete, nel corso della sua vita mortale, senza avere un sito, dove porre il suo corpo, nudo sopra una croce, consacrò questa virtù nella sua sagra persona, e la lasciò come una eredità più eligibile ai suoi seguaci.

De paupertate interiori.

II. §. 22. Perciò le sorelle dovranno mantenere i loro cuori perfettamente spogliati, e distaccati da ogni affetto per le cose di questo mondo. Contente del vitto e vestito concesso loro dal fondo comune del monastero, pronte ad ogni tempo di cedere tutto ciò, che è stato loro dato dalla volontà della superiora, non potranno esse alienare alcuna cosa, nè riceverla senza il di lei permesso; e se colla licenza di essa ricevono qualche dono da loro parenti, o altri, bisogna, che sia applicato in servizio della comunità, non già per uso particolare di chi lo riceve.

De paupertate exteriori.

III. §. 23. Nulla apparirà nel loro vestire che non sia grave e modesto, nè terranno nelle loro celle alcuna cosa superflua, preziosa, o ricca, in mobili o decorazioni di qualunque

Digitized by Google

genere. Tutto deve essere conforme alla esatta semplicità e povertà religiosa.

Capo IV.

Della castità.

De castitate.

I. §. 24. Essendo la castità una virtù veramente angelica consacrata nella persona di Gesù Cristo, e commendata nella legge evangelica con lodi assai distinte, le sorelle nulla stimeranno di più propizio quanto questo dono celeste. Ma poichè esse portano questo stimabile tesoro in vasi fragili, avvertiranno di guardare continuamente i loro sensi per timore, che il nemico, il quale sempre sta in agguato, non penetri per questi aditi nelle anime loro, e macchi nel minimo grado la purità dei loro cuori.

De vetita librorum profanorum lectione.

II. §. 25. Schiveranno molto cautamente ogni occasione, che possa esserle d'inciampo, e di ostacolo nella loro vita. Non leggeranno mai libri profani di qualunque sorta, che possano essere atti a generare affetti mondani. Quando si presenteranno ad uomini di qualsivoglia stato o professione, osserveranno e manterranno un riguardo sostenuto, nè mai fisseranno gli occhi sopra di essi, né si dimostreranno mai confidenti in conversazione, o in altra guisa con loro per quanto sembrino esser pii, e divoti. Si guarderanno con orrore da ogni oggetto, che possa in qualsisia maniera tendere ad eccitare idee oscene per mantenere le loro menti, ed i loro cuori sempre immacolati, e puri, e conservare con una semplicissima integrità la fede, che hanno sì solennemente promessa al loro sposo celeste.

Capo V.

Del voto di obbedienza.

De voto obedientiae.

I. §. 26. Abbiano sempre in mente le sorelle, che col loro voto di obbedienza hanno per sempre rinunziato alla propria volontà, e si sono assoggettate senza alcuna riserva alla direzione della loro superiora; perciò molto volentieri intraprendano qualunque cosa, ed adempiano esattamente ogni di lei comando in ogni cosa, che non sia peccato. Chi desidera osservare con perfezione il voto di obbedienza, sappia che deve obbedire per principio di amore piuttosto che per timore servile. La rispettino internamente ed esternamente, l'amino, e la venerino come loro madre. Ed affinchè possa essere la superiora a portata di ben dirigerle per la via del servizio di Dio, viene raccomandato loro di dare notizia alla medesima delle loro penitenze e mortificazioni con il frutto che ne cavano, come ancora delle loro devozioni e pratiche di virtù, desiderando con sincera volontà di essere rimesse nella strada diretta della perfezione, se qualche volta accadesse, che la smarrissero, e non mai presumano di volersi guidare col proprio senso, e giudizio.

Idem ut supra.

II. §. 27. Devono senza dimora adempire gli ordini della madre superiora in ogni particolare sia di grande o di piccolo rilievo, sia piacevole, o dispiacevole. Nè mai daranno luogo a mormorazione, o a disgusto, ma con umiltà di cuore e gioja spirituale, porteranno il dolce peso della obbedienza, che assunsero allorchè si consacrarono a Cristo. Non solo esse devono adempire gli ordini della superiora, ma ancora procurare di prevenire i di lei desiderii, se gli riesce di penetrarli. Si sottoporranno con umiltà alle penitenze ingiunte loro da essa, e se accadesse, che le riprendesse immediatamente, non mormoreranno, nè si lamenteranno, ma con animo sommesso, e con pio affetto riceveranno le riprensioni ingegnandosi di non scusare una tal riprensione nella loro mente, affine di obbedire più perfettamente con tutto il potere, e forza dell'anima loro.

Idem ut supra.

III. §. 28. Non si assenteranno dagli esercizj comuni senza la di lei licenza espressa, e se non possono avere preventivamente l'accesso a lei, dopo subito che gli si presenterà l'occasione, le renderanno conto perchè sono state assenti. Obbediranno senza tardanza a tutte le chiamate della campana per li differenti esercizj della comunità, come alla voce del Signore.

Capo VI.

Della clausura.

De clausura servanda.

I. §. 29. Le sorelle religiose di questo nuovo istituto tanto proficuo alla buona cristiana educazione e coltura delle fanciulle specialmente povere, alla quale con voto si trovano obbligate ad attendere, ricordevoli sempre,

Digitized by Google

che nel consagrarsi a Dio in questo sagro stato, hanno rinunciato intieramente al mondo, saranno tenute alla stretta, esatta, e fedele osservanza di una rigorosa clausura, cosicchè dopo aver fatto la loro religiosa professione, non più potranno oltrepassare i limiti alla clausura prescritti se non che per cause gravissime, a norma delle provvidenze e disposizioni de' sagri canoni, e costituzioni apostoliche.

Capo VII.

Del ricevimento delle postulanti, loro ammissione all' abito, e professione.

De religiosis admittendis in congregationem.

I. §. 30. Quelle che desiderano entrare in questa religiosa congregazione saranno preventivamente esaminate rapporto alla loro vocazione dal vescovo, o dal sacerdote destinato da lui, e dalla madre superiora, e dalla maestra delle novizie. Se sono approvate saranno ricevute. Per sei mesi dalla loro postulazione assisteranno tre ore in ogni giorno alle scuole. Il tempo, che resta l'impiegheranno negli esercizj spirituali, e nell' apprendere quelle cose, che possono renderle capaci per le funzioni dell' istituto, secondochè le dirigeranno la madre superiora, e la maestra delle novizie.

De suffragiis necessariis pro admissione.

II. §. 31. Se la loro condotta durante questo tempo sarà veramente umile, e conforme, allo spirito dell' istituto potrà essergli permesso di domandare in capitolo l' abito religioso, e se la pluralità de' voti (che devono essere segreti) sarà in loro favore potranno essere ammesse a cominciar la prova, purchè però abbiano l' età sufficiente.

De duratione experimenti.

III. §. 32. Il tempo della prova durerà per due anni intieri (il vescovo può nulladimeno in caso straordinario restringerlo ad un anno). Li primi sei mesi saranno ordinariamente impiegati negli esercizj spirituali, e nello studio de' doveri, e funzioni dell' istituto. Di poi più diligentemente assisteranno alle scuole, e alla istruzione delle povere fanciulle. Due mesi prima, che termini il tempo della loro prova col permesso della superiora faranno la loro domanda in capitolo. Se il capitolo acconsente alla domanda si farà lo scrutinio con fagiuoli bianchi e neri, e se la pluralità sarà in loro favore, impiegheranno il tempo che resta della loro prova per quanto lo permetteranno le circostanze, in preghiere, ed altri spirituali esercizj.

De numero recipiendarum.

IV. §. 33. Tante saranno ricevute nello stabilimento, quante ne ammetteranno li fondi della casa, e non più se pure la candidata non portasse con se una dote sufficiente per il proprio mantenimento in tutto il necessario.

De exclusione earum aliquo morbo gravi laborantium.

V. §. 34. Non sarà ricevuta alcuna soggetta al mal caduco, o a qualunque malattia contagiosa, o che sia travagliata da qualunque infermità di corpo, o mente, la quale la renda incapace per le funzioni dell' istituto.

De voto emittendis post professionem.

VI. §. 35. Le nuove professe saranno lasciate sotto la direzione della maestra delle novizie per due anni senza voto attivo e passivo, eccettuate le prime sette professe, che avranno il voto attivo e passivo immediatamente dopo la loro professione.

Formola dell' atto di professione.

De formula professionis.

§. 36. In nome del Nostro Signore e Salvatore Gesù Cristo, ed in nome e sotto la protezione dell' immacolata Madre Maria sempre Vergine. Io suor NN. chiamata nella religione NN. fo voto e prometto a Dio povertà, castità, e obbedienza, e d' impiegarmi fino al termine della mia vita in questo istituto per la caritatevole istruzione delle fanciulle specialmente povere in questa clausura, secondo le regole e costituzioni di questa congregazione della Presentazione della Beatissima Vergine approvate e confermate con autorità apostolica dal Nostro santo padre Pio VII, alla presenza di voi mio signore illustrissimo e reverendissimo nostro padre in Cristo NN. monsig. vescovo di NN. (ovvero) in presenza del reverendo NN. (qui il nome e la dignità del sacerdote, il quale officia per ordine del vescovo) specialmente a quest' atto delegato dal nostro illustrissimo e reverendiss. padre in Cristo NN. monsignor vescovo di NN. e dalla nostra rever. madre suor NN. chiamata in religione NN. superiora di questa casa della Presentazione. Nell' anno di Nostro Signore ec. ec.

Monitum speciale.

§. 37. Nota bene — Se il vescovo è assistente in persona dopo le parole padre Pio VII. « si aggiungerà » ed alla presenza di voi mio signore » E se la superiora fosse impedita da malattia di attendervi, invece di nominar lei, si nominerà la madre assistente.

Digitized by Google

Capo VIII.

I. §. 126. La divozione a Maria sempre vergine, e madre di Dio è sempre stata la divozione favorita di tutte le persone religiose, e raccomandata specialmente in ogni istituto regolare. Ma siccome questa congregazione è immediatamente sotto la di lei protezione speciale, e siccome dopo Dio ne è la prima protettrice, e padrona, avranno per lei le sorelle la più fervorosa, e affettuosa divozione, riguardandola in un modo particolare come loro madre, e come il gran modello, che sono obbligate ad imitare, affinchè colla di lei intercessione, ed efficace protezione siano rese capaci di adempire gli obblighi del loro santo istituto, e di piantare Gesù Cristo nelli teneri cuori di quelle povere care fanciulle, che sono incaricate d' istruire.

Idem ut supra.

II. §. 127. Esse avranno ciascuna di loro individualmente una confidenza illimitata in lei: ricorreranno ad essa in tutte le loro angustie, e necessità spirituali, e colle imitazioni delle di lei virtù si studieranno di piacerle, e di rendersi degne del materno di lei patrocinio. Solennizzeranno le sue feste con tutta gioja spirituale, e con divozione, ed istilleranno nelle menti delle povere fanciulle, e di tutti quelli, co' quali avessero qualche influenza, un cordiale rispetto, venerazione, ed amore per essa. Ciascun giorno reciteranno a di lei onore cinque poste di rosario.

III. §. 128. Il giorno della Presentazione, festa titolare di questa congregazione tutti gl' individui della comunità inginocchiati con candele accese nelle mani avanti l' altare della beatissima Vergine annualmente faranno il seguente atto di consagrazione di loro stesse, e della congregazione, che la superiora leggerà in voce intelligibile in nome, e per parte della comunità, ed ogni nuova professa la farà privatamente nel giorno della sua professione. Idem ut supra.

Atto di offerta e consagrazione alla ss. Madre di Dio.

Santissima, e gloriosissima Vergine Madre di Dio, noi sorelle della congregazione della caritatevole istruzione persuase di quanto abbiamo bisogno della grazia del Signore per adempire agli ardui doveri, ed obblighi del nostro istituto, ed anche della grandezza del vostro potere presso Gesù Cristo, e della vostra bontà verso li poveri cristiani umilmente ci rivolgiamo a voi in questo giorno, come a madre di misericordia con pienissima fiducia di ottenere la divina assistenza per mezzo della vostra santa intercessione. Noi dunque, clementissima Vergine, prostrate innanzi a voi con tutta umiltà fervorosamente vi preghiamo, che vi degniate di accettare graziosamente l' offerta, che noi tutte irrevocabilmente facciamo di noi stesse in questo santo giorno al vostro amore, e servizio, proponendo colla divina assistenza di portar sempre a voi il più cordiale rispetto, e venerazione, e d' impegnare tutti gli altri, per quanto ci sarà possibile, ad amarvi, onorarvi, e rispettarvi. Degnatevi, purissima, ed immacolata Vergine madre di Dio di riceverci tutte, e ciascuna di noi in particolare sotto la vostra santa protezione.

Noi vi riguardiamo come nostra madre, nostra signora, e maestra, e come nostra padrona, protettrice, avvocata, e direttrice nostra, supplicandovi umilmente di ottenerci il perdono de' nostri peccati, delle negligenze, e delle offese. Vi preghiamo ancora di ottenerci dall' infinita bontà del vostro amato

figlio, che questa piccola congregazione della caritatevole istruzione, della quale noi siamo indegni membri, sempre, ed in tutte le occasioni venga favorita colla vostra speciale assistenza, e particolarmente nelle ardue funzioni dell' istituto, e nella pratica di ogni virtù religiosa. In fine vi supplichiamo caldamente, che benignamente vi degniate di ottenere, che regni sempre fra di noi una perfetta unione de' cuori, e d' animi, che siamo sempre fedeli alla debita osservanza delle nostre regole, che perseveriamo fino al termine della vita nella grazia della nostra vocazione, affinchè avendo fedelmente servito il vostro diletto figlio coll' imitare le vostre virtù qui in terra, possiamo con voi, e con tutti gli eletti lodarlo e glorificarlo in cielo per tutta l' eternità. *Amen*.

Idem ut supra. IV. §. 129. Li santi, alli quali le sorelle di questa congregazione religiosa vengono raccomandate specialmente sono li seguenti: s. Giuseppe, s. Anna, s. Gioacchino, li ss. apostoli Pietro e Paolo, s. Giovanni Evangelista, s. Agostino, s. Monica, s. Patrizio, s. Brigida, s. Francesco di Sales, s. Francesco Saverio, s. Vincenzo de Paolis, s. Giuseppe Calasanzio fondatore delle scuole pie, e la beata Angela de Merici.

Capo XI.

Dei registri.

De custodia librorum communitatis. I. §. 130. Quattro libri, o registri si terranno in cascuna casa dell' istituto. Uno per gli annali della congregazione, uno per li conti del dare e dell' avere della casa, uno per registrare le risoluzioni fatte in capitolo, ed il quarto per registrare gli atti di accettazione, o professione.

Idem ut supra. II. §. 131. Nel libro degli annali sarà notato il racconto del principio e del progresso della congregazione, li nomi, e le qualità de' fondatori, fondatrici dello stabilimento; il vescovo sotto di cui furono fatti; quelli che più vi contribuirono; li fatti memorabili accaduti; li differenti stabilimenti che furono formati; le sorelle religiose, che incominciarono la fondazione; le sorelle, che morirono nella casa illustri per le loro virtù, e per la santità di vita, il giorno, mese ed anno della loro morte, e tutte le altre materie degne di esser trasmesse alla posterità.

III. §. 132. Nel libro delle accettazioni, o professioni si registreranno li nomi delle candidate, novizie, e professe, e delli loro parenti, la loro età, giorno, mese ed anno che entrarono nel convento; il giorno mese ed anno in cui presero l' abito e professarono; gli atti di professione che saranno sottoscritti dalla professa, dal vescovo, o sacerdote, che officiò, e dalla superiora ed assistente. Idem ut supra.

Formula del registro di questo atto.

Suor N. N. chiamata in religione N. N. figlia di N. N. nacque nella parrocchia di N. N. della diocesi N. N. fu battezzata e cresimata. Essa entrò in questo convento in N. dell' anno N. prese l' abito di questo istituto nel N. dall' anno N. in età di anni N. fece la sua professione N. dell' anno N. nella cappella di questo convento della Presentazione col permesso (officiando il vescovo si aggiungerà) ed alla presenza dell' illustrissimo e reverendissimo padre monsignore N. N. vescovo di N. ed in presenza di suor N. superiora di questo convento; l' atto della qual professione essa fa, e sottoscrive nel modo e forma seguente.

Qui verrà inserito parola per parola l' atto della professione come fu dalla medesima fatto.

Capo XII.

Degli stabilimenti.

I. §. 133. Siccome le sorelle di questa congregazione sono intieramente dedicate alla istruzione delle povere, per la quale non possono ricevere alcun emolumento temporale, e siccome dalle costituzioni gli è rigorosamente proibito di ricevere pensionarie, o educande non s' intraprenderà alcun nuovo stabilimento, se non vi sarà un fondo certo corrispondente al mantenimento delle sorelle, che vi entrano debitamente esaminato, ed approvato dal vescovo, e dalle discrete del convento. De congregationibus non augendis sine episcopi licentia.

Fine.

§. 134. Dichiariamo, che non è nostra intenzione che queste regole, e costituzioni compilate per la congregazione delle sorelle Conclusio.

della caritatevole istruzione obblighino sotto pena di peccato mortale, o veniale a riserva di ciò, che riguarda l' osservanza e adempimento de' voti, e della trasgressione di qualche articolo, che indipendentemente dalle regole, per se stesso sia d' obbligo.

Cork 15. agosto 1793.

Francesco Moylan vescovo di Cork.

Noi sottoscritti approviamo le precedenti regole, e costituzioni.

Riccardo O-Reily arciv. di Armagh.
Fra Gio. Tommaso Troy arcivescovo di Dublino.
Tommaso Bray arcivescovo di Cashel.
Eduardo Dillon arcivescovo di Tuam.
Giacomo Caulzield vescovo Fernese.
Giacomo Lanigan vescovo di Ossery.
Carlo Sughrue vescovo di Therry.

Decretum sacrae congregationis de Propaganda Fide habitae die 17. septembris 1804.

Decretum sacrae congregationis de propaganda Fide super approbatione regularum.

§. 135. Quum r. p. d. Franciscus Moylan episcopus Corcagiensis in Hiberniae regno ad eminentissimos patres hujus sacrae congregationis retulisset, nobilem foeminam catholicam Honoratam Nagle fel. mem. opes suas in plurimarum piarum domorum fundationem impendisse eo consilio, ut nempe eae virgines in eisdem reciperentur, quae sibi puellas praecipue pauperes in catholicae fidei rudimentis informandi, honestisque artibus instruendi; tum etiam mulieres aegrotantes in publicis nosocomiis invisendi, easdemque spiritualibus, ac temporalibus auxiliis adjuvandi munus susciperent: et plures jam repertas esse virgines, quae eidem instituto nomen dare, ac onera supra allata suscipere vellent; ideoque ejusmodi instituti ab apostolica hac sancta Sede approbationem petiisset: sanctae memoriae Pius papa VI. de eminentissimorum patrum hujus sacrae congregationis consilio literis apostolicis in forma brevis 3. septembris anni 1791. datis, facultatem eidem episcopo impertitus est, supramemoratas pias domos, seu collegia etiam in aliis dioecesibus (dummodo consensus accederet proprii ordinarii) erigendi, ac instituendi, in eademque virgines, quae praefata onera sustinere debeant, recipiendi; quae expleto probationis tempore tria simplicia vota paupertatis, castitatis, et obedientiae emitterent; omnesque indulgentias, ac spirituales gratias monialibus Ursulinis, earumque collegiis, et ecclesiis jam concesserat idem summus pontifex ipsi novo instituto clementer impertiit; episcopoque Corcagiensi injunxit, ut regulas, ac constitutiones ad institutum Ursulinarum conformes concinnaret, quas praefatae virgines a Praesentatione beatae virginis Mariae profiteri deberent. Hinc ab eo tempore, quo praedictum institutum apostolicam approbationem reportavit, impensius idem coli coepit in domo matrici Corcagiensi, et paulatim propagari, ut jam ad civitates, et dioeceses Dublinensem, Waterfordiensem, Kilkenniensem, et ad oppidum Killaney se se extenderit, eo sane felici successu, ut non solum quam plurimae puellae, sed et adultae, et nuptae doctrinae fidei, ac morum plerumque insciae in collegiis ejusdem instituti erudiantur. Qua de re cum praelaudatus episcopus, regulas constitutionesque condidisset, misissetque ad hanc camdem sacram congregationem pro approbatione apostolica, ac precatus esset, ut loco simplicium votorum consueta religionis vota solemnia in posterum ab ipsis virginibus emitti deberent, quarto etiam solemni voto addito, puellas praesertim pauperes educandi, easdem in religionis praeceptis erudiendi: *Id enim* (ut ipse testatur episcopus) *omnes ejusdem instituti virgines impensius efflagitant; unde oritur instituti stabilitas et perfectio, ob cujus defectum nonnullae retraherentur virgines alias valde idoneae, et zelo gloriae Dei aestuantes ab illo complectendo*. Eminentissimi patres hujus sacrae congregationis re bene expensa, atque examinata, post emendationem, et correctionem earumdem regularum, et constitutionum ad normam exempli supra extensi censuerunt supplicandum esse sanctissimo pro earumdem regularum, et constitutionum approbatione; ac pro indulto, ut sacrae virgines, expleto tyrocinii tempore, ad solemnem votorum professionem admitti valeant, addito quarto voto puellas praesertim pauperes educandi, ac in catholicae fidei rudimentis, ac praeceptis imbuendi, ita tamen, ut e monasterii septis (nisi gravissimis de causis a jure sancitis) egredi nequeant; derogando (quatenus opus sit) alteri injuncto oneri in literis brevibus

Pii pp. VI. supramemoratis, invisendi scilicet aegrotantes mulieres in publicis nosocomiis.

Quam sacrae congregationis sententiam Sanctissimo domino Nostro in audientia habita die 27. septembris ejusdem anni a me archiepiscopo Myrensi, et hujus sacrae congregationis secretario relatam, Sanctitas Sua benigne approbavit in omnibus, literasque apostolicas in forma Brevis expediri jussit.

Datum Romae ex aedibus ejusdem s. congregationis de Propaganda Fide die 16. februarii 1805.

A card. Dugnani pro-praefectus.
Dominicus archiep. Myren. secr.

Loco ✠ signi.

Confirmatio apostolica.

§. 136. Quae quum sint, tu hunc Nobis deprecari fecisti, ut hujusmodi regulas per Nos adprobari, dictisque concedi virginibus, quatenus liceat ipsis e simplici statu oblatarum in veras moniales sub titulo, et invocatione Praesentationis beatae Mariae virginis perpetuo transire, de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur in re, quae tum omnipotentis Dei gloriam, tum sanctae religionis augmentum tantopere spectat, zelo fraternitatis tuae, ac votis virginum praedictarum libenter obsecundare, teque, ac virgines ipsas specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, nec non singularum ipsarum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum cardinalium consilio, praeinsertas constitutiones, seu regulas cum omnibus, et singulis in eis contentis auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, ratasque, ac validas habemus, et declaramus illisque perpetuae, et inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac si quem sive juris, sive facti defectum quomodolibet in easdem irrepsisse contigerit, plenarie sanamus, atque supplemus: deinde supradictis virginibus praesentibus, et futuris, ut post expletum tyrocinii tempus, ad solemnem, servatis alias servandis, professionem votorum, addito etiam quarto educandi puellas praesertim pauperes, imbuendique eas praeceptis, et rudimentis catholicae fidei, libere recipi, admittique possint, et valeant, auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et indulgemus; ita tamen, ut ipsae in posterum sub recensitis regulis, et constitutionibus vivere, ordinariorumque jurisdictioni subesse, clausurae leges servare, nec umquam propterea a monasterii septis, nisi ob gravissimas causas in constitutionibus expressas, et a jure sancitas egredi debeant: ad quem effectum, quatenus opus sit, super onere invisendi, uti praemissum est, mulieres nosocomiorum infirmas cum ipsis dispensamus expresse, literisque praedecessoris, quoad onus hujusmodi penitus derogamus, ac derogatum esse decernimus. Eisdem literis, caeterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Indulgentias porro omnes, et gratias spirituales jam alias ab eodem praedecessore isti pio instituto concessas praedicta auctoritate confirmamus.

Datum Romae de speciali mandato sanctissimi die nona aprilis millesimo octingentesimo quinto, pontificatus sui anno sexto.

CCCLXI.

Dat. die 20. aprilis 1805. Anno VI.

Confirmatio electionis ministri provincialis, et destinationis domus probationis, et professionis cum erectione congregationis Galiciarum in provinciam regularem, pro ministro provinciali Galiciarum ordinis sancti Pauli primi eremitae.

Dilecto filio Hilarioni Bobrowski ministro provinciali ordinis fratrum sancti Pauli primi eremitae nuncupatorum.

Pius PP. VII.

Dilecte fili salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Religionis zelus, vitae, ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, et virtutum merita, super quibus apud Nos fide dignis commendaris testimoniis Nos adducunt, ut te specialibus favoribus, et gratiis prosequamur liberales.

Expositio precum.

§. 2. Expositum siquidem Nobis tuo nuper nomine fuit, quod in binis, sicut asseritur, Austriacae ditionis Galiciis octo existunt coenobia ordinis fratrum sancti Pauli primi eremitae nuncupatorum, olim unita, partemque

integralem conflantia provinciae Poloniensis ejusdem ordinis, sed in praesentiarum sejuncta omnino ab ea provincia ob nuperas Poloniae regni vicissitudines, quibus regionum istarum res permutatae fuerunt. Nihilo tamen minus coenobiis hujusmodi apostolica est impertita facultas suum eligendi provincialem ministrum, propriamque habendi domum probationis et regularis professionis, pro qua conventus Bezoviae designatus permansit. Ut autem talis facultas, quaeque exinde illius vigore acta et constituta sunt, solidiorem etiam in posterum sortiantur observantiam, tu ministerii tui zelo permotus cuncta haec per Nos approbari, et confirmari, atque, ut infra, quoque indulgeri vehementer exoptas, enixisque humiliter precibus a Nobis efflagitas.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur te specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, electionem seu electiones ministri provincialis, ac designationem domus probationis, et professionis a recensitis coenobiis sic, ut praefertur, ex apostolico indulto peractas auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, ratasque, et validas habemus, et declaramus, ac inviolabilis firmitatis robur illis adjicimus, omnesque ac singulos sive juris, sive facti defectus si quos quomodolibet in praemissis intervenisse contigerit, sanamus, atque supplemus: deinde eadem octo coenobia in praedictis Galliciis jam erecta, aliaque ibidem postmodum erigenda, in regularem provinciam pari auctoritate nominamus, atque instituimus, ac ei ita nominatae, atque institutae, ut provincialia comitia celebrare, ac omnia et singula, quae in illis juxta dicti ordinis constitutiones a Sede hac apostolica approbatas deliberari ac decerni solent, tunc deliberare atque decernere, nec non juribus, privilegiis, gratiis, indultisque universis, quibus dum Poloniensi dictae provinciae unita erat, et particularem constituebat congregationem antea gaudebat, uti, frui, et gaudere libere, ac licite valeant, auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, tum et praedicti ordinis, et provinciae Poloniensis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae de speciali mandato Nostro sub annulo piscatoris, die vigesima sexta aprilis, millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

CCCLXII.

Dat. die 26. apr. 1805. Anno VI.

Communicatio indulgentiarum, quibus gaudet archiconfraternitas sanctae Mariae supra Minervam de urbe, et erectio ejusdem confraternitatis in archiconfraternitatem cum facultate adgregandi pro confraternitate sanctissimi Sacramenti Petrae Sanctae Pisanae dioecesis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni officiales, et confratres confraternitatis sub tit. ss. Sacramenti in adnexo praepositoriali ecclesiae Petrae Sanctae Pisanae dioecesis oratorio canonice, ut asseritur, erectae, quod ipsi, ut animarum suarum profectui, melius consultum sit, omnibus, et singulis indulgentiis, peccatorum remissionibus, ac poenitentiarum relaxationibus, aliisque spiritualibus gratiis, quibus archiconfraternitas ejusdem sanctissimi Sacramenti in ecclesia sanctae Mariae supra Minervam nuncupata

de urbe erecta fruitur, et gaudet, per Nos locupletari, ac etiam ad majorem Dei gloriam confraternitatem hujusmodi archiconfraternitatis titulo decorari plurimum desiderant.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos piis eorumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus annuere volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi Nobis humiliter porrectis inclinati; auctoritate Nobis a Domino tradita, deque omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, et singulis confratribus, et consororibus in dicta confraternitate adscriptis, et in posterum adscribendis indulgentias tam plenarias, quam partiales, aliasque spirituales gratias archiconfraternitati praedictae sanctissimi Sacramenti supra Minervam de urbe ab hac sancta Sede jam alias impertitas, dummodo injuncta pro illis consequendis rite adimpleverint, auctoritate apostolica, tenore praesentium perpetuo communicamus, tribuimus, et impertimur: nec non confraternitatem praedictam sanctissimi Sacramenti in archiconfraternitatem cum omnibus, et singulis praerogativis, juribus, honoribus, et praeeminentiis solitis, et consuetis, auctoritate, et tenore praedictis, sine cujusquam praejudicio perpetuo erigimus, et instituimus; ac ipsius archiconfraternitatis sic erectae officialibus, et congregatis praesentibus, et futuris, ut ipsi alias quascumque confraternitates ejusdem instituti extra urbem ubique locorum erectas eidem archiconfraternitati, servata tamen forma constitutionis recolendae memoriae Clementis pp. VIII. praedecessoris Nostri editae, adgregare, illisque omnes, et singulas indulgentias, et peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes ipsi archiconfraternitati sic in archiconfraternitatem a Nobis erectae concessas communicare libere, et licite possint, et valeant, eadem auctoritate concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective, inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, supradictae confraternitatis, aliisque etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae de speciali mandato Nostro sub annulo piscatoris die vigesima sexta aprilis millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

CCCLXIII.

Dat. die 26. aprilis 1805. Anno VI.

Capitulo, et canonicis cathedralis ecclesiae Lyciensis conceditur usus baculi in pontificalibus pro iis temporibus tantum, quibus sedem episcopalem Lyciensem vacare contigerit.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii dignitates, et canonici presbyteri cathedralis ecclesiae Lyciensis, quod dudum sibi sub certis modo, et forma tunc expressis auctoritate apostolica indulsimus, ut pontificalia deferre, ac in pontificalibus celebrare ad instar

Digitized by Google

dignitatum, et canonicorum metropolitanae ecclesiae Neapolitanae, excepto tamen pastorali, seu abbatiali baculo libere, et licite possent, ac valerent, ac alias, prout in Nostris desuper in simili forma brevis die 11. octobris anni superioris expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, fusius continetur. Cum autem sicut in eadem expositione additum erat, ipsi dignitates, et canonici etiam baculo praedicto uti posse plurimum desiderent; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur eosdem exponentes amplioris gratiae favoribus prosequi volentes, atque eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, eisdem dignitatibus, et canonicis presbyteris nunc, et pro tempore in perpetuum existentibus, ut in pontificalibus hujusmodi habendis etiam baculo praedicto ad instar memoratae metropolitanae ecclesiae Neapolitanae, ac pro iis temporibus dumtaxat, quibus sedem episcopalem Lyciensem vacare contigerit libere, et licite uti, eumque gestare possint, et valeant, servata tamen in reliquis praecedentium literarum Nostrarum forma, et dispositione, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quae in dictis Nostris literis voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae de speciali mandato Nostro sub annulo piscatoris die trigesima aprilis millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

CCCLXIV.

Dat. die 30. aprilis 1805. Anno VI.

Facultas praeposito et beneficiatis ecclesiae metropolitanae Caesaraugustanae vacandi a choro per alios triginta dies cujuslibet anni, et percipiendi fructus in absentia, in perpetuum.

Venerabili fratri archiepiscopo Caesaraugustano.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi nuper fecerunt Nobis dilecti filii praepositus, et beneficiati metropolitanae ecclesiae nostrae Dominae Del Pilar nuncupatae Caesaraugustanae civitatis, se admodum arcto, onerosoque obstrictos esse residentiae vinculo, quum praeter assistentiam communi choro praestandam, ac praeter majorem partem missarum in eadem ecclesia, earumque etiam multas in altaribus, horisque praefixis celebrandas, debeant ipsi per turnum recitare quotidie officium parvum beatae Mariae Virginis in choro s. cappellae nostrae Dominae, cantare plura anniversaria in cappella s. Laurentii, interesse defunctorum, vel pauperum exequiis evenientibus, ut plurimum post finem chori, ac in iis cantando missas praesente cadavere, reliquaque explendo juxta morem suffragia. Ex hinc fieri, ut divisum quum sit quotidianum ipsorum servitium in decem punctationes, matutino non comprehenso, solae illae vices, quibus vel involuntarie inter annum abfuerint, viginti dies sibi tantum ad vacandum concessos prorsus absorbeant. Porro accedere et illud, quod ipsi post reductionem beneficiorum pluribus jam ab hinc annis in ista ecclesia peractam licet multo minores numero evaserint, integrum tamen onerum, quae beneficiis reductis inhaerebant, pondus perferant, quin majorem simul assecuti sint fructum, vix ac ne vix quidem percipientes, de quo valeant congrue sustentari. Quamobrem ad nanciscendum aliquod tanto in labore levamen se orare humiliter, atque enixe obsecrare, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac singulares eorum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis, censuris, sententiis, et poenis quovis

Digitized by Google

modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus praenarratis, eisdem exponentibus licentiam et facultatem, cujus vigore ipsi, ac successores ipsorum in perpetuum, praeter et ultra viginti vacationis dies, quibus in quolibet anno, ut praefertur, gaudent, per alios dies triginta in eodem anno a chori, ecclesiaeque servitiis vacare, ac in diebus hujusmodi, omnes et singulos suorum beneficiorum fructus, redditus, et proventus, ac quotidianas quoque distributiones lucrari, suasque facere, et omni cum integritate exigere, atque percipere, suosque in usus et utilitatem convertere, perinde ac si cunctis ecclesiae et chori functionibus personaliter intervenirent, libere, et licite possint, et valeant, auctoritate Nostra apostolica pro tui arbitrio, et conscientia gratis impertiaris; proviso tamen, ut per turnum a te statuendum id fiat, et sufficiens semper beneficiatorum, qui uti par est choro et ecclesiae quotidie inserviant, numerus remaneat, exceptis vero diebus festis solemnioribus anni, primisque eorum vesperis, ac per totam eorumdem octavam, nec non aliis etiam, quae tum magis in Domino excipiendos esse censueris, tum demum temporibus adventus, et quadragesimae, nam tempora et dies hujusmodi a praesenti vacationis ampliatione expresse reservari volumus, et declaramus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus nec non dictae metropolitanae eclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae de speciali mandato Nostro sub annulo piscatoris die trigesima aprilis millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

CCCLXV.

Dat. die 9. junii 1805. Anno VI.

Erectio sedis Kielcensis.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Venerabili fratri Cajetano Ignatio de Kicki
archiepiscopo Leopoliensi,
salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Indefessum personarum regia dignitate fulgentium pro ecclesiarum in suis ditionibus consistentium felici statu, suorumque respective subditorum spirituali guberuio nunquam satis commendabile studium de apostolicae benignitatis auxilio prosequi, et fovere, quemadmodum semper habuit gloriosum apostolica Sedes, ita Nos cum pastoralem Nostram sollicitudinem nil magis urgeat et excitet, quam ecclesiarum bonum, optimumque regimen, et animarum salutis incrementum, quoniam id ipsum exoptare regia corda comperimus in laetitia, et exultatione tam sancta ac pia vota excipientes, quae provide personis ipsis pro expeditiori ecclesiarum hujusmodi coordinatione in Domino visa sunt convenire, apostolica auctoritate ad effectum perducere festinamus.

Expositio precum porrectarum a rege Hungariae, pro obtinenda nova erectione.

§. 2. Cum itaque sicut dilectus filius comes de Kewenhüller charissimi in Christo filii Nostri Francisci hoc nomine secundi Romanorum regis in imperatorem electi, ac Bohemiae et Hungariae etiam regis apostolici apud Nos et Sedem apostolicam administer plenipotentiarius, nomine ejusdem Francisci imperatoris et regis exposuit, plures parochiales ecclesiae intra nonnullos circulos archidioecesis Gnesnensis, et aliorum exterorum episcopatuum in postrema regni Poloniae divisione suis ditionibus fuerint adjunctae, ipsaeque tamen parochiales ecclesiae in spiritualibus ab archiepiscopi Gnesnensis, aliorumque episcopo-

rum sub dominio regis Borussiae existentium episcopali pendeant jurisdictione, earum porro talis est situatio, ut nec in unum de novo erigendum episcopatum conjungi, nec dioecesibus in Galicia existentibus, in quibus praedictae parochiales ecclesiae ad praesens reperiuntur incorporari valeant, unde necessitas oritur easdem dioeceses (sola Leopoliensi excepta) quoad jurisdictionis episcopalis territoria aliter ordinandi, ut remoto omni nexu cum episcopis extraneis parochiales ecclesiae praedictae episcopis in Galicia existentibus, eorumque jurisdictioni et superioritati pro meliori animarum illorum populorum regimine et gubernio perfecte subjiciantur, proindeque ex parte dicti comitis de Kewenhüller ipsius Francisci imperatoris et regis nomine Nobis fuerit humiliter supplicatum, ut ad ecclesiasticas res expeditius omni ex parte intra limites Cracoviensis, et Chemensis, nec non Gnesnensis respective dioecesium componendas sedem interim episcopalem Jacnoriensem modo vacantem uno cum infrascripto illius capitulo ad civitatem Kielcensem transferre, ibique residentiam novi futuri episcopi Kielcensis in posterum nuncupandi designare, ac pariter novam hujusmodi episcopatus, ut infra, erigendi dioecesim modo et forma infrascriptis praefinire de benignitate apostolica dignaremur.

Processus adhibitus super convenientia novae erectionis.

§. 3. Cumque ex processu a dilecto etiam filio Nostro et Sedis apostolicae nuncio Viennae commorante confecto, et ad urbem transmisso, de hujusmodi translationis et erectionis utilitate Nobis constiterit, perspectoque etiam quod si praedicta cathedrali ecclesia Tarnoviensi, ut infra, suppressa et extincta civitas Kielcensis praedicta in Galicia occidentali, et haereditaria domus Austriacae provincia sita in civitatem episcopalem, ut infra, erigeretur, nec non cathedralis ecclesiae Tarnoviensis, ut infra, supprimendae, et extinguendae episcopalis sedes ad saecularem et collegiatam, quae etiam parochialis existit ecclesiam Assumptionis in coelum beatae Mariae Virginis, praevia pariter infrascripta illius collegialitatis, et in ea existentis capituli perpetua suppressione et extinctione, una cum praedictae cathedralis ecclesiae Tarnoviensis, ut infra, supprimendae, et extinguendae capitulo, quod septem canonicis, septem canonicatus, totidemque praebendas respective obtinentibus, comprehensis in eo uno praeposito praepositura inibi post pontificalem majorem, ac uno decano unum decanatum secundam, et scholastico unam scholasticam tertiam inibi respective dignitates existentes una cum suis respective canonicatibus, et praebendis eisdem dignitatibus respective annexis, etiam respective obtinentibus compositum reperitur, perpetuo etiam ut infra transferretur, ipsaque collegiata, quae etiam parochialis, ut praefertur, existit ecclesia sic suppressa et extincta in cathedralem ecclesiam Kielcensem nuncupandam etiam perpetuo erigeretur, et institueretur, nec non pro futuri et pro tempore existentis episcopi Kielcensis dioecesi, ac clero, et populo respective constituendis a Cracoviensi, et Chelmensi, nec non Gnesnensi respective dioecesibus infrascriptae collegiatae, infrascriptaeque itidem parochiales respective ecclesiae etiam perpetuo, ut infra, dismembrarentur, dividerentur, et separarentur, illaeque sic dismembratae, divisae, et separatae futuri et pro tempore existentis episcopi Kielcensis jurisdictioni, superioritati, et auctoritati similiter perpetuo, ut infra, supponerentur, et subjicerentur, ex hac quidem rerum dispositione spirituali illorum populorum curae diversis ecclesiarum praesulibus hactenus commissae unius tantum pastoris in centro ferme existentis regimini, et directioni in posterum subjectae, melius ac salubrius consuleretur, et maxima etiam eorumdem populorum animarum saluti utilitas perveniret.

Erectio civitatis Kielcensis in civitatem episcopalem.

§. 4. Nos igitur tam pia ac laudabilia dicti Francisci imperatoris et regis studia apostolicae Sedis favore prosequi, ejusque votis ac precibus benigne annuere volentes, motu proprio et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut tu praedictam cathedralem ecclesiam Tarnoviensem, et in ea titulum, nomen, denominationem, naturam, et essentiam cathedralitatis, ita quod illa ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus cathedralis esse desinat, et de caetero uti talis denominari, inscribi, censeri, et intelligi amplius nequeat, nec non dignitatem episcopalem, et ita pariter praedictam collegiatam, quae etiam parochialis, ut praefertur, existit ecclesiam, illiusque titulum, nomen, denominationem, naturam, et

essentiam collegialitatis, et in ea existens apostolica tibi ad id specialiter et expresse delegata auctoritate perpetuo respective supprimas et extinguas, illisque sic suppressis et extinctis supra dictam civitatem Kielcensem in civitatem episcopalem Kielcensem cum omnibus et singulis juribus, honoribus, et praerogativis, quibus aliae civitates pontificali sede insignitae in regno Galiciae praedictae existentes, earumque cives utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent.

Erectio ecclesiae collegiatae in cathedralem.

§. 5. Nec non praedictam collegiatam ecclesiam per te, ut praefertur supprimendam, et extinguendam in cathedralem, quae etiam parochialis, ut antea, existat ecclesiam sub eadem Assumptionis in coelum ejusdem beatae Mariae virginis invocatione nuncupandam tibi, ac pro tempore existenti archiepiscopo Leopoliensi suffraganeam, tibique et pro tempore existenti metropolitico jure subjectam, et in ea sedem et dignitatem episcopalem pro uno deinceps Episcopo Kielcensi pariter nuncupando, qui eidem ecclesiae Kielcensi, ejusque civitati et dioecesi, ut infra constituendae praesit, synodum convocet, ac omnia et singula jura, officia, et munera episcopalia habeat, et exerceat cum suis capitulo, mensa episcopali, caeterisque cathedralibus et pontificalibus insigniis, juribus, jurisdictionibus, et privilegiis, quae alias cathedrali ecclesiae Tarnoviensi per te, ut praefertur, supprimendae, et extinguendae competebant, et quibus aliae cathedrales ecclesiae, earumque praesules, non tamen titulo oneroso, aut ex indulto, vel privilegio particulari fruuntur, et gaudent, eadem apostolica tibi, ut praefertur, delegata auctoritate etiam perpetuo erigas atque instituas.

Assignatio capituli cum suis dignitatibus, et canonicis.

§. 6. Et respective dictam cathedralem ecclesiam Kielcensem per te, ut praefertur, erigendam sedem episcopalem praedictae cathedralis ecclesiae Tarnoviensis, sic, ut praefertur, supprimendam et extinguendam, illiusque capitulum quod similiter iisdem septem canonicis, qui septem canonicatus, totidemque praebendas in dicta cathedrali ecclesia Kielcensi sic noviter erigenda obtinebunt, comprehensis in eis praeposito, qui praepositurам inibi pariter post pontificalem majorem, ac decano, qui decanatum secundam, ac scholastico, qui scholasticam tertiam respective dignitates pariter exituras similiter obtinebunt, constare debebit, ita tamen ut praedictus praepositus omnibus praeeminentiis, quae sibi de jure debentur gaudere, et tam ipse quam decanus et scholasticus praedicti pro annua eorum praebenda mille et biscentum florenos Rhenenses; quilibet autem ex reliquis canonicis praedictis mille florenos hujusmodi, et qui ex iis canonicis simul, et vicarii futuri, et pro tempore existentis episcopi Kielcensis in spiritualibus generalis (qui perpetuo de gremio ipsius capituli dictae cathedralis ecclesiae Kielcensis sic noviter erigendae sumi debeat) munere pro tempore fungetur, comprehensis redditibus suorum canonicatus et praebendae bis mille florenos similes ex praedicti Francisci imperatoris et regis liberalitate eis respective assignatos, vel assignandos annuatim respective percipere debeant, ac firmis remanentibus in dicta cathedrali ecclesia Kielcensi, ut praefertur, erigenda quibusdam beneficiis ecclesiasticis minoribus nunciatis scilicet cappellaniis, nec non concionatoribus, praefecto seminarii puerorum ecclesiastici, et decem vicariis per quos animarum cura exercetur eadem apostolica, ut praefertur, delegata auctoritate etiam perpetuo transferas. Et ad hoc ut dilecti pariter filii moderni rector et canonici dictae collegiatae ecclesiae per te, ut praefertur, supprimendae, et extinguendae de eorum proventibus, et emolumentis pro suis officio et praebendis usque adhuc per eos percipi solitis respective indemnitatem recipiant, ut iidem moderni rector et canonici praedictis eorum redditibus aequivaleat ex ordinatione aulica jam ad eorum vitam assignata, vel de aliquo beneficio ecclesiastico in dicta cathedrali ecclesia Kielcensi per te, ut praefertur, erigenda annui redditus non minoris summae provisi gaudere et perfrui possint et debeant simili apostolica tibi, ut praefertur, delegata auctoritate statuas atque decernas.

§. 7. Praeterea ut praedictae cathedrali ecclesiae Kielcensi sic noviter erigendae clerus et populus constitui valeat a Cracoviensi, scilicet. Praefinitio ambitus novae dioecesis.

1. Unam Assumptionis in coelum beatae Mariae virginis in de Kielce.

2. Ac aliam Nativitatis ejusdem beatae Mariae virginis in de Sandomicz.

3. Ac aliam ejusdem nativitatis praedictae beatae Mariae virginis in de Waslica.

Digitized by Google

4. Ac aliam sancti Joannis Baptistae in de Scarbamina.

5. Ac reliquam respective saeculares et insignes collegiatas ecclesias sancti Martini episcopi in de Opatov.

6. Ac unam sancti Stanislai episcopi et martyris in de Sobhou.

7. Ac aliam sanctissimae Trinitatis in de Dziatoszyce.

8. Ac aliam ejusdem sancti Martini episcopi in de Pacanow.

9. Ac aliam Assumptionis in coelum ejusdem beatae Mariae virginis in de Oleznica.

10. Ac aliam sancti Bartholomaei apostoli in de Staszow.

11. Ac aliam etiam Assumptionis in coelum ejusdem beatae Mariae virginis in de Huroxwaehi.

12. Ac aliam sancti Ladislai in de Szyllow.

13. Ac aliam sanctorum Petri et Pauli in de Stopnica.

14. Ac aliam sancti Jacobi Majoris nunc in de Opatovvice.

15. Ac aliam sanctissimae Trinitatis, ac sancti Laurentii, ac sanctae Elisabethae in de Novve-miasto-Korczyn.

16. Ac aliam sancti Martini episcopi in de Potanice.

17. Ac aliam Omnium Sanctorum in de Kopwywnica.

18. Ac aliam sancti Stanislai episcopi et martyris in de Osdik.

19. Ac aliam ejusdem sancti Stanislai episcopi et martyris in de Denkow.

20. Ac aliam sancti Michaelis Archangeli in de Ostrowice.

21. Ac aliam praedictae Assumptionis in coelum ipsius beatae Mariae virginis in de Zawichort.

22. Ac aliam ejusdem sancti Stanislai episcopi et martyris in de Ozarow.

23. Ac aliam sancti Adalberti in de Gliniamy.

24. Ac aliam ejusdem sanctissimae Trinitatis in de Iartow.

25. Ac aliam sanctae Annae in de Zanichow.

26. Ac aliam ejusdem Assumptionis in coelum praedictae beatae Mariae Virginis in de Solec.

27. Ac aliam sancti Stanislai ac sanctae Margarithae in de Zanowiec.

28. Ac aliam ejusdem sanctissimae Trinitatis in de Lipsko.

29. Ac aliam sanctae Crucis in de Aepcelow.

30. Ac aliam sancti Sigismundi martyris in de Sienno.

31. Ac aliam praedictae Assumptionis in coelum beatae Mariae virginis in de Bodzeic.

32. Ac aliam sancti Laurentii martyris in de Nova Stupia.

33. Ac aliam sancti Michaelis in de Lagow.

34. Ac aliam ejusdem Assumptionis in coelum praedictae beatae Mariae virginis, ac sanctorum Petri et Pauli et Jacobi apostolorum in de Rahow.

35. Ac aliam ejusdem sancti Stanislai episcopi et martyris in de Piotmovice.

36. Ac aliam sancti Joannis Evangelistae in de Pinczow.

37. Ac aliam Conceptionis ejusdem beatae Mariae virginis immaculatae in de Busko.

38. Ac aliam Nativitatis sancti Joannis Baptistae in de Radom-Nova.

39. Ac aliam sancti Venceslai martyris in de Radom-Antiqua.

40. Ac aliam sanctorum Stanislai martyris et Bigii in de Wierzbica.

41. Ac aliam sanctae Dorotheae in de Wda ejusdem sanctae Dorotheae.

42. Ac aliam sancti Sigismundi regis et martyris in de Szydlowice.

43. Ac aliam sanctorum Ladislai confessoris et Valentini in de Kunovo.

44. Ac aliam sanctae Elisabethae in de Wachock.

45. Ac aliam sancti Joannis Baptistae in de Jastrazab.

46. Ac aliam sanctorum Petri et Pauli in de Wasniow.

47. Ac aliam praedictae Assumptionis in coelum praedictae beatae Mariae virginis in de Itza.

48. Ac aliam sanctae Crucis, et sanctae Catharinae virginis et martyris in de Zwolen.

49. Ac aliam Transfigurationis Domini Nostri Jesu Christi in de Kazanow.

50. Ac aliam sanctorum Jacobi Majoris nunciati et Erasmi in de Skaryszow.

51. Ac aliam sancti Laurentii martyris in de Glowaczow.

52. Ac aliam praedictae sanctae Catharinae virginis et martyris in de Ryczywol.

Digitized by Google

53. Ac aliam sanctae Crucis in de Kozienice.

54. Ac aliam sancti Laurentii martyris in de Sieciechouw.

55. Ac aliam Omnium Sanctorum in de Chmielnik.

56. Ac aliam sancti Nicolai episcopi in de Grabowicz.

57. Ac aliam sancti Michaelis in de Baleszice.

58. Ac aliam sancti Josephi in de Klimonlow respective oppidis.

59. Ac aliam sanctorum Simeonis Thaddei et Nicolai in de Brzegi.

60. Ac aliam Assumptionis in coelum ejusdem beatae Mariae virginis in de Mokozko.

61. Ac aliam sanctorum Matthiae et Stephani in de Mnikow.

62. Ac aliam sancti Nicolai episcopi in de Imielno.

63. Ac aliam sanctorum Petri et Pauli in de Grudeyny.

64. Ac aliam sancti Martini episcopi in de Wrocieryz.

65. Ac aliam sanctae Margarithae in de Gorskow.

66. Ac aliam sanctae Catharinae in de Prumyhon.

67. Ac aliam Omnium Sanctorum in de Cudeynowice.

68. Ac aliam sancti Michaelis in de Sokolina.

69. Ac aliam Assumptionis in coelum ejusdem beatae Mariae virginis in de Kazjmierza parva.

70. Ac aliam Assumptionis pariter in coelum ejusdem beatae Mariae virginis in de Czarnocin.

71. Ac aliam praedicti sancti Jacobi Majoris in de Probotowice.

72. Ac aliam sanctae Mariae Magdalenae in de Bzieraznia.

73. Ac aliam sancti Bartholomaei apostoli in de Stradon.

74. Ac aliam Omnium Sanctorum in de Wolcia.

75. Ac aliam sancti Bartholomaei in de Gory.

76. Ac aliam sancti Laurentii in de Michalow.

77. Ac aliam Sancti Spiritus in de Mlodzawy.

78. Ac aliam Assumptionis in coelum ejusdem beatae Mariae virginis in de Chrobesz.

79. Ac aliam sancti Adalberti episcopi et martyris in de Petezjiska.

80. Ac aliam sanctae Theresiae in de Jurkow.

81. Ac aliam filiam Pacanoriensem nuncupatam in de Szezebrusz.

82. Ac aliam sanctae Margarithae virginis in de Kiaznice.

83. Ac aliam sanctorum Nicolai et Ægidii in de Zborowek.

84. Ac aliam sanctorum Petri et Pauli apostolorum in de Beszowa.

85. Ac aliam Nativitatis beatae Mariae virginis in de Koniemtolii.

86. Ac aliam praedicti sancti Jacobi Majoris in de Kotuszow.

87. Ac aliam sancti Joannis Baptistae in de Guczempy.

88. Ac aliam sancti Uladislai regis in de Kargow.

89. Ac aliam Omnium Sanctorum in de Biechow.

90. Ac aliam similiter Omnium Sanctorum in de Stroziska.

91. Ac aliam sanctae Catharinae in de Wielhi Piasek.

92. Ac aliam sanctae Magdalenae in de Bodronwoda.

93. Ac aliam sancti Nicolai episcopi in de Solee.

94. Ac aliam sancti Venceslai martyris in de Swiniary.

95. Ac aliam sancti Joannis Baptistae in de Ostrowce.

96. Ac aliam sancti Nicolai episcopi in de Stary Koresya.

97. Ac aliam sanctae Barbarae virginis in de Kocina.

98. Ac aliam Nativitatis ejusdem beatae Mariae virginis in de Rogow.

99. Ac aliam praedicti sancti Nicolai episcopi in de Beysie.

100. Ac aliam sancti Michaelis in de Więzownico.

101. Ac aliam filiam Wiezownicensem nuncupatam in de Strugom.

102. Ac aliam sancti Laurentii martyris in de Olbierzowice.

103. Ac aliam Assumptionis in coelum ejusdem beatae Mariae virginis in de Gozlice.

Digitized by Google

104. Ac aliam Nativitatis Domini nostri Jesu Christi in de Ossolin.

105. Ac aliam sancti Joannis Baptistae in de Wtoztow.

106. Ac aliam ejusdem Assumptionis in coelum beatae Mariae virginis in de Midtow.

107. Ac aliam sancti Bartholomaei apostoli in de Struszowice.

108. Ac aliam sancti Benedicti in de Modlibonyce.

109. Ac aliam sanctissimae Trinitatis, sanctissimi Corporis Christi et sanctae Catharinae in de Jwaniska.

110. Ac aliam sancti Georgii martyris in de Szezeglice.

111. Ac aliam s. Nicolai in de Kietezyna.

112. Ac aliam sanctissimae Trinitatis in de Bogorza.

113. Ac aliam Transfigurationis ejusdem Domini nostri Jesu Christi in de Wisniowa.

114. Ac aliam sancti Nicolai episcopi in de Loniow.

115. Ac aliam Visitationis ejusdem beatae Mariae Virginis in de Niekrasow.

116. Ac aliam Nativitatis ejusdem beatae Mariae virginis in de Solistawice.

117. Ac aliam sancti Joannis ante portam Latinam nuncicatam in de Chrobrzany.

118. Ac aliam sancti Joannis Baptistae in de Shotniki.

119. Ac aliam ejusdem sanctissimae Trinitatis in de Samborza.

120. Ac aliam sancti Nicolai et sanctae Catharinae in de Kliezanow.

121. Ac aliam Assumptionis in coelum ejusdem beatae Mariae Virginis in de Malice.

122. Ac aliam sancti Ægidii in de Ptkanow.

123. . . . .

124. Ac aliam praedicti sancti Nicolai episcopi in de Gierczyce.

125. Ac aliam eorumdem sanctorum Petri et Pauli in de Bidziny.

126. Ac aliam praedicti sancti Adalberti episcopi in de Woyciechowice.

127. Ac aliam pariter Assumptionis in coelum ejusdem b. Mariae virginis in de Cmielow.

128. Ac aliam Desponsationis ejusdem beatae Mariae virginis in de Ruda.

129. Ac aliam dolorum ejusdem beatae Mariae virginis in de Batutow.

130. Ac aliam Omnium Sanctorum in de Groctholue.

131. Ac aliam ejusdem sancti Stanislai episcopi et martyris in de Ruszhow.

132. Ac aliam sancti Viti martyris in de Gory.

133. Ac aliam sancti Thomae in de Ianhowice.

134. Ac aliam sanctae Catharinae in de Lubawa.

135. Ac aliam sanctae Margarithae virginis et martyris in de Sobutka.

136. Ac aliam ejusdem sancti Stanislai episcopi et martyris in de Przybistawice.

137. Et aliam sancti Adalberti in de Stupia.

138. Et aliam s. Nicolai in de Lemborzyn.

139. Ac aliam sancti Michaelis in de Lasocin.

140. Ac aliam eorumdem Omnium Sanctorum in de Czyzow.

141. Ac aliam ejusdem sanctissimae Trinitatis in de Troyca.

142. Ac aliam ejusdem sanctissimae Trinitatis in de Choteza.

143. Ac aliam eorumdem sanctorum Petri et Pauli in de Kraepa.

144. Ac aliam sanctissimi Corporis Christi in de Wulgie.

145. Ac aliam Nativitatis ejusdem beatae Mariae virginis in de Rzeczniow.

146. Ac aliam sancti Adalberti in de Iaroszyn Gora.

147. Ac aliam sancti Joannis Baptistae in de Pawtowice.

148. Ac aliam sancti Nicolai episcopi in de Regow.

149. Ac aliam sancti Josephi in de Bioliony.

150. Ac aliam sancti Hiacynthi confessoris in de Lesuryny.

151. Ac aliam ejusdem sanctissimae Trinitatis in de Cminsho.

152. Ac aliam praedicti sancti Stanislai episcopi et martyris in de Tumlin.

153. Ac aliam sancti Martini in de Zaeniensko.

154. Ac aliam pariter Assumptionis in coelum beatae Mariae virginis in de Wzdot.

155. Ac aliam sancti Ægidii abbatis nuncupatam in de Tarerek.

156. Ac aliam itidem Assumptionis in coelum ejusdem beatae Mariae virginis in de Swiaetomarz.

157. Ac aliam praedicti sancti Nicolai episcopi in de Baebno.

Digitized by Google

158. Ac aliam sancti Laurentii in de Stara Stupia.

159. Ac aliam sancti Nicolai in de Backowice.

160. Ac aliam eorumdem Omnium Sanctorum in de Bardo.

161. Ac aliam sanctae Dorotheae in de Zbilutha.

162. Ac aliam praedicti sancti Stanislai episcopi et martyris in de Szumsko.

163. Ac aliam sancti Andreae apostoli in de Bragowl.

164. Ac aliam etiam Assumptionis ejusdem beatae Mariae virginis in de Potok.

165. Ac aliam sanctorum Joannis Baptistae et Joannis Evangelistae in de Ociescki.

166. Ac aliam praedicti sancti Stanislai episcopi et martyris in de Cisou.

167. Ac aliam eorumdem Omnium Sanctorum in de Brzezmy.

168. Ac aliam eorumdem Sanctorum Petri et Pauli in de Kije.

169. Ac aliam sancti Floriani martyris in de Korytnica.

170. Ac aliam sanctae Magdalenae, et sancti Matthiae in de Chomentow.

171. Ac aliam Visitationis ejusdem beatae Mariae virginis in de Lubowa.

172. Ac aliam sancti Nicolai episcopi in de Lissow.

173. Ac aliam sanctae Margarithae in de Pierzchnica.

174. Ac aliam praedicti sancti Laurentii martyris in de Brugnia.

175. Ac aliam sancti Joannis Baptistae in de Gnoyno.

176. Ac aliam praedicti sancti Adalberti episcopi, et martyris in de Iauina.

177. Ac aliam praedicti sancti Jacobi Majoris in de Szerawoziiz.

178. Ac aliam sancti Bartholomaei in de Chotel rubea.

179. Ac aliam sancti Laurentii in de Porysławice.

180. Ac aliam praedicti sancti Joannis Baptistae in de Zagosc.

181. Ac aliam itidem Assumptionis in coelum ejusdem beatae Mariae virginis in de Kmyzanowice.

182. Ac aliam Nativitatis ejusdem beatae Mariae virginis in de Bogwice.

183. Ac aliam pariter Assumptionis in coelum ejusdem beatae Mariae virginis in de Szania.

184. Ac aliam praedicti sancti Jacobi Majoris Snedziejewice.

185. Ac aliam praedicti sancti Stanislai episcopi et martyris de Chotel Viridis.

186. Ac aliam praedicti sancti Adalberti episcopi et martyris in de Kovala Staeporina.

187. Ac aliam praedicti sancti Stanislai episcopi, et martyris in de Chlewiska.

188. Ac aliam praedicti sancti Nicolai episcopi et martyris in de Wysoka.

189. Ac aliam sanctae Crucis in de Botkowice.

190. Ac aliam ejusdem sancti Joannis Baptistae in de Moisreh.

191. Ac aliam eorumdem Omnium Sanctorum in de Jarostawice.

192. Ac aliam praedicti sancti Joannis Baptistae in de Zakrzew.

193. Ac aliam praedicti sancti Stanislai episcopi in de Nova-Cerkiew.

194. Ac aliam sancti Bartholomaei in de Wsola.

195. Ac aliam ejusdem sanctissimae Trinitatis in de Wierzbnik.

196. Ac aliam s. Leonardi in de Mieroz.

197. Ac aliam eorumdem Omnium Sanctorum in de Knyzanowice.

198. Ac aliam itidem Omnium Sanctorum in de Gosawa.

199. Ac aliam ejusdem sanctissimae Trinitatis in de Skarzyska.

200. Ac aliam praedicti sancti Nicolai episcopi in de Szewna.

201. Ac aliam sanctae Catharinae in de Mychow.

202. Ac aliam praedicti sancti Adalberti episcopi et martyris in de Mamina.

203. Ac aliam praedicti sancti Joannis Baptistae in de Grzegorzewice.

204. Ac aliam praedictae sanctae Margarithae in de Chybice.

205. Ac aliam praedicti sancti Joannis Baptistae in de Pawtow.

206. Ac aliam ejusdem Assumptionis in coelum beatae Mariae virginis in de Krynki.

207. Ac aliam sancti Ægidii in de Surka

208. Ac aliam praedicti sancti Joannis Baptistae in de Jzozow.

209. Ac aliam Annuntiationis ejusdem beatae Mariae Virginis in de Odakow.

Digitized by Google

210. Ac aliam sancti Nicolae et sanctae Margarithae in de Sedlnia.

211. Ac aliam sancti Bartholomaei in de Brzoza.

212. Ac aliam sancti Jacobi in de Swierze.

213. Ac aliam sanctae Margarithae et sancti Leonardi in de Brzcznica.

214. Ac aliam praedicti sancti Joannis Baptistae in de Olexow.

215. Ac aliam sanctorum Joannis Nepomuceni et Antonii in de Policzna.

216. Ac reliquam respective parochiales ecclesias ejusdem sanctissimae Trinitatis in de Grodek respective villis, nec non a Chelmen infrascriptas alias.

1. Unam videlicet Nativitatis ejusdem beatae Mariae virginis in de Nieorzwica.

2. Ac aliam sanctissimae Trinitatis et beatae Mariae virginis in de Chodel.

3. Ac aliam sancti Matthiae apostoli in de Rateszyn.

4. Ac aliam Assumptionis in coelum ejusdem beatae Mariae virginis in de Opot.

5. Ac aliam ejusdem sanctissimae Trinitalis in de Kluczkowce.

6. Ac aliam ejusdem beatae Mariae virginis in de Boby.

7. Ac aliam Annunciationis ejusdem beatae Mariae virginis in de Boiska.

8. Ac aliam sancti Thomae apostoli in de Piotrawin.

9. Ac aliam sancti Floriani martyris in de Wilkow.

10. Ac aliam sanctorum Bartholomaei, et Joannis Baptistae in de Karimierz.

11. Ac aliam sanctorum Laurentii et Valentini in de Karczmiska.

12. Ac aliam sancti Josephi in de Wtostowice.

13. Ac aliam sancti Andreae in de Koniuskawola.

14. Ac aliam praedicti sancti Joannis Baptistae in de Wilkotaz.

15. Ac aliam praedicti sancti Nicolai episcopi in de Zakrsowek.

16. Ac aliam sanctissimae Trinitatis, et Visitationis ejusdem beatae Mariae virginis in de Kielzewice.

17. Ac aliam praedicti sancti Joannis Baptistae in de Bychawka.

18. Ac aliam eorumdem Omnium Sanctorum in de Bychawka.

19. Ac aliam sancti Stanislai episcopi, et sanctae Mariae Magdalenae in de Bzierzkowice.

20. Ac aliam Nativitatis ejusdem beatae Mariae virginis in de Hinezonniasz.

21. Ac aliam eorumdem Omnium Sanctorum in de Rybitwy.

22. Ac aliam Assumptionis in coelum ipsius beatae Mariae virginis in de Prawno.

23. Ac aliam praedicti sancti Nicolai episcopi, et sanctae Margarithae in de Swieciechow.

24. Ac aliam sancti Joachimi et sanctae Annae in de Annopol.

25. Ac aliam sancti Andreae apostoli in de Borow.

26. Ac aliam sancti Joannis Baptistae, et sancti Nicolai episcopi in de Goscieradow.

27. Ac aliam sanctissimae Trinitatis, Annunciationis beatae Mariae virginis et sanctae Annae in de Zaklikow.

28. Ac aliam praedicti sancti Nicolai episcopi in de Potok.

29. Ac aliam Transfigurationis ejusdem Domini Nostri Jesu Christi in de Rzeczyca.

30. Ac aliam praedicti sancti Stanislai episcopi in de Merdliborzyce.

31. Ac aliam eorumdem Omnium Sanctorum in de Biata.

32. Ac aliam sancti Michaelis Archangeli in de Wysokie.

33. Ac aliam praedicti sancti Stanislai episcopi in de Batorz.

34. Ac aliam sancti Antonii de Padua nuncupatam in de Buzawola.

35. Ac aliam sanctorum Joannis Baptistae et Andreae apostoli in de Blinow.

36. Ac aliam itidem Assumptionis in coelum ejusdem beatae Mariae Virginis in de Krasnick.

37. Ac aliam sanctae Crucis, et sanctae Annae in de Popkowice.

38. Ac aliam sancti Nicolai episcopi, et sanctae Otoliae in de Urzindow.

39. Ac aliam sancti Joannis Nepomuceni in de Frannopol.

40. Ac aliam sanctae Mariae Magdalenae in de Puszczao Solska.

41. Ac aliam Assumptionis in coelum ejusdem beatae Mariae virginis in de Bitgorais.

42. Ac aliam sancti Casimiri in de Radziencien.

Digitized by Google

43. Ac aliam praedicti sancti Bartholomaei in de Goray.

44. Ac reliquas respective parochiales ecclesias eorumdem sancti Joannis Nepomuceni, ac sanctae Annae, et sancti Thomae, ac sanctae Margarithae in de Targowisko respective oppidis seu villis. Ac demum a Gnesnensi respective dioecesibus alias pariter infrascriptas.

1. Unam videlicet

Insignem collegiatam ecclesiam Assumptionis in coelum praedictae beatae Mariae virginis in de Kuszelow.

2. Ac unam sancti Alexii confessoris in de Przedborz.

3. Ac aliam itidem Assumptionis in coelum ejusdem beatae Mariae virginis in de Wtoszezowa.

4. Ac aliam pariter Assumptionis in coelum ejusdem beatae Mariae virginis in de Matogoszez.

5. Ac aliam sancti Bartholomaei et sanctae Edwigis in de Ehaeciny.

6. Ac aliam praedicti sancti Nicolai episcopi in de Zarnow.

7. Ac aliam praedicti sancti Joannis Baptistae in de Biutaczow.

8. Ac aliam sanctorum Petri et Pauli apostolorum in de Radoszyce.

9. Ac aliam sancti Bartholomaei apostoli in de Opoczwo.

10. Ac aliam sancti Lucae evangelistae in de Bszewica.

11. Ac aliam s. Edwigis in de Odrzywot.

12. Ac aliam s. Stephani in de Skrzynno.

13. Ac aliam sancti Matthaei apostoli in de Klusow.

14. Ac aliam sanctae Crucis, et sanctorum Petri et Pauli in de Gielniow.

15. Ac aliam sancti Martini in de Gowarzow.

16. Ac aliam s. Nicolai in de Konskie.

17. Ac aliam praedicti sancti Joannis Nepomuceni in de Przysucha.

18. Ac aliam sanctae Crucis in de Przytyk.

19. Ac aliam sanctae Catharinae in de Wyszymierzyce.

20. Ac aliam sancti Rocchi in de Biatobrzegi.

21. Ac aliam eorumdem sanctorum Petri et Pauli in de Jedleusko respective oppidis.

22. Ac aliam sancti Laurentii martyris in de Januszowice seu Kluczewsko.

23. Ac aliam sancti Nicolai in de Zaleznica.

24. Ac aliam Visitationis ejusdem beatae Mariae virginis, et praedictae sanctae Edwigis in de Koniczno.

25. Ac aliam praedictae Assumptionis in coelum beatae Mariae virginis in de Czarna.

26. Ac aliam itidem Assumptionis in coelum ejusdem b. Mariae virginis in de Oleszno.

27. Ac aliam s. Nicolai in de Chetniae.

28. Ac aliam pariter Assumptionis in coelum beatae Mariae virginis in de Strawczyn.

29. Ac aliam sancti Stanislai episcopi et martyris in de Mniow.

30. Ac aliam sancti Michaelis in de Pnismathow.

31. Ac aliam Inventionis sanctae Crucis in de Lopuszno.

32. Ac aliam eorumdem Omnium Sanctorum in de Mnco.

33. Ac aliam praedicti sancti Nicolai in de Oksa.

34. Ac aliam dictae sanctae Dorotheae in de Krasocin.

35. Ac aliam Nativitatis ejusdem beatae Mariae virginis in de Koztow.

36. Ac aliam sanctorum Martini et Jacobi apostoli in de Czermno.

37. Ac aliam sancti Andreae in de Waegleszeyn.

38. Ac aliam praedicti sancti Jacobi Majoris in de Pienkoszoco.

39. Ac aliam Nativitatis ejusdem beatae Mariae virginis in de Bolmin.

40. Ac aliam eorumdem sanctorum Petri et Pauli apostolorum in de Rombiesyce.

41. Ac aliam eorumdem Omnium Sanctorum in de Ztotnibi.

42. Ac aliam ejusdem Nativitatis beatae Mariae virginis in de Belbelno.

43. Ac aliam praedictae sanctae Catharinae in de Secemin.

44. Ac aliam sanctorum Matthaei et Matthiae in de Chrzazostow.

45. Ac aliam praedicti sancti Jacobi Majoris in de Stanowiska.

46. Ac aliam sancti Lucae evangelistae in de Skorhowice.

47. Ac aliam sanctae Dorotheae virginis et martyris in de Petrikozy.

48. Ac aliam praedictae sanctae Annae in de Badlno.

49. Ac aliam praedicti sancti Stanislai in de Miedzezza.

50. Ac aliam s. Michaelis in de Pileryca.

51. Ac aliam sancti Laurentii in de Lipa.

52. Ac aliam sanctissimae Trinitatis in de Tathow.

53. Ac aliam visitationis ejusdem beatae Mariae virginis in de Czerume.

54. Ac aliam Conceptionis ejusdem beatae Mariae virginis immaculatae in de Skotnihi.

55. Ac aliam ipsius sancti Laurentii in de Kunice.

56. Ac aliam sancti Gerontii episcopi in de Stuwno.

57. Ac aliam sancti Andreae apostoli in de Woytoryn.

58. Ac aliam eorumdem sanctorum Petri et Pauli in de Bobrowa.

59. Ac aliam sancti Martini episcopi in de Biatrobrugi.

60. Ac aliam Nativitatis ejusdem beatae Mariae virginis in de Btogie.

61. Ac aliam s. Adalberti in de Krasnica.

62. Ac aliam praedicti sancti Nicolai episcopi in de Libiszow.

63. Ac aliam praedicti sancti Stanislai episcopi in de Brudzewice.

64. Ac aliam sanctae Barbarae in de Setk.

65. Ac aliam sanctae Mariae Magdalenae in de Laegonice.

66. Ac aliam sancti Philippi Neri in de Studzianne.

67. Ac aliam sanctorum Floriani et Stanislai in de Wieniawa.

68. Ac aliam praedicti sancti Laurentii in de Wrzos.

69. Ac aliam ejusdem sanctae Dorotheae in de Potworow.

70. Ac aliam sancti Andreae apostoli in de Nieznamirowice.

71. Ac aliam sanctorum Simeonis et Judae in de Bielims.

72. Ac aliam sancti Hiacynthi et sanctae Catharinae in de Odrowaz.

73. Ac aliam Visitationis ejusdem beatae Mariae virginis in de Smagorsow.

74. Ac aliam sancti Caroli Borromaei in de Skrzynsko.

75. Ac aliam sanctae Mariae Magdalenae in de Wrzeszczow.

76. Ac aliam Visitationis ejusdem beatae Mariae virginis in de Bukorosw.

77. Ac aliam s. Martini in de Radzanow.

78. Ac aliam Annunciationis ejusdem beatae Mariae virginis in de Tasionna.

79. Ac aliam sanctorum Valentini et Nicolai in de Strumiec.

80. Ac aliam sancti Francisci Seraphici de Poren.

81. Ac aliam Sepulchri Christi Domini in de Lisow.

82. Ac aliam eorumdem sanctorum Petri et Pauli in de Btotnica.

83. Ac aliam sancti Joannis Baptistae in de Kásrow.

§ 8. 84. Et reliquas respective parochiales ecclesias sanctorum Josephi et Nicolai episcopi in de Sankowice respective villis, et in earumdem parochialium ecclesiarum supradictarum respective dioecesium respective parochiis existentes et existentia ecclesias, monasteria, praepositūras, conventus, et alia quaecumque, quotcumque, et qualiscumque saecularia, et quorumvis ordinum regularia beneficia ecclesiastica, earumque pariter parochialium ecclesiarum, ab eisdem Cracoviensi, Chelmensi, et Gnesnensi respective dioecesibus, ut infra, dismembrandarum utriusque sexus personas, habitatores, et incolas tam laicos quam clericos, presbyteros, beneficiatos, et religiosos (non tamen exemptos) cujuscumque status, gradus, et ordinis existant ab ordinaria venerabilium fratrum Nostrorum modernorum ac pro tempore existentium Cracoviensium et Chelmensium episcoporum, ac pro tempore etiam existentis archiepiscopi Gnesnensis respective jurisdictione, potestate, et superioritate, accedentibus tamen consensibus in forma valida, et authentica a dilectis quoque filiis modernis capitulo et canonicis metropolitanae ecclesiae Gnesnensis; attento quod illius sedes archiepiscopalis, ut accepimus, ad praesens vacat, et a praedictis modernis Cracoviensibus et a Chelmensibus respective episcopis per te respective reportandis, auditisque per te aliis ad id interesse habentibus eadem apostolica ad id, ut praefertur, delegata auctoritate itidem perpetuo disjungas et eximas. Et respective supradictas omnes collegiatas, et parochiales respective ecclesias, et in illarum respective parochiis hujusmodi respective existentes et existentia

Subjectio locorum, et incolarum jurisdictioni novi ordinarii.

ecclesias, monasteria, praeposituras, conventus, et alia saecularia et regularia beneficia hujusmodi, nec non omnes et singulas personas, et incolas per te respective disjungendas et eximendas novae ecclesiae cathedrali Kielcensi, ut praefertur, erigendae, ejusque praesuli pro suis civitate et dioecesi in qua ipse semper residere debebit, ac clero, et populo eadem apostolica tibi ut praefertur, delegata auctoritate similiter perpetuo concedas et assignes, ac ordinariae pro tempore existentis episcopi Kielcensis jurisdictioni, potestati, et auctoritati perpetuo quoque supponas et subjicias.

Dotatio mensae episcopalis.

§. 9. Mensae autem episcopali Kielcensi, ut praefertur, erigendae pro illius dote, et ad hoc ut futurus et pro tempore existens episcopus Kielcensis praesulis dignitatem decenter tueri valeat, annuam summam duodecim millium florenorum Rhenensium praefatorum a praedicto Francisco imperatore et rege perpetuis temporibus, et ab omni onere liberam, immunem, et exemptam pro ipsius futuri et pro tempore existentis episcopi Kielcensis usibus assignatam, ita ut idem Franciscus imperator et rex expensis consistorii et expeditionibus ejusdem aliunde prospexerit, eadem apostolica tibi, ut praefertur, delegata auctoritate perpetuo quoque approbes, et respective constituas et assignes; ipsique futuro et pro tempore existenti episcopo Kielcensi pro sui decenti habitatione duas domos canonicales, quae, ut etiam accepimus, a summo aerario hunc in finem aptandae veniunt, simili apostolica tibi, ut praefertur, delegata auctoritate perpetuo quoque adscribas, atque concedas. Nos enim si erectionem, et translationem hujusmodi, aliaque praemissa omnia per te in vim apostolicae tibi, ut praefertur, delegatae auctoritatis fieri contigerit, ut praefertur, et postquam illa rite fuerint expleta eidem cathedrali ecclesiae Kielcensi, ut praefertur, erigendae, illiusque capitulo et canonicis praedictis, ut ipsi eorumque officiales et ministri res, bona, et proprietates omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praeeminentiis, praerogativis, concessionibus, indultis, favoribus, et gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus quibus aliae cathedrales ecclesiae, in regno Galiciae existentes, earumque capitula, et canonici, et dignitates in eis obtinentes, et ministri et illorum bona, res, et proprietates de jure, usu consuetudine, privilegio, non tamen ex indulto seu privilegio particulari, aut titulo oneroso utuntur fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt in futurum similiter et pariformiter, et absque ulla prorsus differentia in omnibus et per omnia ac si illa eis principaliter, et in specie concessa essent, dummodo tamen sint in usu, et non revocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa, sacrisque canonibus, et concilii Tridentini decretis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis non repugnent uti, frui, potiri, et gaudere libere, et licite valeant apostolica auctoritate concedimus, atque impertimur.

Dotatio mensae capitularis, et concessio juris condendi statuta.

§. 10. Nec non eisdem futuris capitulo, et canonicis dictae ecclesiae Kielcensis, ut praefertur, erigendae pro ejusdem ecclesiae, illiusque praepositi et decani, ac scholastici et reliquorum canonicorum mensae capitularis sacrarii, illorumque omnium, rerum et bonorum tam spiritualium quam temporalium prospero et felici regimine gubernio et directione, onerumque illis pro tempore respective incumbentium supportatione, divinorum officiorum, processionum, funeralium, anniversariorum, et aliorum suffragiorum celebratione, ac distributionum quotidianarum, et aliorum emolumentorum exactione, perceptione, repartitione, divisione poenarum per absentes et divinis officiis hujusmodi non interessentes, seu onera, et munera eis, et eorum cuilibet incumbentia subire negligentes incurrendarum incursu, singulorum praesentiis et absentiis notandis, caeremoniis, et ritibus in dicta cathedrali ecclesia Kielcensi, ut praefertur, erigenda, illiusque choro, capitulo, processionibus, aliisque actibus praefatis servandis, officialibus, et ministris dictae cathedrali ecclesiae Kielcensi, ut praefertur, erigendae necessariis deputandis et amovendis, servitiis et ministeriis per ipsos obeundis, ac eis salariis et stipendiis praestandis, et quibusvis aliis rebus in praemissis, et circa ea quomodolibet necessariis, et opportunis quaecumque statuta, ordinationes, capitula, decreta, licita tamen et honesta, sacrisque canonibus et decretis concilii Tridentini praedictis, ac praedictis constitutionibus apostolicis minime contraria, ac per futurum epi-

scopum Kielcensem prius examinanda et approbanda edere, et edita, praevia approbatione praefati futuri episcopi Kielcensis, declarari, et interpretari, et ad meliorem formam redigere, reformare, seu alia de novo ex integro, ac, ut praefertur, eisdem sacris canonibus ac decretis concilii Tridentini praedicti, dictisque constitutionibus apostolicis minime adversantia, ac ut praefertur, examinanda et approbanda, et ab eis ad quos pro tempore spectabit sub poenis in contravenientes statuendis observanda, et adimplenda condere libere et licite possint et valeant eadem apostolica auctoritate licentiam, et facultatem concedimus atque impertimur.

Reservatio juris patronatus favore regis ejusque successorum.

§. 11. Nec non praedicto Francisco imperatori et regi, ejusque in regimine successoribus jus nominandi, seu praesentandi infra tempus a jure praefixum Nobis, et Romano pontifici pro tempore existenti personam idoneam ad dictam cathedralem ecclesiam Kielcensem, ut praefertur, erigendam, tam prima vice a primaeva illius erectione vacatura, quam in futuris illius vacationibus quomodolibet, non tam apud Sedem apostolicam occurrentibus eisdem modo et forma quibus episcopi ecclesiarum in regnis Galicae existentium a Sede apostolica praedicta hactenus praefici consueverunt. Nec non aliud jus quoque nominandi, seu praesentandi coram ordinario loci ad dignitates atque canonicatus, et praebendas dictae cathedralis ecclesiae Kielcensis, ut praefertur, erigendae, aliaque beneficia ecclesiastica in ea existentia, personas itidem idoneas eadem apostolica auctoritate perpetuo quoque reservamus, concedimus, atque assignamus.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 12. Decernentes suppressionem, extinctionem, erectionem, institutionem, translationem, disjunctionem, exemptionem, concessionem, assignationem, suppositionem, subjectionem, approbationem, constitutionem, et adscriptionem per te faciendas hujusmodi, et postquam illae per te factae fuerint praesentes Nostras literas apostolicas semper et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus ad quos nunc spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere, ac nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, et legitima, etiam ex eo quod causae propter quas easdem praesentes emanarunt adductae, verificatae, et justificatae non fuerint de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, seu quopiam alio quantumvis magno, substantiali, substantialissimo, inexcogitato, et inexcogitabili, ac specialem, et individuam mentionem et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo, quod in praemissis, eorumque aliquo solemnitates, et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite de jure, vel facto, seu statuto, aut consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimae, totalisque laesionis, aut quocumque alio colore, praetextu, aliaque ratione, vel causa quantumvis juxta, rationabili, legitima, juridica, pia, privilegiata etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, et alias superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, aut ad viam, et terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos juris, aut aliud quodcumque juris vel facti, aut gratiae, vel justitiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu, et scientia similibus concesso, et impetrato, vel emanato quempiam uti, seu se juvari in judicio vel extra illud posse, neque easdem praesentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariae apostolicae regulas quomodocumque etiam in crastinum assumptionis Nostrae ad summi apostolatus apicem etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, ex quibuslibet causis, et sub quibuscumque verborum expressionibus, tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis etiamsi in eisdem praesentibus, earumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat editas, et in posterum edendas comprehendi; sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas fore et esse; sicque et non aliter

per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, aliosque quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, praerogativa, privilegio fungentes, ac honore, et praeeminentia fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate in quocumque judicio, et in quacumque instantia judicari et definiri debere, irritum quoque et inane si secus super his a quopiam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Deputatio executoris apostolici.

§. 13. Et insuper tibi omnes et singulas facultates, necessarias, et opportunas pro praesentium Nostrarum literarum apostolicarum executionis effectu quamcumque personam in dignitate ecclesiastica constitutam subdelegare libere et licite possis. Ac tam tibi quam personae a te subdelegandae hujusmodi facultatem quoque, ut vos et alter vestrum super quacumque oppositione, quae adversus praemissa in hujusmodi executionis actu quomodolibet erit oritura, servatis tamen quae fuerint de jure servanda, etiam definitive pronunciare similiter libere et licite possitis, vel vestrum alter respective possit apostolica auctoritate praedicta tenore earumdem praesentium concedimus et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 14. Non obstantibus quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non Tarnoviensis, et Cracoviensis, et Chelmensis, et metropolitanae Gnesnensis respective ecclesiarum; nec non collegiatae ecclesiae Kielcensis praedictae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie; etiam motu, et scientia similiter pro tempore concessis, et concedendis; quibus omnibus et singulis etiamsi pro sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, illorumque omnium singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, ac forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur iisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, aliis alias in suo robore permansuris latissime et plenissime, ac specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus hac vice dumtaxat harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, quod praedicta cathedralis ecclesia Kielcensis per te, ut praefertur, erigenda postquam tamen fuerit erecta juxta illius redditus ei, ut praefertur, assignatos ad florenos auri de camera tercentum et septuaginta tres cum uno tertio alterius floreni similis juxta decretum a Nobis approbatum de more taxari, et hujusmodi taxa in libris camerae apostolicae et collegii venerabilium etiam fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium describi debeat.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem anno incarnationis dominicae millesimo octingentesimo quinto, idibus junii pontificatus Nostri anno sexto.

CCCLXVI.

Dat. die 13. junii 1805. Anno VI.

Indultum addendi in veste oblonga partes inversas auro sericas pro magistratibus terrae Montis Georgii Firmanae dioecesis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Paterna Nostra solicitudo erga Nostros, et Sanctae Romanae Sedis in temporalibus subditos Nos movet, ut eorum votis, quantum cum Domino possumus, benigne annuamus, eosque specialibus gratiis, et favoribus libenter prosequamur.

Laudes terrae Montis Georgii.

§. 2. Cum itaque inter caeteras provinciae Nostrae Picenae terras terra Montis Georgii Firmanae dioecesis antiquitatis laude, domo-

Digitized by Google

rum regularium utriusque sexus splendore, civium honorificentia, atque habitantium omnium in Romanos pontifices, et Sedem praedictam fide non mediocriter floreat, magistratusque habeat probos, multaque prudentia, morumque integritate praeditos.

Ratio, et tenor concessionis.

§. 3. Nos qui terram praedictam, ejusque universitatem, et homines praemissorum meritorum intuitu, propensiore quodam benevolentiae Nostrae complectimur affectu, dilectos filios magistratus terrae hujusmodi aliquo beneficentiae Nostrae munere decorare, et amplioris honorificentiae praerogativa ornare volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus magistratibus dictae terrae, ut ipsi in veste oblonga nigra, vulgo « *rubone* » partes inversas auro sericas vulgo « *mostre, ossia stolone di lama d'oro* » addere, et gestare, illisque in publicis quibuscumque actibus, et functionibus uti libere et licite possint, et valeant auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus; dictosque magistratus desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae terrae Montis Georgii, aliarumque terrarum, et civitatum status Nostri Pontificii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima secunda junii millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

Dat. die 14. junii 1805. Anno VI.

CCCLXVII.

Concessio alienandi bona ecclesiastica in regno Hispaniarum pro dimittendo aere alieno et extinctione pecuniae papyraceae.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Romanum decet pontificem pro eo, quo cunctos Christi fideles paternae charitatis complectitur affectu, eorum praesertim regum, et populorum postulationibus benignas praebere aures, qui diutinis, ac gravissimis conflictati aerumnis, quum ingruentibus malis avertendis, moderandisque, satis eis virium non suppetat, opem ab ejus flagitant auctoritate.

Expositio precum porrectarum a rege catholico.

§. 2. Exponi equidem nuper Nobis fecit carissimus in Christo filius Noster Carolus Hispaniarum rex catholicus, in eum statum res omnes publicas, privatasque quodam veluti aerumnarum cumulo eas urgente, suis in regnis adductas esse, ut vix umquam graviora inciderint tempora, quibus in levamen publicarum calamitatum pontificiae Nostrae sollicitudinis praesidium fuerit urgentioribus de causis imploratum. Siquidem diram per earum regionum ora grassantem, repullulantemque pestim, saevientem a pluribus annis summam annonae caritatem, ingentes terrae motus, diuturna demum, asperrimaque bella in unum veluti aerumnarum cumulum, rarissimo, et unico forsan exemplo congesta, ea intulisse vulnera, quibus nisi cita, et collatis undique viribus composita adhibeatur medela, fieri nequeat, quin omnium salus periclitetur. Quibus quidem eorum populorum infortuniis a rege narratis, quorum lacrimabilis notitia ad Nos undequaque ineffabili moerore pervenerat, eo commoti fuimus vehementius, quo magis religio, pietas, et erga apostolicam Nostram Sedem observantia, qua semper Hispaniarum reges, populique emicuerunt, Nostram excitavit sollicitudinem. Ex hisce autem tam miserandis calamitatibus, sicuti eadem expositio subjungebat, emerserat alia gravissima, et ipsa quoque, ac summopere exitiosa. Nam quum regium aerarium impar foret tot, tantisque sumptibus, quot ob ingruentia continuo, sibique succedentia infortunia opus fuerat, indeclinabilis necessitas coegerat, nummis deficientibus, nummarias tesseras, quas vocant « *Vales reales* » sufficere, atque in vulgus emittere ad ingentem usque pecuniae quantitatem, ex quo quidem afflictis, prostratisque suorum subditorum rebus

Digitized by Google

in publicis omnibus, privatisque negociis, atque in universa commerciorum ratione, maxima, et in dies exitiosior pernicies imminebat, nisi pro-pulsando morbo, quem praesens, atque urgens medelae necessitas intulerat; nova, atque efficacia adhiberentur remedia. Quoniam vero idem carissimus in Christo filius Noster Hispaniarum rex levandis subditorum angustiis, procurandaeque felicitati indesinenti sollicitudine intentus, sua aliorumque experientia commonefactus comperiit, se nec praesentes incomoditates evertere, nec futuras, crescentesque in dies, maximumque exitium minantes antevertere posse, nisi et novis condendis tesseris nummariis modum, finemque imponeret, et jam editas, vagantesque per suas regiones supprimeret; atque extingueret, eas in regiam arcam revocando, quae ex re nomen habet, capsae consolidationis, et extinctionis, idcirco Nobis quoque significavit, nullis pepercisse laboribus, et sollicitudinibus, ut quae hanc in rem opportuniora, et conducentiora suppetere sibi possent subsidia, excogitaret, compararetque. Quae dum agitaret animo consilia, totusque esset in illis, non sine ingenti moerore pro veri fide, quam compertissimam habuimus, novissime declaravit, tantam hanc rem, tamque ad omnium subditorum incolumitatem necessariam ob praesentem rerum, temporumque conditionem ad exitum perduci haud posse, nisi suppetitias etiam ferrent bona ecclesiastica, facta sibi scilicet potestate, ea distraendi, congestamque ex pretio pecuniam vertendi in extinctionem monetae papyraceae, ac ad relevandas alias gravissimas, et urgentissimas ejusdem regni Hispaniarum necessitates Nobis expositas.

Conditio proposita pro obtinenda licentia alienandi bona ecclesiastica.

§. 3. Quam rem quum piissimus rex proponeret, conditionem addidit qua indemnitati ecclesiasticorum, qui eadem bona possident, prospectum foret ope annuae pensitationis alienatorum bonorum redditui plene respondentis, perpetuis futuris temporibus, iis a supradicta regiae consolidationis capsa ullo absque onere, atque ullo procul periculo praestandae. Pro sua autem, suorumque praedecessorum singulari pietate, et religione apprime sibi conscius, suum haud esse de hisce decernere, nisi vicaria, qua fungimur, Dei auctoritas accederet, supplex idcirco Nos adiit, ut hac in rem de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, sibi, suisque providere dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 4. Nobis vero rerum, temporumque conditiones serio meditantibus, praeter aliarum Nostrorum praedecessorum exempla animo obversata continuo est indulgentia prorsus huic similis, quam felicis recordationis praedecessor Noster Gregorius XIII. abnegandam haud duxit Philippo II. Hispaniarum regi, ob exterorum bellorum motus, quamvis non ita graves interius Hispanica ejus regna calamitates urgerent, nec ea impenderet necessitatis vis, atque aliorum omnium praesidiorum inopia, et angustia, qua nunc bonorum omnium luctu eadem regna obruuntur. Ad haec vero, non potuimus non animo advertere in ecclesiasticorum quoque bonorum possessores utilitatem non exiguam ex eo derivari, quod publicis incommoditatibus ex rei monetariae perturbatione proficiscentibus opportuno quantocitius consulatur remedio. Quas ob causas minime dubitantes, quin clerus regnorum Hispaniarum, licet Nobis indulgentibus, alia extra ordinem onera substineat; ad publica paranda commoda, et ad publicas res in feliciorem statum promovendas pro sua in dilectissimum regem, Hispanamque nationem charitate qualemcumque suam opem sponte sit praebiturus; ac vestigiis inhaerentes Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum felicis recordationis Clementis VII., Pauli III., Julii etiam III., ac praesertim Gregorii XIII., eidemque Carolo regi specialem gratiam facere volentes, ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine facultatem concedimus, ut in universo catholici regis dominio tot alienari possint ecclesiastica bona, quot simul respondeant annuo libero redditui ducentorum millium, et non ultra, ducatorum auri de camera. In hac autem alienatione peragenda in respectivis Hispaniarum dioecesibus alienandorum bonorum annuus nitidus fructus computandus ex redditibus habitis spatio quinquennii decursi ab initio anni 1798. usque, et per tot. annum 1802. ab archiepiscopis, episcopis, et locorum ordinariis conjunctim cum regiis ministris desumendus erit. Quod si circa hujusmodi eorum bonorum annui liberi redditus aestimationem, vel alia quacumque de causa, aliaeque exoriantur quaestiones, aut difficultates,

hae omnes ab infrascriptis praesentium literarum Nostrarum executoribus agnoscendae erunt, planeque dirimendae. Si vero contingat, quod bona ipsa tempore dismembrationis, ac separationis vigore praesentium faciendae vacantia existant, aut suo careant pastore, nullatenus de illis, usque dum novos suos habuerint rectores, erit disponendum. Statim ac autem modo, et forma supra enunciatis peracta fuerit designatio talium bonorum, illorumque annuus respective fructus erit unanimiter aestimatus, et insuper a praedicto Carolo rege quibuslibet ecclesiasticis personis, et communitatibus, ac piis locis, vel fundationibus aut legatis, nec non utriusque sexus regularium etiam exemptorum ordinum conventibus, ac monasteriis aequalis annua summa memoratis fructibus respondens, atque integre semper, et absque ulla vel minima mora, aut imminutione etiam sub titulo vel taxae vulgo *di vallimento* nuncupatae, vel reductionis cujuscumque, aut expensarum ratione exactionis recurrentium a supradicta consolidationis, et extinctionis regia capsa unicuique libere in numerata pecunia persolvenda, realiter, et cum effectu (super quo ipsius Caroli regis conscientiam oneramus) fuerit perpetuo constituta; tunc, et non antea bona hujusmodi, nullo ad hoc requisito consensu praesulum, priorum, praepositorum, abbatum, abbatissarum, capitulorum, rectorum, conventuum, monasteriorum, et personarum quarumlibet illa obtinentium, quacumque ecclesiastica licet eminenti dignitate praefulgentium censenda erunt ab ecclesiae bonis dismembrata, et separata, atque antedictae consolidationis, et extinctionis regiae capsae, nec non relevandis aliis gravissimis, et urgentissimis regni Hispaniarum necessitatibus libere applicata, et appropriata, prout Nos ex nunc pro tunc, attentis gravissimis enunciatis causis de specialis dono gratiae apostolica auctoritate dismembramus, ac separamus, et respective applicamus, atque appropiamus, nec non annuam summam a regio aerario, ut supra persolvenda in locum dictorum bonorum dismembratorum, ac separatorum cum iisdem oneribus, et obligationibus ex nunc pariter pro tunc favore cujuslibet possessoris respective perpetuo substituimus, et perpetuo subrogamus. Quibus dismembrationibus, ac separationibus, nec non applicationibus, et appropriationibus respective peractis, eidem Carolo regi plenam potestatem facimus, ut bona ipsa cum suis cujuscumque generis fructibus, quae in praemissa forma regali coronae erunt adjudicata, pro pretio reperibili, ac sibi beneviso juxta regiam suam prudentiam, ac arbitratum vendere, transferre, adsignare, atque alienare, ad effectum tamen pretium ex tali venditione, et translatione, ac designatione, atque alienatione retrahendum in extinctionem, et annullationem nummorum repraesentativorum *valas reales* nuncupatorum, et ad praedictas relevandas gravissimas, et urgentissimas ejusdem regni necessitates fideliter erogandi libere, ac licite possit, et valeat absque eo quod vel in praesentiarum, vel umquam in posterum ulli ex archiepiscopis, episcopis, praesulibus, praepositis, prioribus, mensis, capitulis, dignitatibus, officiis, ordinibus etiam exemptis, monasteriis, conventibus, piis locis, fundationibus, ac legatis, et personis quibuslibet eminenti quoque ecclesiastica dignitate praefulgentibus liceat emptores, ac possessores praelatorum bonorum quovis colorato titulo, vel praetextu turbare, inquietare, molestare, eisque vel minimum afferre praejudicium.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 5. Nos enim bonorum hujusmodi venditiones, translationes, adsignationes, atque alienationes ut supra faciendas una cum suis respective fructibus, juribus, ac obventionibus ex nunc etiam pro tunc favore illa acquirentium, et successive obtinentium approbamus, et confirmamus, atque apostolica auctoritate in perpetuum approbatas, et confirmatas esse volumus, ac mandamus, omnes et singulos quorumcumque interesse habentium consensus, nec non quoslibet alios tam juris, quam facti, aut solemnitatum in alienationibus bonorum ecclesiasticorum observandarum defectus eadem auctoritate apostolica plenarie supplentes, simulque decernentes dismembrationes, separationes, applicationes, et appropriationes, nec non venditiones, translationes, adsignationes, et alienationes, atque omnia, et singula alia, quae vigore praesentium fieri contigerit, perpetuo firmitatis robore subsistere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac per archiepiscopos, episcopos, priores, praepositos, capitula, abbates, abbatissas, monasteria, conventus, et alios quoscumque praemissa quo-

modolibet concernentes perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari debere, perinde ac si a Nobis, et apostolica Sede cum solemnitatibus a jure requisitis, et alias necessariis bona praedicta dismembrata, separata, applicata, appropriata, itemque vendita, translata, adsignata, et alienata fuissent, nec non tam illa, quam praesentes Nostras literas ex quavis causa de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aliove etiam substantiali defectu notari, vel impugnari, ac per archiepiscopos, episcopos, priores, praepositos, capitula, abbates, abbatissas, monasteria, conventus, et quoscumque alios a praemissis, et quibuslibet harum vigore faciendis quovis etiam enormissimae laesionis praetextu, aut ex quacumque alia etiam justissima causa quomodolibet appellare, seu reclamare, ac illis aliqua privilegia etiam per dictam Sedem sub quacumque forma, et verborum expressione concessa, ad hoc ut dismembrationes, separationes, applicationes, appropriationes, nec non venditiones, translationes, ac assignationes hujusmodi, aliaque per dictum Carolum regem, atque ab eo deputandum seu deputandos pro tempore facta ex quavis causa, etiam praetextu enormissimae laesionis, aut non servatarum a jure requisitarum solemnitatum annullare, invalidare, retractare, vel impugnare valeant, suffragari minime posse.

Deputatio executorum apostolicorum.

§. 6. Quocirca duabus personis in praecellenti ecclesiastica dignitate constitutis a ven. fratre Petro archiepiscopo Nicoeno in regnis Hispaniarum Nostro, et apostolicae Sedis nuntio vigore aliarum in simili forma brevis hac ipsa die datarum literarum nominandis, per apostolica scripta mandamus, ut ipsi conjunctim procedentes per se, vel alium, seu alios dictum Carolum regem, aut procuratorem suum ejus nomine, si et postquam enunciatam compensationem cuilibet, ut praefertur, respective adsignaverit, et constituerit, in corporalem, realem, et actualem possessionem bonorum, ut praemittitur, dismembratorum, et separatorum, juriumque, et pertinentiarum suarum ad effectum, ut supra disponendi, nullius ad hoc requisito consensu inducant auctoritate Nostra, et defendant inductum, facientes Carolo regi, vel procuratori praedicto, omnibusque, ad quorum favorem venditiones, translationes, adsignationes, et alienationes hujusmodi fieri contigerit, de fructibus, redditibus, proventibus, juribus, et obventionibus dictorum bonorum integre responderi.

Concessio brachii saecularis pro executione venditionum.

§. 7. Ac praesentes Nostras literas, et in eis contenta quaecumque quoties opus fuerit, et per dictum Carolum regem, vel alium, seu alios ejus nomine, aut illos, quorum favore venditiones, et alienationes hujusmodi fient, requisiti fuerint, solemniter publicantes, sibique in praemissis efficacis defensionis praesidio adsistentes faciant eumdem regem Carolum, et alios quoscumque pro tempore illa obtinentes omnibus, et singulis praemissis pacifice frui, et gaudere: nec non dismembrationes, separationes, applicationes, appropriationes, itemque venditiones, translationes, adsignationes, et alienationes vigore earumdem praesentium factas, atque inde sequuta quaecumque ab omnibus firmiter, et inviolabiliter observari: non permittentes bonorum hujusmodi pro tempore possessores desuper per archiepiscopos, episcopos, praepositos, priores, capitula, abbates, abbatissas, monasteria, conventus, et quoscumque alios indebite molestari, perturbari, vel inquietari; contradictores quoslibet, ac reluctantes, eisque consilium, auxilium, aut favorem praebentes per opportuna juris remedia, ac etiam per mulctas pecuniarias ipsorum arbitrio moderandas, et applicandas compescendo, invocato quoque ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii VIII. de una, et concilii generalis de duabus dictis, Symmachi, et Pauli II. ac Pauli IV. ac aliorum Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum de rebus, ac bonis Ecclesiae nisi sub certa forma non alienandis, itemque apostolicis, ac in synodalibus, provincialibus, et quibusvis aliis conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, praepositurarum, capitulorum, conventuum, dignitatum, officiorum, mensarum, ordinum, et locorum praefatorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis eisdem monasteriis, ecclesiis, prioratibus, ordinibus, locis, et aliis supradictis, eorumque superio-

ribus sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogationibus, aliisque amplioribus, et insolitis clausulis, nec non irritantibus, et aliis decretis etiam motu proprio, et scientia, ac potestatis plenitudine similibus, et consistorialiter, ac de consilio, et assensu venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, aut alias quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis etiam disponentibus bona praemissa dismembrari, ac separari non posse; et illorum dismembrationes, et alienationes per Romanos quoque pontifices, et alias pro tempore factas nullius roboris, vel momenti fore, et esse, ac iisdem privilegiis, indultis, concessionibus, et literis nonnisi certis in illis expressis modo, et forma observatis, ac toto illorum tenore de verbo ad verbum inserto derogari non posse, et derogationem aliter factam nemini suffragari, quoque bona dismembrata, et alienata ecclesiis, ordinibus, locis, legatis, aliisque fundationibus piis relicta, aut donata fuerint, et in testamentariis dispositionibus, aut codicillis, et ultimis voluntatibus, aut aliis contractibus caveatur expresse, quod illa in alterius quam praefatorum usus, et utilitatem converti, sive aliter alienari nequeant, quodque in eventum hujusmodi alienationis alteri certo loco pio ex dictorum contractuum, seu ultimarum voluntatum dispositione debeant applicari: quibus omnibus, et singulis illorum tenores, ac si de verbo ad verbum cum forma in illis tradita inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus specialiter, et expresse derogamus, contrariis quibuscumque: aut si archiepiscopis, episcopis, capitulis, abbatibus, abbatissis, prioribus, praepositis, monasteriis, conventibus, et aliis supradictis ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, quod laudatus Carolus rex diligenter attendat, ne bona hujusmodi ultra valorem respondentem annuo libero redditui ducatorum ducentorum millium auri de camera vigore praesentium per suos ministros, aut alias quomodolibet alienentur, ipsius conscientiam super hoc onerantes: quodque earumdem praesentium literarum transumptis manu alicujus publici notarii subscriptis, et sigillo unius ex memoratis exequutoribus, vel alterius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis ea prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quarta junii millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

CCCLXVIII.

Dat. die 14. Jun. 1805. Anno VI.

Instante rege catholico, sanatio super nullitate electionis viginti sex parochorum alienae dioecesis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Pro parte carissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis catholici expositum Nobis nuper fuit, quod venerabilis frater Joseph episcopus Quitensis in Indiis, postquam ad hanc sedem ab alia episcopali Conchensi pariter in Indiis translatus fuerat, ipsius Conchensis dioecesis vicario capitulari, seu gubernatori praecepit, ut praevia edictorum affixione, ad provisionem ecclesiarum parochialium in dicta dioecesi Conchensi tunc vacantium cum synodalibus circumspectoribus deveniret; quare concursus ad id habitus est in eadem civitate Conchensi cum interventu octo supra sexaginta oppositorum. Quoniam vero per occultam januam mulieres quaedam eo irrepsisse dicerentur, idem concursus ab eodem Josepho episcopo irritus declaratus fuit, novusque successive habitus in civitate Quitensi, ubi adfuerunt tres, et quadraginta tam ex oppositoribus praedictis, reliqui enim cum ob maximam locorum distantiam, tum ob tempestatis rigorem, et adversa valetudine, aut paroeciarum, quas obtinebant, administratione impediti, adesse nequiverunt, atque hoc modo sex, et viginti parochiales ecclesias dioecesis Conchensis de novis parochis providit, nulla quidem auctoritate in aliena dioecesi suffultus: quae rerum novitas locum postea dedit reclamationibus quorumdam candidato-

rum, qui illegitimo huic concursui interesse nequiverunt, vel minime id expedire putarunt. Quamquam vero, sicut in eadem expositione additum erat, novus concursus ad id esset indicendus, tamen cum interim hujusmodi novi parochi bona fide paroecias respective susceperint, et administraverint, atque eorum respectivi parochiales fideles sacramenta, et alia necessaria ab ipsis parochis acceperint, magna suborirentur scandala, et bonorum conscientiae non mediocriter perturbarentur, si hujusmodi parochorum electiones irritae prout de jure sunt declaratae forent, Nobis propterea humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur providis ipsius Caroli regis votis, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, atque sic institutos parochos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumdemque parochorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, electionem parochorum, praedictam, eorumque in paraecias immissionem cum omnibus inde sequutis ratam habentes, auctoritate apostolica, tenore praesentium convalidamus, atque omnes juris, et facti defectus, qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus, eisdemque parochis, sic institutis, ut omnibus et singulis privilegiis, juribus, et facultatibus officio parochiali hujusmodi quomodolibet adnexis, et competentibus, uti etiam in posterum, frui, et potiri, perinde ac si rite, et a proprio ordinario dictas respectivas paraecias ipsos obtinuisse reperiretur, libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus ita tamen, ut in posterum neque ipse Joseph episcopus, ejusque successores se in rebus ecclesiae Conchensis ullo modo immiscere audeant, neque ipsi, aliiqui parochi ab episcopo Quitensi ullo modo dependeant, sed proprio pro tempore existenti ordinario Conchensi semper, et in perpetuum subjecti remaneant.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere: sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quovis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non quatenus opus sit, dictarum ecclesiarum, et dioecesum Quitensis, et Conchensis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis, superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quarta junii millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

CCCLXIX.

Dat. die 26. junii 1805. Anno VI.

Allocutio habita in consistorio secreto diei 26. junii 1805. super itinere suscepto Lutetiam Parisiorum versus ad decorandum imperatorem Naupoleonem insignibus imperialibus.

Venerabiles fratres.

Ab illo usque temporis momento, quo e Gallia reduces urbem ingressi sumus, vos

in consistorium vocare, venerabiles fratres, ardenter optavimus, ut sicut de Nostro illuc proficiscendi proposito ad carissimum in Christo filium Naupoleonem imperialibus insignibus decorandum vos certiores feceramus, ita salutares fructus, quo ex eodem itinere, Deo juvante, collegimus, absque mora vobis exponeremus. Desideriis tamen Nostris obsequi adhuc non potuimus, quod multa pro ecclesiis, quas mox proponemus, paranda, et episcoporum, quibus eae committendae sunt, examen maturandum a Nobis esset. Laetamur autem Nostris hoc die votis satisfacere Nos posse, qui solemni sanctorum apostolorum Petri et Pauli, festo proximus est, ut scilicet bonis, quae praecipua illorum ope consequuti sumus, ad vestram cognitionem deductis, ardentiori pietate, gratissimoque plane animo gloriosi eorum martyrii memoriam recolamus.

Secunda novembris anni proxime elapsi die Roma, ut scitis, discessimus, votaque, et auguria, quibus populus Romanus Nostrum studiosissimus, ad plura passuum millia ex urbe effusus, Nos prosequutus est, et suavissimos paterni amoris sensus in Nobis excitarunt, et felicem itineris exitum portenderunt. Etruriae fines ingressi, Florentiamque delati, satis explicare non possumus quo gaudio perfusi simus, cum affluentes undique populos intueremur, ut in humilitate Nostra Petri successorem, Christique in terris vicarium venerarentur. Inter omnes autem excelluit carissima in Christo filia Nostra Maria Aloisia Etruriae regina, quae splendidissimis et amantissimis devotionis in Nos suae significationibus non solum excepit, sed morari etiam Nos voluit, ut sacramentum confirmationis dilectissimo ejus filio Ludovico Etruriae regi impertiremur. Sacra hujusmodi caeremonia magnifico apparatu celebrata est, in eaque peragenda matris, filiique pietatem una cum omnibus, qui aderant, admirati sumus.

Festinato per Italiam itinere, ubi luculenta, et amplissima eximiae in Nos devotionis argumenta in omnibus, quos peragravimus, locis, praesertim vero Mutinae, Regii, Parmae, Placentiae, Derthonae, Alexandriaeque Nobis oblata sunt, Augustam Taurinorum pervenimus, quo jam profecti erant vener. frater Noster S. R. E. cardinalis Cambaserius archiepiscopus Rotomagensis, dilectusque filius Salmatorius obviam Nobis a Francorum imperatore missi, qui Nostrum in Galliam ingressum felicem, faustumque suo nomine augurarentur, testarenturque simul vehemens illud, quo idem imperator tenebatur, Nos videndi, habendique desiderium. Galliam itaque ingressi sumus, inclytaeque illius nationis populi adventu Nostro laetissimi palam intimos suae religionis, pietatisque sensus, ore etiam, ipsoque corporis habitu ubique ostenderunt. Ubique provinciarum praefecti, quique magistratu aliquo, aut civili, aut militari fungebantur, orationes ad Nos habuerunt, observantiae in Nos ipsos, et apostolicam Sedem, obsequiique plenissimas. Lugduni a ven. fratre Nostro S. R. E. cardinali Feschio illius urbis archiepiscopo excepti sumus, qui liberalitate, magnificentia, impenso in Nos studio, omni denique officiorum genere Nos amplissime cumulavit. Tanta Lugdunensium pietas, tantaque frequentia fuit, ut vastum illud metropolitanae ecclesiae templum, quo Nos ad sacrum faciendum contulimus, capiendae optimorum civium undique accurrentium multitudini satis non esset. Quo tum gaudio exultavimus! Quas misericordiarum Patri ob tantam rerum conversionem gratias egimus! Quem in modum Nostra erga potentissimum Francorum imperatorem charitas exarsit, cui religionis per concordatum ab ipso cum Nobis initum in publicam lucem revocatae, lateque in Gallia reflorescentis gloria debetur!

At Nobis Lugdunensi, ut ita loquamur, triumpho diutius gaudere non licuit. Ardentissimo enim desiderio impellebamur ad imperatorem conveniendum, et inaugurandum, pertractandaque cum eo religionis negotia, quas ob res tantum iter, omni difficultate posthabita, susceperamus.

Recta igitur in fontis, ut dicitur, Bellaquei arcem contendimus, ubi potentissimi, Nostrumque amantissimi principis adspectu, complexibusque frui denique Nobis datum fuit. Qua voluptate, quo gaudio completi sumus primo illo ejus imperatoris occursu, cujus nomen fines terrarum ultimos pervasit, et cujus opera Deus usus est, ut catholica religio in Galliis publicam rursus in lucem emergeret! Eum profecto diem, et quos alios in arce fontis Bellaquei, suadente humanissimo imperatore, transegimus, ut ab itineris incommodo levaremur, memori, gratissimoque semper animo recolemus.

Praefata ex arce, ubi maximam imperatoris benevolentiam, et munificentiam experti, admiratique sumus, Lutetiam Parisiorum una perreximus. Ibi condicta die (quae fuit secunda decembris, eademque prima adventus dominica) imperatoris, et carissimae in Christo filiae Nostrae Josephinae, optimae ejus conjugis, inter illius civitatis, totiusque Galliae, quae suis quasi sedibus mota illuc commigrasse videbatur, ovationes, ingenti supra modum pompa, et sacro, solemnique ritu consecratio, et coronatio peracta est.

Augusta hujusmodi caeremonia expediti, animum ad pertractanda, ut diximus, religionis negotia statim convertimus. Id autem eo majori fiducia fecimus, quod imperator ipse datis, ut compertum vobis est, literis significaverat, se familiares Nobiscum sermones habere velle, quibus catholicae religionis amplificandae, divinique cultus in pristinum splendorem restituendi ratio quaereretur. Atque hic sine gratissimi animi sensu commemorare non possumus hilaritudinem illam, comitatem, benevolentiam, animique propensionem, qua Nos apostolica libertate desideria Nostra exprimentes audivit, et Nostras pro catholicae religionis bono, Gallicanaeque ecclesiae splendore, sanctae demum hujus Sedis auctoritate, ac dignitate petitiones excepit.

Nostra praecipuum in modum intererat de sincero paucorum episcoporum in catholicam unitatem reditu cognoscere, qui antequam canonicam a Nobis institutionem obtinerent, congruo suae reconciliationis testimonio opus habuerant, illam tamen consequuti in se gesserant, ut Nos de germanis eorum sensibus valde sollicitos redderent. Hanc vero sollicitudinem paucos post dies iidem sustulerunt, Verbis enim, et scriptis, quae Nobiscum attulimus, apostolicae Sedis judiciis circa ecclesiastica Galliae negotia firmiter, atque ex animo se adhaerere, et subjicere declararunt. Qua tum consolatione impleti sumus! Ut illorum lacrymis dum paterna eos charitate complecteremur, illacrymavimus! Ut vero consolatio haec Nostra non solum diuturna sit, sed etiam augeatur, confidimus illos certa, et patentia argumenta daturos, quibus eorum declarationem sincero prorsus corde factam esse constet, omnisque de ipsis in posterum querendi occasio Nobis adimatur. Quod, ut fiat, scrutatorem cordium Deum enixis precibus obsecramus, ut quod bonum opus praestiterunt, sua gratia roboret, atque perficiat.

Gravissimo hujusmodi negotio per Nos absoluto, alia statim suscepimus, quae ad religionis bonum, ad Ecclesiae libertatem, ad cleri decus, ad sacrorum ministrorum numerum augendum, ad eos, qua decet ratione substentandos, pertinebant. Fiducia freti, quam Nobis humanissimus imperator ingessit, eaque libertate usi, qua ministerium apostolicum exerceri oportet, ecclesiae Gallicanae plagas, temporum injuria, et opinionum pravitate eidem inflictas, et quas patitur angustias verbo, scriptoque illi exposuimus; et petitiones hac super re Nostras eidem significavimus. Quae Nobis imperator responsa dedit, ea quidem et officii erga Nos, licet immeritos, plenissima sunt, et magnam in spem Nos erexerunt fore, ut Gallicana ecclesia sensim, et gradatim convalescens, pristinum denique vigorem, formamque recuperet. Quaedam profecto mala ejus indolis sunt, ut licet repentino impetu ingruerint, si quis tamen extemplo sanare illa velit, ingravescant potius, quam tollantur.

Nec sola, ven. fratres, spe Nos ali putetis. Multa facta sunt, quae faciendorum quoddam quasi pignus, arrhamque praebent. Societates sacerdotum Missionis, et Puellarum Charitatis, quas s. Vincentius a Paulo tam salutariter instituit, sacris, propriisque vestibus insignitae jam revixerunt: pecuniae divino cultui exercendo, et cathedralibus reparandis comparandae ratio publico decreto statuta est; amplae, conspicuaeque aedes aperiendis ibidem clericorum seminariis attributae sunt; ut eadem seminaria pecuniam, aut fundos sibi haereditate relictos consequi possint, permissum est: quae vero seminaria ad metropolitanas ecclesias pertinent certis jam gaudent subsidiis a publico aerario subministratis: qui redditus praefatarum ecclesiarum cathedralium episcopis, et canonicis constituti erant, aucti sunt: municipia, provinciaeque sumptus facere jubentur conservandis templis, et sacra suppellectile decorandis necessarios: societas Missionum, ut dicitur, exterarum, propagandae in ultimas terras ortodoxae fidei destinata, imperatore annuente, ita restituta est, ut, et bona, quibus potiebatur, recuperaverit, et novos acquirendi fundos potestatem adepta sit. Operarii ad spargendum apud

Digitized by Google

gentes Evangelii semen missi, imperatoris auctoritate juvantur, et proteguntur. Nos ipsi praestantibus aliquot congregationis Missionis sacerdotibus ad Sinensium oras sanctissima religione imbuendas proficiscentibus apostolicam exultanti animo benedictionem impertiti sumus. Neque tot inter curas patriarchalem nostram basilicam Lateranensem omnium urbis, et orbis ecclesiarum matrem, et caput oblivisci potuimus, quae cum redditus, quos pridem in Gallia possidebat, ob praeteritas rerum vicissitudines amisisset, munificentia generosissimi principis recreatur. Praeter haec alia etiam maximi momenti facta sunt. In mandatis itaque datum est, ut quam habent episcopi spirituales, ac disciplinares ecclesiasticorum culpas judicandi, inque eos, cum opus fuerit, canonicis poenis animadvertendi potestatem libere exerceant; ministrorum temporalium ad eamdem potestatem importunis, injustisque vinculis coercendam conatus reprimantur; obstacula juventuti in clerum cooptandae objecta imminuantur; christianae demum adolescentum institutionis, et spiritualis infirmorum militum, agrestiumque salutis cura suscipiatur. Hi Nostrorum cum maximo principe colloquiorum fructus, uberiorum, quos ab eo petivimus, ab ejusque religione expectamus, pignus Nobis, et arrham, ut supra diximus, praebent.

Neque vero alia plura, quae Nostro in Galliam adventu pater misericordiarum Deus operari dignatus ibidem est, spiritualia bona silentio a Nobis praetereunda sunt. Quo animi fervore, quibus pietatis sensibus Galliarum populi summum Catholicae Ecclesiae pastorem in Nobis venerati sint scitis. Quos accepistis ea de re nuntios, ii veritatem non aequant, tantum abest, ut superaverint. Nullis enim verbis excitatae apud Gallos religionis amor, zelus, exercitium exprimi possunt. Misericors profecto Deus tantis iter in Galliam Nostrum benedictionibus cumulare dignatus est, ut eodem itinere christifidelium in Galliis spirituali bono supra omnem modum consultum fuisse episcopi ipsi saepissime affirmare non dubitaverint. Nos admissione, et adloquio omnibus satisfacere, omnium preces audire, cum fieri potuit explere, spiritualibus malis mederi, animos ad pietatem acuere numquam destitimus. Omnes Lutetiae paraecias invisimus, ibique, uti et postea Lugduni, plura hominum millia eucharistico pane ipsi refecimus. Hospitales item domos christianae charitati erga infirmos exercendae, aut juventuti informandae sacras, visitavimus. Ingens catholicorum turba Nos ubique circumstabat, sequebatur, deducebat, suamque benedictionis apostolicae a Nobis accipiendae cupiditatem numquam satis expresse sibi videbatur.

Quid autem de praeclarissimo Ecclesiae gallicano clero dicemus? Qui tantis in Nos studiis exarsit, cujusque tanta fuerunt in Nos merita, ut ad Nostros grati animi sensus erga illum expromendos pene impares simus. Omnes autem dicendi vires excedunt amor, zelus, vigilantia, labor, quibus, episcopi praesertim, commissum sibi gregem pascunt, et religioni, cujus ministerium exercent, honori sunt, eique reverentiam apud ipsos illius hostes apprime conciliant. Cujus quidem rei cum Nos ipsi testes fuerimus, hinc debitis illum laudibus coram universa Ecclesia ornandum a Nobis esse merito judicavimus.

Quae item ad Nostri ministerii officium pertinent, eadem Parisiis obire non omisimus. Ven. fratres Nostros S. R. E. cardinales, qui Nos comitati sunt, et eos, qui Lutetiae morabantur, in consistorium vocavimus, pileumque cardinalitiae dignitatis insigne, cardinali de Belloy archiepiscopo Parisiensi, nec non cardinali Cambaseres archiepiscopo Rotomagensi ea solemnitate, eoque ritu dedimus, quem apostolicae constitutiones praescribunt. Vacantes ecclesias novis episcopis instruximus, quorum aliquos in vasto s. Sulpitii templo innumerabili spectatorum multitudine circumsepti consecravimus. Paucis ante diebus, quam Lutetia proficisceremur, principem Napoleonem, imperatoris fratris filium, maximo apparatu, summaque procerum splendidissimae illius aulae frequentia lustralibus sacramenti baptismatis aquis abluimus. Solemnis hujusmodi caeremonia in suburbano *Saint-Cloud* ut dicitur, secessu peracta a Nobis est, imperatorque ipse, et spectatissima ejus mater, infantem sacro e fonte religiosissime susceperunt. Hae Nostrae fuerunt in Galliis curae; hae gloriosissimi Francorum imperatoris providentiae; haec devotae in religionem Gallicae nationis argumenta; hic denique suscepti a Nobis itineris exitus.

Rebus ita confectis, adventante jam veris tempestate, in urbem, et Sedem Nostram re-

vertendum Nobis esse judicavimus. Debitis itaque officiis cum invicto imperatore perfuncti, a cujus latere divellebamur, novisque suae erga Nos voluntatis pignoribus gratissime acceptis, Nos itineri denuo commisimus. Cumque Cabillonum pervenissemus, solemnes dies passioni, et resurrectioni Dominicae recolendae sacros ibidem celebravimus. Qualis fuit Cabillonensium, et advenarum ex finitimis oppidis undique illuc concurrentium pietas! Quale in Nos studium pari cum observantia conjunctum! Inde Lugdunum profecti sumus. Lugdunenses sui erga Nos, et apostolicam Sedem amoris, et obsequii testimonia, quae Nobis jam dederant, majore fortassis, quam antea, contentione renovarunt. Ven. autem frater Noster cardinalis Feschius Lugdunensium archiepiscopus omnia magnificae hospitalitatis officia Nobiscum rursus exercuit. Oblatam hic Nobis esse illius ornandi, testandique grati animi erga ipsum Nostri occasionem plane gaudemus. Nec tacere volumus celeberrimum illud beatissimae Virginis de Foro Julii dictae sanctuarium, a Nobis, cum Lugduni versaremur, incredibili cum illorum civium exultatione reseratum esse, et publico, ut antea, cultui restitutum. Augustae Taurinorum, ubi eximia civium religio, maximusque in Nos amor iterum emicuit, imperatorem Naupoleonem revisere, et alloqui, summae Nobis voluptati fuit. Ecclesiasticas Galliae, Italiaeque res illi denuo, atque diligentissime commendavimus, et repetita pro singularibus ejus in Nos, et catholicam religionem meritis gratiarum actione, recta iter in Etruriam aggressi, Florentiam pervenimus.

Splendidissimus, laetissimusque fuit Noster eam in urbem ingressus. Praestantissima Etruriae regina iteratis amplissimae munificentiae documentis, singularem erga Nos devotionem suam rursus testata est. Majoris autem is omnibus, quas Florentiae cepimus, consolationis gratiam omnipotens, et misericors Deus Nobis ibidem praeparaverat. Primo Nostro in illam urbem adventu jam praesenseramus, ven. fratrem Nostrum Scipionem Riccium Pistoriensem olim, et Pratensem episcopum, de se cum Nobis, et Sancta Catholica Romana Ecclesia reconciliando, quod a longo Nos tempore optabamus, bonique omnes avidissime opperiebantur, graviter cogitare. Jam vero cogitationem hanc suam Nobis in praefatam civitatem reversis egregio, planeque imitando exemplo complevit. Filiali enim cum fiducia Nobis significavit, se formulae, quam ipsi proponere Nobis placuisset, sincero corde subscripturum. Nec fidei, quam Nobis dederat, defuit. Formulam enim per ven. fratrem Nostrum archiepiscopum Philippensem ei missam legit, admisit, suaque manu signavit. Hac ergo formula, quam reparando scandalo publicam in cognitionem deduci concupivit, declaravit, se pure, et simpliciter, omninoque ex animo recipere, et venerari constitutiones a Sede apostolica factas, quibus errores Baii, Jansenii, Quesnellii, et illorum, qui eos sectati sunt, proscribuntur, praesertim vero bullam dogmaticam *Auctorem Fidei*, qua octoginta quinque propositiones damnantur e synodo Pistoriensi, quam ipse coegerat, et publicari jusserat, excerptae; has propterea propositiones omnes, et singulas se reprobare, et damnare iis qualificationibus, iisque sensibus, qui in praefata bulla expressi sunt; denique in Sanctae Ecclesiae Catholicae Apostolicae Romanae fide, inque omnimoda subjectione, veraque obedientia Nobis, Nostrisque successoribus, tamquam in Petri cathedra sedentibus, et Jesu Christi vicariis, velle se vivere, et mori. Post solemnem adeo declarationem, eum ad Nos accersivimus, formulamque a se subscriptam Nobis denuo asserentem, et suorum sensuum sinceritatem, atque intimam dogmaticis sa. me. Pii Sexti decisionibus submissionem iteratis verbis testantem, addictumque suum ortodoxae fidei, Sedique apostolicae mediis etiam in erroribus animum profitentem, paterne complexi sumus, meritaque ob actum, quem gessit, laude commendatum, omni charitatis affectu Nobis, Catholicaeque Ecclesiae reconciliavimus. Cum vero, datis nuper ad Nos literis, quibus de felici, faustoque Nostro in urbem reditu Nobis gratulatur, retractationem Florentiae factam, ratam se habere confirmaverit, paterno cor Nostrum gaudio rursus affecit.

Haec erant, ven. fratres, quae vobis annuntianda esse judicavimus. Reliquum est, ut datoris bonorum omnium Dei thronum cum fiducia adeamus, eique per beatissimos apostolos Petrum et Paulum, humiliter supplicemus, ut quae ab infirmitate Nostra ad sui gloriam, ad religionis incrementum, ad spi-

ritualem animarum salutem, ad Catholicae Ecclesiae, Sedisque apostolicae bonum inchoata sunt, miseratione sua tueatur, augeat, atque perficiat.

Dat. die 9. julii 1805. Anno VI.

CCCLXX.

Ut in collegiata B. M. V. de Gaudalupe Mexicanae dioecesis singulis sabbatis, in quibus occurat officium ritus duplicis secundae classis, etiam infra octavas privilegiatas, una missa cum cantu de eadem Deipara celebrari possit.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Cum, sicut dilecti filii abbas, et capitulum ecclesiae collegiatae Beatae Mariae Virginis de Gaudalupe nuncupatae civitatis Mexicanae Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga Deiparam afficiuntur devotionis affectu, ejusdem cultum, et venerationem in dies augeri summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutus fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, referente dilecto filio magistro Julio de Carpineo sacrorum Rituum congregationis secretario, ut in posterum, etiam in sabbatis, in quibus occurrat officium ritus duplicis secundae classis, et incidentibus infra octavas privilegiatas, una missa cum cantu de eadem Deipara celebrari possit, auctoritate apostolica, tenore praesentium indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae collegiatae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die nona julii millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

Dat. die 10. julii 1805. Anno VI.

CCCLXXI.

Indulgetur dignitatibus, et canonicis cathedralis Viterbiensis, ut habitu praelatitio, et aliis protonotariorum insigniis ad instar alterius capituli Urbevetani uti valeant, et possint.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. In sanctae apostolicae Sedis fastigio, meritis licet imparibus, constituti, ad statum ecclesiarum omnium, quarum Nobis a Domino commissa est solicitudo, personarumque in eis Altissimo famulantium propensis studiis animum jugiter intendentes, illarum decori, et honorificentiae paterna benignitate consulimus.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper dilecti filii capitulum, et canonici cathedralis ecclesiae Viterbiensis exponi fecerunt, cathedralis ipsa antiquitatis laude, patrimonii amplitudine, sacrarum supellectilium copia, sanctarum reliquiarum abundantia, templi majestate, sacrorum ministrorum probitate, et doctrina, populique devotione, et frequentia valde floreat; cumque ad haec omnia accedat quoque ipsius civitatis Viterbiensis celebritas, quae tanta est, ut pluries ibi Romani

Digitized by Google

pontificis electio fuerit habita, ac mater extiterit felix sanctae Rosae Viterbii, multas praeterea sacras aedes, collegiatas etiam insignes, conventus, et monialium monasteria complectatur, multis insuper beneficiis reperiatur ornata per Romanos pontifices praedecessores Nostros ipsi concessis, ac demum perpetua in hanc sanctam Sedem devotione, et fide ad haec usque tempora maxime emineat, non exigua dignitatis, et ornamenti ad ipsam cathedralem, et civitatem fieret accessio, divinusque in ea cultus majora susciperet incrementa, si ejusdem cathedralis dignitates, et canonici novis decorationibus donentur; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus dictae cathedralis ecclesiae Viterbiensis dignitatibus, et canonicis, ut habitum violaceum praelatitium ad instar capituli, et canonicorum alterius cathedralis ecclesiae Urbevetanae tam in ecclesia praedicta, ejusque choro, et capitulo, quam extra eam in processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque in memorata civitate, et dioecesi Viterbiensi dumtaxat gestare, aliisque insigniis Nostrae, et Romanae Sedis notariorum pariter ad instar dicti capituli Urbevetani ibidem uti libere, et licite possint, et valeant; auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus; dictosque dignitates, et canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, vel perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae cathedralis Viterbiensis ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum dumtaxat hac vice specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima nona julii millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

CCCLXXII.

Dat. die 29 julii 1805. Anno VI.

Indultum utendi rocchetto pro cotta pro canonicis metropolitanae ecclesiae Goanae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, illud interdum concedendum esse ducimus, ut viri Altissimo in templis magis conspicuis famulantes, atque almae Sionis aemuli divinas laudes ibidem quotidie persolventes peculiaribus, et ad eorum munus exprimendum aptis utantur indumentis, quo ipsi vel per externas vestes excitati internarum virtutum splendore in domo Domini praelucere conentur.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper dilecti filii capitulum, et canonici ecclesiae metropolitanae Goanae exponi fecerunt, metropolitana ipsa antiquitatis laude, templi structura, sacrarum supellectilium copia, sacerdotum probitate, et doctrina, populique frequentia, ac devotione valde floreat, multum splendoris ad ipsam accederet, ac divinus cultus, fideliumque devotio majora ibi incrementa susciperet, si ejusdem metropolitanae dignitates, et canonici nova aliqua honorificentia per

Nos, et hanc sanctam Sedem donentur: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus dignitati, seu dignitatibus, et canonicis dictae metropolitanae ecclesiae, ut de consensu venerabilis fratris moderni archiepiscopi Goani, pro cotta, quam adhuc subter mozzettam nigram tela serica rubea subsutam deferre consueverunt, rocchetum manicatum, et eamdem mozzetam tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque dignitates, et canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae metropolitanae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesima julii millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

CCCLXXIII.

Dat. die 30. julii 1805. Anno VI.

Praefinitio numeri canonicorum, quibus jus sit ferendi suffragium in generalibus comitiis congregationis Regularium s. Joannis Evangelistae in Lusitania.

Dilecto filio Laurentio archiepiscopo Nisibensi in Portugalliae, et Algarbiorum regnis Nostro, et Sedis apostolicae nuntio.

Pius PP. VII.

Dilecte fili Noster salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Nuper Nobis exponi fecerunt dilecti filii rector, definitores, et procurator generalis congregationis canonicorum regularium sancti Joannis evangelistae nuncupat. in Lusitania, quod fel. record. Benedictus pp. XIV. praedecessor Noster per suas in simili forma brevis die 17. junii 1749. expeditas literas disposuit, statuitque, sex et viginti debere esse canonicos, qui in generalibus congregationis comitiis ferrent suffragium; ac horum in numero recensendos esse sex magistros, duosque praedicatores generales, qui rite, ac rigorose, ut ajunt, seu jure, et justitia jubilationem assequuti fuissent; et tam magistros, quam praedicatores hujusmodi sorte esse extrahendos in uno pro altero mox futuro capitulo; demum neminem ex vocalibus capituli proxime celebrati locum habere posse in capitulo proxime celebrando. At imminuto postmodum canonicorum numero, quum aliud congregationis necessitas postularet, a bo. mem. Bernardino archiepiscopo Petrensi nuntio isthic apostolico, instante apud eum eadem congregatione, provisum fuit, ut si, et quando reperiri contingeret solummodo sex magistros, et duos praedicatores generales jubilatos ex justitia, tunc extractio praedicta juxta Benedictum praedecess. facienda per sortes dispensata maneret, numerusque integer magistrorum, et praedicatorum ab eodem prae-

fixus ad suffragandum suppleretur per magistros atque praedicatores generales jubilatos ex privilegio. Nunc autem eo vel magis decrescentes congregationis alumni, vix numerantur in totum unus et triginta, qui vigesimum septimum professionis annum exegerint, quosque inter quamplures infirmitatibus, senioque prope confecti.

Novus ordo indigitatus sequendus in ferendis suffragiis in capitulo generali.

§. 2. In tanta itaque tum distantia temporum a praedictarum literarum expeditione, tum permutatione circumstantiarum ac rerum, quae congregationi supervenerunt, nova quaedam exponentes veluti magis statui praesenti accomodata censent, optantque videlicet:

I. Ut praeter rectorem ex-generalem immediatum, qui nempe suo est a gubernio cessaturus, et cui ex ipsis praedictis literis suffragandi in capitulo, licet tantum subsequenti, facultas tribuitur, alii quoque ex-generales rectores, qui tamen magistri, vel praedicatores generales rigorosae jubilationis extiterint, suffragari possint in cunctis generalibus comitiis: sed ne ulterius quam qui praefixus est, numerus augeatur vocalium, sat erit si ex-generales hujusmodi aliis magistris, et praedicatoribus generalibus praecedant semper in formatione numeri tam sex magistrorum, quam duorum praedicatorum per memorati praedecessoris literas praestitutum, ita ut extractio quae fieri debet ex urna, solum ad implementum dicti numeri fiat. Exempli gratia: si tres fuerint, praeter immediatum, ex-rectores generales, qui una sint jubilati, ex justitia, debeant hi suffragium ferre; pro reliquis vero tribus magistris, qui senario praescripto numero desunt, ponantur in urna nomina magistrorum rigorosa pariter jubilatione gaudentium. Idipsum fiat quoad praedicatores generales. Haec porro ideo exoptantur, quia ex-rectores generales utpote rerum usum magis pollentes, majori quoque in capitulis communi emolumento fore videntur.

De licentia eligendi in eodem capitulo magistros, et praedicatores, qui in illo suffragium tulerunt.

II. §. 3. Ut tam magistri, quam praedicatores generales, utrique tam jubilati jure et justitia, qui in uno suffragantur capitulo, possint in eodem capitulo eligi ad munera congregationis quibus adnexum sit votum pro capitulo proximo. Vetitum id quidem extat in literis Benedicti praedecessoris; sed id vetandi causa tunc justa fuit ex eo, quod tunc temporis congregatio triginta et unum magistros jubilatos, ac quindecim praedicatores generales habebat; nunc autem de magistris rigorosae jubilationis nonnisi septem aut octo, et de praedicatoribus generalibus solos quinque possidet. Quin imo hanc ob penuriam, quam post illud temporis laboratum jugiter est, nonnulli adsunt magistri, qui in aliorum defectum quatuor et viginti ab hinc annis in omnibus capitulis sunt suffragati. Quod eo igitur tempore vetitum salubriter fuit, grave in praesentiarum evasit magistris, et praedicatoribus jubilatis, tum et noxium ipsi congregationi, quae uti nequivit opera illorum, qui ad munera, quibus excluduntur, sunt scientia, atque solertia plerumque magis idonei. Haec tamen, quae modo petitur, gratia haud valere aeque deberet in casu, quo magistri, et praedicatores praedicti suffragium in capitulo ferrent ratione muneris, cui est adnexum suffragium, non vero ratione qualitatis magistrorum, et praedicatorum, qua ipsi sunt praediti.

De electione capitularium ad munera congregationis.

III. §. 4. Ut quemadmodum corpus capitulare rectorem generalem potest seligere, ita et eidem sit corpori potestas seligendi, quoties id in commune bonum cessurum crediderit, tres, aut quatuor a capitularibus membris canonicos ad munera congregationis, queis sit adnexum suffragium pro capitulo proximo; excepta tamen reconductione, ut ajunt, ad eadem munera, exclusisque etiam iis, quorum illo in capitulo munus expirat, vel visitatoris generalis, vel generalis rectoris; utque id, quod modo deposcitur, praeter et ultra sit illud aliud, de quo pro magistris, et praedicatoribus rigorosae jubilationis jam superius facta est postulatio.

De reelectione rectoris, et vicarii generalis.

IV. §. 5. Ut rector generalis, vel generalis vicarius reeligi nequeat, non solum post primum triennium per leges congregationis praescriptum, sed nec etiam post alterum, idest per sex annos in totum, quum in multa inde incommoda sequi experentia ostenderit.

De loco, et voto in capitulo concedendo pro rectori Olyssiponensi.

V. §. 6. Quum amplius non existat s. Eloy domus, cujus rector suffragium in capitulis, sicuti ceteri rectores, habere solebat, et loco domus, ac rectoris hujusmodi sit ad praesens Olyssipone pro-rector, domus capitularis, quam sancti Joannis de Xabregas extra muros appellant, quumque talis pro-rector in rectoris generalis absentia ejus vices gerit, dictaeque domus gubernio praeest, hinc efflagitatur, ut et ipse in capitulis loco, votoque fruatur, tum ne hoc privilegio careat, qui

non paucis aliunde meritis praestat; tum ne diutius vigesimum sextum desideretur suffragium in capitulis, quod tamen semper, ex quo s. Eloy domum et rectorem contigit defecisse, desideratum huc usque fuit, licet recensitae praedecessoris literae vota sex et viginti pro comitiis generalibus expresse constituant, tum praeterea quod pro-rectori praedicto votum hujusmodi concessum jam fuit a rec. mem. Pio pp. VI. etiam praedecessore Nostro per similes suas in forma brevis literas expeditas die undecima martii millesimo septingentesimo octogesimo, quae alias quoque dispensationes insimul continebant, sed propter aliquam fortasse clausulam nunquam sunt effectum sortitae, immo ipsis exponentibus manebant incognitae.

De exclusione germanorum fratrum a ferendo suffragio, et obtinendis insimul dignitatibus.

VI. §. 7. Denique, ut quum sex et viginti tantum, prout jam dictum est, pro generalibus comitiis sint praestituta suffragia, ne qua id circo in hac paucitate votorum humana fraus subrepet, caveatur a nobis nequire in eisdem comitiis duos una suffragari germanos fratres, ita scilicet ut si contingat unum eorum ad munus, cui votum adnexum sit, esse selectum, tunc alter, etiamsi magister jubilatus, vel praedicator generalis, suum in eodem ipso capitulo omnino non possit ferre suffragium; multoque minus eligi possint duo fratres ad munera, quae capitulare votum adnexum habeant. Quandoquidem si s. m. Clemens pp. VIII. Noster itidem praedecessor in suis sub plumbo die vigesima sexta augusti millesimo quingentesimo nonagesimo sexto expeditis literis vetitum voluit, atque decrevit, ne duo fratres eadem in domo possent insimul degere, eo vel magis rationabile erit prohibere duobus fratribus ne votum ab utrisque feratur in eodem capitulo, nunc praesertim, quum in congregatione supra duodecim numerentur canonici suos singuli isthic fratres habentes, quibuscum facile ipsi adesse possunt capitulo, prout factum est tum in aliis, tum et in iis anni proxime elapsi. Verum quia fieri quoque potest, ut duo fratres existant magistri jubilati, vel praedicatores generales jubilati, aut unus eorum magister jubilatus, et alter praedicator generalis jubilatus, seu unus ex-rector generalis, et alter magister jubilatus, vel praedicator generalis jubilatus, vel forte renuntietur ad munus, cui sit votum adnexum sicque ambo deberent capitulo interesse; tali in casu hujusmodi fratres interventuri capitulo tamquam magistri, et praedicatores generales jubilati sorte extrahantur, ita quidem, ut unus ad capitulum pergat, alter vero aliud expectet proxime celebrandum, idque alternis vicibus faciant, ne unus bis successive admissus, alter autem bis successive exclusus remaneat: quod et servandum similiter sit, quando alter duorum fratrum rectoris generalis munere functus, alter vero magister, vel praedicator generalis jubilatus extiterint. Verumtamen si alter ex fratribus reperiatur ex rector generalis, et alter electus ad munus cum voto, tunc ex-generali pro ea vice excluso manente, locum is in capitulo sumat, quem elegerunt capitulares ad munus cum adnexo suffragio. His omnibus ita expositis, Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi, seu potius suae congregationi providere in praemissis, ac ut infra indulgere opportune de benignitate apostolica dignaremur.

Concessio facta juxta preces.

§. 8. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac singulares eorum personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati; fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut constito tibi de praenarratis, ac post quam diligenti, ac maturo cunctarum rerum examine satius id in Domino expedire censueris, eisdem exponentibus, eidemque congregationi auctoritate Nostra apostolica pro tua prudentia gratis indulgeas juxta petita, ac super memoratis literis Benedicti praedec. opportune dispenses.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus eisdem literis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae congregationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis,

Digitized by Google

et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die trigesima julii millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

Dat. die 8. aug. 1805. Anno VI.

CCCLXXIV.

Concessio novarum vestium, et insignium pro canonicis, et dignitatibus capituli sanctae Victoriae Firmanae dioecesis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 50. Copia intrumenti rogati per acta Bassetti A. C. et sacrarum congregationum not: pro quo stipulavit Franciscus Ciampoli notarius substitutus sacrae congregationis Boni Regiminis—Permutatio, et concordia—Pro venerabili conventu, et rr. pp. s. Francisci civitatis Centumcellarum—die XXIV. martii MDCCCIV—Essendosi con espresso oracolo di Nostro Signore erette in Civitavecchia, nello scorso mese di febbrajo del corrente anno milleottocentoquattro tre nuove parrocchie dall' illustrissimo e reverendissimo monsignor Connestabili arcivescovo, vescovo di Viterbo e Toscanella, è stata una di esse parrocchie affidata alla cura dei preti secolari nella chiesa di s. Antonio nel borgo di detto nome, ove dal prelodato monsignore vescovo si è eretta una prepositura con quattro canonici coadjutori curati, dandosi altresì alla comunità di detta città il juspatronato di detta chiesa, come risulta dai decreti fatti dal prelodato monsignor vescovo esistenti nella cancelleria vescovile di detta città di Civitavecchia, alli quali etc. Ma essendo detta chiesa di s. Antonio situata in un angolo della città, e di sua natura angusta, ha desiderato vivamente la città tutta di avere una chiesa più spaziosa, e meglio situata, e per decoro della città stessa, e per le vedute, che possono esservi di stabilire ivi in seguito una formale collegiata, ed ha ognuno convenuto non potervi esserne una più adattata, che quella di s. Francesco dei padri Conventuali, unitamente al loro convento, ove trasferendosi la cura dei preti secolari ora fissata nella chiesa di s. Antonio al borgo sarebbesi potuta procurare l' abitazione del prevosto, e canonici, quella di monsignor vescovo, suo vicario, e cancelleria, e ricavare altresì il comodo delle pubbliche scuole, per lo che essendosi esplorato l' animo dei superiori locali di detto convento, e riconosciutosi, che sarebbero condiscesi di permutare

la loro chiesa, e convento di s. Francesco con quella di s. Antonio al borgo, presi alcuni compensi da dargliesi dalla comunità sono stati deputati li signori Clemente Pucitta, e Giuseppe Capalti a trattare la progettata permuta. Portatisi in Roma, e tenuti su di ciò vari congressi col reverendissimo p. maestro Niccola Papini ministro generale dell' ordine dei Conventuali, come da documento originale provante il suo consenso che a me si consegna per inserirlo nel presente istromento del tenore ec. hanno progettato le seguenti condizioni — Primo. Che la comunità dovrà obbligarsi di accrescere l' abitazione annessa alla chiesa di s. Antonio al borgo, e ridurla al segno di potere essere abitata da un proporzionato numero di religiosi, il tutto da farsi a proprie spese sue — II. Che la comunità dovrà accollarsi la somma di scudi diecimila di debito fruttifero gravante il convento di Civitavecchia — III. Che la medesima comunità dovrà pagare al medesimo convento la somma di scudi duemila in rate da convenirsi coi pubblici rappresentanti — IV. Che in compenso il rev. p. generale dell' ordine dovrà cedere alla comunità suddetta la chiesa e convento di s. Francesco in Civitavecchia con gli annessi, e connessi, come anche organo, bussole, quadri, candelieri, e paliotti degli altari, e tutt' altro, che serve ai medesimi così corrispondente alla consegna, che ad essa si farà nell' atto enunciato — V. Che ai religiosi, che passeranno ad abitare a s. Antonio la r. c. apostolica assicurerà, e garantirà l' annua somma di scudi duecento cinquanta, quali essa già somministra in estinzione dei debiti, dei quali sono gravati oltre li suddetti scudi diecimila. Ed affinchè il reverendissimo padre generale suddetto, potesse con più facilità ultimare un tal progetto hanno i medesimi deputati avanzato alla Santità di Nostro Signore una supplica ad oggetto di fare avere al medesimo tutte le facoltà necessarie, ed opportune relativamente a tale affare, alla qual supplica si è degnata la Santità Sua di rescrivere — Patri generali ordinis cum facultatibus necessariis, et opportunis VII. martii MDCCCIV. Pius PP. VII. — come dalla copia pubblica di detta supplica, e rescritto, che originalmente si consegna a me notaro per inserirla nel presente istromento del tenore ec. Avendo pertanto il prelodato reverendissimo padre generale sentito il sentimento del padre maestro Bernardino Biancucci ministro della provincia Romana, cui il suddetto convento appartiene, e per definitorio da esso adunato sotto il dì undici marzo corrente è pienamente convenuto nella progettata permuta alle condizioni sopra espresse. Ma siccome sarebbe riuscito di un sensibile aggravio alla comunità di Civitavecchia di accollarsi la somma di scudi diecimila di debito gravanti il convento di s. Francesco, così è stato per sua parte supplicato Nostro Signore di addossare un tal debito all' amministrazione dei beni comunitativi, alla quale altresì spettava di soddisfare i frutti corrispondenti dal primo gennajo 1804, restando a favore dei creditori ipotecati i medesimi beni comunitativi, alla quale istanza avendo la Santità Sua, a relazione di monsig. illustr. e rev. Falzacappa segret. della s. congregazione del Buon Governo, li diecisette del corrente per organo del quale la Santità di Nostro Signore aderendo alle preci per parte di essa comunità umiliate, indulgesse nel modo seguente cioè — Die XVII. martii MDCCCIV. Sanctissimus attentis peculiaribus circumstantiis, ne quid desit publico tum spirituali, tum civili bono civitatis Centumcellarum benigne indulgens votis r. p. d. episcopi Viterbiensis, et Tuscanensis, nec non illius civium, totiusque populi concordias, permutationes, ac debitorum translocationes in generalem bonorum comunitatum administrationem jamprius comuni omnium interesse habentium placito conciliares suprema auctoritate ratas habuit, confirmavitque, easque ad publica instrumenta perpetuo valitura redigi expresse mandavit, motu proprio die XIX. martii MDCCLXXXI. ac XIV. julii MDCCCIII. quibuscumque in contrarium minime obstantibus — I. F. Falzacappa secretarius — Bramandosi pertanto di venire alla stipolazione di pubblico istromento acciò sempre la verità apparisca; quindi è che presente, e personalmente esistente avanti di me notaro e testimonii infrascritti l' illustrissimo, e reverendissimo monsig. Giovan Francesco Falzacappa segretario della s. congregazione del Buon Governo in nome, e vece della cassa di amministrazione da una parte, e gl' illustrissimi signori Clemente Pucitta figlio della bona memoria Biagio di Civitavecchia, e Giuseppe

Capalti figlio della bona memoria Benedetto parimenti di Civitavecchia a quest' atto specialmente eletti, e deputati, come da pubblico, ed autorizzante documento inserto in altro istromento di obbligo sotto questo medesimo giorno per g i atti miei rogato, al quale ec. a me ec. cogniti in nome, e vece della comunità di Civitavecchia asserendo, ed affermando tutte e singole cose di sopra espresse e narrate esser vere, e verissime, e quelle come tali, per tali omologando, e ratificando in esecuzione delle medesime, e del succitato rescritto pontificio, monsig. illustrissimo, e reverendissimo Falzacappa segretario della congregazione suddetta in nome, e vece della cassa d' amministrazione suddetta ha permutato, e permuta la chiesa di s. Francesco di Civitavecchia coi suoi annessi già posseduta, e ritenuta da essi reverendi padri con altra chiesa, e suoi annessi di s. Antonio al borgo di detta città conforme detti reverendi padri assenti, e per essi il reverendo padre generale Niccola Papini dell' ordine di s. Francesco autorizzato da rescritto pontificio, come dalla di lui copia pubblica di sopra inserta, alla quale ec. presenti, accettanti, e con me notaro legittimamente stipolanti i ridetti signori Pucitta e Capalti deputati come sopra hanno permutato, e dichiarato, conforme hanno ricevuto, e ricevono la permutazione di detta chiesa di s. Antonio al borgo della suddetta città in luogo della chiesa di s. Francesco, e suoi annessi, chiamandosi di essa permuta ben contenti, e soddisfatti, non solo in questo, ma in ogni altro miglior modo ec. E li detti sigg. Capalti, e Pucitta in nome, e vece della detta comunità di Civitavecchia hanno promesso, e si sono obbligati conforme promettono, e si obbligano di accrescere l' abitazione annessa alla chiesa di s. Antonio al borgo, e ridurla a segno di poter essere abitata da un proporzionato numero di religiosi, il tutto a spese della ridetta comunità altrimenti a tutti, e singoli danni, e spese della medesima, come anche hanno dichiarato, e nel nome suddetto dichiarano essersi accollata la detta comunità la somma di scudi diecimila di debito fruttifero gravante il convento di Civitavecchia a tenore della sopra inserta nota alla quale ec. ed inoltre li stessi signori Pucitta e Capalti, hanno promesso, e si sono obbligati, che la comunità di Civitavecchia pagherà, e sborserà la somma di scudi duemila da convenirsi con i pubblici rappresentanti di detta comunità, ed in correspettività di quanto sopra il reverendissimo padre generale dell' ordine dei Minori Conventuali di s. Francesco ha ceduto, venduto, ed alienato, conforme, cede, vende, ed aliena preso il vocabolo di alienazione in amplissimo significato a favore della comunità, e per essa li riferiti signori Pucitta e Capalti, la chiesa, e convento di s. Francesco, posto ed esistente in Civitavecchia con tutti, e singoli suoi annessi, e connessi, come anche organo, bussole, quadri, candelieri, paliotti degli altari, e tutt' altro, che serve ai medesimi così corrispondente alla consegna, che ad essa si farà nell' atto già enunciato ad avere, e godere quanto sopra da detta comunità, e suoi rappresentanti in ogni futuro tempo con la clausola del costituto, ed effetto del precario in forma in ogni altro miglior modo ec., e continuando monsig. illustrissimo, e reverendissimo Falzacappa l' autorità del nobile officio in nome, e vece della rev. cam. apostolica ha promesso, e si è obbligato, conforme promette, e si obbliga, che la rev. cam. apostolica continuerà a sborsare, e garantire per l' annua somma di scudi duecento cinquanta ai religiosi, che abiteranno il ven. convento di s. Antonio, come per lo passato ha somministrato in estinzione dei debiti oltre li detti scudi diecimila, e non altrimenti ec. qual permuta, cessione, e vendita ambe le parti nei respettivi nomi, e per le respettive permute, cessioni, ed alienazioni come sopra fatti hanno promesso, e promettono essere buone, vere, valide, non averle con altri permutate, cedute, ed alienate, nè aver fatto atto contrario al presente contratto, e non essere soggetti, ed ipotecati, ad altri pesi, che li sopra espressi, altrimenti vogliono essere tenuti, e promettono hinc inde rilevarsi per qualunque evizione generale, universale, e particolare, ed a tutti, e singoli danni, dei quali ec. e non altrimenti ec. quae omnia etc. super quibus etc. actum etc. — Dionysius archiepiscopus episcopus Viterbiensis et Tuscanensis.

Decreto

De ordine, et forma servanda in processionibus.

§. 51. Avvicinandosi la processione di s. Marco, e quelle delle Rogazioni si stabilisce

quanto siegue per il buon ordine delle medesime — La processione di s. Marco si adunerà, e partirà sempre e perpetuamente dalla chiesa matrice di santa Maria, ed alla medesima ritornerà dopo aver eseguito il giro, che rimane particolarmente descritto, ed assegnato in un decreto emanato a tale oggetto sotto il giorno presente, il quale vogliamo, che si attenda immancabilmente, tanto nella suddetta processione di s. Marco, quanto in quelle delle Rogazioni. Interverranno alla medesima tutte le confraternite, ogn'una secondo la sua anzianità, e posto, che a loro conviene. Interverranno egualmente tutti gli ordini regolari, e conserveranno il sistema, e la loro precedenza, cioè li primi saranno li pp. Cappuccini, li secondi li pp. Conventuali, i terzi i pp. Domenicani, innalzando ciascuno la loro croce a forma del sistema dei respettivi ordini regolari. In seguito sotto la croce della collegiata già eretta, e canonicamente installata succéderanno per ordine i chierici minoristi, i suddiaconi, diaconi, i sacerdoti semplici della città, a questi verrà consecutivamente il corpo dei parrochi con la consueta stola, insegna del ministero, cioè il parroco Cappuccino di s. Barbara, il parroco Conventuale, che tuttora ritiene il titolo della chiesa di s. Francesco, finchè non sarà eseguita la translazione del medesimo nella chiesa, e parrocchia di s. Antonio posseduta per ora dalla collegiata, e prevostura nella medesima eretta: il p. curato di s. Maria anderà nel mezzo di queste due; siccome parroco della matrice. Il prevosto camminerà con il corpo della collegiata secondo si pratica in Roma, e nella nostra città di Viterbo. Il medesimo essendo la principal dignità della collegiata dovrà chiudere l'ordine della processione indossando il pluviale del colore corrente assistito da due preti secolari con le respettive tonacelle. Nel ritorno della processione sarà dal prevosto cantata la messa della feria con l'assistenza del clero secolare, e della collegiata, dopo di che rimarrà sciolta la processione. Quest'ordine dei posti sarà scrupolosamente osservato anche nelle processioni delle rogazioni, per le quali si decreta quanto siegue. La prima processione delle medesime partirà sempre, e tornerà nella chiesa matrice di s. Maria, e dal p. curato Domenicano sarà cantata la messa della feria con la solita assistenza del clero secolare, e collegiata. La seconda partita dalla chiesa dei padri minori Conventuali, e fatto il giro prescritto tornerà alla suddetta, dove il parroco del detto ordine canterà la messa della feria con l'assistenza come sopra. La terza finalmente partirà da quella, che sarà chiesa collegiata, dove dopo fatto il prescritto giro per mantenere l'unione, e dimostrare sempre più all'inclito ordine Domenicano la nostra stima decretiamo, che la messa della feria debba cantarsi dal p. curato di s. Maria con l'assistenza del clero, e canonici in tutto, e per tutto come sopra. Quali cose tutte prescritte, e decretate saranno con ogni scrupolo osservate sotto le pene già stabilite dal sinodo contro li trasgressori, e sotto altre pene a nostro arbitrio. Dato in Civitavecchia dalla nostra residenza presso s. Francesco questo di 23. aprile 1804. — Dionisio arcivescovo, vescovo di Viterbo, e Toscanella — Domenico Gagliani pro-segretario.

Confirmatio apostolica praecedentis decreti.

§. 52. Ex audientia sanctissimi Romae die 4. martii 1804. — Sanctissimus benigne approbavit, et sancivit; nec non executionem mandavit mihi infrascripto praesentis decreti, quod in perpetuum constanter observari voluit. — Dionysius archiepiscopus episcopus Viterbiensis, et Tuscanensis. — La presente copia concorda perfettamente con il suo originale esistente negli atti della nostra cancelleria vescovile di Viterbo. — Dionisio arcivescovo, vescovo di Viterbo e Toscanella.

Capitula conventa pro recta administratione parochiae instructionis civilis, et ecclesiasticae.

§. 53. Articoli, che il reverendissimo padre Gaddi vicario generale dell'ordine dei Predicatori desidera, e vi presta il suo pieno consenso monsignor illustrissimo, e reverendissimo arcivescovo Connestabili vescovo di Viterbo e Toscanella, che siano inseriti nel breve, che di ordine di nostro Signore papa Pio VII, si deve pubblicare per la perpetua osservanza del nuovo piano ecclesiastico, e di pubblica istruzione già stabilito in Civitavecchia. — I. Oltre i privilegj propri dei regolari a tenore delle costituzioni pontificie, che devono restare nella loro integrità a favore dei padri Domenicani di s. Maria in Civitavecchia resta altresì nel suo pieno vigore il suo motu proprio della santa mem. ria di Pio VI. emanato li 29. agosto 1788. in favore del p. superiore generale dell'ordine pro tempore relativamente al diritto di nomina, e presentazione del religioso esercente la cura, ed a quanto in

esso moto proprio viene accordato. II. La chiesa di s. Maria come matrice suonerà per la prima le campane il sabato santo tutte quelle volte che non si trovasse monsignor vescovo stesso in Civitavecchia ad assistere, o fare in altra chiesa la funzione di quel giorno, nel qual caso dovrà aspettare la chiesa di s. Maria, che suoni la prima quella chiesa nella quale sarà presente monsignor vescovo. III. Fermi li decreti, ed editti già pubblicati, e che sono da due anni in osservanza relativamente alle processioni del Corpus Domini, rogazioni, e s. Marco saranno privativa nella chiesa di s. Maria tutte quelle altre processioni, che erano solite farsi dai padri di s. Maria, ed in tutte le medesime siano processioni dell' ordine oppure pubbliche, potranno liberamente passare per li territorj di qualunque altra parrocchia. IV. Tutte le feste dell' ordine Domenicano, e funzioni relative alle medesime non meno, che la festa di s. Fermina, triduo, e novena alle dette spettanti dovranno farsi privativamente nella chiesa matrice di s. Maria. V. In occasione della visita pastorale, fatti li primi atti nella chiesa del clero secolare monsignor vescovo visiterà per la prima la chiesa matrice di s. Maria in quello, che è di sua ispezione. VI. Come già si pratica da due anni sarà privativo jus della matrice di s. Maria il levare gli olj santi, da dove il vescovo li abbia consagrati, a distribuirli alle altre parrocchie di Civitavecchia, che dovranno mandarli a prendere dalla medesima. VII. Tutti li forastieri di qualunque condizione, che non abbiano con la dimora di quaranta giorni acquistato particolar domicilio spetteranno per l' amministrazione dei sacramenti, esequie, e sepoltura ecclesiastica alla chiesa matrice di s. Maria a tenore di quanto è stabilito nel sinodo diocesano.

Rescriptum Sanctissimi, quo praedicta capitula confirmantur.

§. 54. Ex audientia sanctissimi diei 3. augusti 1805. Sanctissimus infrascripta capitula approbavit, et respective confirmavit, nec non mandavit eorumdem insertionem in literis in forma brevis expediendis super perpetua observantia eorum omnium, quae ab episcopo Viterbiensi et Tuscanensi, ex delegatis ab eadem Sanctitate Sua facultatibus in civitate Centumcellarum decreta, et executa fuere, quoad parochiarum novam erectionem, aliaque divinum cultum, publicamque instructionem respicientia. E. De Gregorio secretarius.

Alia confirmatio in forma brevis.

§. 55. Ut autem acta, decreta, instrumentaque hic praeinserta subsistant, exactiusque observentur dilecti filii Clemens Pucitta, et Joseph Capalti Centumcellarum cives specialiter ad id deputati ea per Nos apostolica auctoritate Nostra approbari, et confirmari, quod et Nostrae quidem fuerat mentis, quumque desiderant; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, ac eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati; acta, decreta, instrumenta, caeteraque omnia, et singula, quae in rerum serie per memoratum episcopum sat egregie gestarum hic enarrata continentur auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, rataque, et valida habemus, ac declaramus, illisque inviolabile apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos, sive juris, sive facti defectus, si quos desuper quomodolibet intervenisse contigerit, plenarie sanamus, atque supplemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 56. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac iis, ad quos spectat, ac spectabit in posterum plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretrandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam auctoritate quavis scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 57. Non obstantibus fel. rec. Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, cancellariae Nostrae apostolicae regu-

lis de jure quaesito non tollendo, caeterisque etiam specifica, et expressa mentione, ac derogatione dignis, contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vi. augusti millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

Dat. die 6. aug. 1805. Anno VI.

CCCLXXVI.

Facultas beneficiatis ecclesiae collegiatae Setabitanae Valentinae dioecesis vacandi a choro in perpetuum per duos menses in anno, et distributiones percipiendi.

Venerabili fratri archiepiscopo Valentino.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii presbyteri beneficiati ecclesiae collegiatae Setabitanae Valentinae dioecesis, se grave chori pondus modico emolumento ferre in dicta ecclesia, ubi per singulos anni dies mane et vespere cunctis functionibus interesse adeo arcta obligatione tenentur, ut qui non intersunt, nec assignatas distributiones lucrantur, e quibus suorum laborum fructus omnis eruitur, sed quae vix tamen ad congruam uniuscujusque substentationem pertingunt. In eadem autem ecclesia et plures numerari canonicos, qui praeter distributiones tum praebenda, seu ut vocant primitiis, tum tribus in anno vacationis mensibus gaudent, et septem ac viginti recenseri beneficiatos, et his omnibus non paucos accedere officiales atque cantores ad ecclesiae, chorique servitia a capitulo deputatos, ita ut nullum pertimescendum sit divino cultui detrimentum, si ad aliquid quietis, otiique captandum dentur beneficiatis, ut et aliis dioecesis istius ecclesiis datum indultumque jam est, duo menses in anno, quibus tertia vel quarta ipsorum pars vacare ab ecclesia possit per turnum absque ulla distributionum jactura. Se Nobis idcirco humiliter supplicari fecisse, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes, eorumque singulos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus praenarratis, eisdem exponentibus licentiam, et facultatem, cujus vigore ipsi, ac successores etiam ipsorum in perpetuum, pro quarta eorum parte per turnum, ac pro duobus mensibus tantum in quolibet anno, non tamen diebus festis solemnioribus, incipiendo a primis vesperis, aliisque etiam, quos tuo judicio satius in Domino reservandos censueris, a memorata ecclesia, choroque abesse, ac interim omnes, et singulos suorum beneficiorum fructus, redditus, et proventus, etiam si in solis, ut praefertur, consistant distributionibus, iis tamen expresse exceptis, quas vulgo isthic vativas appellant, quaeque personalem praesentiam, et assistentiam absolute expostulant, lucrifacere, ac omni cum integritate, perinde ac si cunctis chori, ecclesiaeque servitiis personaliter adessent, percipere, suosque in usus, ac utilitatem convertere libere, et licite possint, et valeant, auctoritate Nostra apostolica pro tui arbitrio, et prudentia gratis impertiaris.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non collegiatae ecclesiae praedictae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris

ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die nona augusti millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

Dat. die 20. aug. 1805. Anno VI.

CCCLXXVII.

Facultas utendi rubone, et torque aureo in perpetuum pro confalonerio, et magistratibus Trejae Camerinensis dioecesis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Paterna Nostra sollicitudo erga Nostros, et Romanae apostolicae Sedis in temporalibus subditos Nos movet, ut eorum votis, quantum cum Domino possumus, benigne annuamus, eosque specialibus prosequamur gratiis. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii communitas, et homines oppidi in civitatem erecti de Treja Camerinensis dioecesis, Treja ipsa, antiquitatis laude, civium probitate, cleri decentia, ac in universum constanti in Romanos pontifices Sedemque praedictam fide, et devotione ita floruerit, et floreat, ut a Clemente pp. XII. praedecessore Nostro per suas in simili forma brevis die XIII. dec. MDCCXXXIX. expeditas literas congruentibus laudibus affecta reperiatur, a Pio autem VI. praedecessore itidem Nostro per apostolicas suas anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo nonagesimo, sexto nonas junii datas literas in primaevum civitatis gradum, et denominationem fuerit restituta, prioresque habeat prudentia, morumque integritate praeditos.

Tenor concessionis. §. 2. Nos, qui Trejam praedictam, ejusque communitatem, et homines praemissorum meritorum suorum intuitu propensiore quodam benevolentiae Nostrae complectimur affectu, priores hujusmodi aliquo beneficentiae Nostrae munere decorare volentes, atque eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, modernis, et pro tempore existentibus confalonerio, ut vestem sericam nigram oblongam vulgo rubone cum stola auro-serica, et torquem aureum, reliquis vero dictae communitatis prioribus eamdem vestem cum stola sine torque deferre, illisque in publicis actibus, et functionibus uti libere, et licite possint, et valeant auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque confalonerium, et priores desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac ipsius Trejae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Derogatio contrariorum.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima augusti millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

CCCLXXVIII.

Dat. die 20. aug. 1805. Anno VI.

Suspensio perpetua emissionis votorum, et juramenti pro fratribus ordinis congregationis Doctrinae Christianae.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Religiosa instituta, quibus tot veluti gemmis Ecclesia Christi, quae adstat regina varietate circumdata, mirifice fulget, Nos eo majori respicimus dilectionis affectu, quo magis studium Nostrum erga illa sollicite impensum in universam Domini vineam sedula illorum opera excultam impendisse petemus, ut apostolicis et suffulta praesidiis, et adaucta gratiis in Christi fidelibus suo ministerio juvandi ferventius incalescant. Prooemium.

§. 2. Expositum siquidem Nobis nuper est a dilecto filio Josepho Lissonio procuratore Expositio precum.

generali provinciarum Italiae clericorum saecularium congregationis Doctrinae Christianae, varias inter vicissitudines, quas post suam institutionem processu temporum subiit hujusmodi congregatio, illud postremo ei accidisse, ut Galliarum ejusdem congregationis provinciis per suos superiorem, ac procuratorem generales id potissimum postulantibus, earumque postulationibus, accedente etiam vicario generali provinciarum Italiae, quae Gallicanis jam unitae existebant, rec. mem. Pius pp. VI. praedec. noster per apostolicas suas in simili forma Brevis die decima quarta martii anni millesimi septingentesimi octogesimi tertii expeditas literas, re diu, attenteque perpensa, statuerit, eos, qui deinceps in congregationem praedictam adscriberentur, ab emittendis votis castitatis, paupertatis, et obedientiae, nec non voto, seu juramento perseverantiae, quae in actu professionis nuncupari jam consueverant prorsus exemptos fore; illos vero, qui in ea reperiebantur adscripti, votisque, ac juramento hujusmodi jam pridem emissis ligati, firmiter in iis permanere debere, et alias prout in praedictis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso haberi volumus, uberius continetur. Statim autem ac nova haec evulgata fuit apostolica dispositio, debito eam quidem suscipiente obsequio provinciae congregationis Italiae, sed pari quoque sollicitudine anxiae, ne quid detrimenti quum quae secutura essent, nondum recte perspici poterant, sibi inde obveniret, quasdam humiliter poposcerunt inducias, enixisque precibus, quibus haud leve addidit pondus tum superioris generalis, ejusque definitori lubens consensus, tum congregationis trium S. R. E. cardinalium specialiter ad id deputatae favorabilis consultatio, ab eodem praedecessore die vigesima quarta augusti anni millesimi septingentesimi octogesimi quinti benignum impetrarunt rescriptum, cujus vigore provinciae congregationis Italiae duodecim novitios ad votorum, ac juramenti praedictorum professionem, ut pridem possent admittere, ac interim omissio votorum, ac juramenti hujusmodi per decennium earum favore suspensa maneret: quin immo post quam primum illud decennium effluxisset, aliud die decima quarta augusti anni millesimi septingentesimi nonagesimi quinti, rescriptum obtinuere, quo idem praedecessor suspensionem eamdem ad alterum quoque decennium ipsis dignatus est ulterius prorogare.

Ratio concessionis.

§. 3. His porro, quae hactenus enarrata sunt subdit ipse generalis procurator viginti experientia annorum cognitum, compertumque esse tantae extitisse utilitatis votorum, ac juramenti omissionis memoratam suspensionem, ut si stat, vigetque adhuc sua in provinciis Italis congregatio, providentia quadam divina factum esse arbitretur, quod talis suspensionis firmo veluti fulcro feliciter ea stare, ac vigere potuerit. Quapropter quo magis magisque uberes fructus inde concrescant ad congregationis, ac Dei Ecclesiae emolumentum, idem procurator, nomine etiam, ac de mandato dilectorum filiorum definitorii suae congregationis Italiae, recensitam suspensionem cujus duratio prope jam est, ut expiret, per Nos perpetuari summopere cupit, cordeque, et animo humillime deprecatur, ac poscit.

Tenor concessionis.

§. 4. Nos igitur ipsum Josephum, ipsosque definitores specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, ac singulares ipsorum personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audita relatione super praemissis dilecti filii Dominici Giorgi congregationis ven. fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis episcoporum, et regularium praepositae pro-secretarii, supradictum praedecessoris indultum, quo duobus rescriptis ad duo subsequenter decennia dictorum votorum, juramentique omissio pro Italicis dictae congregationis provinciis suspensa fuit, auctoritate apostolica tenore praesentium ampliamus, atque perpetuamus, utque semper in posterum novitii eidem congregationi Italiae adscribendi post exactum tyrocinium tria vota castitatis paupertatis, et obedientiae, nec non votum, seu juramentum perseverantiae, uti ante apostolicas praedecessoris memoratas literas solemne erat apud omnes in congregatione universa, debeant expresse in actu professionis nuncupare, ac emittere, auctoritate,

et tenore praesentium declaramus, atque praecipimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, iisque ad quos spectat, et spectabit pro tempore in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus praememoratis praedecessoris literis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, necnon dictae congregationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum, quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus, pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 7. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et personae in dignitate ecclesiastica constitutae, vel procuratoris generalis dictae congregationis sigillo munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima septima augusti millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

CCCLXXIX.

Dat. die 27. aug. 1805. Anno VI.

Confirmatio decreti lati ab executore apostolico super exemptione monialium sancti Augustini de Monte Georgeo Firmanae dioecesis a jurisdictione parochi.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Memorantur veteres preces, et latum ad rem rescriptum.

§. 1. Dudum preces, quas dilectae in Christo filiae priorissa, et moniales collegii non claustralis s. Augustini de Monte Georgeo Firmanae dioecesis, ut a primaeva parochi jurisdictione eximerentur afferre Nobis humiliter fecerunt, benigne remisimus cum facultatibus opportunis arbitrio ordinarii, qui eas reapse a jurisdictione hujusmodi exemit modo, et forma, ut sequitur.

Tenor libelli porrecti a monialibus.

§. 2. Haec est copia publica sequentis tenoris videlicet « Foris » Alla Santità di Nostro Signore papa Pio Settimo » Per la priora, e monache di s. Agostino della terra di Monte Giorgio diocesi di Fermo » Intus vero « Beatissimo Padre » La priora, e monache del collegio non claustrale di s. Agostino della terra di Monte Giorgio diocesi di Fermo prostrate ai piedi della Santità Vostra, umilmente espongono trovarsi in qualche modo soggette alla chiesa prepositurale curata dei ss. Giovanni e Benedetto, di detta terra, il di cui rettore per introdotto costume fin dal loro nascente collegio eretto nell' anno 1737. con ordinaria facoltà, somministrava loro nel solo tempo pasquale, e nella sua chiesa prepositurale una volta l' anno la s. comunione, ed in caso di morte il santissimo viatico, e l' estrema unzione. È sembrato sempre gravoso alle oratrici questo peso, e per la lontananza, che corre dal collegio loro all' espressa chiesa, ch' è di passi quattrocento, e per la strada montuosa, che devono battere, cosicchè ne' tempi contrarii, che per lo più accadono in una tale occorrenza non una sola religiosa ne ha riportato dell' indisposizioni; e finalmente per la dissipazione dello spirito, che incontrano, dovendo transitare per mezzo del paese per portarsi all' espressa chiesa; nè in altra loro contigua parrocchia possono andare per l' introdotto costume; e perchè le parrocchie di essa terra non sono fissate per rioni, e quartieri ma per famiglie. Hanno le religiose oratrici la loro chiesa pubblica internata al loro collegio, come le altre religiose claustrali, con il santissimo Sagramento di continuo,

Digitized by Google

dove si comunicano tutto l' anno, ed hanno il loro confessore ordinario, che gli viene fissato da monsignore arcivescovo di Fermo, come agli altri monasterj. Per provvedere pertanto a questo gravame non meno, che allo spirito, e loro salute, bramerebbero sciogliersi affatto da qualunque obbligazione a quella chiesa, e suo rettore, e vorrebbero, che il solo loro confessore ordinario privativamente avesse ogni giurisdizione, e potestà di loro parroco sopra le oratrici ad instar degli altri monasteri claustrali. Questa è quella grazia, che le oratrici si umiliano ad implorare dalla clemenza della Santità Vostra definitivamente senza alcun contrasto del rettore dei ss. Giovanni e Benedetto, mentre non mancherebbero, maggiormente le medesime pregare perpetuamente il Signore per la conservazione, e piena felicità della Santità Vostra, che dalla grazia ec.

Die 24. januarii 1802.

Ex audientia sanctissimi.

Tenor rescripti.

§. 3. Sanctissimus, auditis relatione, et voto reverendissimi p. d. archiepiscopi Firmani ejus arbitrio, et prudentiae preces benigne remisit cum omnibus facultatibus necessariis, et opportunis, quibuscumque non obstantibus — A. Lucchini v. auditor.

Decretum executoriale latum ab archiepiscopo Firmano.

§. 4. Viso rescripto sanctissimi Domini Nostri PP. Pii VII. in retroscriptis precibus priorissae, et monialium s. Augustini in oppido Montis Georgei, animum nostrum digne moventibus, censuimus, utendum arbitrio, et facultatibus nobis a sanctissimo tributis: ac propterea enunciatum monasterium, ac moniales, nec non conversas, omnesque, quae in eo degunt tam praesentes, quam futurae ab omni jurisdictione parochiali juxta preces subtrahimus, atque a parochia sanctorum Joannis, et Benedicti dismembramus, illudque, et illas jurisdictioni confessarii pro tempore, qui a nobis mittitur, et deputatur, ad instar aliorum monasteriorum claustralium, plene subjicimus, ita tamen, ut quotannis, die festo s. Joannis unam libram cerae elaboratae rectori supradictae parochiae moniales ipsae praestare teneantur, et ita in vim arbitrii, et facultatum a sanctissimo tributarum, decernimus, et declaramus non solum etc. Sed et omni etc. Firmi ex archiepiscopio hac die 24 februarji 1802. — Andreas archiepisc. Firmanus — Loco sigilli — Gregorius Fares cancell. generalis. — Concordat haec praesens copia cum suo originali mihi etc. ad hunc effectum tradit. etc. ab illustriss. domino curato Joseph Rastelli, posteaque per me eidem restitut. etc. cum quo facta deinde diligenti collatione, in omnibus concordare inveni, salvo mihi semper etc. In quorum fidem etc. In Monte Georgeo hac die 8. maij 1805. Ita est Carolus Antonius Abelli notarius publicus rogatus — Loco sigilli. —

Novae preces porrectae pro confirmatione decreti lati ab archiepiscopo.

§. 5. Aliis subinde precibus nomine earumdem priorissae, et monialium pro decreti ab ordinario super praemissis editi confirmatione nobis porrectis pari benignitate rescripsimus tenori sequenti « Haec est copia publica sequentis tenoris, videlicet » Foris « Alla Santità di Nostro Signore papa Pio VII. » Per le entroscritte oratrici « Intus vero » Beatissimo Padre « La priora, e monache del collegio non claustrale di s. Agostino della terra di Montegiorgio diocesi di Fermo con tutto l' ossequio espongono di aver supplicato la Santità Vostra per essere liberate dalla servitù della soggezione alla chiesa prepositurale de' ss. Giovanni e Benedetto, di detta terra, ove l' oratrici erano obbligate di ricevere la s. comunione una volta l' anno, ed in caso di morte il santissimo Viatico, ed estrema unzione, e ciò in vista del grave incomodo per la lontananza di detta cura, e dissipazione di spirito, come più diffusamente si legge nella supplica, che si umilia. Prese dalla Santità Vostra le debite informazioni, e voto di monsignor arcivescovo auditis etc. e dopo ciò si degnò di rimettere l' istanza delle oratrici al medesimo monsignore arcivescovo colle facoltà opportune, e necessarie, come parimenti si vede a tergo della inserta supplica. Fattosi carico detto monsignore arcivescovo delle ragioni, e circostanze delle oratrici con suo decreto segnato li 24. febbrajo ha in vista delle facoltà concessegli dalla Santità Vostra, interamente aderito alla richiesta grazia col sottrarle dalla giurisdizione del parroco, e sottoporle a quella del confessore pro tempore ad instar dei monasteri claustrali, con che però in ogni anno si debba prestare al rettore dei ss. Giovanni e Benedetto un canone di una libbra di cera,

Digitized by Google

come meglio si legge nel detto decreto a tergo all' inserta supplica. Volendo ora le oratrici per maggior fermezza, e solidità della grazia ottenuta riportare dalla Santità Vostra una formale approvazione della medesima, ricorrono umilmente, perchè voglia degnarsi di confermare, o munire di detta approvazione il suddetto indulto ottenuto dall' arcivescovo in virtù delle concessegli facoltà, con speciale suo rescritto, che abbia forza, o di breve, o di chirografo segnato di mano della Santità Vostra; che ec.

Die 8. aprilis 1802.

Ex audientia sanctissimi.

Confirmatio decreti per rescriptum.

§. 6. Sanctissimus, attentis expositis, benigne annuit pro gratia petitae approbationis atque confirmationis introscripti decreti reverendissimi p. d. archiepiscopi Firmani juxta preces, contrariis quibuscumque non obstantibus. A. Lucchini v. auditor « Loco sigilli ». Exhibit. et registrat. in hac cancellaria archiepiscopali in libro approbationum sub pag. 137. etc. hac die ista aprilis 1802. Quam quidem supradictam copiam publicam ego notarius publicus infrascriptus ex suo proprio originali per alium mihi etc. fidum extrahere feci; factaque deinde per me etc. cum eodem diligenti collatione in omnibus concordare inveni, salvo mihi semper etc. In quorum fidem etc. In Monte Georgeo hac die 8. maij 1805. « Ita est Carolus Antonius Abelli notarius publicus rogatus » Loco sigilli ».

Nova magis solemnis confirmatio.

§. 7. Verum enim vero, ut nullo umquam tempore, nec quolibet sub praetextu, aut quaesito colore aliquod hac de re suboriatur jurgium, aut dubium, vel dubitandi etiam occasio, Nos supradictam priorissam, et moniales uberioribus gratiis prosequi volentes, ac singulares ipsarum personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, motu proprio, certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae auctoritatis plenitudine; praeinserta hic duo rescripta Nostra, ac decretum quoque ordinarii Firmani tenore praesentium approbamus, et confirmamus, et quatenus opus sit, recensitam a subjectione parochi exemptionem favore dictarum priorissae, et monialium praesentium, ac futurarum, omniumque cum ipsis in collegio degentium, de novo concedimus, atque statuimus, et exemptioni hujusmodi perpetuum, ac inviolabile apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac si quos sive facti, sive juris defectus in memorato ordinarii decreto quomodolibet intervenisse contigerit, plenarie sanamus atque supplemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 8. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et supradictis priorissae, et monialibus, earumque collegio plenissime suffragari, ac ab omnibus ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus apostolicis, ac universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, et quatenus opus sit, etiam cancellariae Nostrae regulis de jure quaesito non tollendo, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima septima augusti millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

CCCLXXX.

Dat. die 30. aug. 1805. Anno VI.

Confirmatio nonnullarum deliberationum capitularium susceptarum a definitorio fratrum ordinis sancti Francisci Reformatorum in Portugallia.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Memorantur literae Clementis XI.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Joseph a Maria sanctissima minister pro-

latae super divisione provinciae de Minho, et Beyrae nuncupatae.

vincialis, custos, aliique omnes fratres de corpore definitorii ordinis minoris s. Francisci Reformatorum nuncupatorum provinciae Conceptionis in Portugallia, quod cum eorum congregatio per apostolicas in simili forma brevis anno MDCCV. expeditas literas felicis recordationis Clementis pp. XI. praedecessoris Nostri ad gradum provinciae fuerit elevata, ac paucos post annos, pro bono pacis, ambituque arcendo territorium ejusdem provinciae in duas partes fuit distributum, unam scilicet de Beyra, alteram de Minho nuncupat. quarum prima provinciam Beyrae Transmontanae provinciae unitam comprehendit, secunda vero totam Minhii provinciam usque ad fluvium Tamágam continet, ac alias, prout in ejusdem Clementis praedecessoris anno MDCCXIX. desuper edita sanctione, qui etiam decrevit, et mandavit, ut in utraque dictae provinciae parte, seu territorio, perfecta alternativa, et omnimoda aequalitas inviolabiliter observaretur, non modo quoad novitiorum excipiendorum numerum, sed etiam quoad officiorum, ministeriorum, praelaturarum, et dignitatum provinciae hujusmodi distributionem.

Quomodo literae praedictae moderatae fuerunt a Clemente XII. declaratur.

§. 2. Quoniam vero septem transactis annis, experientia compertum fuit, aliquas ex dictis sanctionibus provinciae tranquillitati adversari, recolendae mem. Clemens pp. XII. praedec. itidem Noster anno MDCCXXXII., eas moderavit, firmo tamen in reliquis remanente antiquae divisionis decreto.

Resolutiones a definitorio latae super alternativa inter praedictas provincias in posterum servanda.

§. 3. Cum autem sicut in eadem expositione additum erat, nuperrimis hisce temporibus territorium praedictum Beyrae triplo sit extensius territorio Minhii, majoreque conventuum numero constet, ideoque fratrum numerus de territorio Minhii semper mancus, et incompletus remaneat, necesse est, ut ex praescripta alternativa, et omnimoda aequalitate hujusmodi pro utraque parte, tam quoad receptionem novitiorum, quam quoad distributionem officiorum, et dignitatum, multa incommoda necessario proveniant, pacem, et ordinem perturbantia. Ex fratribus namque Minhii, quippe qui pauciores numero inveniuntur, juniores aetate, et meritis ad officia, et dignitates sunt promovendi; contra vero ex fratribus Beyrae numero pluribus, licet antianitate, et meritis praecellant, multi expectare diu debent, ut eo perveniant, quo juniores alterius partis jamdiu pervenerunt. Quare ad haec, et alia incommoda in provinciali capitulo superiore habito in conventu s. Antonii civitatis Portugallensis die xxvIII. junii anni MDCCCIII. omnium vocalium consensu constitutum fuit, ut ad revocandum dictarum partium aequilibrium territorium Minhii ampliaretur, atque fluvii Tamaga limite praetergresso, ad fluvium usque Tuam se extenderet, qui quidem fluvius Tuam territoriorum deinceps divisorius esset: et quod novum territorium cum conventu sancti Francisci de Villa Real in ipso territorio fundatum dismembretur a territorio Beyra, Minhiique territorio in posterum uniatur: ita tamen, ut fratres, qui post peractam novam hanc ampliationem professionem emiserint regularem ex eodem territorio oriundi, pertinere debeant ad Minhii alternativam; qui autem ad id usque temporis fuerint professi, remaneant in alternativa Beyrae, ubi professionem emiserunt. Quoniam vero hae provincialis capituli deliberationes stare nequibant, idem capitulum ministro provinciali commisit, ut graviorum fratrum, et antiquiorum inscriptis desuper exceptis sententiis, et votis ad Nos, et hanc s. Sedem supplicem mitteret libellum, pro abrogatione divisionis praedictae territoriorum, et confirmatione dictarum capitularium resolutionum. Cum autem aliorum quoque fratrum in respectivis dictae provinciae conventibus existentium vota ad id jam accesserint, Nobis propterea dictus minister provincialis, custos, aliique de corpore definitorum praedicti humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmatio apostolica.

§. 4. Nos igitur, attentis narratis, ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, veterem territoriorum praedictorum divisionem praedictam in provincia hujusmodi Conceptionis auctoritate apostolica, tenore praesentium abrogamus, extinguimus, et delemus, ac deliberationes capitulares supra expressas confirmamus, et

adprobamus, illisque inviolabilis, ac perpetuae apostolicae firmitatis robur adjicimus, et omnes ac singulos juris, et facti defectus, qui desuper in eis quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus; easdem deliberationes, ut supra, in perpetuum servandas esse volumus, edicimus, atque mandamus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 5. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios; sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus in praemissis utriusque Clementis dictorum praedecessorum Nostrorum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et provinciae hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, seu quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice duntaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die trigesima augusti millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

CCCLXXXI.

Dat. die 9. sept. 1805. Anno VI.

Allocutio habita in consistorio secreto diei 9. septembris 1805. in propositione coadjutoriae ecclesiae Olomucensis pro regio principe Rudolpho archiduce Austriae.

Venerabiles fratres.

Dilectissimo in Christo filio Nostro Rudolpho archiduci Austriae, non solum consentiente, sed etiam ob ingravescentem aetatem id ipsum a Nobis magnopere postulante dilecto filio Nostro Antonio Theodoro presbytero S. R. E. cardinali de Colloredo archiepiscopo Olomucensi, jam antea concessimus, ut ejusdem archiepiscopi coadjutor, futurusque successor eligi posset. Eum in capituli comitiis, quae nuper habita sunt, summa omnium consensione, et concordia electum fuisse, cum magna animi nostri voluntate intelleximus; quod laeti nunciamus vobis, venerabiles fratres, ut qui participes estis curarum, et consiliorum Nostrorum, participes etiam sitis gaudii, et jucunditatis Nostrae. Luculentissima, quae de egregia ejus indole, praeclarisque virtutibus accepimus testimonia, Nos minime dubitare sinunt, quin regius princeps talis in episcopatu sit futurus, quales esse oportet rectores ecclesiarum. Haud plane episcopatus oneri sustinendo matura videbatur aetas, in qua nunc ipse versatur; sed Nos id minime obstare existimavimus, cum vivo adhuc, et incolumi Olomucensi antistite, cui successurus est, in dies confirmabit cum aetate animum, semperque assiduitate quotidiana, et consuetudine proficiet in gerenda pastorali cura, et solicitudine, tum quod exemplis edocemur amplissimis, virtutis esse, quam aetatis, cursum celeriorem. Quae causa fuit, propter quam praedecessores Nostri s. Carolum Borromaeum, aliosque complures in ipso flore adolescentiae episcopos creare non dubitarunt, reique exitus, ac vita ab iis sanctissimae acta in episcopatu cum magna rei christianae utilitate demonstravit, ab excellenti, eximiaque virtute progressum aetatis expectari non oportere. Nonne gravissimis, maximisque de causis sperare merito possumus, nostra hac aetate renovaturum vetera exempla Rudolphum, cum suas in episcopatu regias animi dotes coepe-

rit explicare? Jam nunc ipse Deo vocanti obsequens ecclesiasticum habitum suscepit, et aliquot ordinibus initiatus est, sacrisque studiis, ac pietati dat operam, seque informat, ad episcopalis vitae institutum, ut illud exequatur monitum, quo beatus Paulus Timotheum alloquebatur: *Nemo adolescentiam tuam contemnat, sed exemplum esto fidelium*. His et illa accedit ratio gravissima, propter quam de suscipiendo a regio principe archiepiscopatu Olomucensi vehementer Nobis laetandum est; quia nimirum in tanto principe, ac tanta ecclesiastica dignitate insignito catholica religio, et ecclesia firmissimum habebit praesidium. Ea de re praedecessores Nostri ecclesiasticas dignitates saepe in Germania conferendas putarunt in principes viros, qui et iis essent digni, et familiarum splendore, ac potentia praestarent, quamquam aetas impedimento esse videretur; quod praesertim in praeclarissima Austriaca familia saepius evenisse constat. Haec vobis libentissime significare voluimus, ut simul omnes laetemur tum propter expectationem fructuum excellentium virtutum, tum propter decus, et emolumentum, quod ex ea re accipiet amplissima Olomucensis ecclesia, tum ob magnam, quae inde in rem catholicam redundabit utilitatem, et incrementum. In id ipse pares praeclarae voluntati opes, et auctoritatem conferet, summoque studio curabit, ut maxima Austriacae familiae, et augustissimi fratris dignitas, atque potentia in catholicae religionis bonum convertatur. Habet domesticum exemplum, ut caetera, quae multa sunt, omittamus, insigne, et excellens in cardinale Andrea ab Austria, qui cum omni virtutum genere floreret, ecclesias Constantiensem, ac Brixinensem summa pietatis laude, studioque religionis gubernavit, suaque cura, ac vigilantia fecit, ut populus sibi creditus nullo inficeretur errore; quin etiam plures, qui in eum imprudenter inciderant, tum consiliis, tum pietate, sanctissimaeque vitae testimonio ad veritatis lucem revocavit. Egregii mores, et indoles, et virtus, et religio Austriaci principis Rudolphi Nos in spem certam adducunt fore, ut haec illius memoriae laus nostro hoc tempore in eo renovetur, neque dubitamus, quin ipse, cum gravissimo successerit episcopatus oneri, omnes sit daturus operam, ut Dei gloria provehamur, curaturusque diligenter salutem animarum, quarum Deo reddenda ratio est. Propterea singulari in illum paterna charitate incensi, ac sanctae hujus Sedis beneficiis eumdem ultro prosequentes, jam quod nunc ad rem pertinent. . . . .

Sequitur proposito ecclesiae Olomucensis in forma consueta.

CCCLXXXII.

Dat. die 12. sept. 1805. Anno VI.

Concessio missae, et officii ritus semiduplicis sancti Josephi pro dioecesi Cusana.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Cum sicut dilecti filii clerus, et populus civitatis, et dioecesis Cusanae Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quo in s. Josephum beatae Mariae virginis sponsum afficiuntur devotionis affectu, ejusdem cultum, et venerationem in dies augeri summopere desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, referente dilecto filio magistro Julio de Carpineo sacrorum Rituum congregationis secretario, ut in posterum quotannis die decimonono uniuscujusque mensis non impedito tamen officio novem lectionum ab utroque clero ejusdem civitatis, et dioecesis recitari possit ritu semiduplici officium cum missa in honorem ejusdem sancti Josephi, ut in die proprio ejus festi, exceptis tamen temporibus adventus, quadragesimae, quatuor temporum, et vigiliarum sive cum jejunio, sive absque jejunio, feria secunda rogationum, ac iis feriis, in quibus ex rubricarum dispositione sit reponendum officium de dominica, sive de festo translato, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae civitatis, et dioecesis consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima tertia septembris millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

Dat. die 17. sept. 1805. Anno VI.

CCCLXXXIII.

Concessio alienandi nonnulla bona pro dimittendo aere alieno, quo gravatur monasterium de Monte Sancto urbis pro fratribus ordinis B. M. V. de Monte Carmelo.

Dilecto filio Nostro Romualdo S. R. E. diacono card. Braschi de Honestis nuncupato ordinis fratrum B. M. V. de Monte Carmelo protectori.

Pius PP. VII.

Dilecte fili Noster salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Nuper exponi fecit dilectus frater Joannes Baptista Comandini ordinis fratrum Calceatorum beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo vicarius generalis, quod conventus ejusdem sui ordinis dictus de Monte Sancto, et in Nostra alma urbe erectus, aere alieno primum in magnifica ejus aedificatione contracto, postmodum in nupera publicarum rerum perturbatione enormiter aucto, non premitur modo, sed prope etiam obruitur. Magno huic debito facta insuper est major accessio recentiores ob sumptus, qui necessario debuerunt impendi tum pro reparatione domorum, quas conventus, ejusque ecclesia habent locandas, tum ut claustralis habitationis pars ad incrementum redditaum posset et ipsa locari. In tanto autem conventus adeo obaerati discrimine multa sunt consilia inita, multaque simul remedia adhibita; eo sane vel usque, ut annui redditus destinati omnes fuerint alieno aeri luendo, et religiosa familia aretarit se se ad eleemosynas tantum, quibus una simul et communem vitam aleret, et quotidianis ecclesiae expensis suppleret. Sed omnia incassum. Creditores namque minantur et urgent, ita ut opus sit tandem conventus bona, fortunas, aedesque ipsas eis deserere, maximo cum dedecore ordinis, ac detrimento fidelium, qui ob peculiarem erga beatissimam virginem, quae in ea ecclesia colitur, devotionem illuc quotidie confluunt. Nihilo tamen minus spe aliqua exponens erigitur praepediri posse conventus excidium, si 1. parvo alio ordinis ejusdem conventu Porchiae in dioecesi Montis Alti existente ea divellatur, alieneturque portio fundorum, quae satis sit ad coenobii urbani praedicti retroactam debitorum summam aequandam, basesque etiam ejus taliter statuendas, ut firmum deinceps securumque consistat. 2. Si in fundis conventus Porchensis discrepandis, venundandisque cuicumque derogetur caducitatis vinculo ac juri, quod fundis ipsis in casu alienationis et venditionis impositum, atque inhaerens adinveniri potuerit. Hinc Nobis exponens supplicari humiliter fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur perpetuae coenobii hujusmodi conservationi consulere, ipsumque exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati: circumspectioni tuae, fili Noster, fundos memorati conventus Porchiensis quacumque in re consistentes, et quomodolibet ad eum spectantes, constito tamen tibi prius de narratis, ac dummodo re juxta da-

tam tibi a Deo sapientiam mature perspecta id satius in Domino expedire censueris, auctoritate Nostra apostolica plus de eis, aut minus pro tui prudenti arbitrio alienandi, et vendendi, ac beneficio coenobii urbani de Monte Sancto adjudicandi, et assignandi, seu alienari et vendi, ac adjudicari, et assignari, ut praefertur, faciendi, nec non omnes et singulas caducitatis conditiones, obligationes, et leges, etiam auctoritate apostolica confirmatas, si quibus iidem fundi quomodolibet obnoxii extiterint, penitus dissolvendi, illisque specialiter, ac expresse derogandi, plenam et amplam facultatem eadem auctoritate tenore praesentium tribuimus, atque impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes has Nostras literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, iisque ad quos spectat, seu spectare poterit plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis, per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, regulaque cancellariae Nostrae de jure quaesito non tollendo, nec non ordinis, et conventus praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima septima septembris millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

CCCLXXXIV.

Dat. die 20. sept. 1805. Anno VI.

Confirmatio decreti sacrae congregationis Episcoporum et Regularium editi pro concessione processionis Corporis Christi pro monialibus immaculatae Conceptionis Villae de Liria dioecesis Valentinae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae superiorissa, et puellae congregationis virginum sub titulo immaculatae Conceptionis beatae Mariae virginis intra fines erectae conventus fratrum ordinis Minorum sancti Francisci excalceatorum strictioris observantiae nuncupatorum loci, seu villae de Liria Valentinae dioecesis, quod dudum supplici earum libello super facultate solemnem processionem instituendi in secunda septembris dominica, et quotannis peragendi per easdem vias, per quas communitas religiosa dicti ordinis ex apostolico indulto processionaliter incedit in festo Corporis Christi, sine ulla dependentia a clero saeculari dictae villae rescriptum fuit, ut sequitur.

Ex audientia Sanctissimi habita ab infrascripto domino secretario sacrae congregationis Episcoporum, et Regularium, sub die decima junii millesimi octingentesimi tertii.

Tenor rescripti lati a sacra congregatione Episcoporum et Regularium.

§. 2. Sanctitas sua benigne annuit, et propterea mandavit committi archiepiscopo Valentino, ut circa congregationis oratricis preces, pro suo arbitrio, et conscentia provideat prout in Domino censuerit expedire, cum omnibus facultatibus necessariis, et opportunis — Romae — F. card. Caraffa secretarius.

Confirmatio rescripti.

§. 3. Cum autem, sicut in eadem expositione additum erat, venerabilis frater archiepiscopus Valentinus dictis facultatibus usus, processionem hujusmodi modo praedicto, ac sine dependentia a clero saeculari ad formam precum faciendam esse censuerit, et concesserit, ipsae exponentes, quo rescriptum praedictum, ejusque demandata executio firmius subsistant, ac etiam in posterum serventur exactius, apostolicae Nostrae confirmationis subsidio muniri summopere desiderent. Nos ipsas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et earum singulares

Digitized by Google

personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, rescriptum praedictum, ejusque demandatam executionem, ac omnia, et singula in eis contenta, et expressa auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus, et adprobamus, illisque inviolabilis, ac perpetuae firmitatis robur adjicimus, et omnes, ac singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in eis quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes, ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, dictae villae, et cleri etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis, quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima septembris millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

CCCLXXXV.

Dat. die 22. sept. 1805. Anno VI.

Erectio sedis episcopalis Lublinensis.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Venerabili fratri Cajetano Ignatio de Kicki archiepiscopo Leopoliensi salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Quemadmodum Romanorum pontificum erga inclytos Ecclesiae filios, qui sub diadematis honore, ceu pretiosae lampades oleo fidei jugiter plenae in ea luxerunt, ea semper extitit sollicitudo, ut quo ipsi praestantius de christiana republica se benemeritos obtulerint, majorique animi contentione sacrorum ministrorum, divinique cultus assertores huic apostolicae Sedi, cunctoque terrarum orbi apparuerint, eo sanctius eosdem gratiis, et favoribus studuerint cumulare, ita et Nos praedecessorum Nostrorum vestigia sequentes regiis ipsis personis, quae de eximia earum pietate, animique zelo in promovenda in suis ditionibus animarum cura, aliisque pro earum spirituali bono salubriter ordinandis praeclara Nobis, et eidem Sedi apostolicae specimina praebuerunt a Deo faveri conamur, utque ab ipsis ad hunc effectum optimo sapientique consilio disposita sunt protinus executioni demandare non haesitemus.

Expositio precum porrectarum a rege Bohemiae, imperatore Romano.

§. 2. Quapropter cum sicut dilectus filius comes de Kevenhüller charissimi in Christo filii Nostri Francisci hoc nomine secundi Romanorum regis in imperatorem electi, ac Bohemiae, et Hungariae etiam regis apostolici apud Nos, et Sedem apostolicam praedictam administer plenipotentiarius ejusdem Francisci imperatoris, et regis nomine Nobis exposuit post repetitam bis Poloniae regni divisionem sub dominio pariter Austriaco, partim Russico, et partim Borussico tanta illarum dioecesum, et jurisdictionum inordinatio, negotiorum quoque tam spiritualium, quam temporalium difficultas intercesserit, ut inde ad hujusmodi incommoda penitus arcenda territoria, quoad jurisdictionem episcopalem or-

Digitized by Google

gens aliter ordinandi necessitas oriatur, praetereaque praedictus comes de Kevenkiiller nomine praedicto Nobis humiliter supplicaverit, ut pro bono spirituali illorum populorum augendo et animarum cura uberiori fructu promovendam sedem episcopalem Chelmensem una cum illius capitulo ex oppido Crasnostaviae ad civitatem Lublinii nunciatam, utpote sua celebritate satis conspicuam, incolisque refertam, ac plurimis aedificiis ornatam transferre, ibique residentiam venerabilis fratris Nostri Adalberti Skarzewski moderni episcopi Chelmensis ad id ultro consentientis, qui in posterum vigore infrascriptae translationis de sui persona, ut infra, faciens episcopus Lublinensis nuncupabitur designare, ac tandem novae hujus episcopatus erigendi dioecesi nonnullas infrascriptas parochiales ecclesias, ad ripam dexteram fluvii Vistulae positas ordinariae Cuceoriensis et Posnaniensis et Plocensis respective episcoporum jurisdictioni in spiritualibus obnoxias, sub temporali tamen dominio Austriaco existentes et ab eo respective dependentes perpetuo unire, et incorporare, sicque novis terminis episcopatum Lublinensem Noviter erigendum praefinire dignaremur. Cumque ex processu a dilecto etiam filio Nostro, et Sedis apostolicae praedictae nuncio Viennae Austriae commorante desuper confecto, et ad urbem transmisso de hujusmodi translationis utilitate Nobis plane constiterit, perspectumque habuerimus, quod si praedicta cathedrali ecclesia Chelmensi per Nos ut infra perpetuo suppressa et extincta, praedicta Lublinii civitas, quae ut etiam accepimus in Galicia Occidentali provincia haereditaria augustissimae domus Austriacae sita reperitur, in civitatem episcopalem, nec non ecclesia sancti Joannis Baptistae, et sancti Joannis Evangelistae inibi existens olim ad clericos regulares suppressae Societatis Jesu spectans, et pertinens in cathedralem ecclesiam etiam ut infra erigeretur, nec non sedes episcopalis cathedralis ecclesiae Chelmensis, ut infra supprimendae et extinguendae, una cum praedicto moderno illius episcopo et capitulo ad praedictam s. Joannis Baptistae et s. Joannis evangelistae ecclesiam in cathedralem ecclesiam ut infra erigendam perpetuo quoque ut infra transferretur, nec non a Cuceoriensi et Posnaniensi et Plocensi respective dioecesibus et ab ordinaria illarum respective episcoporum jurisdictione infrascripti decanatus, et in eis existentes infrascriptae respective parochiales ecclesiae ad ripam dexteram praedicti fluvii Vistulae positae itidem perpetuo ut infra dismembrarentur, dividerentur, et separarentur; ipsique decanatus, eaedemque parochiales ecclesiae sic dismembrati, divisi, et separati, ac dismembratae, divisae, et separatae novae cathedrali ecclesiae Lublinensi, ut infra, erigendae hujusmodi, illiusque praesuli pro suis civitate et dioecesi similiter perpetuo ut infra assignarentur, et respective supponerentur, et subjicerentur, aliaque infrascripta per Nos, et Sedem apostolicam praedictam etiam ut infra fierent, et ordinarentur, ex hoc profecto animarum cura sic provide ordinata expeditiori illarum regimini et gubernio, simulque populorum in Galicia praedicta existentium spirituali bono, plurimum prospiceretur.

§. 3. Nos igitur, his omnibus mature perpensis, tam pia ac laudabilia ipsius Francisci imperatoris, et regis vota apostolicae Sedis favore prosequi, illisque in praemissis benigne annuere volentes, motu proprio et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, quatenus praedictam cathedralem ecclesiam Chelmensem, et in ea titulum, nomen, denominationem, naturam et essentiam cathedralitatis, nec non dignitatem episcopalem illiusque capitulum praedictum apostolica tibi ad id specialiter et expresse delegata auctoritate perpetuo supprimas et extinguas. *Mandatum episcopo datum pro suppressione dioecesis Chelmensis.*

§. 4. Nec non praedictam Lublinii civitatem, in civitatem episcopalem Lublinensem cum omnibus juribus honoribus, privilegiis, quibus aliae in regnis Galiciae praedictae existentes civitates episcopali sede insignitae, et earum cives utuntur et gaudent; sicque pariter praedictam sancti Joannis Baptistae et sancti Joannis Evangelistae ecclesiam, in cathedralem ecclesiam sub eadem sancti Joannis Baptistae, et sancti Joannis Evangelistae invocatione nuncupandam tibi, ut praefertur moderno, et pro tempore existenti archiepiscopo Leopoliensi, suffraganeam, tibique et pro tempore existenti archiepiscopo Leopoliensi praedicto metropolitico jure subjectam extituram, et in ea sedem et dignitatem episcopalem pro uno deinceps episcopo Lublinen- *Erectio ecclesiae cathedralis Lublinensis*

Digitized by Google

si nuncupando, qui eidem ecclesiae, ejusque civitati, et dioecesi ut infra constituendae praesit, synodum convocet, ac omnia et singula jura, officia, et munera episcopalia habeat et exerceat, cum suis capitulo mensa episcopali, caeterisque cathedralibus et pontificalibus insigniis, juribus, jurisdictionibus, et privilegiis, jam episcopatui Chelmensi, ut praefertur, supprimendi, et extinguendi competentibus, et quibus aliae cathedrales ecclesiae in Galicia praedicta existentes, earum praesules (non tamen titulo oneroso aut privilegio particulari) utuntur, et gaudent, eadem apostolica tibi ut praefertur delegata auctoritate ad dei omnipotentis gloriam et utriusque sancti Joannis honorem, nec non fidei catholicae exaltationem etiam perpetuo erigas atque instituas.

Translatio sedis Chelmensis ad cathedralem Lublinensem.

§. 5. Ac respective ad cathedralem ecclesiam Lublinensem per te, ut praefertur, erigendam sedem episcopalem cathedralis ecclesiae Chelmensis, per te etiam, ut praefertur, supprimendam, et extinguendam, illiusque capitulum, quod uno praeposito, qui praeposituram post pontificalem majorem, ac uno decano qui unum decanatum secundam, ac uno syndaco qui syndacatum tertiam inibi respective dignitates pariter extituras, aliisque quatuor canonicis, qui quatuor canonicatus, totidemque praebendas obtinebunt praeter nonnullos beneficiatos, qui tot perpetua simplicia, personalem tamen residentiam requirentia beneficia ecclesiastica similiter obtinebunt, aliosque inibi inservientes constabit. Ita tamen ut praepositus praedictus iis omnibus praeeminentiis sibi de jure competentibus gaudere, et tam ipse, quam decanus, et syndacus praedicti, et eorum quilibet summam millium et ducentorum florenorum Rhenensium; quilibet autem ex dictis quatuor canonicis summam millium florenorum hujusmodi percipere respective debeant, idemque praepositus, ac decanus, ac syndacus, et canonici praedicti una cum beneficiatis, aliisque inservientibus praedictis eidem cathedrali ecclesiae Lublinensi per te, ut praefertur, erigendae laudabiliter deservire, ibique horas canonicas diurnas, et nocturnas, caeteraque divina officia solita, et consueta cum debita mentis attentione, servataque ecclesiastica disciplina recitare, decantare, et psallere, caeterasque ecclesiasticas functiones persolvere teneantur, eadem apostolica tibi, ut praefertur, delegata auctoritate itidem perpetuo transferas, ibidemque respective constituas.

Descriptio ecclesiarum subjectarum novae dioecesi.

§. 6. Praeterea, ut praedictae ecclesiae Lublinensi, per te, ut praefertur, erigendae clerus, et populus constitui valeat a Luceoriensi scilicet unum Janovicensem, et in eo respective consistentes, unam videlicet Janow, et aliam Pratulin, et aliam Biala, et aliam Małowagora, et aliam Koderi, et aliam Huszcza, et aliam Piszczac, et aliam Horbow, et aliam Burdzitowka, et reliquam respective parochiales ecclesias Cesna respective nunciatas. Ac alium Maderecensem, et in eo pariter respective consistentes, unam Astrowski, et aliam Wiszinice, et aliam Sławatcze, et aliam Włodawa, et aliam Opole, et aliam Komorowka, et reliquam respective etiam parochiales ecclesias Wobin respective nunciatos; ac alium Cosicensem, et in eo similiter consistentes: unam Krzychowek, ac aliam Paprothna, ac aliam Cosice, ac aliam Hadynow, ac aliam Skrzeszew, ac aliam Przesmyki, ac aliam Mordy, ac aliam Wyrozemby, ac aliam Ruškow, ac aliam Sarnaki, ac aliam Gorki, ac aliam Huszlew, ac reliquam respective quoque parochiales ecclesias Niemoyki respective nunciatas. Et reliquum respective decanatus Waegroviensem respective nunciatos, et in eo pariter respective consistentes unam Kostow, et aliam Cyranow, et aliam Wegrow, et aliam Rosbity Kamieri, ac aliam Czerwonka, ac aliam Wiszkow, et aliam Mokobody, ac aliam Kozuchowek, ac aliam Suchozebry, ac aliam Sokołow, ac aliam Nieczecz, ac aliam Miedzna, ac aliam Skibniew, ac aliam Sterdynia, ac aliam Zebrow, ac aliam Prostynia, et reliquam respective etiam parochiales ecclesias Jabłonna respective nunciatas. Nec non a Posnaniensi unum Garrulinensem, et in eo etiam respective consistentes alias infrascriptas, videlicet unam Garwolin, ac aliam Jarnowek, ac aliam Wilga, ac aliam Gozlin, ac aliam Warzawice, ac aliam Ostrowek, ac aliam Karczev, ac aliam Wiaczowna, ac aliam Btuga, ac aliam Pliniańka, ac aliam Sienna, ac aliam Rotviel, ac reliquam respective parochiales ecclesias Osiek respective nunciatas. Et alium Catovicensem, et in eo pariter consistentes alias infrascriptas videlicet unam Borowie, ac aliam Jeruzal, ac aliam Kiezki, ac aliam Kuslew, ac aliam Ca-

towicz, ac aliam Miastkow, et aliam Servezyn ac aliam Stoczek, ac aliam Wodinie, ac aliam Zoeliszew, ac aliam Zwola, et reliquam respective quoque parochiales ecclesias Parissow respective nunciatas. Et reliquum respective decanatus Civensem respective nunciatos, et in eo similiter consistentes alias infrascriptas, unam scilicet Cegtow, ac aliam Czrwonka, ac aliam Graemkow, ac aliam Jakubow, ac aliam Katuszyn, ac aliam Kopcie, ac aliam Ciw, ac aliam Mirisko, ac aliam Niviska, ac aliam Olexin, ac aliam Wierzbno, et reliquam respective parochiales ecclesias Wiszniew respective nunciatas.

Idem ut supra. §. 7. Ac tandem a Plocensi respective dioecesibus praedictis alios infrascriptos; unum nempe Camenecensem, et in eo pariter consistentes alias infrascriptas, videlicet unam Jadowo, et aliam Kamienczyk, ac aliam Korytnita, ac aliam Niegowo, ac aliam Podstoliska, ac aliam Sadowne, ac aliam Stoczek, ac aliam Sulejow, et reliquam respective parochiales ecclesias Kamionvlas rerpective etiam nunciatas.

Idem ut supra. §. 8. Ac alium Stanistavoviensem, et in eo itidem consistentes alias infrascriptas, unam videlicet Cygowo, ac aliam Dobre, ac aliam Klembowo, ac aliam Kobytka, ac aliam Pastelnik, ac aliam Priciewnik, ac aliam Okuniewo, et reliquam respective parochiales ecclesias Slanistawow respective nunciatas. Nec non reliquum respective decanatus Radziminensem respective nunciatos, et in eo quoque respective etiam consistentes alias infrascriptas; unam videlicet Babroicka, et alteram respective parochiales ecclesias Radzyncin nunciatas eadem apostolica tibi, ut praefertur, delegata auctoritate similiter perpetuo respective dismembres, dividas, et separes. Eosdemque decanatus, et singulas parochiales ecclesias superius expressas, omnesque etiam, et singulas tum in decanatibus, tum in parochialibus ecclesiis praedictis pariter existentes, et existentia ecclesias, monasteria, praeposituras, conventus, et alia quaecumque, et singula beneficia ecclesiastica saecularia, et quorumvis ordinum regularia, omniumque pariter, et singularum a praedictis dioecesibus, ut praefertur, dismembrandis, dividendis, et separandis utriusque sexus personas, habitatores, et incolas tam laicos, quam clericos, presbyteros, beneficiatos, religiosos (non tamen exemptos) cujuscumque status, gradus, et ordinis existant ab ordinaria modernorum, et pro tempore respective existentium Cuceoriensium, et Posnaniensium, et Plocensium respective episcoporum jurisdictione, superioritate, et auctoritate, accedentibus tamen consensibus ab eisdem modernis Cuceoriensi, et Posnaniensi, et Plocensi respective episcopis, per te in forma valida, et authentica respective reportandis, auditisque per te aliis ad id interesse habentibus dicta apostolica tibi, ut praefertur, delegata auctoritate perpetuo quoque dismembres, et respective disjungas, et eximas.

§. 9. Et respective praedictam civitatem Lublinensem, nec non praedictos decanatus, singulasque parochiales ecclesias praedictas in dextera fluminis Vistulae ripa, ut praefertur, positas, et in eis respective existentes, et existentia ecclesias, monasteria, praepositoras, conventus, et alia saecularia, et regularia beneficia hujusmodi, omnesque pariter, et singulas personas, habitatores, et incolas, sic, ut praefertur, dismembratos, divisos, et separatos novae cathedrali ecclesiae Lublinensi per te, ut praefertur, erigendae, ejusque praesuli pro suis civitate, et dioecesi, in qua ipse semper residere debebit, ac clero, et populo apostolica tibi, ut praefertur, delegata auctoritate praedicta concedas, et assignes, ac ordinariae futuri, et pro tempore existentis episcopi Lublinensis jurisdictioni, superioritati, et auctoritati perpetuo quoque supponas, et subjicias. Mensae autem episcopali praedictae ecclesiae Lublinensis per te, ut praefertur, erigendae pro illius dote, et ad hoc ut futurus, et pro tempore existens episcopus Lublinensis praesulis dignitatem decenter tueri valeat, annuam summam duodecim millium florenorum Rhenensium hujusmodi ab eodem Francisco imperatore, et rege perpetuis futuris temporibus ab omni onere liberam, immunem, et exemptam pro ipsius futuri, et pro tempore existentis episcopi Lublinensis usibus assignatam, ita ut idem Franciscus imperator, et rex expensis pro expeditionibus ejusdem aliunde prospexerit, eadem apostolica tibi, ut praefertur, delegata auctoritate itidem perpetuo approbes, et respective constituas, et assignes. — Subjectio praedictorum locorum, et ecclesiarum jurisdictioni novi episcopi.

§. 10. Ipsique futuro, et pro tempore existenti episcopo Lublinensi pro sui decenti ha- — Assignatio domus ab episcopo inhabitandae.

bitatione partem collegii olim ad praedictam suppressam Societatem Jesu spectantis, quae ad hunc effectum commode aptatur simili apostolica auctoritate tibi, ut praefertur, delegata perpetuo quoque adscribas, atque concedas. Nos enim postquam praemissa omnia per te rite fuerint expleta eisdem futuris, et pro tempore existentibus capitulo, et canonicis dictae cathedralis Lublinensis ecclesiae per te, ut praefertur, erigendae, ut ipsi, eorumque officiales, et ministri res, bona, et proprietates omnibus, et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praeeminentiis, praerogativis, antelationibus, concessionibus, indultis, favoribus, et gratiis tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus aliae cathedrales ecclesiae in regno Galiciae existentes, earumque capitula, canonici, et dignitates in eis obtinentes, ac officiales, et ministri bona, res, et proprietates hujusmodi de jure, usu, consuetudine, vel privilegio (non tamen ex indulto, vel privilegio particulari) utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent ac etiam uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum similiter, et pariformiter, et absque ulla prorsus differentia in omnibus, et per omnia, ac si illa eis principaliter, et in specie concessa essent, dummodo tamen sint in usu, et non revocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa, sacrisque canonibus, et concilii Tridentini decretis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis non repugnent, uti, frui, potiri, et gaudere libere, et licite possint, et valeant apostolica auctoritate concedimus, et indulgemus.

Concessio juris condendi statuta favore capituli.

§. 11. Ac futuris pariter praeposito decano, et syndaco, aliisque canonicis praedictis dictae cathedralis ecclesiae Lublinensis per te, ut praefertur, erigendae, ut ipsi capitulariter congregati pro ejusdem cathedralis ecclesiae Lublinensis, illiusque praepositi decani, et syndaci, et aliorum canonicorum, nec non beneficiatorum, aliorumque inserventium praedictorum mensae capitularis sacrarii, illorumque omnium rerum, et bonorum tam spiritualium quam temporalium prospero, ac felici regimine, guberuio, et directione, onerumque eis respective incumbentium supportatione, divinorum officiorum, processionum, funeralium, anniversariorum, et aliorum suffragiorum celebratione, ac distributionum quotidianarum, et aliorum emolumentorum quorumcumque exactione, perceptione, repartitione, divisione, poenarum per absentes, et divinis officiis hujusmodi non interessentes, seu onera, et munera his, et eorum cuilibet incumbentia subire negligentes incurrendarum incursu, singulorum praesentiis, et absentiis notandis, caeremoniis, et ritibus in dicta cathedrali ecclesia Lublinensi per te, ut praefertur, noviter erigendae, illiusque choro, capitulo, processionibus, et aliis actibus hujusmodi servandis, officialibus, et ministris in dicta cathedrali ecclesia Lublinensi sic erigenda necessariis deputandis, et amovendis; servitiis et ministeriis per ipsos obeundis, ac eis salariis, et stipendiis praestandis, et quibusvis aliis rebus in praemissis, et circa ea quomodolibet necessariis, et opportunis, quaecumque statuta, ordinationes, capitula, et decreta, licita tamen, et honesta, ac sacris canonibus, et decretis concilii Tridentini hujusmodi, ac praedictis constitutionibus apostolicis minime contraria per futurum episcopum Lublinensem prius examinanda, et approbanda edere, et edita praevia approbatione ejusdem episcopi Lublinensis declarari, et interpretari, et ad meliorem formam redigere, reformare, ac aliam pro rerum, et temporum conditione, et qualitate, vel alias expediens videbitur de novo, ex integro, ac ut praefertur, ejusdem sacris canonibus, ac decretis concilii Tridentini hujusmodi, et constitutionibus apostolicis praedictis minime adversantia, et, ut praefertur, examinanda, et approbanda, et ab eis ad quos pro tempore spectabit sub poenis in contravenientes statuendis observanda, et adimplenda condere etiam libere, et licite possint, et valeant licentiam, et facultatem apostolica auctoritate praedicta tenore praesentium concedimus, atque impertimur.

Jus patronatus reservatur imperatori, ejusque successoribus in infinitum.

§. 12. Et insuper praedicto Francisco imperatori, ac regi, ejusque in regimine successoribus jus nominandi, seu praesentandi infra tempus, a jure praefixum Nobis, ac Romano pontifice pro tempore existenti personam idoneam ad praedictam cathedralem ecclesiam Lublinensem, ut praefertur, noviter erigendam in episcopum per Nos, et Romanum pontificem pro tempore existentem praedictum in illius vacationibus in primo, et pro tempore quomodolibet (non tamen apud Sedem apo-

stolicam praedictam) occurrentibus, eisdem modo et forma quibus episcopi ecclesiarum in praedicto regno Galiciae existentes ab eadem Sede apostolica hactenus praefici consueverunt, et similiter aliud quoque jus nominandi, seu praesentandi coram ordinario loci ad dignitates, atque canonicatus, et praebendas, caeteraque beneficia ecclesiastica in dicta cathedrali ecclesia Lublinensi per te, ut praefertur erigenda extitura, quoties illas, et illos, ac illa quovis modo vacare contigerit, personas itidem idoneas per eumdem ordinarium loci in eis respective instituendas, apostolica auctoritate praedicta perpetuo quoque reservamus, concedimus, atque assignamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 13. Decernentes praesentes Nostras literas apostolicas semper, et perpetuo validas, et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus ad quos nunc spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere, ac nullo umquam tempore, ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, et legitima, ac etiam ex eo quod causae propter quas eaedem praesentes emanarunt adductae, verificatae, et justificatae non fuerint de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, vel quopiam alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, et inexcogitabili, ac specialem et individuam mentionem, et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in praemissis, eorumque aliquo solemnitates, et quaevis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite de jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimae, totalisque laesionis, ac quocumque alio colore, praetextu aliaque ratione, vel causa etiam quantumvis justa rationabili legitima, juridica, pia, privilegiata etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, et aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam vocari, aut ad viam, et terminos juris reduci, seu adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos juris, aut quodcumque juris vel facti, aut gratiae vel justitiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu, et scientia similibus concesso, et impetrato quempiam uti, seu se juvari in judicio, et extra illud posse, neque easdem praesentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariae apostolicae regulas quandocumque etiam in crastinum assumptionis Nostrae, et successorum Nostrorum Romanorum pontificum ad summi apostolatus apicem, etiam motu et scientia similibus, etiam consistorialibus ex quibuslibet causis, et sub quibuscumque tenoribus, et formis verborum, ac cum quibusvis clausulis, et decretis etiam si in eis de eisdem praesentibus, earumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat editas, et in posterum edendas comprehendi; sed semper, et omnino ab illis excipi, et quoties illae emanabunt toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas fore et esse; sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, et alios quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, praerogativa, et privilegio fungentes, ac honore, et praeeminentia fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate in quocumque judicio, et in quacumque instantia judicari, et definiri debere, irritum quoque, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Deputatio executoris apostolici.

§. 14. Nos enim tibi omnes, et singulas facultates necessarias, et opportunas pro earumdem praesentium Nostrarum literarum executionis effectu, tibique pariter facultatem, ut tu pro hujusmodi executionis effectu quamcumque personam in dignitate ecclesiastica constitutam subdelegare libere, et licite possis, et valeas, et tam tibi, quam personae a te subdelegandae hujusmodi facultatem quoque ut vos, et vestrum alter super quacumque oppositione, quae adversus praemissa in actu executionis hujusmodi quomodolibet erit oritura, servatis tamen quae fuerint de jure

servanda, etiam definitive pronunciare similiter libere, et licite possitis, et vestrum alter respective possit eadem apostolica auctoritate ipsarum tenore praesentium concedimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 15. Non obstantibus Lateranensis concilii novissime celebrati, ab ecclesiis, earumque dioecesibus, membra dividi, atque distingui prohibentis, ac quibusvis aliis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac Chelmensis, et Cuccoriensis, et Posnaniensis, et Plocensis respective ecclesiarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formulis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie pro tempore quomodolibet concessis, et concedendis: quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris latissime, ac specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide ad praemissorum validissimum effectum motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus hac vice dumtaxat, harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Absolutio a vinculo favore episcopi Chelmensis.

§. 16. Et nihilominus praedictum Adalbertum episcopum Chelmensem a vinculo, quo eidem ecclesiae Chelmensi per te, ut praefertur, supprimendae, et extinguendae, cui ad praesens praeest tenetur, de venerabil. etiam fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium consilio, et apostolicae potestatis plenitudine absolventes eumdem Adalbertum episcopum, quem praedictus Franciscus imperator, et rex Nobis ad hoc per suas literas nominavit ad praedictam ecclesiam Lublinensem per te, ut praefertur, erigendam a primaeva illius eretione per te, ut praefertur, facienda hujusmodi tunc pastoris solatio destitutam de simili consilio apostolica auctoritate praedicta tranferimus, ipsumque illi in episcopum praeficimus, et pastoralem curam, regimen, et administrationem ipsius ecclesiae Lublinensis ei in spiritualibus, et temporalibus plenarie committendo, liberamque sibi ad praedictam ecclesiam Lublinensem sic noviter erigendam hujusmodi transeundi licentiam tribuendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod dextera Domini sibi assistente propitia praedicta ecclesia Lublinensis per suae circumspectionis industriam, et studium fructuosum regetur utiliter, et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus, et temporalibus suscipiet incrementa. Quo circa dilectis filiis capitulo, et vassallis dictae ecclesiae Lublinensis per te, ut praefertur, noviter erigendae, ac clero, et populo civitatis, et dioecesis Lublinensis per apostolica scripta mandamus, ut capitulum eidem Adalberto episcopo tamquam patri, et pastori animarum suarum humiliter intendentes exhibeant ei obedientiam, et reverentiam congruentes, et clerus ei pro Nostra, et dictae Sedis reverentia benigne recipientes, et honorifice pertractantes, ejus salubria monita, et mandata suscipiant humiliter, et efficaciter adimplere procurent. Populus vero eumdem Adalbertum episcopum tamquam patrem, et pastorem animarum suarum devote recipientes, et debita honorificentia prosequentes ejus monitis, et mandatis salubribus humiliter intendant, ita quod dictus Adalbertus episcopus in eis devotionis filios, et ipsi in eo per consequens patrem benevolum invenisse respective gaudeant.

Praeceptum de praestanda fidelitate novo episcopo a vassallis.

§. 17. Vassalli autem praedicti eumdem Adalbertum episcopum debito honore praesequentes, ei fidelitatem debitam, ac consueta servitia, et jura illis ab eis debita integre exhibere studeant, alioquin sententiam, sive poenam, quam dictus Adalbertus episcopus rite tulerit, seu statuerit in rebelles ratam habebimus, et faciemus auctorante Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Rogamus, et hortamur attente praedictum Franciscum imperatorem, et regem, ac te, frater archiepiscope, tibi per

eadem apostolica scripta mandantes, quatenus eumdem Adalbertum episcopum, et praedictam ecclesiam Lublinensem suffraganeam tuam extituram noviter erigendam hujusmodi habeatis pro Nostra, et ejusdem Sedis apostolicae reverentia propensius commendatos in ampliandis, et conservandis juribus suis, sic eum vestri benigni favoris auxilio prosequamini, quod dictus Adalbertus episcopus vestrum fultus praesidio, in commisso sibi curae pastoralis officio, possit Deo propitio prosperari, ac eidem Francisco imperatori, et regi perennis a Deo vitae praemium, et a Nobis condigna proveniat actio gratiarum; tuque frater archiepiscope divinam misericordiam, ac Nostram, et dictae Sedis benedictionem, et gratiam uberius valeas promereri.

Praeceptum de inscribendis fructibus mensae in libris camerae apostolicae.

§. 18. Volumus autem, quod praedicta cathedralis ecclesia Lublinensis per te, ut praefertur, erigenda juxta redditus, et, ut praefertur, assignatos ad florenos auri de camera tercentum, et septuaginta tres cum uno tertio alterius floreni similis ex gratia speciali de more taxari, et hujusmodi taxa in libris camerae apostolicae, et eorumdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium collegii describi debeat.

Praeceptum de restauranda domo episcopali.

§. 19. Volumus etiam, quod dictus Adalbertus episcopus cardinalis ecclesiae Lublinensis, ut praefertur, erigendae reparationi et domus episcopalis constructioni pro viribus incumbat, atque sacrarium sacris suppellectilibus tam ad divina peragenda, quam pontificalia exercenda sufficienter instruat, nec non in dicta cathedrali ecclesia Lublinensi, ut praefertur, erigenda theologalem, et poenitentiariam respective praebendas ad praescriptum concilii Tridentini instruat, montemque Pietatis erigi curet, ejus conscientiam desuper onerantes.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo quinto, nono kalendas octobris, pontificatus Nostri anno sexto.

CCCLXXXVI.

Dat. die 24. sept. 1805. Anno VI.

Distributio locorum in variis dioecesibus regni Poloniae Austriae imperio unitis Premisliensis et Cracoviensis.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Operosa atque indefessa christianorum principum regia dignitate fulgentium pro christifidelium spirituali bono huic exhibita Sedi apostolicae studia excitant ultro cor Nostrum, ut postquam novae cathedrales ecclesiae per Nos fuerint erectae, si quid adhuc in iis dioecesibus ordinandum, et disponendum supersit, ubi vel maxime ob diversas, et inter se dissitas pabulantium ditiones haud libere pastorale munus erga Dominicum gregem ab illius pastoribus expleri posse comperitur in id quoque operis regiis inhaerendo curis ministerii Nostri partes impendere, et gregem illum dividere, vicisque alienis dioecesibus incorporare curemus, ut per hoc spirituale animarum gubernium ab illarum praesulibus propius inspectum accuratius valeat exerceri.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque sicut ex parte dilecti filii comitis de Kevenküller charissimi in Christo filii Nostri Francisci hoc nomine secundi Romanorum regis in imperatorem electi, ac Bohemiae, et Hungariae etiam regis apostolici apud Nos, et Sedem apostolicam administri plenipotentiarii accepimus in postrema regni Poloniae divisione quid districtus intra nonnullas dioeceses tam extraneas, quam internas in regno Galiciae tali subjecti reperiantur nexui, ut earum respective episcopi spiritualem in eis jurisdictionem exercere, et omnia quae eorum referunt pastoralem curam sedulo obire minime valeant, praetereaque dictus Franciscus imperator, et rex de animarum suorum subditorum salutis indemnitate, ac de prospero, felicique illarum gubernio, et regimine praecipuam gerens curam, ac sollicitudinem ad negotia in re tanti momenti facilius exequenda, et necessaria catholicae religionis subsidia Christi fidelibus praestanda ne desinant, opus esse duxerit, ut Premisliensi scilicet praeter territorium ad quod dioecesis illa actu extenditur, duo quidam Tarnoviensis scilicet, et Jassoensis circoli Cracoviensi, vero respective dioecesibus quinque alii, unus nempe Cracoviensis, et alius Slomnikensis, et alius Mislenicensis, et alius Bochniensis, et reliquus Sandecensis respective circuli, quorum tres postremi Polonia praedi-

eta adhuc in sua integritate permanente, ab immemorabili tempore ad Cracoviensem episcopatum spectabant, praevia hujusmodi circulorum ab illorum respectivis dioecesibus ad quas ipsi pertinent respectiva dismembratione, ut infra facienda in perpetuo uniantur atque incorporentur. Cumque dictus comes de Kevenküller nomine ejusdem Francisci imperatoris, et regis Nobis humiliter supplicaverit, ut provide hanc praedicti Francisci imperatoris, et regis dispositionem apostolicae Sedis patrocinio, et auctoritate ad effectum perducere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur, qui nuper jam praemissis ex causis ad ejusdem Francisci imperatoris et regis supplicationes, et preces Tarnoviensi, et Chelmensi respective cathedralibus ecclesiis, apostolica auctoritate perpetuo suppressis et extinctis, unam scilicet Kielcensem, et alteram Lublinensem respective civitates episcopalium civitatum titulo, et honore decoravimus, ac saecularem, et collegiatam ecclesiam Assumptionis in coelum Beatae Mariae Virginis in praedicta Kielcensi, praevia pariter illius collegialitatis, et in ea tunc existentis capituli perpetua suppressione, et extinctione eadem apostolica auctoritate facta, nec non ecclesia sancti Joannis Baptistae, et sancti Joannis Evangelistae in praedicta Lublinensi civitatibus hujusmodi respective existentes, in novas Kielcensem et Lublinensem respective cathedrales ecclesias, eadem apostolica auctoritate respective ereximus, et instituimus, nec non Tarnoviensis, et Chelmensis cathedralium ecclesiarum praedictarum, ut praefertur suppressarum, et extinctarum respective sedes episcopales, una cum earum respective capitulis, ad novas Kielcensem, et Lublinensem respective cathedrales ecclesias sic erectas hujusmodi, simili apostolica auctoritate respective etiam transtulimus, aliaque disposuimus, prout in diversis Nostris inde confectis literis, plenius respective continetur. Omnibus mature perpensis, ut pia ejusdem Francisci imperatoris, et regis vota in praemissis apprime expleantur illis benigne obsecundare volentes, motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine praedictos septem finitimos circulos ab eorum respectivis dioecesibus, ad quas illi respective ad praesens pertinent apostolica auctoritate praedicta perpetuo respective dismembramus, dividimus, et separamus, eosdemque septem circulos praedictos sic dismembratos, divisos et separatos una cum omnibus, et singulis parochialibus, aliisque ecclesiasticis beneficiis, monasteriis, conventibus, clero, personis tam saecularibus, quam regularibus inibi existentibus, et commorantibus ab ordinaria et spirituali respectivorum episcoporum jurisdictione, superioritate, et auctoritate quibus ad praesens respective subsunt consensibus ab infrascripto archiepiscopo Leopoliensi in executorem praesentium Nostrarum literarum apostolicarum, ut infra deputando, respective reportatis, auditisque omnibus interesse habentibus eadem apostolica auctoritate etiam perpetuo eximimus, et liberamus.

Assignatio novae distributionis locorum.

§. 4. Et respective priores duos videlicet Tarnoviensem, et Jasloensem, Premisliensi, reliquos vero quinque Cracoviensem scilicet, et Slomnikensem (qui tamen in Cracoviensi dioecesi modo comprehenditur) et Mislevicensem, et Bochniensem, et Sandecensem respective circulos praedictos, una cum omnibus, et singulis pariter in eis contentis parochialibus, et aliis ecclesiasticis beneficiis, monasteriis, conventibus, clero, personis saecularibus, et regularibus, ut praefertur, dismembratis, divisis, et separatis, Cracoviensi respective dioecesibus, dicta apostolica auctoritate etiam perpetuo unimus, annectimus, et incorporamus, ac ordinariae respective modernorum, et pro tempore existentium Premisliensis, et Cracoviensis respective episcoporum jurisdictioni, superioritati, et auctoritati eadem apostolica auctoritate itidem perpetuo adjungimus, et incorporamus, et respective supponimus.

Tollitur omne remedium juris, quod invocari posset pro denegando executione harum literarum.

§. 5. Decernentes easdem praesentes semper, et perpetuo validas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus, et singulis ad quos nunc spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere, ac nullo umquam tempore ex quocumque capite, et ex quacumque causa quantumvis juridica, et legitima, etiam ex eo quod causae propter quas praemissa emanarunt adductae, verificatae, et justificatae non fuerint de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, vel alio quopiam quan-

tumvis magno, substantiali, substantialissimo, inexcogitato, et inexcogitabili, ac specialem, et individuam mentionem, et expressionem requirente defectu, etiam ex eo, quod in praemissis, eorumque aliquo solemnitates, et quaevis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite de jure, vel de facto, seu statuto, aut consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimae, totalisque laesionis, aut quocumque alio colore, praetextu, aliaque ratione, vel causa, etiam quantumvis justa, rationabili, legitima, juridica, pia, privilegiata, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, et aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad viam, et terminos juris reduci, seu adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiae, vel justitiae remedium impetrari, seu quomodolibet, etiam motu, et scientia similibus concesso, et impetrato quempiam uti, seu se juvari in judicio, vel extra illud posse, neque easdem praesentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariae apostolicae regulas quandocumque etiam in crastinum assumptionis Nostrae ad summi apostolatus apicem, etiam motu, et scientia similibus, etiam consistorialiter editas, et in posterum edendas comprehendi semper ab illis accipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas fore et esse.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Sicque, et non aliter per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, et quosvis alios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate in quocumque judicio, et in quacumque instantia judicari, et definiri debere; irritum quoque, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Deputatio executoris apostolici.

§. 7. Per praesentes autem venerabilem etiam fratrem Nostrum Cajetanum Ignatium de Kicki modernum archiepiscopum Leopoliensem, in executorem praesentium Nostrarum literarum apostolicarum constituimus, et deputamus; eidemque Cajetano Ignatio archiepiscopo facultatem, ut ipse quamcumque personam in dignitate ecclesiastica constitutam pro hujusmodi executionis effectu subdelegare possit, et valeat, et tam ipsi Cajetano Ignatio archiepiscopo, quam personae ab eo subdelegandae hujusmodi facultatem pariter, ut ipsi, et eorum alter super quacumque difficultate, et oppositione adversus praemissa in actu executionis hujusmodi quomodolibet oritura etiam definitive pronunciare respective libere, et licite possint, et valeant, seu possit, et valeat apostolica auctoritate praedicta concedimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstante Nostra, et cancellariae apostolicae praedictae regula de jure quaesito non tollendo, ac Lateranensis concilii novissime celebrati ab ecclesiis et dioecesibus membra distingui ac dividi prohibentis, et quibusvis aliis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; nec non ecclesiarum, a quibus praedicti circuli dismembrantur etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis, quibusvis superioribus, et personis sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie etiam motu, et scientia similibus concessis, et concedendis: quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma, ad hoc servanda foret, illorumque omnium, et singulorum tenores, ac

si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur eisdem praesentibus, pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum validissimum effectum latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide, hac vice dumtaxat motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod praedictus Cajetanus Ignatius archiepiscopus dismembrationibus, et respectivis incorporationibus per Nos factis hujusmodi inhaerendo, accuratius indicem, sive elenchum omnium parochialium ecclesiarum, et locorum in supradictis circulis consistentium conficiat, atque unum exemplar in actis per eum canonice exequendis inserere, alterum vero ad congregationem venerabilium etiam fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium rebus consistorialibus praepositae Romae transmittere diligenter curet.

Sanctio poenalis.

§. 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae dismembrationis, divisionis, separationis, exemptionis, liberationis, unionis, annexionis, incorporationis, adjunctionis, suppositionis, decreti, constitutionis, deputationis, facultatum concessionis, impartitionis, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo quinto, octavo kalendas octobris, pontificatus Nostri anno sexto.

Dat. die 24. sept. 1805. Anno VI.

CCCLXXXVII.

Concessio officii proprii cum missa patrocinii s. Josephi pro ecclesia cathedrali Popajanensi in Indiis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Cum sicut dilecti filii decanus, et capitulum cathedralis ecclesiae Popajanensis in Indiis Nobis nuper exponi fecerunt ipsi pro eo, quem erga s. Josephum Beatae Mariae Virginis sponsum afficiuntur devotionis affectu, ejusdem cultum, et venerationem in dies augeri summopere desiderent; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, referente dilecto filio magistro Julio de Carpineo sacrorum Rituum congregationis secretario, ut in posterum a clero cathedralis ecclesiae Popajanensis officium proprium cum missa patrocinii s. Josephi Beatae Mariae Virginis sponsi, ritu tamen semiduplici, in quolibet die decima nona mensis, non impedito tamen officio novem lectionum, exceptis temporibus adventus, quadragesimae, quatuor temporum, vigiliarum sive cum jejunio, sive absque jejunio, feria secunda rogationum, et illis feriis, in quibus juxta rubricas sit reponendum officium dominicae, aut festi translati recitari possit, auctoritate apostolica, tenore praesentium indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae cathedralis ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majo-

Digitized by Google

rem sub annulo piscatoris die vigesima quarta septembris millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

Dat. die 24. sept. 1805. Anno VI.

CCCLXXXVIII.

Confirmatio decreti editi a sacra congregatione Rituum super concessione officii, et missae ritus duplicis majoris s. Dominici de Val Martyris pro dioecesi Caesaraugustana.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici metropolitanae ecclesiae Caesaraugustanae, quod ipsi ab infrascripta venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium congregatione decretum obtinuerunt tenoris sequentis, videlicet.

Rescriptum sacrae congregationis Rituum.

§. 2. Relatis in sac. Rituum congregatione per eminentissimum, et reverendissimum dominum cardinalem de Somalia sanctissimi domini nostri Pii VII. pontificis maximi in urbe vicarium, eidemque sac. congregationi praefectum humillimis precibus capituli metropolitanae, ac utriusque cleri civitatis, et dioecesis Caesaraugustanae ab r. p. d. Dionysio Bardaxi, et Azara ejusdem metropolitanae canonico, et sacrae rotae Romanae auditore porrectis pro concessione iisdem supplicantibus officii, et missae ritu dupl. maj. de comm. unius s. Martyris in honorem sancti Dominici de Val Martyris: eadem sac. congregatio, audito r. p. d. Hieronymo Napulionio fidei promotore benigne annuit pro gratia in die non impedito officio novem lectionum semel fixe ab ordinario destinando pro utroque clero civitatis Caesaraugustanae tantum. Die trigesima prima augusti millesimo octingentesimo quinto.

Julius M. card. de Somalia praef.
J. De Carpineo S. R. C. sec.

Loco ✠ signi.

Confirmatio apostolica.

§. 3. Cum autem, sicut in eadem expositione additum erat dicti exponentes, quo praeinsertum decretum firmius subsistat, et servetur exactius, apostolicae Nostrae confirmationis subsidio muniri summopere desiderent: Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus hujusmodi inclinati; idem decretum, et singula in eo contenta auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus, et adprobamus, ac omnes, et singulos juris, et facti, si qui desuper in eo intervenerint, defectus supplemus, et sanamus, illique inviolabilis, ac perpetuae firmitatis robur adjicimus.

§. 3. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausulae sublata, et decretum irritans.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quarta septembris, millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto. Derogatio contrariorum.

CCCLXXXIX.

Dat. die 24. sept. 1805. Anno VI.

Prorogatio indulgentiarum assequendarum in ecclesiis fratrum ordinis Beatae Mariae Virginis de Mercede redemptionis captivorum.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Ex coelitus injunctae Nobis dispensationis munere, spiritualium gratiarum largitiones, ad excitandam, fovendamque christifidelium pietatem a Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris pia, prudentique liberalitate ad certum tempus factas, eas interdum extendimus, prout in Domino salutariter expedire arbitramur. Prooemium.

Digitized by Google

Expositio precum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Emmanuel Antonius Davila fratrum ordinis Beatae Mariae Virginis de Mercede redemptionis captivorum calceatorum nuncupati procurator generalis, quod dudum eidem ordini sub certis modo, et forma tunc expressis, ab hac sancta Sede specialis concessa fuit facultas dispensandi in dicti ordinis ecclesiis omnibus christifidelibus confessis, et sacra communione refectis, benedictionem quamdam, absolutionem generalem vulgo dictam; atque ita ipsis christifidelibus communicandi indulgentias, et peccatorum remissiones, itemque participandi orationes, jejunia, missarum sacrificia, peregrinationes, et labores pro captivis redimendis susceptos a fratribus dicti ordinis et congregationis, ac reliqua bona opera, ab ipsis peracta, juxta formulam ab eadem apostolica Sede praescriptam: quae quia communicatio fit septies in anno, in festis nempe Beatissimae Mariae Virginis de Mercede, sanctorum Petri Nolasci, Laurentii martyris, Antonii abbatis, et sanctae Catharinae virginis et martyris, necnon feria quarta cinerum, et quinta majoris hebdomadae: successive autem per fel. rec. Pium pp. VI. praedecessorem Nostrum die 22. januarii 1780. eadem facultas ad alienas quoque ecclesias, etiam monialium, et ad privata domorum auctoritate apostolica erecta oratoria ad decennium tunc proximum tantum extensa, et ampliata fuit eodem modo, quo gratiam hujusmodi rec. mem. Clemens pp. XIII. praedecessor itidem Noster fratribus ordinis Sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum concesserat, et successive ad aliud decennium prorogata, prout ex apostolicis desuper expeditis indultis, quorum omnium tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis dicitur contineri. Cum autem, sicut in eadem expositione additum erat, ultimum ex decenniis praedictis jam expiraverit, seu brevi expiraturum sit, ipse vero exponens ad spiritualem christiani populi utilitatem, majoremque Dei gloriam facultatem hujusmodi ad alienas ecclesias ampliatam, in perpetuum quoque extendi plurimum desideret.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos piis ejusdem exponentis votis, quantum cum Domino possumus, benigne annuere, ac dictum ordinem, ejusque alumnos amplioris gratiae favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, facultatem praedictam impertiendi benedictionem, seu absolutionem, et comunicandi ut supra indulgentias etiam in alienis ecclesiis, et oratoriis per decennium a memorato Pio praedecessore concessam, ad perpetua futura tempora auctoritate apostolica tenore praesentium extendimus, et ampliamus, et quatenus opus sit, denuo concedimus, et impertimur; servata tamen in reliquis praecedentium apostolicorum indultorum forma, et dispositione.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstante Nostra, et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quarta septembris millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

CCCXC.

Dat. die 27. sept. 1805. Anno VI.

Concessio novarum vestium, et insignium pro canonicis ecclesiae cathedralis Pisciensis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes illud interdum concedendum esse ducimus, ut viri Altissimo in templis magis conspicuis famulantes, atque almae Sionis aemuli divinas laudes ibidem quotidie persolventes peculiaribus, et ad eorum munus exprimendum aptis utantur indumentis, quo ipsi vel per externas hasce vestes excitati internarum virtutum splendore in domo Domini praelucere conentur.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque sicut Nobis nuper dilecti filii dignitates et canonici ecclesiae cathedralis Pisciensis exponi fecerunt, ecclesia ipsa antiquitatis laude, sacrarum supellectilium copia, sacerdotum probitate, et doctrina, populi frequentia, ac devotione valde floreat, multum splendoris ad ipsam accederet, ac divinus cultus, fideliumque devotio majora ibi incrementa susciperet, si ejusdem ca-

thedralis dignitates, et canonici nova aliqua honorificentia per Nos, et hanc sanctam Sedem donentur; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, modernis et pro tempore in perpetuum existentibus dignitatibus, et canonicis cathedralis ecclesiae praedictae, ut, depositis pellibus armellinis, quas adhuc cum cappa magna a prima adventus dominica usque ad sabatum sanctum deferre solent, eamdem cappam magnam violaceam cum tela serica cremisini coloris ante pectus loco praedictarum pellium per reliquum anni tempus ad instar aliarum cathedralium regni Hetrusci tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare; nec non palmari, vulgo bugia, in sacris privatim, et solemniter faciendis, ac in aliis quibusvis presbyteralibus functionibus ad episcoporum instar uti libere, et licite possint, et valeant auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque dignitates et canonicos desuper a quoquam impediri, molestari et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae cathedralis ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis, superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima septima septembris millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

CCCXCI.

Dat. die 27. sept. 1805. Anno VI.

Applicatio bonorum ecclesiae beatae Mariae virginis nuncupatae de Ponte Eburneo Civitatis Castelli sacro monti Pietatis illius civitatis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Expositum Nobis nuper est nomine dilectorum filiorum publice repraesentantium populi et communitatis Nostrae Civitatis Castelli, montem Pietatis ibi jamdiu erectum, ac de multitudine pauperum, quibus magna jugiter ope in necesssitatibus praesto fuit, optime meritum, adeo in nupera rerum publicarum perturbatione expoliatum, exhaustumque fuisse, ut ad consueta agentibus suppeditanda auxilia, maximo cum eorum moerore ac detrimento, prorsus impar evaserit. Se tamen dum miseram ingemiscunt pauperum sortem, bona etiam recreari spe fore, ut mons suas possit paulatim reficere vires, si cuncta ei adjudicentur bona ad ecclesiam beatae Mariae virginis, quam vulgo Pontis Eburnei vocant, spectantia.

Ratio concessionis.

§. 2. Bona etenim ista, quemadmodum ex probationibus Nobis exhibitis constat, communitatem civitatis, reservato sibi super iis jure dominii, concessisse in administrationem universitati Sutorum, eo nempe consilio, eoque etiam expresso sub onere, ut et de nominata ecclesia, et de hospitali Peregrinorum apud eam servando, assidua eidem universitati cura esse deberet. Sed peregrinos, ac peregrinationes admodum olim frequentes jam pluribus ab hinc annis penitus defecisse, ip-

samque universitatem praedictam vi cedulae motus proprii quam die decima sexta decembris millesimo octingentesimo primo per Nos firmatam in universis Nostrae Sedis apostolicae ditionis temporalis locis evulgari mandavimus, omnino cessasse, nec ullo amplius modo, tam in toto, quam in parte, post suppressionem ejus solemnem posse subsistere. Duplici itaque titulo exponentes reclamare memorata bona communitatis, primo enim inoletis peregrinationibus, inolevit et usus bonorum constitutus pro peregrinis; secundo sublata universitate Sutorum, per quam eadem bona administrabantur, eo ipso jus omne legitime administrandi de manu ejus evanuit. At vero se hac in reclamatione nihil intendere, nihilque aliud optare, quam quod bona hujusmodi praedicto Pietatis monti ad necessarium ejus subsidium, publicamque pauperum utilitatem, commodumque applicentur; Nobisque propterea humiliter supplicari fecisse, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur egenos, et pauperes adeo cunctis a Domino commendatos omni, quo possumus, mentis studio, et cordis affectu sublevare cupientes, ac praedictos repraesentantes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, audito hac super re venerabili fratre Paulo episcopo Civitatis Castelli, auctoritate apostolica tenore praesentium omnia, et singula bona memoratae ecclesiae, ut praefertur, addicta, Pietatis monti dicta in civitate existenti perpetuo assignamus, eorumque administrationem ipsius montis provisoribus praesentibus et futuris in beneficium pauperum, ac firma semper manente in eis obligatione tum conservandi dictam ecclesiam, tum faciendi in illa fideliter celebrari functiones omnes pro divino cultu hactenus ibidem fieri solitas, plenarie transferimus, atque attribuimus, ac eidem episcopo has Nostras literas specialiter committimus; ipsique plenam, et amplam facultatem debitae executioni, etiam juris et facti remediis, eas mandandi tribuimus, atque impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem literas Nostras firmas, validas, efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac iis ad quos spectat, ac spectabit in posterum plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac praesertim, quatenus opus sit, felicis recordationis Benedicti XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, nec non regula cancellariae Nostrae apostolicae de jure quaesito non tollendo, tum et praedictarum sive ecclesiae, sive communitatis, sive universitatis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima septima septembris millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

CCCXCII.

Dat. die 1. octob. 1805. Anno VI.

Confirmatio decreti editi a sacra congregatione Rituum pro assumptione s. Patricii in protectorem principalem villae de Albunnol dioecesis Granatensis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii clerus, magistratus, ac populus villae de Albunnol Granatensis dioecesis, quod ipsi pro eo singulari, quo in sanctum Patritium episcopum afficiuntur devotionis affectu illum in patronum principalem elegerunt, atque ab infrascripta venerabilium fratrum Nostrorum congregatione decretum obtinuerunt, sequentis tenoris videlicet.

Tenor decreti confirmandi. §. 2. Humillimis precibus cleri, magistratus, et populi villae vulgo de Albunnol Granatensis dioecesis sacrorum Rituum congregationi porrectis, quibus supplicatum fuit pro confirmatione electionis factae, accedente consensu ordinarii, s. Patritii episcopi in patronum principalem dictae villae: sacra eadem congregatio, ad relationem eminentissimi, et reverendissimi domini cardinalis de Somalia ss. domini nostri Pii VII. pontificis maximi in urbe vicarii, ipsique sacrae congregationi praefecti, noscens, quod hujusmodi electio servatis servandis, et juxta praescriptum in decreto sa. me. Urbani papae VIII. die vigesima tertia martii millesimo sexagesimo trigesimo edito legitime facta fuerit, eamdem confirmavit, et approbavit, praedictique s. Patritii sic in patronum principalem electi festivitati praerogativas omnes sanctorum patronorum principalium festis competentes attribuit, atque concessit. Die trigesima prima augusti millesimo octingentesimo quinto.

Loco ✠ signi.

Julius Maria card. de Somalia praef.
J. de Carpineo S. R. C. secretarius.

Confirmatio apostolica. §. 3. Cum autem sicut in eadem expositione additum erat, quo praeinsertum decretum firmius subsistat, et servetur exactius, apostolicae Nostrae confirmationis subsidio muniri summopere desiderent, Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, decretum praeinsertum, ac omnia, et singula in eo contenta, et expressa auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus, et adprobamus, illique inviolabilis, ac perpetuae firmitatis robur adjicimus, et omnes, ac singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in eo quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas Clausula sublata, et decretum irritans.
firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et Derogatio contrariorum.
ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, dictae villae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die prima octobris, millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

CCCXCIII.

Dat. die 16 nov. 1805. Anno VI.

Prorogatio indulti concessi monialibus monasterii nuncupati de Gratia ordinis sancti Francisci civitatis Panormitanae, quatuor in anno egrediendi e monasterio, ut aeris beneficio frui valeant.

Digitized by Google

Venerabili fratri archiepiscopo Panormitano.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Nuper exponi Nobis fecerunt dilectae in Christo filiae abbatissa, et moniales monasterii dicti de Gratia, ordinis sancti Francisci civitatis Panormitanae, quod ipsae ob rationes, et causas jam alias Sedi huic apostolicae expositas bis ab eadem favorabile impetrarunt indultum, cujus vigore ad quinquennium possent quater in anno e sui monasterii claustris egredi, et aliquo aeris, ac levaminis beneficio frui. Quoniam vero causae, et rationes, quarum intuitu praedictum indultum fuit ipsis concessum, adhuc vigent, ac permanent, ideo indultum hujusmodi per Nos sibi ampliari, atque perpetuari summopere cupiunt: eo vel magis, quod isthic non desunt moniales aliorum monasteriorum, quae simili gaudent indulto perpetuo. Hinc Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Gratiae prorogatio ejusque prudentis concedituc.

§. 2. Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut constito tibi de narratis, monialibus monasterii praedicti, nunc et pro tempore existentibus memoratum indultum egrediendi quatuor tantum vicibus in quolibet anno, ac firmis semper manentibus clausulis, et conditionibus omnibus in primo indulto injunctis, atque expressis, auctoritate Nostra apostolica pro tui arbitrio, et conscientia gratis in perpetuum amplies, atque extendas.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus, constitutionibus, et ordinationibus, nec non dicti monasterii, ejusque ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quinta novembris millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

CCCXCIV.

Dat. die 1.. nov. 1805. Anno VI.

Dispensatio indicendi concursum pro assequutione trium dignitatum in capitulo ecclesiae sancti Jacobi apostoli Caltagironae Syracusanae dioecesis canonicis dicti capituli conferendarum.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Romani pontificis est, utpote a Deo, et Salvatore Nostro aequi bonique assertoris gregi suo praepositi, ea interdum, etiam per apostolicam Sedem praestituta, prudentiae legibus temperare, quae rerum experientia docet statui illorum, qui in sortem Domini vocati sunt, ob varias temporum vicissitudines salubrius expedire. Proemium.

§. 2. Nobis siquidem exponi nuper fecerunt dilecti filii dignitates, atque canonici insignis sicut asseritur, collegiatae, et parochialis ecclesiae sancti Jacobi apostoli Caltagironae Syracusanae dioecesis, constare ecclesiae ejusdem capitulum quatuor dignitatibus, et octo canonicis, qui omnes, ac singuli juxta apostolicas felicis recordationis Clementis pp. XII. praedecessoris Nostri, die vigesima septima januarii millesimo septingentesimo trigesimo Expositio precum.

Digitized by Google

nono, sub plumbo expeditas literas per synodalem concursum, parique penitus modo, quo Tridentinum concilium fieri mandat in parochorum electione, debent vacationis tempore eligi, ac provideri. Sed quod initio fuit, et sapienti consilio praescriptum, et felici quoque successu perdiu observatum, postremis hisce temporibus germen quoddam zizaniae animis capitularium injecisse videtur. Dum enim ex supradictis dignitatibus, sive archidiaconatum, cui et animarum cura adnexa est, sive cantoratum, vel illam thesaurarii, aut eam decani, (his scilicet nominibus dignitates istae quatuor recensentur), vacare contingit, tunc collegiatae canonici, quibus, vel aetas provecta, vel valetudo infirma impedimento esse eveniat, quominus se novo concursui possint committere, juniorem aliquem de clero vacantem praeripere dignitatem, primoque ingressu in capitulum statim senioribus anteire, coguntur perpeti haud sine molestia, et moerore, quum id paci, et bono capituli minime profuturum praenoscant. Quamobrem de communi ipsorum decore, multoque magis de unanimi, atque perpetua, quam aliter assequi se neutiquam posse arbitrantur mentium conjunctione solliciti enixis humiliter precibus postulare fecerunt, ut Nos sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac singulares ipsorum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, audito super expositis venerabile fratre episcopo Syracusano, ut posthac perpetuis futuris temporibus, firma tantum remanente, quoad archidiaconum, cui adjuncta est, ut praefertur, cura animarum, memorati concursus obligatione, ad reliquas tres dignitates, nempe cantoris, thesaurarii, et decani, quandocumque dignitates hujusmodi vacaturae fuerint, aliquis semper canonicus de gremio capituli, quem ordinarius pro tempore, pro sui prudentia, et conscientia magis ad eas idoneum duxerit, eligi, assumique ab eodem ordinario libere ac licite sine concursu novo possit et valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, atque a lege concursus hujusmodi canonicos ad recensitas dignitates eligendos plenarie dispensamus, servata tamen in reliquo forma, et dispositione praedictarum literarum.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus iisdem literis, ac recolendae memoriae Benedicti pp. XIV. praedecessoris itidem Nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non praedictae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie; ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die decima quinta novembris millesimo octingentesimo quinto pontificatus Nostri anno sexto.

CCCXCV.

Dat. die 17. nov. 1805. Anno VI.

Segregatio domus *Saint Pater* nuncupatae in civitate Alconensi a dioecesi Cenomanensi, illiusque subjectio dioecesi Sagiensi.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. E sublimi hujus sanctae Sedis specula, ad ecclesias omnes, pastoralis vigilantiae Nostrae oculos jugiter convertentes, ea identidem immutare, quae pro spirituali animarum salute magis accomodata esse dignoscantur, minime dubitamus, ut impositum No-

bis per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam, apostolicum ministerium hac in re impleamus.

Memorantur praecedentes literae ad rem expeditae.

§. 2. Hinc est quod cum Nos per alias apostolica sub plumbo expeditas literas tertio kalendas decembris datas anno secundo pontificatus Nostri, praevia omnium tam archiepiscopalium, quam episcopalium ecclesiarum in Gallicano dominio existentium respectiva suppressione, et extinctione novas archiepiscopales et episcopales ecclesias erexerimus, nova juxta rerum, et locorum opportunitates dioecesium exinde facta circumscriptione; cumque modo pro parte charissimi in Christo filii Nostri Naupoleonis Galliarum imperatoris Nobis fuerit significatum, quod ob peculiares circumstantias opportunum foret si domus in communi vulgo *saint Pater* prope suburbium oppidi civitatis nuncupati Alençon una cum illarum dependentiis in dioecesi Cenomanensi existentes, a dioecesi praedicta abdicarentur, et separarentur, ac spirituali regimini pro tempore existentis episcopi Sagiensis subjicerentur, eidemque dioecesi perpetuis futuris temporibus unirentur, et incorporarentur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos votis ejusdem Naupoleonis imperatoris obsecundantes, ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine dilecto filio Nostro Joanni Baptistae tituli sancti Onuphrii, Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Caprara nuncupato Nostro, et Sedis apostolicae ad imperatorem praedictum de latere legato, ut ipse, quando ita justis de causis expedire in Domino judicaverit, praevio consensu venerabilis fratris Nostri episcopi Cenomanensis, omnes et singulas domos praedictas cum suis dependentiis insuper expressa communi existentes, antea spirituali regimini, et jurisdictioni pro tempore existentis episcopi Cenomanensis subjecta, auctoritate Nostra delegata, abdicare, sejungere, et separare easque una cum suis utriusque sexus habitatoribus, et incolis, tam laicis, quam ecclesiasticis, episcopali ecclesiae et dioecesi Sagiensi, apostolica pari auctoritate adjungere, et incorporare, ac omnimodae jurisdictioni, superioritati, visitationi, et correctioni moderni, et pro tempore existentis episcopi Sagiensis, ita quod liceat ei per se, vel alium, seu alios ejus nomine super expressarum domorum veram, realem, actualem et corporalem possessionem, seu quasi possessionem administrationis spiritualis, et omnimodi juris dioecesani propria auctoritate libere apprehendere, vigore praesentium perpetuo subjicere, atque supponere possit, et valeat, earumdem praesentium tenore facultatem concedimus, atque impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes abdicationem, et unionem praedictas per supradictum Joannem Baptistam cardinalem legatum vigore praesentium apostolica delegata auctoritate, ut praefertur, factas, semper et perpetuo validas et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere; Nostrasque praesentes literas ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit inviolabiliter observari; in contrarium forsan facientibus licet expressa, et individua mentione dignis non obstantibus quibuscumque.

Sanctio poenalis.

§. 5. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae concessionis, decreti, et facultatis impertitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem, hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo quinto, quartodecimo kalendas decembris, pontificatus Nostri anno sexto.

CCCXCVI.

Dat. die 27. nov. 1805. Anno VI.

Declaratio insignitatis ecclesiae collegiatae s. Christinae civitatis Eugubinae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes peculiaria interdum privilegia ecclesiasticis illis viris concedimus, qui in sacris templis, veluti almae Sionis aemuli, divinas laudes concinunt, ut ipsi per hujusmodi titulos, et honorificentias excitati, virtutum splendore in domo Domini praelucere magis magisque conentur.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii prior, et canonici

collegiatae ecclesiae s. Christinae civitatis Eugubinae, ad praesens in aliam s. Mariae Novae ejusdem civitatis ecclesiam translatae, ibique authoritate Nostra apostolica confirmatae, jamdiu eorum capitulum, et ecclesiam per fel. record. Urbanum pp. VIII. praedecessorem Nostrum, in collegiatam, ut asseritur, erecta reperiantur, cumque ad Majorem Dei gloriam, et beatae Mariae virginis, cujus miraculosam imaginem in dicta moderna eorum ecclesia fideles devotissime venerantur in collegiatam insignem per Nos, et hanc sanctam Sedem evehi, et declarari, ac alia, ut infra, privilegia concedi summopere desiderent.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos dictos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad affectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, collegiatam praedictam olim s. Christinae, nunc s. Mariae Novae nuncupatam, in collegiatam ecclesiam insignem, auctoritate apostolica, tenore praesentium, extollimus, et declaramus, eidemque ecclesiae s. Mariae Novae, ac modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus ejus priori, canonicis, et capitularibus, ut ipsi omnibus, et singulis gratiis, privilegiis, honoribus, exemptionibus, et praeeminentiis, quibus aliae insignes collegiatae, eorumque capitulares de jure, usu, et consuetudine utuntur, potiuntur, et gaudent, vel uti, potiri, et gaudere possunt, et poterunt in futurum, eodem modo uti, et potiri, ac praesertim s. Crucis vexillum in capitularibus processionibus elatum praeseferre, capitularium extincta corpora in dicta eorum ecclesia tumulare, atque omnis parochialis jurisdictionis, et parochi jurium, et functionum exemptione gaudere libere, et licite possint, ac valeant, firma tamen in omnibus remanente ordinarii jurisdictione, auctoritate, et tenore praesentis concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales de latere legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpetrandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, dictae s. Mariae Novae, et ejus parochialis ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima secunda novembris millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

CCCXCVII.

Dat. die 20. nov. 1805. Anno VI.

Facultas concessa dignitatibus, et canonicis metropolitanae ecclesiae Florentinae gestandi crucem auream alligatam fasciola serica violacea.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. In summo apostolatus apice, meritis licet imparibus, constituti, sacris ministris in templis magis conspicuis Altissimo famulantibus peculiaria interdum insignia deferenda concedimus, ut ipsi per externas quoque honorificentias excitati, magis magisque studeant in dies conformes fieri immagini filii Dei, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque sicut dilecti filii dignitates, et canonici metropolitanae ecclesiae Florentinae Nobis nuper exponi fecerunt, eorum capitulum probitate, doctrina, et religionis zelo ita floreat, atque a remotissimis temporibus floruerit, ut insignes pietate viri, ac sacrarum literarum scientia, et dignitatibus praestantes ex ejus gremio prodierint, praesertim vero felicis recordationis Leo pp. X. praedecessor Noster, qui ejusdem metropolitanae dignitates, et canonicos tunc, et pro tempore existentes hujus sanctae Sedis notarios instituit; ac successive privilegium hujusmodi recolendae memoriae Clemens pp. XII. praedecessor itidem Noster per suas in simili forma brevis die secunda januarii millesimo septingentesimo trigesimo primo expeditas literas confirmavit, multum quidem ad augendam illorum devotionem, ac Dominicae passionis memoriam jugiter ipsis refricandam conferret, si nova infrascripta praerogativa iidem per Nos, et hanc sanctam Sedem decorentur; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt; ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur, qui capitulum praedictum peculiari quadam benevolentia complectimur, dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis, et pro tempore existentibus dignitatibus, et canonicis dictae metropolitanae ecclesiae Florentinae, ut crucem auream fasciola serica violacea alligatam ante pectus ex habitus ocellis, seu asulis pendentem juxta Nobis exhibitum exemplar a venerabili fratre Antonio archiepiscopo Florentino, nisi fuerit adprobatum, adprobandum, palam ubique locorum gestare libere, et licite possint, ac valeant auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, ac dignitates, et canonicos praedictos desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non, quatenus opus sit, ejusdem metropolitanae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, caeterisque in contrarium quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima nona novembris millesimo octingentesimo quintò, pontificatus Nostri anno sexto.

CCCXCVIII.

Dat. die 10. dec. 1805. Anno VI.

Confirmatio decreti editi ab ordinario civitatis Bracharensis super unione confraternitatum beati Petri principis apostolorum, et beati Thomae de Aquino ejusdem civitatis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Expositum Nobis nuper fuit nomine dilectorum filiorum officialium, et sodalium tum confraternitatis beati Petri apostolorum principis, tum confraternitatis beati Thomae de Aquino, ambas confraternitates hujusmodi canonice, ut asserunt, in Bracharensi civitate institutas, sed primum alteram ab altera separatam, nunc vero utramque simul unitam esse per ordinarii decretum, quod de Lusitano idiomate in Italicum translatum continet, prout sequitur.

Tenor decreti confirmandi.

§. 2. Michele Giuseppe de Carvalho notaro apostolico attesto, che dai fratelli della confraternita dei santi Pietro apostolo, e Tommaso d'Aquino di questa città Bracharen mi fu presentato un decreto dell'ordinario della medesima del tenore seguente.

Essendoci noto, che la confraternita di san Pietro di questa nostra città è in procinto di estinguersi affatto, proviamo un gran rincrescimento, che all'istesso tempo, che simili corporazioni si accrescono, e fioriscono in alcuni luoghi poco considerabili, questa all'opposto perda il suo antico splendore in una città, dove abitano tanti ecclesiastici dotati di virtù, scienza, ed altre ragguardevoli qualità, che la potrebbero rendo-

re superiore a tutte le altre. Costandoci parimenti, che quella di s. Tommaso di questa stessa città è decaduta dallo stato, in cui non è gran tempo si trovava, essendo stato necessario, per evitare la totale rovina, scemare di molto i suffragj, che si applicavano per ciascuno dei fedeli defonti; non potendo noi soffrire, che due corporazioni istituite per il culto, e venerazione di due gran santi, quali sono il Principe degli Apostoli, ed il dottore Angelico, che nella religione, che abbiamo la sorte di professare, meritano di essere specialmente riguardati, in vece di accrescersi, vadano in decadenza, risolviamo di procurare per tutti i mezzi possibili la loro ristaurazione per gloria di Dio, culto di santi così insigni, e bene pubblico. E siccome uno dei mezzi più proprj per conseguire detto fine, è l' unione di queste due confraternite in una sola senza estinzione, nè soggezione dell' una all' altra, perchè uniti i loro fondi, ed esattamente amministrati dai fratelli, dalla cui capacità molto confidiamo nel Signore, resterà molto più ferma, e stabile, e si potranno esercitare altre molte opere di pietà; perciò uniamo, ed incorporiamo le suddette due confraternite in una sola, che sarà intitolata la confraternita del Principe degli Apostoli, e del dottore Angelico, e tutti i fondi, e mobili, che appartengono all' una, od all' altra saranno proprj della nuova corporazione unita, ed incorporata. E perchè la cappella della Madonna detta da Lapa, dove presentemente si trova la confraternita di s. Tommaso ha la capacità necessaria per potersi collocare in essa la nuova incorporazione, concediamo, che si possa conservare nella medesima, e nella stessa cappella saranno sepolti i fratelli defonti, che vi si vorranno seppellire. Riguardo poi all' amministrazione di detta cappella, ed alle elemosine si osserverà quanto viene prescritto nella scrittura dei 2. novembre 1774. fatta in virtù della determinazione del signor d. Gasparo nostro antecessore delli 31. ottobre 1774., che in tutto si osserverà. Ordiniamo, che per ciascun fratello della confraternita di s. Tommaso, che morrà, si manderanno a dire dieci messe di più oltre di quelle, che presentemente si sogliono dire. Confermiamo l' inserzione della giurisdizione parrocchiale, che il detto signor d. Gasparo concesse alla mentovata cappella nella riferita scrittura, e se è necessario nuovamente l' esentiamo in tutte le funzioni di qualunque qualità esse siano, che la confraternita farà nella stessa cappella. Non è però nostra intenzione privare i reverendi parrochi degli emolumenti, che loro appartengono tanto nell' associazione, o trasporto del cadavere, quanto nella tumulazione, ed esposizione in chiesa, quali emolumenti riceveranno come se fossero seppelliti nelle loro rispettive chiese, e così dichiariamo, e ordiniamo, che gli stessi reverendi parrochi osservino quanto si troverà a questo rispetto legittimamente stabilito secondo l' uso, e costume delle loro chiese rapporto a quelli, che muojono con testamento, o ab intestato. E per dimostrare l' efficace desiderio, che abbiamo, dell' aumento di questa confraternita ci dichiariamo di lei protettore, e per tale ordiniamo di essere trattati in tutte le elezioni, che si faranno, e preghiamo i nostri successori vogliano onorare la medesima confraternita annoverandosi tra i di lei confratri, e conservando il titolo di protettore, che prendiamo, per gloria di Dio, e venerazione di così rispettabili santi; ed esortiamo tutti i reverendi sacerdoti, principalmente i dimoranti in questa nostra città, e sue adjacenze, che risvegliando il zelo, e divozione propria del loro stato, entrino nella suddetta incorporazione, e con esemplare fervore si dimostrino animati di quello spirito, che dev' essere il distintivo di quelli, che il Signore ha scelti per ministri del suo culto pubblico, lo che dai medesimi speriamo anche in corrispondenza del paterno affetto, con cui li amiamo, e desideriamo ad essi le più solide felicità in Gesù Cristo. E siccome tutte le incorporazioni costumano ne' loro atti usare di un distintivo lor proprio, la confraternita del Principe degli Apostoli, e dottore Angelico di questa nostra città, oltre l' ornato comune a tutti gli ecclesiastici, avrà per distintivo una mozzetta, vulgo *capotilho* di lana nera sopra la cotta, foderata di bianco senz' asole e senza bottoni, avendo da un lato in decente recamo le chiavi, e nell' altro il sole, e di questo distintivo potranno usare in tutti gli atti della confraternita, e con il medesimo saranno seppelliti, se non determineranno altrimenti portandovi sopra la stola, o manipolo, secondo l' ordine, di cui saranno insigniti.

Domandiamo al nostro reverendo vicario generale, al giudice dei residui, ed al procuratore generale della mitra, che senza perder tempo si affrettino ad eseguire l'unione, che abbiamo fatta, facendo formare le necessarie scritture, per le quali, e per tutte le altre clausule, e condizioni opportune, loro concediamo le facoltà necessarie, e si assegnerà il giorno per venire a nuova elezione nella quale voteranno i fratelli dell'una, e dell'altra confraternita indistintamente, e presiederà il reverendo giudice de' residui, e alli deputati della mensa, vulgo *mesarios* nuovamente eletti si farà la consegna, facendo render conto agli antecedenti, e si farà inventario di quanto apparteneva a ciascuna delle suddette confraternite. Nella stessa elezione saranno deputati tre fratelli, che abbiano maggior conoscenza delle stesse confraternite, i quali dovranno formare nuovi statuti col consiglio di persone prudenti, pie, e zelanti del servizio divino, e coll' approvazione della mensa, e sottoscritti, che saranno dagli uni, e dagli altri, ci saranno presentati per riportare la nostra approvazione. Braga 6. giugno 1805.

C. arcivescovo di Braga.

Confirmatio apostolica.

§. 3. Ut autem decretum hujusmodi firmiter subsistat, perpetuoque observetur, illud exponentes per Nos approbari, et confirmari summopere desiderant; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis, censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, praeinsertum decretum cum omnibus, et singulis in eo contentis auctoritate apostolica tenore praesentium ratum, validumque habemus, et declaramus, illique perpetuum, ac inviolabile apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos sive facti, sive juris defectus, si quos desuper quomodolibet intervenisse contigerit, plenarie sanamus, atque supplemus.

Clausulae sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem has Nostras literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac praedictis exponentibus, aliisque, ad quos spectat et spectabit in posterum plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac praedictarum confraternitatum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die decima decembris millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

CCCXCIX.

Dat. die 10. dec. 1805. Anno VI.

Approbatio praemiorum concedendorum magistris novitiorum laudabiliter exercentibus tyrocinium in monasterio sanctae Crucis fratrum ordinis sancti Augustini in Lusitania.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Nuper Nobis exponi fecit dilectus frater modernus praepositus generalis congregationis canonicorum regularium sancti Augustini in Lusitania, quod capitulum generale

Digitized by Google

ejusdem congregationis habitum in monasterio sanctae Crucis Coimbriae anno millesimo octingentesimo secundo, mature perpensa tum utilitate, tum etiam necessitate aliquem retinendi in suo collegio Sapientiae nuncupato, qui recens professis ad scholam tyrocinii adhuc pertinentibus praesit cum obligatione eos regularis observantiae, et religiosae vitae praeceptis imbuendi, et cum auctoritate a recto aberrantes tramite efficaciter coercendi; sed visa simul difficultate cum ex capitularibus in collegio degentibus ad onus hujusmodi deputandi, censuit valde ad id posse conferre, si illi, qui tale munus obiret, certa daretur sponsio praemiorum, videlicet quod ipse libera gaudeat applicatione omnium missarum, quas celebraverit, cunctisque fruatur immunitatibus, et privilegiis, quae gauderi solent a magistris novitiorum monasterii sanctae Crucis, jure tantum excepto ferendi suffragium in generalibus comitiis: quodque si tali in officio per duodecim perstiterit annos, eoque bene functum esse constiterit, capitulum generale ei concedet pro praemio quoad vixerit libertatem applicandi, prout lectores emeriti, omnes quas celebraverit, et cuicumque voluerit, missas pro lubitu, nec non exemptionem ab officiis hebdomadalibus vulgo dictis de Panta, exemptionemque etiam a choro, exceptis diebus et horis, quibus vel lectores emeriti, dum alicujus sunt monasterii habitatores, tenentur eum adire, ac demum facultatem rusticandi quotannis rusticatione, quam Brevia vocant vulgari nomine, dies quadraginta ubicumque voluerit. Cavit vero idem capitulum neminem praeficiendum officio praedicto nisi qui in congregatione jam sit canonicus concionator et confessarius, et pietate insignis, et pari ad id ponderis sustinendi virtute praedictus, quique de recto gerendo munere, priusquam illud suscipiat, juramentum praestet, et quum illud susceperit, supra omnes collegiales ad tyrocinii scholam spectantes et jurisdictionem habeat, et obligationem, aeque ac magister novitiorum supra sibi subjectos in sanctae Crucis monasterio: ac licet singulis trienniis renovanda foret electio ad munus hujusmodi, nihilominus semel electus eligi denuo ac confirmari possit, et debeat, si apprime aptus, ac utilis in exercitio muneris dignoscatur. Propterea idem generale capitulum experientia doctum, quam difficile sit quolibet novo triennio novum reperire novitiorum magistrum, uti par est, idoneum ad tyrocinium monasterii sanctae Crucis regendum, duxit pro hoc quoque munere proponi praemia, quibus ad illud facile obeundum allicerentur viri in congregatione praestantes, scilicet pollicendo, et magistris hujusmodi liberam omnium missarum applicationem, bonumque judicando eosdem ipsos post lapsum triennii iterum ad munus idem eligi posse, pluriesque in eo confirmari, eosdemque rependendo iisdem gratiis, quae superius enunciatae sunt, ac promissae magistris scholae collegii Sapientiae, si et postquam duodecim annos in magisterio novitiorum ibi permanserint, et de illo bene per eos gesto exploratum fuerit. Postremo aliud generale capitulum celebratum in eodem sanctae Crucis monasterio labenti anno millesimo octingentesimo quinto, quo alumni totius congregationis aliquid nanciscantur otii, viribusque simul et animis ad munia alacriores evadant, opportunum fore putavit copiam fieri canonicis omnium monasteriorum, nullo prorsus excepto, se recreandi in aliqua ex villis seu praediis, quae ad eadem monasteria pertinent, idque singulis annis per dies triginta, tempore accessus, et recessus minime computato; ac insuper facultatem iisdem concedi libere applicandi pro suo lubito missas, quae celebraturae per eos fuerint omnibus diebus dictis de Brevia. Verum enim vero quia his omnibus huc usque expositis, quominus rite, recteque statui, adimplerique valeant, dictae congregationis obstant constitutiones, hinc idem praepositus generalis suo simul et praedictorum capitulorum, ut asseritur, nomine Nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, eidem praeposito generali omnia, et singula, quae in recensitis generalibus comitiis proposita sunt, ut praefertur, Tenor concessionis.

tam pro magistro scholae collegii Sapientiae, quam pro magistro novitiorum monasterii sanctae Crucis, nec non pro caeteris alumnis congregationis, etiamsi iis adversentur ejusdem congregationis constitutiones per apostolicam Sedem approbatae, auctoritate Nostra apostolica statuendi, decernendi, ac liberae exequutioni mandandi, dummodo tamen praedictorum magistrorum electiones, reelectionesque alias semper canonice fiant, ac dummodo etiam facultas praedictarum applicationum nullo prorsus futura umquam sit praejudicio legatis, oneribusque missarum, si quibus et quomodolibet satisfaciendis monasteria tenentur, necessarias, et opportunas facultates eadem auctoritate tenore praesentium tribuimus, et impertimur juxta superius expressa, atque petita.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non congregationis praememoratae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima decembris, millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

Dat. die 14. dec. 1805. Anno VI.

CCCC.

Damnatio electionis pseudo-suffraganei Gisberti de Jong factae a pseudo archiepiscopo Ultrajectino.

Dilectis filiis universis catholicis in Batava republica commorantibus.

Pius PP. VII.

Dilecti filii salutem et apostolicam benedictionem.

Pessima pseudo archiepiscopi agendi ratio exponitur.

§. 1. Perlatae ad Nos sunt isthinc literae Joannis Jacobi Rhyn pseudo-archiepiscopi Ultrajectensis, qui significavit Nobis, se, vacante propter obitum Nicolai Nelleman pseudo-suffraganei sui Daventriensi sede, Gisbertum de Jong elegisse, atque a Nobis petiit, ut non solum hanc electionem apostolica auctoritate confirmemus, sed etiam ut electum ab se consecrari, uno tantum assistente episcopo, permittamus. Ita scilicet dum magis magisque demonstrat, omnem se excussisse subjectionem Sedi apostolicae, vafra hac, nimisque jam nota, et detestabili officii simulatione pergit tegere pervicaciam suam. Nam idem ille est Joannes Jacobus Rhyn, quem Pius VI. fel. rec. decessor noster per apostolicas literas datas die XXVI. augusti anno MDCCXCVII. canonicis poenis obnoxium sacris interdixit, atque Ecclesiae communione privatum, vitandumque declaravit, quod nullo jure, contra hujus apostolicae Sedis decreta eligi, et consecrari voluerit pseudo-episcopus Ultrajectensis; in quem praeterea Nos ipsi apostolicis literis datis die 1. octobris anno MDCCCII. easdem poenas renovavimus, cum Joannem Nieuwenhuis pseudo-episcopum Harlemensem contra omne jus, fasque eligere, et consecrare ausus est. Vix ad Nos pervenerant hujus hominis literae, cum alias accepimus ab ipso pseudo-episcopo Daventriensi non dissimiles superiorum, quibus et iis verbis simulata ea Ecclesiae subjectione, quam facto ipso nullam se habere demonstrat, ab Joanne Jacobo Rhyn pseudo-archiepiscopo Ultrajectensi se non solum consecratum fuisse narrat, sed etiam uno tantum pseudo-episcopo praesente, contra ea, quae in pontificali Romano juxta sacros canones statuta sunt, consecratione fuisse absolutam. Atque ut culpam in culpa deprehendamus, narrat praeterea se fidei professionem juxta formulam a Pio IV. praedec. nostro praescriptam emisisse, in quo etiam huic s. Sedi vel illudere voluit, vel se imponere posse credidit. Nam in exemplo professionis a se pronunciatae, quod ad Nos misit, omissum deprehenditur verbum juro, quod bis in eadem formula occurrit,

Tenor damnationis nefariae electionis.

§. 2. Facile est judicare, dilecti filii, quo animo ex his duabus literis affecti simus. Dum enim pro pastorali officio Nostro, totiusque Dominici gregis sollicitudine omni Nos ope, et opera eniti oporteat, ut catholicae Ecclesiae unitas firma, et incolumis conservetur, atque illud vehementissime optamus, ut qui ab ea discesserunt errorem agnoscant suum, ad eamdemque redeant, illud contra evenisse deprehendimus, ut luctuosum schisma adhuc perseveret, in eoque fovendo, ac tuendo sit illorum voluntas obstinatior. Itaque ut eorum, quos sanare non possumus, contagionem saltem ab aliis arceamus, uti postulat officii Nostri ratio, vestigiis insistentes praedecess. nostrorum Benedicti XIII., Clementis XII., Benedicti XIV., Clementis XIII., Pii VI., qui paria omnes judicia in has electiones, aliosque similes nefarios ausus ediderunt, hujusmodi literas posthabentes, ac penitus reijcientes, electionem Gisberti de Jong in pseudo-episcopum Daventriensem a pseudo-archiepiscopo Joanne Jacobo Rhyn peractam nullam, inanem, nefariam, irritam, ejus vero consecrationem illegitimam, sacrilegam, et contra sanctissimas Romanae Ecclesiae leges factam apostolica auctoritate declaramus.

Poenae contra fautores, et alios qui ordines ab electo suscipere audeant.

§. 3. Ac proinde tam Joannem Jacobum Rhyn electorem, quam Gisbertum de Jong, caeterosque omnes, qui partem aliquam in sacrilega hac electione, et consecratione habuerunt, iisque opem, operam, consensum, consilium quovis modo dederunt, excommunicamus, anathematizamus, atque ab Ecclesiae communione segregatos, et tamquam schismaticos habendos, et vitandos esse pronunciamus, constituimus, et mandamus, eumdemque Gisbertum Jong temere, nulloque jure electum, illicite, ac sacrilege consecratum, omni ecclesiastica, et spirituali jurisdictione ad animarum regimen carere declaramus. Edicimus praeterea sub poena excommunicationis ipso facto, ac sine ulla declaratione incurrendae, ne is audeat jurisdictionem ullam sibi arrogare, vel dimissoriales literas pro suscipiendis ordinibus dare, pastores, missionarios, ministros, aut alios quocumque nomine nuncupatos ad animarum curam, et sacramentorum, administrationem, quovis etiam necessitatis praetextu, constituere, ac deputare; declarantes praeterea omnes, et singulas horum officiorum deputationes pro animarum regimine quorumque nomine jam factas, aut fortasse faciendas cum omnibus inde secutis prorsus irritas esse, et nullius roboris, ac momenti. Item eidem Gisberto Jong praecipimus sub simili excommunicationis poena, ne umquam audeat chrisma conficere, virgines consecrare, confirmationis sacramentum, aut ordines conferre, aut ullo modo ordinem episcopalem, a quo suspensus est, exercere. Declarantes insuper illicitos, nefarios, sacrilegos omnes, et singulos alios actus ordinis, quos attentare praesumpserit. Qui vero ab eo ecclesiasticis ordinibus initiati fuerint, noverint se obstrictos vinculo suspensionis, fierique irregulares, si ab eo susceptos ordines exercuerint.

Monitum ad universos catholicos episcopos in Batavia commorantes.

§. 4. Haec ad vos praesertim scribimus, dilecti filii, ut per Nos ipsos, quibus Deus Optimus Maximus universi sui gregis curam, et gubernationem commisit, vobis exploratum fiat, quos cavere debeatis. Caeterum magno Nobis solatio est vestra pietas, ac religio, et studium, quo vos valde inflammatos esse intelligimus, conservandae unitatis, et huic ejusdem centro Sedis apostolicae subjectioni, quo in proposito ut permaneatis, nullis vos hortationibus indigere agnoscimus, et gaudemus quam maxime. Nihilo tamen minus hortamur vos, atque ad ipsum excitamus, quod christiana charitas erga ipsos fratres, qui a vobis tantopere dissident, postulare maxime videtur, ut prece, et obsecratione humili misericordiarum, ac luminum patrem exoretis Deum, ut eorum mentes illustret, avertat ab errore, in viam revocet veritatis, unde misere discesserunt. Nos certe quantum efficere possumus, tantum efficemus, ut dispersae oves ad Christi ovile revocentur, eoque Nostrae, quas ad Deum assidue mittimus, preces spectant, ut divina ope omni demum sublato, ac perempto schismate, et errore deposito, ejusque petita, atque impetrata venia resipiscentes, seque in sinum Sanctae Matris Catholicae, et Apostolicae Ecclesiae recipientes filios cum incredibili gaudio vobiscum complecti possimus. Quam spem in Dei bonitate positam animo foventes, vobis interim, dilecti filii, quos ob veram pietatem, sinceramque in beatissimi Patri sacratissimam Sedem obedientiam, et fidem vestram praecipua charitate complectimur, apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quarta decembris millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

Dat. die 17. dec. 1805. Anno VI.

CCCCI.

Elevatio a duplici minori ad duplex secundae classis ritus officii sancti Augustini pro dioecesi Guadixensi.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Quum sicut venerabilis frater modernus episcopus Guadixensis Nobis nuper exponi fecit, pro eo quem erga s. Augustinum episcopum gerit devotionis affectu, ipse ritum officii ejusdem sancti per Nos sua in dioecesi elevari cupiat, enixisque precibus humiliter poscat.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos eumdem episcopum specialibus gratiis et favoribus, prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si qua forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, de venerabil. fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, qui congregationi sacrorum Rituum praesunt, consilio, ut in posterum ab universo clero saeculari, et regulari civitatis et dioecesis Guadixensis officium s. Augustini episcopi sub ritu duplici dumtaxat secundae classis recitari possit et valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus, ritumque officii hujusmodi a duplici minori ad duplex secundae classis pro utroque clero praedicto elevamus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus, apostolicis; nec non civitatis, et dioecesis praedictae, earumque cleri etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 4. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima septima decembris millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

Dat. die 20. dec. 1805. Anno VI.

CCCCII.

Canonicis ecclesiae Gallesii dioecesis Civitatis Castellanae conceditur usus insignium ad instar capituli, et canonicorum ecclesiae cathedralis Civitatis Castellanae cum titulo cathedralitatis pro eorum ecclesia.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigia prementes, ecclesiasticis viris, qui almae veluti Sionis aemuli divinas laudes in domo Domini quotidie persolvunt peculiaria interdum ornamento deferendo concedimus, ut ipsi per externas quoque honorificentias excitati internarum virtutum splendore magis magisque in die praelucere student.

Expositio precum.

§. 2. Exponi quidem Nobis nuper fecerunt dignitates, et canonici ecclesiae Gallesii dioecesis Civitatis Castellanae, quod ecclesia ipsa, in qua duae dignitates, et duodecim canonici existunt antiquitatis laude novi templi funditus nuper erecti structura, atque sacerdotum

Digitized by Google

probitate, et doctrina ita floret, ut primatum inter alias dictae dioecesis ecclesias obtineat, acceditque loci ipsius antiquitas, ubi duo Romani pontifices Romanus primus, et Marinus primus praedecessores Nostri nati esse dicuntur, ac propterea per plura saecula propriam episcopalem ecclesiam sedem habuisse constat, quae quamquam fuerit legitime abrogata, aboleri tamen nequit antiquitatis gloria, ideoque multum splendoris; tum ad ecclesiam tum ad Gallesiam ipsam accederet, ac divinus cultus, fideliumque devotio majora ibi incrementa susciperet, si dicti dignitates, et canonici novis decorationibus, et titulo per Nos, et hanc apostolicam Sedem donentur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor rescripti.

§. 3. Nos igitur dictos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, modernis et pro tempore in perpetuum existentibus dignitatibus, et canonicis dictae ecclesiae, ut ipsi loco almutiae, quam adhuc deferre consueverunt, alia canonicalia insignia ad instar capituli, et canonicorum ecclesiae cathedralis civitatis Castellanae tam in ecclesia, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque uti libere, et licite possint, et valeant auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus; dictosque dignitates, et canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus. Praeterea eidem Gallesinae ecclesiae titulum cathedralis dumtaxat sine ullo concathedralis jure, ita tamen ut in posterum venerabilis frater nunc, et pro tempore episcopus Civitatis Castellanae, et Hortanae, Gallesinus etiam episcopus inscribi, et denominari possit, ac debeat sine ulla residentiae obligatione, auctoritate, et tenore praedictis restituimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam scienter pariter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit dictae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima sexta decembris millesimo octingentesimo quinto, pontificatus Nostri anno sexto.

CCCCIII.

Dat. die 2. jan 1806. Anno VI.

Concessio officii, et missae propriae, cum lectione s. Hippolyti martyris pro clero villae de Tamara dioecesis Palentinae.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Cum sicut dilecti filii clerus, et magistratus villae de Tamara Palentinae dioecesis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo quem erga s. Hippolytum martyrem Romanum patronum principalem ejusdem villae devotionis praeseferunt affectu, ejusdem cultum, et venerationem in dies augeri summopere deside-

Digitized by

rent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, audito etiam venerabili fratre episcopo Palentino, et dilecto filio magistro Julio De Carpineo sac. Rituum congregationis secretario referente, ut a dictae villae clero officium proprium cum missa jam a dicta sacra Rituum congregatione die x. julii MDCCCII. pro clero Arcis Rasae Sulmonensis dioecesis adprobatum, facta potestate legendi brevem additionem ad sextam lectionem a dilecto filio Nostro Julio Maria Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali de Somalia nuncupato ejusdem sacrorum Rituum congregationis praefecto, et dilecto filio magistro Hieronymo Napulionio fidei promotore revisam, sequentis videlicet tenoris.

Tenor lectionis adprobatae a promotore fidei.

§. 3. Singularis vero pietas, ac veneratio erga sanctum martyrem Hippolytum in pervetusto Tamarae oppido Palentinae dioecesis elucet: nam et ecclesia parochialis, in ejusdem sancti martyris honorem magnificentissime constructa extat, pia catholicorum regum liberalitate, et munificentia amplissimis privilegiis munita, pretiosisque muneribus locupletata, et cives ab antiquissimo tempore eum tamquam principalem patronum celebrant, ac venerantur, cujus reliquiis gaudent, precibus se se assidue commendant, atque intercessione plurima, ac mirabilia a Deo beneficia saepe consequuti sunt, et deinceps se consequuturos sperant, quotannis in die festo ejusdem s. Hippolyti recitari possit auctoritate apostolica, tenore praesentium, indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae villae consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die tertia januarii millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno sexto.

CCCCIV.

Dat. die 3. jan. 1806. Anno VI.

Concessio officii proprii ritus duplicis majoris in honorem ss. Cordis Jesu pro monialibus asceterii de Belen civitatis Hispalensis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum, et ratio concessionis.

§. 1. Cum sicut dilectae in Christo filiae moniales asceterii de Belen nuncupati Hispalensis civitatis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsae ad nimiam Christi Domini patientis, et pro humani generis redemptione morientis charitatem ferventius recolendam sacratissimi Cordis Jesu cultum, et venerationem in dies augeri summopere cupiant; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, referente Julio de Carpineo sac. Rituum congregationis secretario, ut quotannis ab iisdem monialibus in feria sexta post octavam solemnitatis sanctissimi Corporis Christi officium proprium ritu dup. mai. in honorem sacratissimi Cordis Jesu, jam a felicis recordationis Pio pp. VI. praedecessore nostro

pro regnis Portugalliae et Algarbiorum, adprobatum recitari: nec non a sacerdotibus cunctis in earumdem monialium ecclesia sacrum facientibus missam praefato officio conformem celebrari libere, et licite possint et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti monasterii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die tertia januarii millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno sexto.

Dat. die 14. jan. 1806 Anno VI.

CCCCV.

Guardianis sancti Sepulchri Terrae Sanctae conceditur facultas conferendi sacramentum confirmationis catholicis latini ritus, caeteris omnibus penitus exclusis.

Dilecto filio Bonaventurae a Nola ord. fr. min. observant. sancti Francisci professori, et sancti Sepulchri Domini Nostri Jesu Christi, custodi et guardiano.

Pius PP. VII.

Dilecte fili salutem, et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§. 1. Religionis zelus, vitae, ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, et virtutum merita, super quibus apud Nos fide dignis commendaris testimoniis Nos adducunt ut te specialibus favoribus, et gratiis prosequamur liberales.

Tenor concessionis.

§. 2. Christi itaque fidelium latini ritus catholici, qui in locis degunt Terrae Sanctae, ubi tu s. Sepulchri Domini Nostri Jesu Christi custos, et gardianus existis, spiritualibus indigentiis opportune consulere, teque, de cujus fide, zelo, et virtute plurimum in Domino confidimus, specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium congregationis de Propaganda Fide praepositorum consilio tibi extraordinariam facultatem conferendi sacramentum confirmationis auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus, et impertimur, sub lege tamen atque declaratione, quod tu sacramentum hujusmodi nec administres, nec administrare valeas, nisi praedicto tuo durante munere, nisique catholicis latini ritus dumtaxat in Terra Sancta, ejusque districtu habitantibus, nullatenus vero catholicis aliorum rituum, pro quibus confirmandis nullam tibi potestatem conferre intendimus, immo eam, si forte alias custodibus et guardianis pro tempore s. Sepulchri concessa extiterit, expresse adimimus, et in hac parte quibuscumque apostolicis literis Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum, ac praesertim constitutioni sanctae memoriae Benedicti XIV. Nostri itidem praedecessoris, quae incipit *Demandatam*, penitus derogamus; quodque tu hujusmodi facultate utaris, utique debeas in omnibus, et per omnia semper ad normam instructionis per memoratam congregationem die quarta maji millesimo septingentesimo septuagesimo quarto editae, tibi injungimus atque praecipimus: salva in praemissis auctoritate eorumdem cardinalium.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quarta

januarii millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno sexto.

Dat. die 21. jan. 1806. Anno VI.

CCCCVI.

Facultas concessa administratoribus montis Pietatis Civitatis Castelli alienandi certis legibus, et conditionibus nonnulla bona, ut ex pretio retrahendo augeri valeat peculium erogandum in solamen pauperum.

Venerabili fratri episcopo Civitatis Castelli.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Nuper exponi Nobis fecerunt dilecti filii rector, et administratores montis Pietatis istius Civitatis Castelli, bona prius ad ecclesiam B. M. V. vulgo isthic dictae Pontis Eburnei pertinentia, postmodum vero per apostolicas Nostras in simili forma brevis die vigesima septima septembris millesimo, octingentesimo quinto, expeditas literas eidem monti applicata, haud levi oneri manere monti propter expensas, quae pro bonorum administratione sunt opus, nulli vero prope utilitati pauperibus, quorum intuitu applicatio hujusmodi ordinata potissimum fuit, quum bona tanta non sint, nec tantam in fructum annuum pecuniam afferant, quanta egenis aliquid in dies pignore postulantibus commodari oportet. Quapropter, ut major conflatur copia numeratae pecuniae, qua satius mons flagitationibus pauperum praesto esse valeat, videri exponentibus illud in hanc rem valde posse conferre, nimirum si de dictae ecclesiae bonis tum aedes, seu aedificia quaecumque (non tamen ecclesia ipsa, nec domus usui cappellani assignata) tum praedia, quae a publicis agrorum peritis consulto ad id demandatis aestimata jam sunt pretio scutatorum termille centum quinquaginta duorum, ac obul. sexaginta, vendentur, et venditio fiat praevia affixione edictorum, et cum accensione candelae, liberaque auctione vigesimae, et sextae; excipiendo tantum favore seminarii dioecesani duo terrena, quae in peritorum cathalogo numero octavo, et nono recensentur, et ab ipsis peritis ibi in summa scutorum quingentorum viginti quinque aestimantur, quaeque si ii, qui seminarii praesunt administrationi, emere pro seminario optaverint, enunciatis cauthelis atque formalitatibus in caeterorum venditione bonorum omnino adhibendis, possint seminarii gratia licite non submitti, eique solute dictae aestimationis pretio libere tradi; rogare idcirco exponentes, humiliterque exorare, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur bono, et commodo pauperum magis magisque consulere, ac ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ipsorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut constito tibi prius de narratis, et quatenus majori pauperum emolumento id fore cessurum in Domino judicaveris, eisdem exponentibus supradictae ecclesiae bona tam in aedibus, aedificiis, quam in praediis consistentia vendendi sub cauthelis, et conditionibus superius expressis, excepto ab his tantum seminario quoad duo terrena praememorata, extimatisque ante venditionem aedibus per peritos, uti aestimata sunt praedia, licentiam et facultatem auctoritate Nostra apostolica pro tui arbitrio, et conscientia gratis impertiaris, ita tamen ut ab hac aedium, seu aedificiorum venditione sarta, tectaque prorsus sit ipsa ecclesia, serveturque cum ea etiam domus pro cappellano, ac proviso per te, quod firmae semper maneant, vigeantque forma, ac dispositio praedictarum Nostrarum literarum quoad eamdem ecclesiam; quodque pecunia ex bonis venditis retrahenda in montis capsa ad pauperum pignorationes fideliter et custodiatur, et erogetur. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque etiam speciali mentione, ac derogatione dignis non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima prima

januarii millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno sexto.

CCCCVII.

Dat. die 24. jan. 1806. Anno VI.

Canonicis, et dignitatibus ecclesiae collegiatae civitatis Liburnii dioecesis Pisanae conceditur facultas utendi palmari, vulgo bugia.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes peculiaria interdum privilegia ecclesiasticis viris, qui almae veluti Sionis aemuli divinas laudes in templis magis conspicuis quotidie concinunt, concedimus, ut ipsi per externas quoque hujusmodi honorificentias excitati, internarum virtutum splendore praelucere satagant in domo Domini.

Expositio precum. §. 2. Cum itaque, sicut dilecti filii dignitates, et canonici insignis collegiatae ecclesiae oppidi civitatis nuncupati, Liburni Pisanae dioecesis, Nobis nuper exponi fecerunt, collegiata ipsa, templi amplitudine, sacrarum supellectilium copia, sacerdotum probitate, et doctrina, populique frequentia, ac devotione non mediocriter inter alias illius regionis ecclesias floreat, multum splendoris ad eam accederet, ac divinus cultus, fideliumque devotio majora ibi incrementa susciperet si dignitates, et canonici praedicti aliqua nova praerogativa jam alias sibi a Nobis pro solemnioribus tantum functionibus concessa, etiam pro reliquis presbyteralibus functionibus per Nos, et hanc s. Sedem decorentur; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis, opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati modernis et pro tempore in perpetuum existentibus dictae collegiatae ecclesiae dignitatibus, et canonicis, ut ipsi in sacris solemniter, et privatim faciendis, ac aliis quibuscumque praesbyteralibus functionibus tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in aliis quibuslibet ecclesiis, et oratoriis, seu capitulis in eodem oppido, ejusque territorio, dumtaxat existentibus, palmari, vulgo bugia uti libere, et licite possint, ac valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus, ipsosque desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit dictae collegiatae ecclesiae etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis, quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro pleno, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quarta januarii millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno sexto.

CCCCVIII.

Dat. die 24. jan. 1806. Anno VI.

Confirmatio regularum reformatarum pro monialibus tertii ordinis sancti Francisci de Assisio urbis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Nuper Nobis dilectae in Christo filiae superiorissa, ac moniales expressae tertii or-

dinis sancti Francisci de Assisio, translatae a monasterio sanctae Clarae de urbe in novum monasterium reformationis auctoritate Nostra in via, quae dicitur gratiosa, apud sanctam Mariam Majorem recens erectum, aliaeque simul moniales, quae post erectionem monasterii hujusmodi ibidem pariter professae sunt, exponi fecerunt, conditas, perscriptasque nunc esse pro ultimo hujus reformationis implemento constitutiones, seu regulam modo, forma, et tenore, prout hic e vestigio sequitur, videlicet.

Regola della riforma delle monache del terz' ordine di san Francesco.

Cap. I.

Della clausura.

De clausura. I. §. 2. Le monache di questo santo istituto tanto coriste, quanto converse in tutto il tempo della vita loro sieno obbligate a vivere in perpetua clausura secondo i canoni della chiesa, e i decreti de' sommi pontefici.

II. Le porte, tanto quella del monastero, quanto quella dell' orto, e le grate sieno ben custodite.

III. Non si permette giammai di andare a parlare alla porta, e molto meno d' ivi mettersi a sedere a porte aperte.

IV. Non sarà lecito di andare alle grate del parlatorio senza il permesso della madre superiora, o senza l' ascoltatrice.

Cap. II.

Delle rendite, e vita comune.

De redditibus, et vita communi. I. §. 3. Il monastero dovrà avere le sue rendite, con cui si possano sostenere le religiose, corrispondenti al numero di questo.

II. Di queste rendite si terrà esatto conto, e saranno esattamente amministrate sotto la vigilanza de' superiori.

III. Resta in perpetuo proibita ogni particolarità in tutti i monasteri di questo sacro istituto; ma tutte le religiose dovranno vivere in vita perfettissimamente comune delle rendite suddette, e con lavori delle loro mani, il prezzo de' quali si dovrà sempre mettere in comune per minimo che sia.

IV. Tutte egualmente averanno il medesimo vestiario, il medesimo vitto sufficiente, qual si conviene alle vere poverelle di Gesù Cristo.

Cap. III.

Dell' ammissione, vestizione, e professione.

I. §. 4. Niuna sia ammessa dal secolo all' abito santo di quest' istituto, se prima non sia ben provata la sua vocazione, ed a cui non sieno state dette le cose dure, per le quali si cammina a Dio, e che in quest' ordine, di necessità si debbono osservare interamente, ed essa non le abbracci volentieri. De admissione, vestitione, et professione monialium.

II. Niuna si riceva di molta età (eccettuate le religiose, che da qualche altro monastero di vita particolare volessero passare a questo) niuna secolare inferma, niuna, che o per la poca attitudine, o per mancanza d' intendimento sia giudicata insufficiente ad osservare questa vita e regola. Ognuna dovrà essere accettata in capitolo almeno colla maggior parte de' voti, che superi la metà, premessa sempre l'orazione comune, e l' informazione da farsi dalla superiora.

III. Entrata la zitella, sia subito consegnata alla maestra delle novizie; e sia provata per sei mesi almeno prima di vestire l' abito religioso.

IV. Terminata la prova, si terrà capitolo, ed in esso si prendano i voti segreti. Se la postulante avrà la pluralità de' voti, che superi almeno la metà a suo favore, s' intenderà ammessa; altrimente s' intenda esclusa.

V. La vestizione si farà per le mani del cardinal vicario, o di chi sarà da lui destinato a far le sue veci, e vestita che sia la novizia, sarà subito consegnata alla maestra per attendere con ogni studio, e fervore all' acquisto delle sante virtù per divenire una perfetta religiosa.

VI. Sia il noviziato in luogo appartato, ivi le novizie saranno in prova per un anno prima di essere ammesse alla professione, sotto la direzione e disciplina della maestra, la quale tutta s' impiegherà in coltivare lo spirito delle novizie, istruendole in tutto quello, che appartiene a questa regola, e modo di vivere, ed all' acquisto di quella perfezione, alla quale le religiose di quest' ordine sono chiamate da Dio.

Digitized by Google

VII. Quindici giorni prima, che sia compito l'anno del noviziato coll' intelligenza e facoltà del superiore maggiore sarà la novizia proposta in capitolo per essere ammessa alla professione. Se nel capitolo avrà la maggior parte de' voti, che almeno superi la metà a suo favore, s' intenderà ammessa; altrimenti s' intenderà esclusa.

VIII. La superiora e le religiose qualora abbiano un giusto e ragionevole motivo di dubitare della presente idoneità della novizia, possono prolungare il noviziato per giorni, e fino anche a tre mesi, o ancora, se in tal tempo la novizia non si trovasse idonea, di negarle la professione, ed in tutto si regoleranno secondo che reputeranno convenirsi al servizio di Dio, e del monastero, guardandosi da ogni rispetto umano.

IX. La solenne professione dovrà farsi in mano del cardinal vicario, o di chi sarà da lui destinato a fare le sue veci pronunziando la novizia ad alta voce, e distintamente le seguenti parole: — Io N. N. prometto a Dio, ed alla Beata Vergine Maria, ed al padre san Francesco, e alla madre santa Chiara, ed a tutti i santi, ed all'eminentissimo signor cardinal vicario nostro superiore (nelle diocesi al vescovo diocesano), ed a lei madre abbadessa di vivere tutto il tempo della mia vita secondo la regola del terz' ordine del padre san Francesco riformata, ed approvata dal nostro sommo pontefice Pio VII., vivendo in povertà senza proprietà, ed in castità, ed obbedienza, ed anche in perpetua clausura.

X. Le novizie professe restino un altr' anno dopo la professione loro nel noviziato nei medesimi esercizj, e sotto la disciplina della maestra, come nell' anno antecedente, nè abbiano voce in capitolo, se non quando le vocali sieno poche, cioè meno del numero di nove.

Cap. IV.

Del coro e degli esercizj di pietà.

De choro, et exercitiis pietatis.

I. §. 5. Le religiose professe da coro restano perpetuamente obbligate alla recita dell' uffizio divino intero, secondo il rito approvato dalla santa Chiesa per i frati minori. Quelle però, che sono sorelle serventi diranno venti quattro volte il *Pater Noster* a mattutino, alle laudi cinque, a tutte le ore minori sette per ciascuna, a vespero dodici, ed a compieta sette; e lo stesso modo si osservi nell' uffizio de' morti con questo però, che si aggiunga ad ogni *Pater Noster* un *Requiem aeternam etc.*

II. Si farà parimente in comune in coro almeno un' ora e mezza d' orazione mentale in ciascun giorno ripartitamente, cioè un' ora la mattina, e mezz' ora il giorno dopo vespero, o compieta, secondo la varietà delle stagioni.

III. Ogni giorno similmente in comune si farà in coro l' esame di coscienza, e prima di cena si farà la disciplina, eccettuati i giorni più solenni.

IV. Tutte le sorelle sieno obbligate ad intervenire a tutti gli atti comuni, eccettuate quelle, che saranno legittimamente impedite.

Cap. V.

Del confessore, e dei sacramenti della confessione, e comunione.

De confessario, et sacramentis poenitentiae, et eucharistiae.

I. §. 6. Sarà confessore ordinario del monastero un sacerdote secolare, dotato di tutte le qualità, che si richiedono ad un tanto uffizio, a cui saranno obbligate tutte le sorelle di presentarsi una volta la settimana.

II. Vi sia due volte all' anno lo straordinario, uno in un tempo degli esercizj spirituali, che si debbono fare ogni anno, e sia questo l' istesso direttore degli esercizi, e l' altro in altro tempo opportuno.

III. Niun confessore avrà la minima autorità di alterar questa regola.

IV. È permesso il fare la comunione ogni mattina a chi il confessore crederà bene di accordarla; ma la comunione di regola sarà in tutte le feste di precetto, dei santi, e beati dell' ordine, per cui vi sia indulgenza, e in tutti i mercoledì, e venerdì dell' anno. Le inferme, che stessero in letto, si comunicheranno ogni otto giorni durante la loro infermità, previo però sempre il consiglio del confessore e del medico.

Cap. VI.

Del cibo, e dell' astinenza.

De cibo, et abstinentia.

I. §. 7. Il cibo delle sorelle sarà grossolano, e non delicato, parco, ma sufficiente

Digitized by Google

anche di carne fuori del tempo, e de' giorni eccettuati dalla Chiesa, e le due quaresime, l'una da incominciarsi il dì della commemorazione de' Fedeli defonti fino al santo Natale, e l'altra otto giorni prima del mercoledì delle ceneri fino a Pasqua.

II. Nelle due quaresime, ed in tutti i venerdì, e sabbati dell'anno, ed in tutte le vigilie della Chiesa non sarà lecito cibarsi neppure de' latticini.

III. Nelle vigilie del padre s. Francesco, e della madre s. Chiara il digiuno è di obbligo; nei sabati dell'anno, e nella vigilia dell'Immacolata Concezione di Maria santissima, è di consiglio.

IV. In tutto il tempo della refezione si farà la lezione spirituale tanto a pranzo, quanto a cena, e questa non si dovrà giammai in nessun caso dispensare.

Cap. VII.

Della ricreazione, del riposo, del ritiro, del silenzio, e delle occupazioni delle sorelle.

De solatiis, silentio, aliisque caeteris sororum.

I. §. 8. Dopo la refezione comune, vi sarà un'ora di ricreazione parimente in comune. Potrà la superiora accordarne qualcun altra fra l'anno in tempo conveniente:

II. Si proibisce nel carnevale qualunque rallentamento, anzi si prescrive di stare in tal tempo più ritirate, e di essere più assidue all'orazione.

III. Nelle ricreazioni si guardi ognuna da discorsi vani, e di mondo, da critiche, e mormorazioni, e si rammentino sempre della modestia, e moderazione religiosa.

IV. La sera al segno del ritiro, ciascuna si ritiri nella sua camera, dalla quale non sarà lecito di più uscire fino all'ora del mattutino, se non per qualche urgente necessità.

V. Nell'estate si permette il riposo il dopo pranzo.

VI. Le sorelle dovranno amare la santa solitudine. Fuggano per quanto possono il parlatorio, e si guardino dal conversare tra di loro ancora, e di contrarre amicizia particolare con alcuna.

VII. Nel tempo del ritiro sarà rigoroso silenzio. Questo si osserverà dal ritiro della sera fino alla mattina terminato il coro un'ora dopo la santa comunione, ed ogni venerdì fino alla ricreazione del dopo pranzo. In coro, e in refettorio sarà silenzio perpetuo. In infermeria si potrà parlare per sollievo delle inferme. Fuori del tempo del silenzio si parli con voce bassa e moderata; e tutte le sorelle sieno amanti del poco parlare, ed amino anzi di vero cuore il silenzio tanto proprio di questo istituto.

VIII. Sieno ancora nemicissime dell'ozio, e perciò nei giorni di lavoro sieno intente a questo.

IX. Si proibiscono i lavori curiosi, e di grande attenzione, eccettuati quelli, che servono al culto del Signore.

X. Si lavori in comune, ed anche in tempo di ricreazione; in questa però si facciano soltanto lavori, che richiedono minore attenzione.

Cap. VIII.

Delle sorelle inferme, e defonte.

De sororibus infirmis, et defunctis.

I. §. 9. Vi sia l'infermeria appartata, che sia ben pulita, e si procuri, che i letti sieno buoni, e ben corredati.

II. Si abbia somma diligenza, e cura per le inferme, e queste sieno provviste di tutto il bisognevole, ancorchè per provvederle bisognasse levare qualche cosa alle sane.

III. Vi sia una sorella infermiera, ed una compagna, con due converse destinate al servizio delle inferme; e la superiora dovrà visitare spesso le inferme, informandosi, se nell'infermeria van tutte le cose con buon ordine, se l'infermiera, e le serventi fanno il loro dovere, e se tutte le inferme stanno soggette, ed obbedienti a quanto dall'infermiera, e dal medico loro si prescrive.

IV. Per ogni religiosa, che muoja, si facciano i suffragj seguenti. Si reciteranno tre offizj de' morti, si faranno celebrare cinquanta messe private, e due solenni: ciascuna farà due comunioni, e cinque visite al santissimo Sagramento.

V. Vi sia un libro, ove si registrino i nomi delle sorelle defonte in questa casa colle circostanze della morte di ciascuna.

Cap. IX.

Degli uffizj.

De diversis muneribus

I. §. 10. L'elezione dell'abbadessa si farà dalle religiose alla presenza del superior mag-

Digitized by Google

conferendis, et administrandis. giore, o d'altro da lui destinato a far le sue veci.

II. All'elezione si premetteranno ferventi orazioni, e nel dare il voto si guardi ognuna dalle proprie passioni, e dai riguardi umani, avendo sempre innanzi agli occhi la giustizia, il bene del monastero, e la gloria di Dio.

III. Si farà l'elezione a voti segreti nelle mani del superiore suddetto, o di altro da lui destinato, a quest'effetto, e quella, che di tre parti de' voti ne avrà due, sia dichiarata eletta superiora del monastero. Il suo uffizio non potrà durare più di tre anni, terminati, i quali cessa, e ne farà la dimissione, come per formalità si costuma nei monasteri, in mano del superiore; nè potrà di nuovo essere eletta, se non passato un triennio, senza l'indulto apostolico.

IV. La superiora non avrà mai autorità veruna di fare qualunque novità, o di alterare in minima parte la regola; ma suo dovere sarà di farla esattamente osservare da tutte, ed in ogni sua parte.

V. A lei si appartiene l'esercitare tutte le funzioni proprie del suo uffizio, e di presiedere con ogni sollecitudine, e diligenza, avendo sempre a cuore l'onore di Dio, ed il profitto spirituale delle sue figlie. Sia dunque la superiora spoglia d'ogni affetto particolare onde non mostri la minima predilezione, da cui possa nascere in alcuna, o scandalo, o invidia, o altro qualunque disturbo. Consoli le afflitte, sia il rifugio delle tribolate, onde non prevalga mai nelle deboli, per mancanza di consolazioni, il morbo della disperazione: corregga con modestia, e con materna carità le sue figlie e sorelle; e non comandi mai loro cosa alcuna, che sia contro la forma della professione, e lo spirito dell'istituto, ne mai sia precipitosa nel comandare, cosicchè per la indiscretezza dei precetti non si venga a porre alle anime qualche laccio di peccato.

VI. Tutte le monache del monastero debbano essere soggette all'abbadessa, e diligentemente obbedirla.

VII. Eletta l'abbadessa, e prestatale da tutte l'obbedienza, si proceda subito all'elezione di una vicaria, e di una maestra di novizie nel modo, che si è detto di sopra dell'abbadessa; con questa differenza, che per l'elezione di queste basta la maggior parte de' voti.

VIII. L'uffizio della vicaria sarà di stare negli atti della comunità presso all'abbadessa, ed in sua assenza tenere il suo luogo, precedere a tutti in ogni atto comune, in cui potrà ammonire, riprendere, correggere, ascoltar colpe, imporre penitenze, e fare tutto ciò che può fare l'abbadessa, e finalmente accompagnare tutti gli uomini, che dovranno entrare nel monastero.

IX. La vicaria non potrà fare novità alcuna, ma se vedesse qualche inosservanza in monastero, ne dee subito fare avvertita la superiora, e non rimediandoci questa ne faccia subito ricorso ai superiori maggiori.

X. Nell'elezione della maestra delle novizie in modo specialissimo procurino le religiose, che si scelga quella, che si conosce più spirituale, e ritirata, esemplare, prudente, zelante, distaccata, imparziale, tale in somma, che colle parole, e coll'esempio dia luce, e possa così santificare le sue discepole; e se il soggetto eletto per maestra si conoscesse manifestamente non essere a proposito, il superiore potrà dichiarare nulla l'elezione.

XI. L'uffizio della maestra sarà di invigilare, d'istruire, e di correggere con ispirito di carità le sue novizie, ed in assenza della vicaria tenere il suo luogo nel refettorio, e nella ricreazione.

XII. Si eleggeranno, dopo elette la superiora, vicaria, e maestra di novizie, tre discrete le più mature, e prudenti tra le religiose, parimente a voti segreti, e nel modo poco anzi detto, e queste saranno come consigliere dell'abbadessa in tutte le cose di qualche ponderazione, e specialmente negli affari di economia.

XIII. Tutte le altre offiziali, quali sono la ruotara, sagrestana, infermiera, pannara, portinara, dispensiera, e canevara si eleggeranno dalla superiora in ciascun anno; e non riuscendo alcuna di queste nell'uffizio, la madre abbadessa col parere della vicaria, e delle discrete potrà rimuoverla, e sostituirne un altra, che si giudicherà a proposito.

XIV. Gli uffizi di settimana sieno fatti da tutte indifferentemente, ed in quelli di maggiore umiltà si eserciti la superiora, quanto può, per dare in tutte le cose il buon esempio. Da questi uffizi s'intende eccettuata la maestra, quando ciò avesse da recar pregiudizio all'assistenza necessaria alle novizie.

Digitized by Google

XV. Finalmente sia regola generale da osservarsi sempre inviolabilmente, e costantemente in quest' istituto, che giammai non diasi offizio alcuno, a chi mostri di desiderarlo.

Cap. X.

Della correzione.

De correctione adhibenda.

I. §. 11. Tre giorni alla settimana, cioè lunedì, mercoledì, e venerdì tutte le novizie prostrate a terra si accusino de' proprj, e pubblici mancamenti in refettorio prima di pranzare, e la superiora correggerà, e darà convenienti penitenze.

II. Tutte le religiose in tutte le vigilie di Maria santissima, ed in altre diranno la loro colpa genuflesse in coro prima di andare al riposo.

III. Ogni ultimo venerdì del mese e in altro giorno dell' ultima settimana la superiora terrà capitolo alle sorelle per la correzione delle pubbliche negligenze, e mancamenti, e ciò si farà in coro, dal qual capitolo niuna sarà esentata.

IV. In questo capitolo la superiora farà una breve esortazione. Le religiose per ordine diranno la loro colpa, ascolteranno umilmente la correzione, riceveranno la penitenza, e gli avvisi che la madre superiora darà in comune per mantener l' osservanza.

Cap. XI.

De' voti, e delle promesse.

De votis, aliisque promissionibus.

I. §. 12. Le religiose, che professano questo s. istituto, come spose del figlio di Dio, e come figlie dell' immacolata Vergine sua Madre, e del suo padre nutrizio s. Giuseppe, e del patriarca de' poveri s. Francesco, e della lor madre s. Chiara hanno particolar obbligo di amare, e di osservare i santi voti.

II. Non basta secondo la speciale vocazione a questo santo istituto l' osservanza qualunque de' voti, ma procureranno le sorelle di osservarli con tutta la perfezione; onde spicchi in tali spose di Gesù Cristo una povertà effettiva, e cordiale, ed effettiva senza proprietà, una purità angelica ed eminente, un obbedienza in ogni parte perfetta.

III. Mostrando l' infelice esperienza, che ancora gli istituti più santi vanno a poco a poco in decadenza, e non sono di lunga durata nella primiera bell' osservanza; per quanto umanamente si può, per ovviare ad un sì luttuoso disordine, oltre le cautele prescritte di sopra, per maggiore e sicura stabilità e durazione dell' osservanza esatta della presente regola, tutte le sorelle dopo aver fatta la loro professione, faranno ancora la promessa avanti la madre superiora di osservare, e mantenere l' osservanza, quant' è dal canto loro, di questa regola, e di non alterarla giammai.

Cap. XII.

Del protettore, e visitatore.

De protectore et visitatore.

I. §. 13. Per assicurarsi sempre più dell' esatta osservanza della presente regola, vi sarà sempre un protettore, che invigili su di essa, quale sarà il cardinal vicario nella città di Roma, e fuori di essa, ove si fondassero monasterj di quest' istituto, sia sempre il proprio vescovo, nè mai le religiose di questo terz' ordine si cerchino altro protettore.

II. Sarà cura del protettore d' invigilare sull' esatta osservanza della regola, e di promuovere il bene del monastero specialmente col destinare sacerdoti idonei per confessori e predicatori.

III. Ad effetto di certificarsi, se tutte le cose in monastero vanno in buon' ordine, non si astenga dal visitare, ed ascoltare le religiose qualche volta, e conoscendone il bisogno, corregga, e riformi, come crederà opportuno.

IV. Oltre il protettore, vi sarà un visitatore, il quale sarà un sacerdote secolare maturo d' esperienza, e di irreprensibili costumi, approvato dal superiore maggiore.

V. Subito fatto il visitatore, gli sia consegnata la regola, letta la quale, egli cerchi con gran diligenza di sapere con verità la condotta dell' abbadessa, e delle monache tanto in generale, quanto in particolare di ciascuna; onde conosca bene le sue pecorelle, per ben governarle, come pure di venire in cognizione dell' osservanze della regola per ripararne le trasgressioni.

VI. I monasterj di questo terz' ordine sieno visitati almeno una volta all' anno, ed il parlatorio sia visitato frequentemente, e talora segretamente, e all' improvviso parimente dal padre visitatore.

VII. Si proibisce severamente sotto gravi gastighi sì all' abbadessa, che alle altre religiose il celare al visitatore cosa alcuna dello stato del monastero; anzi si comanda, che tutte quelle cose, le quali avranno bisogno di essere stabilite, o corrette secondo la formola della regola, e vita loro, sieno scoperte, e conosciute in pubblico, od in segreto al visitatore, come si conoscerà meglio, al quale in tutte le cose, che all' uffizio di visitatore appartengono, o alla visita, sieno tutte obbligate ad obbedire interamente senza eccezione veruna, neppure dall' abbadessa.

VIII. Al visitatore ancora appartiene d'invigilare, e vedere se il confessore, tutti gl' inservienti al monastero fanno il loro dovere; ed egli riformi, ed emendi tutto ciò, che crederà aver bisogno di riforma, e di emendazione.

IX. Finalmente si dichiara, che la presente regola per se stessa non obbliga a peccato, prescindendo dal disprezzo della medesima; e quando non concorra altra obbligazione, che astringa a peccato. Si rammentino però le religiose; che ogni volontaria trasgressione della medesima, anche nella minima sua parte, ella è una imperfezione, la quale se vogliono essere perfette, come debbono volere, hanno ad evitare a tutto potere; e che dalla perfetta osservanza della regola dipende la loro santificazione.

Cardinalis vicarius regulam probavit.

§. 14. Hanc regulam pro monialibus reformatis tertii ordinis sancti Francisci Assisiensis a nobis jussu sanctissimi domini nostri Pii pp. VII. diligenter perlectam, et consideratam approbamus, quantum in nobis est et si ita placuerit eidem Sanctitati suae.

Datum ex aedibus nostris feria sexta die decima septima januarii millesimo octingentesimo sexto, qui die sacer est sancto Antonio abbati.

Loco ✠ signi.

Julius Maria card. De Somalia ss. d. n. in urbe vicarius generalis etc.

Preces porrectae pro obtinenda confirmatione apostolica.

§. 15. Ut autem hae constitutiones, seu regula firmius subsistant, exactiusque ab omnibus monialibus, quae reformationem praedictam amplexatae jam sunt, quae tam in eodem monasterio, quam in aliis amplexaturae postmodum fuerint, perpetuis futuris temporibus observentur, apostolicae approbationis, et confirmationis Nostrae munimine eas roborari summopere desiderant: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor confirmationis.

§. 16. Nos igitur easdem exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati: praeinsertas constitutiones, seu regulam cum omnibus, et singulis ibi contentis auctoritate apostolica tenore praesentium ratas, validas, probatasque habemus, et declaramus, ac plenarie confirmamus, perpetuumque, ac inviolabile apostolicae firmitatis robur illis adjicimus, ac omnes, et singulos sive facti, sive juris defectus, si quos desuper quomodolibet intervenisse contigerit, sanamus atque supplemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 17. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, in integros effectus sortiri, et obtinere, ac monialibus praemissae reformationis plenissime suffragari, et ab omnibus ad quos spectat, ac spectabit pro tempore in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 18. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quarta januarii millesimo octingentesimo sexto, pontificatus nostri anno sexto.

CCCCIX.

Dat. die 24. jan. 1806. Anno VI.

Ampliatio privilegiorum ecclesiae beatae Mariae virginis ab Angelo salutatae in coenobio fratrum ordinis Servorum beatae Ma-

riae Virginis Florentiae, illiusque erectio in basilicam, cum concessione poenitentiarii instar basilicae Lauretanae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Quod divino afflata spiritu beatissima, ac gloriosa Dei genitrix Virgo Maria de se ipsa praenuntiavit; generationes omnes beatam illam nuncupaturas, id sane non modo prioribus Ecclesiae saeculis impletum novimus, quum toto terrarum orbe ad ejus honorem templa aedificata fuerint, atque arae erectae; verum etiam aucta quotidie magis fidelium pietate erga amantissimam parentem Nostram ac gratiarum omnium dispensatricem majori semper devotionis ardore, alia aliis successerint monumenta pietatis, et quaedam praesertim loca, inscrutabili Dei consilio, constituta sint, in quibus peculiari beatae Virginis intercessione quaedam mira eveniunt, quae in aliis haud aeque contigisse novimus. Siquidem omnipotens Deus, qui in spiritu, et veritate ubique gentium est adorandus, vult tamen promptius, atque abundantius exaudire clamantes filios in uno potius, quam in alio loco, ut, quemadmodum sua dona dividit, atque ubi vult spirat; ita quoque plane admirando providentiae genere, ampliora suae gratiae munera identidem largiatur iis, qui Deiparae intercessionem ante unam potius, quam alteram imaginem, in uno praesertim, quam in alio templo ferventius, ac prolixius implorant.

Descriptio templi, illiusque praestantia.

§. 2. Extat Florentiae coenobium fratrum ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis, eique adjacet templum quinque, et ultra ab hinc saeculis excitatum in honorem ejusdem beatae Mariae Virginis, ibique colitur veneranda ejusdem imago sub invocatione mysterii, dum fuit ab angelo salutata, et divini partus vaticinio praemonita, quae non modo ab illius urbis, ac finitimarum Etruriae civitatum incolis, sed ab exteris etiam Italiae, ac remotarum regionum populis ad eamdem urbem accedentibus magno pietatis ardore invisitur, et frequentatur. Nec frustra: nam praeter innumeras spirituales gratias, quas rite patrocinio virginis confidentibus largitur Deus, saepe etiam manifestis signis, ac miraculorum gloria coruscat.

Portenta, et spirituales gratiae quibus coruscat recensentur.

§. 3. In hac sacra aede, atque ante dictam beatae virginis iconem, sanctus Philippus Benitius coelesti ejusdem beatae Mariae visione recreatus in familiam ejus servorum cooptari meruit, et sanctae Julianae Falconeriae ordinis monialium Mantellatarum nuncupatarum institutricis solemnia vota recepit. Sic etiam sanctus Aloysius Gonzaga ante eamdem beatae virginis imaginem procumbens virginitatis voto sese obstrinxit, et sanctus Carolus Borromaeus tanta in eamdem imaginem devotione exarsit, ut ejus exemplar affabre depictum in metropolitana Mediolanensi ecclesia publico fidelium cultui exposuerit. Multi etiam ex Romanis pontificibus praedecessoribus nostris eodem pietatis ardore in beatam virginem, ejusque sacram imaginem inflammati non solum Florentiam accedentes ad eamdem beatae virginis aedem ejus imaginem veneraturi se contulere; sed eam praecipuis etiam honoribus, gratiis, ac privilegiis ornare nunquam destiterunt.

Laudes reginae Etruriae, et populi Florentini.

§. 4. Praeclare autem accidit Nobis in Galliam profecturis, quod charissima in Christo filia nostra Maria Aloisia Etruriae regina Nos invitavit ut penes ipsam hospitaturi, iter per Florentiam capesseremus, et sacramentum confirmationis Ludovico regi ejus filio praeclarae indolis, summaeque expectationis puero impertiremur. Itaque gratissima Nobis, ac jucundissima oblata est occasio testificandae charitatis ac benevolentiae erga pientissimam reginam, atque etiam declarandi animi Nostri sensum erga dilectissimos Etruriae populos, ac Florentinos praesertim, quorum pietas ac religio jam a primis Ecclesiae saeculis a divo Ambrosio laudata, quum basilicam sancti Laurentii dedicaret, in Nostro adventu maxime enituit. Nam praeeunte ipsa regina tota fere civitas suis quasi convulsa sedibus ad Nos excipiendos procedere visa est, et in templum Sancti Spiritus deduxit, ac deinde ad regale palatium, in quo magnificentissime, ac regio cultu excepti fuimus, comitata est. Uno dumtaxat die Florentiae morati sumus, quoniam maturare iter in Galliam oportebat. Quod quidem tam breve temporis spatium multis in expediendis negotiis in sanctimonialium sanctae Mariae Magdalenae de Pazzis asceterio visitando, ut ejusdem virginis, ac beatae Mariae Bagnesiae sacras exuvias in eo reconditas veneraremur, ac earumdem sanctimonialium

Digitized by Google

pietati, quam ipsa regina sua praesentia auget et promovet satisfaceremus, ac demum in explendis maximo cum apparatu, ac pompa caeremoniis pro administrando Ludovico regi sacramento confirmationis, quasi brevis hora transvolavit, nec publicum aliquod studii Nostri signum erga aedem virgini sacram edere in tanta temporis angustia permissum fuit.

Idem ut supra.

§. 5. Quod cum non leviter ac perfunctorie praestandum esse jure, meritoque arbitraremur, jam tunc praeconcepimus animo in reditu ad eamdem urbem Nostrae huic devotioni in Deiparam plenissime satisfacturos. Itaque quum e Gallia reduces Florentiam venimus, ibique eodem, atque etiam splendidiore apparatu, confertissimaque populi frequentia ab eadem regina excepti fuimus, praecipua statim Nobis cura fuit, cum solemni pompa ad templum beatae Mariae virginis accedere, ibique palam, ac publice sacris operari. Indicta igitur die feria quinta, nona maji pridie festum sancti Antonini archiepiscopi Florentini ad templum illud solemni pompa accessimus, et a cardinalibus qui Nostri itineris socii erant, a cardinali Zondadario archiepiscopo Senarum, aliisque episcopis, qui ad eam urbem declarandi obsequii erga Nos sui causa ex tota Etruria convenerant, ad majorem portam recepti fuimus; dehinc ad aram principem procedentes sacras induimus vestes, et sacrosanctum missae sacrificium Deo obtulimus pro incolumitate reginae, ejusque sobolis, pro salute populi Florentini, tota interim ecclesia hymnis et canticis mirifice personante. At quod omnium admirationem maxime excitavit, fuit ipsamet regina: anteverterat Nos illa in templum, et effusa in preces, ac toto corporis habitu ad modestiam composito, ac pietatem in Deum praeseferente, et sacrificio interfuit, eucharisticum panem Nobis illi porrigentibus sumpsit. Quanta intimos animi Nostri sensus consolatione, ac gaudio perfuderit tanta fidei, ac devotionis testificatio, vix ac ne vix quidem verbis persequi posse credimus. Confectis in ara templi principe solemnibus sacris, ad sacellum Beatae Mariae Virginis perreximus, atque ante ejus imaginem flexo genu procubuimus, recitatisque cum cantu litaniis Lauretanis Dei Genitricis opem, ac patrocinium pro universa Ecclesia, pro summorum principum, ac totius catholici gregis Nobis immerentibus ex alto commissi salute, ac prosperitate imploravimus. Inde ad palatium redivimus; et valde optantes tam laetum, ac faustum diem nova, ac grati animi Nostri erga reginam, suamque Florentinam urbem significatione concludere, pontificalibus ornamentis contecti podium, quod despectat amplissimum forum, conscendimus, benedictionem cum indulgentia plenaria innumerabili fere hominum multitudini ex tota Etruria congregatae solemniter impertivimus.

Ratio concessionis.

§. 6. Praeclarissimae hujus rei gestae memoriam interire minime volumus, quae non modo confert ad augendam illius templi celebritatem, sed etiam ad praedicandam tam illustris reginae pietatem, totiusque Florentinae urbis religionem confirmandam. Scimus quidem nonnullos Romanos pontifices praedecessores Nostros illic sacrificium Corporis, et Sanguinis Christi obtulisse. At nec veterum annalium monumentis proditum est, nec novimus transactis temporibus cum tanto decore, ac pompa in conspectu totius Florentinae urbis, ipsaque regia majestate tanta pietatis, ac religionis documenta exhibente, festum ullum diem fuisse celebratum. Quamobrem primum, ut devotioni Nostrae erga imaginem Beatae Mariae Virginis in eo templo asservatam satisfaciamus; et ut magis, magisque ejusdem Dei genitricis tutelae, ac patrocino pientissimam Etruriae reginam, ejusque egregiae indolis, summaeque spei sobolem, populumque fidelissimum, atque amantissimum sibi subjectum commendantes, luculentum prolixae, ac propensae in illam, totamque Etruriam voluntatis, et studii Nostri testimonium praebeamus; ac demum ut festi illius diei grata a posteris recolatur memoria, amplioribus gratiis, honoribus, indultis, ac privilegiis templum illud in honorem Deiparae ab angelo salutatae dicatum perpetuo ornare, ac decorare decrevimus.

Confirmantur veteres concessiones et conceditur indulgentia plenaria pro iis qui templum visitaverint die nona mensis maji.

§. 7. Nos igitur motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine omnia, et singula indulta, ac spiritualia privilegia a Nicolao IV., Martino V., Eugenio IV., Leone X., aliisque Romanis pontificibus praedecessoribus nostris praedictae ecclesiae Beatae Mariae Virginis ab angelo salutatae, concessa, dummodo non sint actu revocata, seu sub aliqua generali revocatione comprehensa, sed in vi-

ridi sint observantia, apostolica auctoritate approbamus, confirmamus, et innovamus; ac praeterea omnibus, et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui eamdem ecclesiam ab ortu usque ad occasum solis diei nonae mensis maji singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino perpetuo concedimus, et impertimur.

Erectio in basilicam.

§. 8. Praeterea praefatam ecclesiam in basilicam minorem cum omnibus, et singulis privilegiis, gratiis, praeeminentiis, exemptionibus, et indultis, quibus aliae basilicae minores quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere consueverunt, auctoritate, et tenore praesentium erigimus, et talem ex nunc et in futurum etiam perpetuo esse, et fore, eamque ecclesiam basilicam nuncupari, et haberi praecipimus, et mandamus.

Concessio poenitentiariorum.

§. 9. Ac demum ut christifidelium ad eamdem ecclesiam confluentium, et peccata sua sacramentaliter confiteri cupientium spirituali saluti consulamus, inhaerentes apostolicis literis sub annulo piscatoris datis Tusculi die vigesima quinta octobris anni MDCXXIV. a fel. rec. Urbano VIII. praedecessore Nostro, dilecto filio moderno, et pro tempore existenti priori coenobii ejusdem sanctissimae Virginis Mariae ab angelo salutatae, ut quatuor ejusdem domus fratres, quos ad id idoneos, vitaque et moribus conspicuos cognoverit, in dicta ecclesia poenitentiarios constituere, et deputare possit, et valeat, concedimus, et indulgemus, dummodo ab ordinario examinati, et probati fuerint: ipsis vero poenitentiariis sic constitutis, et deputatis, ut omnibus, et singulis facultatibus, quibus poenitentiarii almae domus Lauretanae utuntur, potiuntur, et gaudent, similiter uti, potiri, et gaudere libere, et licite respective possint, et valeant simili apostolica auctoritate tenore praesentium facultatem tribuimus, et impertimur: ita tamen ut singuli, sicuti praefertur, a priore coenobii nominati, et ab ordinario approbati priusquam poenitentiarii munere fungantur, literas patentales cum elencho suarum facultatum a Nostro cardinali majori poenitentiario petere, et impetrare teneantur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 10. Decernentes easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque perpetuo validas, et efficaces esse, suosque integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus ad quas nunc spectat, et pro tempore spectabit in futurum firmiter, et inviolabiliter observari; sicque, et non alias, in praemissis per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales de latere legatos, vice legatos, et apostolicae Sedis nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 11. Non obstantibus quibusvis in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet facientibus: quibus omnibus, et singulis scientia, et potestatis plenitudine paribus tenore praesentium specialiter, et expresse ad praemissorum validissimum effectum derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quarta januarii, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno sexto.

igitized

Inscriptio ad rei memoriam in templo servandam exculpta.

§. 12. *Iscrizione.*

PIO . VII. PONT. MAX.
QVI . AEDEM . B. M. V. AB . ANGELO . SALVTATAE
PRO . PONTIFICIA . MAIESTATE . INTROGRESSVS
VII . ID. MAIAS . cIɔIɔcccv
SACRIS . IBIDEM . FACTIS . DEQVE . HS . MEMORABILI . EXEMPLO
M. ALOISIAE . TVSCORVM . REGINAE . PIENTISSIMAE . LIBAMENTO . DATO
ET . COLLEGIO . PP. SERVORVM . DEIPARAE . AD . PEDIS . OSCVLVM
PERAMANTER . ADMISSO
HAEC . EI . ROGATV . ETIAM . PRINCIPIS . CLEMENTISSIMAE
PRIVILEGIA . IN . PERPETVVM . IRROGAVIT
VTI . HAEC . AEDES . BASILICAE . NOMINE . ET . IVRE . AVGEATVR
VTIQVE . POENITENTIARII . IV. AB . VRBANO . VIII. PONT. MAX. INDVLTI
IIS . LEGIBVS . QVAE . LAVRETANAE . DICTAE . SVNT
AMPLIATIS . ETIAM . FACVLTATIBVS . ADPROBATIONE . SVA . IN . EA . PERSTENT
DIE . VERO . VII . IDVS . MAIAS
VT . SI . QVI . INTRA . EIVS . SEPTA . RITE . ADORAVERINT
IIS . POENAE . ADMISSORVM . STATAE . OMNES . RELAXENTVR
PARENTI . PVBLICO . OPTIMO . INDVLGENTISSIMO
COLLEGIVM . SVP. SCR. TABVLAM . MARMOREAM . INSCVLPTAM
OB . PRAECLARA . ATQVE . IMMORTALIA . ERGA . HVNC . LOCVM
MERITA .

Dat. die 21. jan. 1808. Anno VI.

CCCCX.

Confirmatio contractus initi a R. C. A. cum eximio sculptore equite Antonio Canova, super concessione latifundii nuncupati la Farnesina.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Pro parte dilecti filii equitis Antonii Canova, egregii in alma urbe Nostra sculptoris expositum Nobis nuper fuit, quod, praevio Nostro die XXII. maji anni superioris edito rescripto, publicum instrumentum per acta dilecti filii notarii cameralis Toschi die XXVIII. ejusdem mensis, et anni inter ipsum, et dilectum filium magistrum Alexandrum Lanti, Nostrum et camerae apostolicae thesaurarium confectum fuit, cujus vigore latifundium vulgo la Farnesina, seu Torrevergata in agro Romano extra portam Flaminiam existens, atque ad dictam cameram pertinens eidem Antonio pro nunc quoad utilitatem, statim vero, ac emphiteusis actualis cum familia masculina Sicurani expirasset, in plenum quoque dominium concessum, et assignatum fuit, ea lege ut pro pretio ipsius latifundii summam septemdecim mille, et quingentorum quinquaginta scutorum monetae Romanae, sibi pro quibusdam eximiis statuis eidem camerae venditis debitam relaxaret, itemque annuum stipendium quadragentorum scutatorum monetae similis pro suo inspectoris artium liberalium officio compensaret, ac ipsorum contractuum per dictum instrumentum initorum adprobationem, et confirmationem per literas apostolicas intra tres tunc proximos menses procurare deberet, et alias, prout ex eodem instrumento, cujus tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus, asseritur contineri.

Preces pro confirmatione contractus.

§. 2. Cum autem sicut in eadem expositione additum erat, memorato Antonio intra dictum spatium temporis hujusmodi in Germaniam proficiscendum fuerit nunc urbem reversus pro majore dicti instrumenti robore, dictaeque conditionis adimplemento instrumentum ipsum per Nos confirmari summopere desiderat; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor confirmationis apostolicae.

§. 3. Nos igitur, qui ipsum Antonium pro summa ejus in arte excellentia, cum summa

morum integritate conjuncta peculiari quodam benevolentiae affectu complectimur, eumdem exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, praevia etiam, quatenus opus sit, quacumque necessaria, et opportuna super praefixione dicti termini, et lapsu temporis praedicti sanatione; memoratum instrumentum concessionis, et translationis dicti latifundii praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, et de verbo ad verbum pro inserto habentes, idem instrumentum cum Nostro thesaurario praedicto ab eodem Antonio initum, et peractum una cum omnibus, et singulis in eo contentis, et expressis conditionibus auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et adprobamus, illisque inviolabilis, ac perpetuae firmitatis robur adjicimus, omnesque juris, et facti defectus, si qui desuper in eo quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac dicto Antonio, aliisque ad quos spectat, et pro tempore spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam illis de rebus ad cameram praedictam spectantibus non alienandis; atque urbis Nostrae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesima prima januarii millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno sexto.

CCCCXI.

Dat. die 1. febr. 1806. Anno VI.

Confirmatio superiorum monasterii Claraevallensis ordinis Cisterciensis, et derogationes speciales ad sumptus parcendos in solamen ejusdem monasterii.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Pro debito pastoralis officii, quo catholicae Ecclesiae divina dispositione praesidemus, illorum praesertim Christi fidelium statui, et regimini consulendum Nobis esse arbitramur, qui relictis omnibus, sequuti sunt Redemptorem Dominum.

Ratio concessionis.

§. 2. Cum itaque sicut accepimus, monachis ordinis Cisterciensis tempus instet convocandi generale capitulum, ad formam dicti ordinis constitutionum auctoritate apostolica confirmatarum; cumque monasterium Claraevallense ob notissimas temporum circumstantias tanto aere alieno gravatum sit, ut idem monasterium vocalibus impar omnino reperiatur suppeditandis de more alimentis, et alia monasteria imparia sint subministrandis sumptibus pro itineribus faciendis, cumque praeterea nonnulla in dicto ordine immutari debeant, quae ad formam earumdem constitutionum a capitulo praedicto immutari possunt dumtaxat.

Confirmatio superiorum absque convocatione capituli generalis.

§. 3. Nos eidem ordini, seu congregationi, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, ac de infrascriptorum fide, prudentia, pietate, vigilantia, ac religionis zelo plurimum in Domino confisi, et ipsorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque

ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, dilectum filium Raymundum Giovannini jam alias per Nostras in simili forma brevis die XXI. julii MDCCCI. expeditas literas in praesidentem generalem ordinis praedicti electum, ad aliud proximum quinquennium a die cessati primi quinquennii computandum pro ejusdem generalis praesidentiae munere exercendo cum omnibus, et singulis juribus, et facultatibus ad officium adnexis constituimus, et deputamus; eidemque Raymundo in virtute sanctae obedientiae, ut in hujusmodi muneris exercitio plane perseveret, praecipimus: nec non ipsum Raymundum, et itidem dilectos filios Joannem Columbinum Fattesci procuratorem generalem, Sixtum Benigni comprocuratorem generalem, et s. Bernardi ad thermas abbatem, Bernardum Salvoni abbatem regiminis, Andream Bongiovanni abbatem etiam regiminis, Josephum Fontana s. Pudentianae abbatem, et Amadeum Mariam Taloni s. Mariae Vallis Pontis abbatem in ejusdem congregationis definitores generales cum omnibus pariter, et singulis juribus, et facultatibus peragendi, et immutandi, constituendi, et praecipiendi ea omnia, quae pro temporum opportunitate ab eodem generali capitulo constitui, praecipi, et definiri solerent, cum facultate etiam confirmandi in officio non plures quam sex inter actuales abbates, motu, et potestate similibus, et deputamus.

Translatio definitorum a praedicto monast. in Claraevallis.

§. 4. Quoniam vero impensas ejusdem monasterii Claraevallis levare oportet, ut pro hac vice tantum definitores praedicti in monasterio s. Bernardi ad thermas Diocletianas urbis, vel in alio per ipsum praesidentem designando monasterio congregari, atque ut imposterum abbates regiminis in monasterio Montis s. Viti, cui abbas visitator major in qualitate abbatis regiminis praesit, residere debeant durantibus necessitatibus dicti monasterii Claraevallis, atque ad Nostrum, et Sedis apostolicae beneplacitum auctoritate apostolica constituimus, atque mandamus.

Revocantur nonnulla quae fuerant statuta pro monasteriis extantibus in ditione Parmensi.

§. 5. Itemque quoniam tria monasteria ditionis Parmensis a fel. rec. Pio pp. Sexto praedecessore Nostro per suas in simili forma brevis die XXIII. septembris MDCCLXXXVI. expeditas literas provinciae Romanae incorporata, et adjuncta cum una voce in regimine fuere, idque a Nobis per dictas Nostras literas confirmatum, nunc temporum procellis pene obruta reperiuntur; idcirco attributam vocem, ac reliqua omnia, et singula, quae pro dictis monasteriis Parmensibus tantum tunc per Nos sancita, et constituta fuerant, auctoritate, et tenore praedictis, revocamus, et abolemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac supradictis Raymundo, Joanni Columbino, Sixto, Bernardo, Andreae, Josepho, et Amedeo plenissime suffragari sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis, seu congregationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita, observata, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis. §. 8. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis etiam impressis, et manu procuratoris generalis, vel alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die prima februarji, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno sexto.

Dat. die 1. febr. 1806. Anno VI.

CCCCXII.

Erectio novae cathedrae artis Veterinariae in archigymnasio Romano.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Inter multiplices curas, quibus in supremo pontificatus solio pro rebus temporalibus premimur, dum animo revolveremus quot et quanta sunt commoda, quae ad necessitates, et usus prope innumeros hominibus praebent bruta animantia, quantoque simul cum humanae reipublicae detrimento dira saepe morborum vis in animalium greges insaeviat, eo statim intendimus, ut veterinariam artem, qua scilicet variis animalium morbis per rectas, probatasque regulas obviam itur, ibi aliquis ex juvenibus medicis Nostris ingenio praestans, ac medicinae lauream jam adeptus edisceret, ubi ex celebratiori laudis fama studia disciplinae hujus magis florerent; ut optimis ibidem edoctus magistris, talis et ipse evaderet, quem aliis eamdem artem docendis postea praeficeremus.

Expositio precum. §. 2. Quum itaque dilectus filius Joseph Oddi artis Veterinariae tum praeceptis, tum usibus, quorum gratia Lutetiam Parisiorum mitti curavimus, sat probe, sicut accepimus, imbutus jam sit, et in almam hanc urbem Nostram proximo rediturus, cupiantque propterea dilecti filii collegium advocatorum concistorialium, prout Nobis nuper ab eis expositum est, hujusmodi artis cathedram in archigymnasio Romano Sapientiae ad augendam scholarum palestram, et utilitatem publicam promovendam per Nos erigi, atque institui.

§. 3. Nos in exponentium precibus vota quoque Nostra spectantes, eosque, ac eorum singulos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, auctoritate apostolica tenore praesentium cathedram Veterinariae artis in eodem archigymnasio praedicto erigimus, et constituimus, et in lectorem publicum hujus cathedrae praenominatum Josephum Oddi pro hac prima vice eligimus, designamus, et facimus, eique annuum stipendium scutatorum biscentum, quae super proventu afflictus, qui vulgo dicitur *dello scortico*, per rescriptum ex audientia Nostra jam alias editum, suoque semper in robore permansurum reservari, et pro hac cathedra impendi mandavimus, nunc etiam de novo, quatenus opus sit, super eodem proventu praefigimus, et assignamus, nec non omnes, et singulos honores, praerogativas, gratias, et indulta jam caeteris dicti archigymnasii lectoribus concessa, ac per eosdem quomodolibet haberi, et gauderi solita, et consuota concedimus, atque tribuimus, onusque pariter sedulo incumbendi dictae artis lectionibus, easque publice in archigymnasio habendi per totum annum scholasticum, ac illa praecipue dierum hora, quam ipsi praedictorum advocatorum collegium praescripserit, imponimus, stricteque injungimus. Tenor concessionis.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac iis omnibus, ad quos spectat, ac spectabit pro tempore plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non supradicti archigymnasii etiam juramento, confirmatio-

Digitized by Google

ne apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, usibus, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut si, et quando lecturam cathedrae hujusmodi in posterum vacare contigerit, tunc quoad novum eligendum lectorem adamussim servetur in omnibus, et per omnia felicis recordationis Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri constitutio, quae incipit « *Inter conspicuos ordines* ».

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quarta februarii, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno sexto.

Dat. die 22. febr. 1806. Anno VI.

CCCCXIII.

Confirmatio privilegii concessi collegio advocatorum consistorialium compellendi more camerali debitores, et inquilinos archigymnasii Romani.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium. §. 1. In summo apostolatus apice, meritis licet imparibus, constituti, illud praesertim curandum Nobis esse arbitramur, ut literariae universitates, ex quibus religio catholica illustratur, et supremi numinis cultus augetur magis in dies floreant, ac privilegia ipsis concessa sarta tecta, sincera, et integra semper remaneant.

Expositio precum. §. 2. Cum itaque sicut dilecti filii collegium advocatorum Nostrorum consistorialium Nobis nuper exponi fecerunt, felicis recordationis Benedictus pp. XIV. praedecessor Noster per suum chirographum die decima quarta octobris millesimo septingentesimo quadragesimo octavo editum, atque archigymnasii de urbe rectori transmissum, concesserit facultates necessarias, et opportunas ad effectum per se compellendi summariae, et more camerali ad solutionem omnes, et singulos inquilinos, et debitores eidem archigymnasio, ac alias prout ex eodem chirographo, cujus tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, fusius continetur: successive ex audientia recolendae memoriae Pii pp. VI. praedecessoris itidem Nostri die decima tertia julii millesimo septingentesimo octuagesimo secundo per auditorem suum habita, ad preces dicti collegii ipsum chirographum per rescriptum extendit, et ampliavit, prout ex eodem rescripto, cujus pariter tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus uberius continetur. Quoniam vero, sicut in eadem expositione additum erat, nonnulli dubitant eadem privilegia per Nostram constitutionem, quae incipit — *Post diuturnas* — abrogata fuisse, Nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes, et rectorem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, jurisdictionem civilem, criminalem, et mixtam, praesertim vero totius archigymnasii ambitus, inquilinorum, ministrorum, et personarum omnium ab eodem rectore, et archigymnasio dependentium alias concessam, et tam memoratum Benedicti praedecessoris chirographum, quam Pii similiter praedecessoris rescriptum, et omnia, et singula in ipsis contenta, et expressa auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, et quatenus opus sit, denuo concedimus. Tenor confirmationis.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Non obstantibus memorata Nostra, aliisque apostolicis constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem Derogatio contrariorum.

Digitized by Google

sub annulo piscatoris die vigesima quinta februarii millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno sexto.

Dat. die 7. martii 1806. Anno VI.

CCCCXIV.

Confirmatio literarum apostolicarum expeditarum a s. m. Gregorio XV. super exemptione sacrae congregationis Propagandae Fidei ab omnibus datiis, gabellis, aliisque solutionibus pro literis, chirographis, instrumentis, testamentis, et similibus.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. In summo apostolatus apice, meritis licet imparibus, constituti, illud praecipue curandum Nobis esse arbitramur, ut gratiae, et privilegia per Romanos pontifices praedecessores Nostros congregationibus pro catholicae religionis praesidio, et incremento institutis concessa, sarta tecta, sincera, et integra semper remaneant.

Memoratur tenor literarum apostolicarum confirmandarum.

§. 2. Cum itaque, sicut accepimus, felicis recordationis Gregorius pp. XV. praedecessor Noster congregationi venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum motu suo proprio, deque apostolicae potestatis plenitudine concesserit, ut perpetuis ex tunc futuris temporibus quaecumque patentes, seu alio quovis nomine nuncupentur literae, chirographa, instrumenta, testamenta, et aliae quaecumque scripturae quolibet nomine censeantur, nec non quaecumque literae apostolicae tam sub plumbo, quam in simili forma brevis, earumdemque literarum apostolicarum supplicationes super quibuscumque negotiis, robusque, et bonis tam mobilibus, quam immobilibus ad ipsam congregationem spectantibus, et pertinentibus, ac demum quodcumque interesse eamdem congregationem quovis modo, et ex quavis causa concernente pro tempore conficiendae, et registrandae, ac similiter quaecumque literae, quas ex omnibus mundi partibus eidem congregationi scribentur, itemque illae, quae ejusdem congregationis nomine extra urbem mitterentur, gratis omnino, et sine ulla mercede, aut alicujus rei quantumvis minimae, solutione expediri, confici, registrari, relaxari, tradi, et mitti deberent: ideoque in virtute sanctae obedientiae, et aliis Romani pontificis arbitrio poenis idem Gregorius praecepit, et mandavit jam ex eo tempore existentibus rescribendario, et computatori literarum apostolicarum, nec non secretariis apostolicis, et brevium apostolicorum, atque scriptoribus, et regenti montium, notariis, tabellionibus, postarum magistris, aliisque officialibus, et ministris quocumque nomine nuncupatis, etiamsi officia titulo, et causa litere onerosis obtinerent, ut literas praedictas chirographa, instrumenta, et alias scripturas hujusmodi super praemissis omnibus, et singulis tam conjunctim, quam divisim, gratis de mandato suo ubique in omnibus etiam abbreviatorum, solicitatorum, secretariorum, plumbique, et registri, ac aliis quibusque officiis absque aliqua pecuniarum exactione, etiam quantumvis minima, et per viam compositionis faciendae, omni contradictione, et dilatione cessantibus, signarent, expedirent, describerent, mitterent, et relaxarent, ac signari, expediri, describi, mitti, et relaxari facerent realiter, et cum effectu, ac alias prout ex memoratis ipsius Gregorii praedecessoris die XIV. decembris MDCXXII. expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, fusius continetur.

Tenor confirmationis.

§. 3. Nos eamdem congregationem de catholicae religionis semper optime meritam specialibus favoribus, et gratiis prosequi cupientes, atque dictas literas de verbo ad verbum praesentibus pro insertis habentes, quo eaedem literae firmius adversus temporis lapsum subsistant, et serventur exactius, apostolicae Nostrae confirmationis praesidio communiri volentes, motu proprio, et ex certa scientia, atque matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine easdem literas, et tam praemissa, quam reliqua omnia in eis contenta, et praecepta confirmamus, et qualenus opus sit, denuo indulgemus, atque, ut supra, in virtute sanctae obedientiae, et sub indignationis Nostrae, aliisque arbitrio Nostro, et Romanorum pontificum successorum Nostrorum infligendis poenis omnibus, et singulis, ad quos spectat, et pro tem-

pore spectabit, omnimodam praemissorum observantiam praecipimus, atque jubemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus felicis recordationis Pii pp. IV. praedecessoris Nostri de gratiis qualecumque interesse camerae apostolicae quomodolibet concernentibus, in eadem camera infra certum tempus tunc expressum praestandis, et registrandis, nec non quibuslibet constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac omnibus, et singulis illis, quae memoratus Gregorius praedecessor in dictis suis literis non obstare voluit, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima martii, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno sexto.

Digitized by Google

ANNO SEPTIMO

CCCCXV.

Dat. die 18. martii 1806. Anno VII.

Facultas gestandi crucem, seu numisma pro altaristis primae, et secundae erectionis in capitulo cathedralis basilicae minoris civitatis Recinatensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni beneficiati altaristae nuncupati primae, et secundae erectionis cathedralis basilicae minoris civitatis Recinatensis, quod quamquam dictae ecclesiae canonici per hanc sanctam Sedem nonnullis honorificentiis decorati reperiuntur, ipsi tamen altaristae sine ulla speciali externa decoratione adhuc remanent: ideoque ad majorem Dei gloriam, et Christi Domini in Cruce patientis, Deiparaeque, ac sancti protectoris ejusdem civitatis memoriam jugiter in suis animis excitandam sacrum numisma cruci insertum collo appensum gestare posse plurimum desiderant: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus primae, et secundae erectionis beneficiatis altaristis praedictis ut sacrum numisma ad instar altaristarum alterius minoris basilicae Lauretanae, non tamen eadem forma, cruci insertum, et suprapositum serico funiculo nigroflavo cum flocculo simili alligatum, in cujus numismatis antica insculpta sit almae domus Lauretanae effigies cum inscriptione « *Non fecit taliter omni nationi* »: in postica vero s. Flaviani ipsius civitatis protectoris imago cum alia inscriptione « *Protector Noster aspice* » tam in ecclesia praedicta, quam extra eam ad instar eorumdem altaristarum Lauretanorum palam gestare, eoque uti libere, et licite possint, et valeant auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus; dictosque beneficiatos altaristas desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima octava martii millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo. Derogatio contrariorum.

Digitized by Google

Dat. die 27. martii 1806 Anno VII.

CCCCXVI.

Divisio et dismembratio oppidi Saltae existentis in provincia Tucumana, illiusque erectio in dioecesim Cordubensem.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Regalium principum erga populos eorum ditioni subjectos praeclara dilectio, qua animarum eorumdem populorum salutem pari pietate procurant, ita excitat cor Nostrum ut in prosequendis religiosis hujusmodi votis, etiam Nos manus Nostras adjutrices extendamus, unde quae optata dignoscuntur suum plenarium sortiantur implementum.

Expositio precum. §. 2. Cum itaque sicut accepimus charissimus in Christo filius noster Carolus Hispan. rex pro catholicae religionis in dies augendae studio magis magisque incensus, et sollicitus maximam aspiciens Tucumanae dioecesis amplitudinem in America meridionali existentem, utpote quadringentarum ad meridiem, et centum octoginta circiter ab oriente ad occasum respective leucarum, itaut unus tantum pastor singulorum Christifidelium suae pastorali curae creditorum vultus inspicere nequeat, optime illarum animarum saluti consultum esse existimet, si praefata dioecesis Tucumana cujus praesul in civitate Cordubensi Nova nuncupata residet, aliqua in parte infrascripti illius territorii dismembratione minueretur, ac Saltae oppidum civitas nuncupatum in episcopatum apostolica auctoritate infrascriptis etiam modo, et forma erigeretur, quemadmodum ipse Carolus rex per dilectum filium Antonium equitem de Vargas y Laguna ejus apud Nos, et apostolicam Sedem plenipotentiarium administrum Nobis significare curavit.

Erectio oppidi Saltae in civitatem, et constitutio novae sedis. §. 3. Nos omnibus mature perpensis antedicti catholici regis votis clementer indulgere eosdemque Christifideles quantum in Domino possumus specialibus favoribus, et gratiis prosequi, eorumque spirituali bono consulere volentes, ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine praedictum oppidum Saltae in ipsa Tucumana provincia existens, ab eadem dioecesi Tucumana, ut infra, etiam in posterum Cordubensi nuncupanda penitus, et perpetuo dicta apostolica auctoritate tenore praesentium dividimus, et separamus, ipsumque oppidum Saltae sic divisum, et separatum, juxta canonicas sanctiones, episcopalis civitatis titulo, et honore, apostolica auctoritate praefata etiam perpetuo decoramus, et ecclesiam in eodem oppido, per Nos civitatis titulo, ut praefertur, decorato existentem ab infrascripto praesentium Nostrarum literarum exequutore designandam de apostolicae potestatis plenitudine in ecclesiam cathedralem Saltensem, pro uno episcopo Saltensi, qui omnibus episcopalibus insigniis, privilegiis, et praerogativis eisdem modo, et forma quibus caeteri episcopi praesertim in praedicti catholici regis Americae ditionibus perfruuntur, et gaudent cum omnimoda episcopali jurisdictione, in civitate Saltae, ejusque dioecesi ut infra assignanda perfruatur, et gaudeat; atque in eadem ecclesia in cathedralem erigenda, dignitates, canonicatus, et beneficia, pro totidem presbyteris, seu clericis, adeo ut capitulum dictae ecclesiae, ut praefertur, designandae, atque in ecclesiam cathedralem, ut praefertur, erigendae tot individuis, quot necessarii erunt sit compositum de simili plenitudine potestatis apostolicae etiam perpetuo erigimus, et instituimus.

§. 4. Eidemque futuro, et pro tempore existenti episcopo Saltensi pro sua dioecesi territorium integrum, et superintendentiam praedictae civitatis Saltae pertinentem, nec non attento quod Taryae etiam territorium ad superintendentiam provinciae de Potosi nuncupatae spectantem, et ad dioecesim archiepiscopalis ecclesiae de Plata pertinentem, summopere distat a residentia archiepiscopi, et per episcopum novae ecclesiae Saltensis una cum regio superintendente melius in posterum dirigi valet apostolicum collegium missionariorum in praedicto Taryae oppido ad catholicae religionis propagationem per provinciam nuncupatam Chacò, suasque reductiones erectum a praedicta dioecesi archiepiscopi de Plata abdicando, et separando ad novam Saltensem dioecesim, per praesentes pertinere statuimus, et eidem assignamus; novamque dioecesim antedictam ex duobus territoriis praedictis efformatam esse volumus, et declaramus. Assignatio novae dioecesis.

§. 5. Pro dictae ecclesiae Saltensis vero dote, ad hoc ut ab illius praesule episcopalis dignitas decenter tueatur, et capitulo necessaria congrua praebeatur jus exigendi red- Dotatio episcopatus.

ditus decimarum, ad formam privilegii usque ad praesens ab episcopo de Tucuman in praedicta Cordubensi civitate commorante gavisi, in territorio eidem novae Saltensi dioecesi assignato, servata tamen consuetudine, illas tres in partes distribuendi, donec, et quousque alio meliori quo fieri poterit modo eisdem Saltensis ecclesiae redditus adaugeantur, eadem apostolica auctoritate modo constituimus, et assignamus.

Divisio provinciae Tucumanae.

§. 6. Cum autem provinciam Tucumanam usque ad praesens ab uno antistite gubernatam, cujus ecclesia sub ipsius provinciae titulo denominabatur, in duas partes dividi statuerimus, illarumque unam episcopo residenti in civitate Cordubensi, alteram vero episcopatui Saltensi noviter erecto respective assignaverimus ad hoc ut unicuique ex praedictis dioecesibus denominatio propria conveniat; praevia tituli, et denominationis ecclesiae de Tucumana suppressione, ecclesiam sic usque ad praesens, ut praefertur, denominatam, in posterum Cordubensem de Tucumana, alteram vero Saltensem per praesentes erectam in provincia praedicta respective existentes, denominari volumus, atque mandamus.

Indemnis redditur episcopus Tucumanus ab omni damno patiendo in divisione.

§. 7. Ne postmodum dismembratio praedicta, et nova hujus episcopalis ecclesiae Saltensis erectio, maximum episcopo Tucumano, in posterum Cordubense, ut praefertur nuncupando detrimentum afficiat ultra districtum intendentiae, ac provinciarum hujus nominis, et illius pariter nuncupati della Rioja provinciam de Cuyo nuncupatam ad prasens dioecesi s. Jacobi de Chile pertinentem, eidem Cordubensi dioecesi uniri, et incorporari infrascriptis de causis optimum esse cognovimus. Ea propter cum provincia praedicta de Cuyo a reliqua parte dioecesis sancti Jacobi de Chile ita a montibus separata existat, ut valde difficile sit episcopo illam visitandi, ac moderno ipsius ecclesiae antistiti usque adhuc ad illam accedere minime permissum fuerit, idcirco ne ejusdem provinciae habitatoribus spiritualia auxilia deficiant, opportunum videtur, ut praevia illius disjunctione, separatione, et divisione praefata a dioecesi s. Jacobi de Chile, eidem ecclesiae Cordubensi de Tucumana incorporetur, prout per praesentes Cordubensi dioecesi antedictae adjungimus, et incorporamus.

Favore regis, et successorum reservatur jus nominandi episcopum.

§. 8. Dictisque Caroli regis favore, suisque in regnis successoribus regiis jus nominandi, seu praesentandi infra tempus a jure praefixum Nobis, et successoribus Nostris Romanis pontificibus pro tempore existentibus personam idoneam ad dictam episcopalem ecclesiam Saltensem de Tucumana, per Nos, ut praefertur, erectam, a primaeva illius erectione vacantem tam pro prima vice, quam etiam in posterum in futuris illius vacationibus pari prorsus modo quoad nominationem seu praesentationem eamdem episcopi aliarum ecclesiarum in praefatis regnis existentium a Sede apostolica praedicta praefici consueverunt, cum ea tamen lege, quod episcopus cathedralis ecclesiae Saltensis de Tucumana, per Nos ut praefertur erectae ordinariae jurisdictioni pro tempore existentis archiepiscopi de Plata uti ejus metropolitani subjectus esse debeat apostolica auctoritate praefata etiam perpetuo reservamus.

Deputatio executoris apostolici.

§. 9. Ut denique omnia in praesentibus Nostris literis disposita, et ordinata observentur, et ipsius Caroli regis vota optime ad exitum perducantur, idoneam personam episcopali charactere insignitam, vel in alia ecclesiastica dignitate constitutam a memorato rege eligendam in earumdem praesentium Nostrarum literarum executorem deputamus, ut ipse certioratis venerabilibus fratribus archiepiscopo de Plata, et de Corduba de Tucumana, ac s. Jacobi de Chile episcopis eorumdem consensibus de more requisitis, et acceptis, novam cathedralem ecclesiam Saltensem erigat, respectivarum dioecesium limites assignet, ac statuat, omniaque alia etiam quoad s. Jacobi de Chile, et Cordubensem dioeceses ut supra statuta opportunis modo, et forma exequi curet, ad quem effectum ei omnes necessarias, et opportunas tribuimus facultates.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 10. Praesentes quoque Nostras literas apostolicas, et in eis contenta quaecumque de necessitate juris vel facti omnino nullo umquam tempore, et quacumque etiam legitima causa de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio vel intentionis nostrae, seu quopiam alio defectu notari, impugnari, invalidari, seu alias quomodolibet infringi, retardari, annullari, seu per Nos, et successores Nostros Romanos pontifices pro tempore existentes, ac Sedem praefatam, seu Sanctae

Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios, vel quosvis alios quavis auctoritate fungentes, suspendi, revocari, restringi, limitari, aut alias etiam motu pari concedi, seu illis etiam in aliquo derogari, aut quidquam aliud in contrarium disponi nullatenus umquam posse, sed eas semper et perpetuo validas, et efficaces existere, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere; sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos, ac praefatae Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios praefatos, et quosvis alios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et potestate, judicari, et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 11. Non obstantibus de jure quaesito non tollendo, aliisque Nostris, et cancellariae apostolicae regulis, nec non quatenus opus sit Lateranensis concilii novissime celebrati dismembrationes perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque etiam in synodalibus, generalibus, universalibusque conciliis editis, vel edendis specialibus; vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictarumque de Plata, s. Jacobi de Chile, et Tucumana respective ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis, quibusvis superioribus, et personis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, et singulorum tenores, formas, et causas, etiam quantumvis pias, et privilegiatas praesentibus pro plene, et sufficienter, ac de verbo ad verbum nihil penitus omisso insertis, expressis, ac specificatis habentes illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime, ac specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide hac vice dumtaxat ad praemissorum validissimum effectum specialiter, et expresse, harum quoque serie derogamus, ac sufficienter derogatum esse, et censeri etiam decernimus, contrariis quibuscumque.

Praeceptum de inscribendis fructibus ecclesiae in libris camerae.

§. 12. Volumus autem quod cathedralis ecclesia Saltensis de Tucumana per Nos, ut praefertur, erecta ad florenos triginta tres cum uno tertio taxari, et hujusmodi taxa in libris camerae apostolicae describi debeat.

Fides habenda transumptis.

§. 13. Praeterea volumus, ut hujusmodi Nostrarum literarum exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et personae in ecclesiastica dignitate constitutae sigillo obsignatis, eadem prorsus fides ubique locorum adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 14. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae divisionis, separationis, erectionis, unionis, incorporationis, reservationis, facultatis, impertitionis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexto, quinto kalendas aprilis pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCXVII.

Dat. die 17. martii 1806, Anno VII.

Ampliatio privilegiorum, et confirmatio providentiarum captarum pro incremento decoris regiae cappellae villae Vizosae Elborensis dioecesis.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam, quamvis nullis meritis nostris in beati Petri cathedra constituti ecclesiis omnibus praesidentes, illud inter caetera permagna, et ampla apostolicae procurationis nostrae munera studiose curandum putamus, ut in omnes agri Dominici partes divinus cultus quanto magis fieri potest, semper augeatur. Ea propter

Romani pontifices pro paterna erga universos Christifideles benignitate eorum interponere auctoritatem saepe consueverunt ad ea statuenda, quae ad majorem omnipotentis gloriam, et christianae religionis incrementum, atque splendorem conducere prospiciebant.

Expositio omnium meliorumentorum inductorum in regia cappella cura regentis regni Portugalliae, et Algarbiorum

§. 2. Cum itaque dilectus filius eques, ac commendator ordinis militaris Domini Nostri Jesu Christi Josephus Emmanuel Pinto, dilectissimi in Christo filii Nostri Joannis Brasiliae principis, ac regnorum Portugalliae, et Algarbiorum regentis, apud Nos, et Sedem apostolicam orator, nomine ipsius Joannis principis, ac regentis exposuerit, quod inter eximia praestantissimorum hominum gesta in Ecclesiae fastis recensita regalis illa cappella in villa Vizosa Elborensis dioecesis, a praeclarissimis Bragantiae ducibus fidelissimorum regum illustribus avis erecta, variisque redditibus dotata, praecipuum praestat monumentum; neque minus laude dignum videtur fuisse studium, quo successores duces veterum suorum vestigia sectando, illius cappellae regimini, et gubernio, reique oeconomicae administrationi peculiariter incubuere, ita ut quidquid illius cappellae conservationi, et incremento, tum illius vetera statuta moderando, tum ampliando, profuturum dignoverint, huic non destiterint, implorata Sedis apostolicae auctoritate, strenuam dare operam, ac manum admovere opportunam. Et quamvis cappella istbaec non satis amplo patrimonio potiatur, cum illius redditus annuam dumtaxat summam sex millium circiter cruciatorum monetae illarum partium, sive millium, et quadrigentorum circiter ducatorum auri de camera attingant, ex industri tamen, perspicacique illorum administratione factum est, ut nihil umquam divini cultus honori defecerit, nec illum in aliquo decrevisse apparuerit. Verum cum in ipsa cappellanorum coetus, qui in primaeva ejus institutione sexdecim tantum numero constabat, ad quinquaginta cappellanorum numerum fuerit ampliatus; huic vero accedat, quod jam anteactis temporibus necessitas exigit, ut a singulis beneficiis juris patronatus regiae domus de Bragantia, tertia pars fructuum, apostolica auctoritate perpetuo respective distracta, ac separata, illaque patriarchali ecclesiae Lisbonensi, eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo fuisset applicata, quia eorumdem beneficiorum indemnitati aliter consultum fuerit, res modo ita se habeat, ut praedicta dotatio mille, et quadringentorum circiter ducatorum hujusmodi impar omnino sit ad congruum personarum ecclesiasticarum numerum in ea servandum, atque manutenendum. Ea propter Joannes princeps, ac regens praefatus, qui non inferiori quidem studio, animique alacritate suorum majorum curam, vigilantiam, atque sollicitudinem, quas illi de ipsius cappellae divinique cultus decoris conservatione gerebant, aemulari contendit, cupiens quammaxime ejusdem cappellae decori, reique illius oeconomicae ita prospicere, ut illa nedum in eo, quo semper effulsit splendore permaneat, sed novis etiam honorum augumentis, atque praerogativis illustretur; optimum fore consilium duxit, si regia ipsa cappella in insignem collegiatam ecclesiam erigatur, ac suppressis in illo singulis ad praesens extantibus beneficiis, seu cappellaniis duae in ipsa collegiata sic erigenda dignitates, quarum prima decanatus, secunda vero thesaurariatus major nuncupandae, ac quatuordecim cappellaniae canonicatus nuncupandae, nec non sexdecim beneficiati, et unus magister musices, cum cantorum choro, respective instituantur. Atque ut expensis tum pro ipsius cappellae, in collegiatam ecclesiam sic erigendae fabricae, tum cantorum chori, et seminarii regii nuncupati in dicta villa, intuitu servitii supradictae cappellae existentis manutentione, tum quoque pro dignitatum, et singularum cappellaniarum canonicatuum, ut praefertur nuncupandarum, ac beneficiatorum aliorumve erigendarum, et erigendorum respectiva dotis assignatione necessariis facere satis possit, nullum aliud ad id magis opportunum fore medium arbitratus est, quam si praevia tum perpetui simplicis archidiaconatus de Regoa nuncupati beneficii ecclesiastici, seu dignitatis forsan residentialis in cathedrali ecclesia Portugallensi, quo ad praesens vacat, et ex cujus fructibus, redditibus, et proventibus universis alias per fel. rec. Clementem pp. XII. praedecessorem nostrum tres ex quatuor illorum partibus apostolica auctoritate perpetuo dismembratae, ac dignitatibus, nec non canonicatibus, et praebendis patriarchalis ecclesiae Lisbonensis apostolica auctoritate praedicta etiam perpetuo applicatae fuerunt, tum alterius pariter perpetui simplicis thesaurariatus majoris nuncupati de Bar-

cellos, dictae Portugallensis, seu alterius dioecesis, personalem forsan residentiam requirentes modo similiter vacantis, nec non aliorum viginti perpetuorum simplicium beneficiorum ecclesiasticorum in s. Salvatoris, s. Joannis et s. Jacobi, respectivis collegiatis ecclesiis civitatis Beiensis, alias ex tunc, prout ex ea die postquam per obitum illorum respective possessorum, aut alias vacare contigisset apostolica auctoritate suppressi, et illorum redditus ad efformandam mensam nuper erectae cathedralis ecclesiae Beiensis, respective applicati reperiuntur, qui ut asseritur, in praesentiarum fere omnes vacant, et quorum fructus modici agnoscuntur ad consulendum sumptibus necessariis pro hujusmodi mensae constitutione, ac dotatione, ad quam opportunis providendam subsidiis idem regius princeps alia in posterum efficaciora media excogitare minime praetermittet, nec non aliorum perpetuorum simplicium, ac personalem residentiam non requirentium beneficiorum ecclesiasticorum, libere ordinariae collationis, in quibusvis ecclesiis civitatum, et dioecesium regnorum Portugalliae et Algarbiorum hujusmodi respective existentium primo loco vacaturorum, quot una cum antedictis archidiaconatu, ac thesaurariatu, et viginti simplicibus memoratarum ecclesiarum satis sint ad efformandam annuam summam triginta millium cruciatorum monetae Portugalliae, quae una cum praedictis cruciatis sex mille circiter, a memorata cappella jam possessis opportune dignoscuntur ad praemissas omnes expensas congrue supplendas, ita ut bona, res, proprietates, ac fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, et emolumenta quaecumque in quibusvis rebus consistentia, tam ad praedictum archidiaconatum vacantem quoad superextantem unam ex quatuor partibus fructuum praefatorum, ad eumdem archidiaconatum modo spectantem, quam ad thesaurariatum et singula beneficia primo et secundo dicta, ut praefertur, vacantia, et vacatura, quomodocumque pertinentia, in ejusdem cappellae in insignem collegiatam ecclesiam, sic erigendae, illiusque respective fabricae, ac seminarii, nec non singularum dignitatum, et cappellaniarum, ac beneficiatuum respective erigendarum, et erigendorum ac magistri musices, cum cantorum choro, dotem respective perpetuo, quoad archidiaconatum videlicet thesaurariatum, et beneficia vacantia, usque ex nunc, et quoad beneficia vacatura praefata in illorum respective vacationis eventus, ab eadem Sede apostolica unirentur, atque applicarentur.

Preces porrectae pro approbatione dispositionum a regente captarum.

§. 3. Cumque dictus Josephus nomine praedicto enixas Nobis detulerit preces, ut providas hasce praefati Joannis principis, ac regentis dispositiones, deque ipsius cappellae regiae sublimitate, ac splendoris incremento capta consilia, apostolicae Sedis patrocinio ac favore prosequi dignaremur.

Suppressio nonnullorum beneficiorum pro summa annui redditus scutorum sexmille octingentorum septem.

§. 4. Nos igitur omnibus circumstantiis consideratis, ipsius Joannis principis ac regentis pie conceptis votis, pontificiae benignitatis memores quantum in Domino possumus favorabiliter annuere volentes; ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, infrascriptis tamen modo, ac forma juxta speciale mandatum venerabili fratri Nostro moderno, et pro tempore existenti archiepiscopo Elborensi, sive in casum vacationis illius sedis archiepiscopalis venerabili fratri episcopo titulari s. Ludovici de Maragnano, ipsius Elborensis archiepiscopatus moderno provisori commissum, omnes et singulas in dicta regia cappella nunc existentes beneficia, sive cappellanias, illarumque naturam et essentiam, ac similiter archidiaconatum, et thesaurariatum praedictos, ac illa beneficia ex primodictis viginti, ut praefertur vacantia respective ex nunc, ac insuper reliqua pariter ex primodictis ad praesens nondum vacantia, et alia perpetua simplicia ordinariae liberae collationis beneficia in posterum vacatura, usquedum insimul conficiatur summa sexmillium octingentorum quinquaginta septem ducatorum auri de camera hujusmodi et juliorum duorum monetae Romanae cum dimidio alterius julii similis, respondentium antedictae summae triginta millium cruciatorum monetae Portugalliae cum primum beneficia hujusmodi per cessum, vel decessum nunc respective obtinentium, aut alias quovis modo ex eorum personis dispositioni apostolicae specialiter reservata vel affecta existant, etiam in aliquo ex mensibus Nobis, et Romano pontifici pro tempore existenti, Sedique praefatae quomodolibet reservatis, salvo tamen, atque integro semper in posterum remanente apostolicae Sedis jure, admittendi pro libitu beneficiorum resignationes, quavis remota li-

mitatione seu ordinariis collatoribus etiam per constitutiones apostolicas, et cancellariae regulas, seu literas alternativarum, aut alia privilegia, et indulta concessa competentibus vacare contigerit: illorumque pariter respective titulum collativum, nomen, denominationem, naturam, et essentiam archidiaconatus, thesaurariatus, et beneficiorum collativorum, ita quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativa esse desinant, et uti talia in titulum collativum quavis auctoritate conferri, aut impetrari, vel alias de illis quovis modo disponi amplius nequeat, apostolica auctoritate perpetuo respective supprimimus, et extinguimus.

Erectio cappellae in insignem collegiatam.

§. 5. His enunciato modo suppressis, praefatam regiam cappellam ad Dei omnipotentis laudem, et honorem, divinique cultus augumentum in saecularem atque insignem collegiatam regiam nuncupandam ecclesiam, cum suis capitulo, mensa capitulari, arca, bursa, et sigillo communibus, omnibusque aliis collegialibus signis, insigniis, privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praeeminentiis, antelationibus, concessionibus, et gratiis, aliis secularibus, et insignioribus collegialis, in eodem regno existentibus ecclesiis, de jure, usu, consuetudine, privilegio, aut alias quomodolibet competentibus: et in ea unum decanatum, qui inibi principalis pro uno presbytero iis praedito qualitatibus, quae juxta canonicas leges requiruntur, futuro in ea decano, ac per Nos, et Romanum pontificem pro tempore existentem ad episcopalem ecclesiam in partibus infidelium promovendo, qui praedictae cappellae, in collegiatam ecclesiam sic erigendae, caput existat, atque in ea ordinariam jurisdictionem, ut infra exerceat, nec non in choro, capitulo, processionibus, aliisque actibus capitularibus, tam publicis, quam privatis praeeminentiam, ac primum locum habeat, et unum thesaurariatum majorem nuncupandum, qui inibi secunda respective dignitates existant, pro uno presbytero, seu clerico, futuro in ipsa thesaurario majori nuncupando; et quatuordecim cappellanias, canonicatus respective nuncupandas, pro totidem similiter presbyteris, aut clericis futuris itidem in illa cappellanis, canonicis nuncupandis, quorum quatuor, pariterque futurus deinceps thesaurariatus in theologia vel utroque jure baccalauri gradus in universitate Colimbriensi decorati existant, nec non sexdecim beneficia pro totidem quoque presbyteris vel clericis, beneficiatis nuncupandis, atque unus magister musices, cum cantorum choro, qui omnes apud collegiatam hujusmodi, statutis diebus personaliter residere, ibique horas canonicas, diurnas, et nocturnas, caeteraque divina officia solita, et consueta, et cum debita mentis attentione, servataque ecclesiastica disciplina recitare, decantare, et psallere, nec non missam conventualem, seu majorem juxta sacrorum rituum formam celebrare, ac alias eidem regiae cappellae, in collegiatam ecclesiam, ut infra, erigendae in divinis laudabiliter deservire, et in ea canere respective teneantur, apostolica auctoritate praefata perpetuo erigimus, atque instituimus.

Institutio capituli.

§. 6. Capitulum vero hujus insignis collegiatae ecclesiae ex decano, thesaurario, et quatuordecim cappellanis, canonicis nuncupandis, qui soli vocem, et votum in eo habeant, et gaudeant, constitui, et efformari decernimus.

Consulitur fabricae, et seminario ejusdem regiae cappellae in collegiatam erectae.

§. 7. Ut autem fabricae, ac seminario saepedictae regiae cappellae in collegiatam ecclesiam, per Nos sic, ut praefertur, erectae, ac dignitates, et singulas cappellanias, canonicatus, ut praefertur nuncupandas, nec non beneficia pro tempore respective obtinentibus, ac magistro musices, cum cantorum choro, pro onerum unicuique eorum incumbentium supportatione, congruae convenientisque dotis fundamenta valeant constitui; omnia et singula, tam praedicti archidiaconatus de Regoa, pro reliqua ei superextante una ex quatuor partibus omnium, et singulorum fructuum praefatorum tantum salvis, et firmis remanentibus reliquis tribus partibus, eisdem dignitatibus, et canonicatibus, et praebendis ejusdem patriarchalis ecclesiae Lisbonensis, alias, ut praefertur in perpetuum applicatis, eisdemque dignitatibus, et canonicis dictae patriarchalis ecclesiae ad formam literarum apostolicarum dicti Clementis praedecessoris annuatim persolvendis, et dicti thesaurariatus de Barcellos, nec non beneficiorum praefatorum ad praesens vacantium ex nunc, quam aliorum omnium, et singulorum beneficiorum praedictorum per Nos in illorum, ut praefertur, suppressorum, vacantium, eventus, respective, bona, res, proprietates, fructus,

redditus, et proventus, jura, obventiones, et emolumenta quaecumque, quovis nomine nuncupata, ac cujusvis generis, et speciei, et in quibusvis rebus consistentia una cum singulis, tum archidiaconatus de Regoa, et thesaurariatus de Barcellos, tum singulorum beneficiorum hujusmodi respective fundationum oneribus, massae reddituum praedictae regiae cappellae in collegiatam, ut praefertur, erectae, ita quod liceat futuris, ac pro tempore existentibus illius capitulo, dignitatibus, canonicis, et beneficiatis, vel quibusvis aliis personis, per se, vel alium, seu alios ejusdem regiae cappellae in collegiatam erectae nomine, tam archidiaconatus, ac thesaurariatus praefatorum, quam singulorum beneficiorum hujusmodi, per Nos, ut praefertur, suppressorum, illorumque respective bonorum, rerum, proprietatum, fructuum, reddituum, proventuum, jurium, obventionum, et emolumentorum praefatorum, veram, realem, corporalem, actualem possessionem libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, dictaque bona, res, proprietates locare, dislocare, arrendare, fructus quoque, redditus, et proventus praefatos percipere, exigere, levare, ac satisfactis tamen prius (excepto servitio chori) omnibus et singulis dictarum fundationum oneribus, ac solutis pensionibus annuis, quatenus illae super aliquo ex hujusmodi beneficiis ecclesiasticis, ut praefertur suppressis apostolica auctoritate quomodolibet reservatae reperiantur, in supradictos usus, et utilitatem convertere, eadem apostolica auctoritate itidem perpetuo unimus, annectimus atque applicamus.

Assignantur redditus pro distributionibus quotidianis.

§. 8. Ea tamen lege quod pro rata millium, et sexcentorum ducatorum auri de camera, summam septem millium cruciatorum illius monetae constituentium in fabricae ipsius cappellae manutentione; pro rata vero quatuorcentum quinquaginta septem ducatorum auri de camera hujusmodi, et juliorum duorum monetae Romanae cum dimidio alterius julii similis, summam bismillium cruciatorum dictae monetae efformantium in seminarii puerorum praedicti assignatione, atque pro reliqua superextanti rata quatuor octingentorum ducatorum auri de camera parium viginti unius millium cruciatorum similium efficientium, quibus addendi erunt alii sex mille circiter cruciati ab ipsa regia cappella in collegiatam insignem erecta jam antea obtenti, detracta prius mensuali rata officialibus, cantoribus, aliisque ministris, ipsius cappellae servitio addictis assignata, in massae capitularis confectione, atque in usum distributionum quotidianarum capitularibus ipsis respective dividenda assignata remaneat, cum hoc tamen quod assignatio sexdecim beneficiatis facienda, medietatem tantum congruae decano, thesaurario majori, quatuor canonicis baccalaureatus laurea decoratis, et magistro musices statuendam constituat.

Concessio privilegiorum, et immunitatum pro canonicis, et dignitatibus.

§. 9. Et insuper eidem regiae cappellae in collegiatam ecclesiam, ut praefertur, erectae, illiusque dignitatibus, canonicis, et beneficiatis pro tempore existentibus praefatis, ut ipsi, eorumque officiales, et ministri, res, bona, et proprietates, omnibus, et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praeeminentiis, praerogativis, antelationibus, concessionibus, indultis, favoribus, et gratiis, tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus aliae saeculares, et insigniores in eodem regno collegiatae ecclesiae, earumque capitula, canonici, et dignitates in eis existentes, et ministri, ac illorum bona, res, et proprietates, de jure, usu, consuetudine, aut privilegio utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum, similiter, et pariformiter, et absque ulla prorsus differentia in omnibus, et per omnia, ac si illa eis principaliter, et in specie concessa essent, dummodo tamen sint in usu, et non revocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa, sacrisque canonibus, et concilii Tridentini decretis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis non repugnent, uti, frui, potiri, et gaudere possint, et valeant, dicta apostolica auctoritate etiam perpetuo concedimus, et indulgemus. Jus autem nominandi, seu praesentandi ad, si quae sint, beneficia ecclesiastica, quod archidiaconatum de Regoa, thesaurariatum majorem de Barcellos, et beneficia supradicta tam ex tunc alias, quam ex nunc prout ex tunc post quam vacaverint, per Nos suppressa, et extincta respective obtinentibus forsan competebat, ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus eisdem futuris capitulo, et cappellanis canonicis, ut praefertur nuncupandis, praedictae regiae cappellae in collegiatam ecclesiam, ut

Google

praefertur, erectae concedimus, atque tribuimus. Sed accedentes ad obbligationes tam praedicti archidiaconatus de Regoa, et thesaurariatus de Barcellos, quam beneficiorum vigore praesentium suppressorum, et supprimendorum, et respective onera eisdem annexa, praeter servitium chori, quae necesse videatur, ut per aliquam personam exacte adimpleantur; praesentium Nostrarum literarum exequutori decernendi, disponendi, et statuendi meliori, quo aextimetur modo, super hac re, plenam, et omnimodam facultatem impertimur.

Regenti regni conceditur facultas condendi statuta pro regimine ecclesiae, et capituli.

§. 10. Eidem vero Joanni Brasiliae principi ad praesens regnorum Portugalliae, et Algarbiorum regenti pro ejusdem insignis collegiatae ecclesiae, ut supra erectae, illiusque capituli, sacrarii, ac omnium rerum, et bonorum prospero, et felici regimine, gubernio, et directione, onerumque respective incumbentium supportatione, ac distributionum quotidianarum, et aliorum emolumentorum quorumcumque exactione, perceptione, reparatione, divisione, poenarum per onera, et munera eis incumbentia subire negligentes incurrendarum incursu, officialibus, et ministris in dicta regia cappella in collegiatam ecclesiam, ut praefertur, erecta necessariis deputandis servitiis, et ministeriis per ipsos obeundis, eisque salariis, et stipendiis praestandis, et quibusvis aliis rebus in praemissis, et circa ea quomodolibet necessariis, et opportunis; quaecumque statuta, ordinationes, capitula, et decreta, licita tamen, et honesta, sacrisque canonibus, et concilii Tridentini decretis, ac constitutionibus apostolicis praefatis minime contraria edere, et edita declarare, et interpretare, et ad meliorem formam redigere, ac reformare, seu alias etiam in posterum, quatenus opus foret, de novo, ac, ut praefertur, eisdem sacris canonibus, ac decretis concilii hujusmodi, et constitutionibus apostolicis praedictis minime adversantia, et ab eis, ad quos pro tempore spectabit sub poenis in contravenientes statuendis observanda, et adimplenda concedere, et postquam condita fuerint tam per ipsum Joannem Brasiliae principem, quam per regios illius successores, toties quoties pro rerum, et temporum conditione, et qualitate expediens videbitur illa in toto, vel parte corrigere, mutare, et in melius reformare, etiam libere, et licite possint et valeant, dummodo tamen correctio, immutatio, et reformatio hujusmodi sacris canonibus, et constitutionibus apostolicis, ac concilii Tridentini decretis contraria, ut praefertur non sint; eadem apostolica auctoritate, licentiam, et facultatem tenore praesentium concedimus, et impertimur.

Regiae domui de Bragantia reservatur jus patronatus.

§. 11. Demum considerantes, quod regia domus de Bragantia, jure nominandi, et deputandi cappellanos dictae regiae cappellae in collegiatam ecclesiam, per Nos, ut praefertur, erectae hucusque gravisa est, de speciali Sedis apostolicae munificentia eidem regiae domui de Bragantia, illiusque pro tempore existentibus regiis successoribus jus nominandi personas idoneas, tam ad decanatum, et thesaurariatum, quam ad singulos canonicatus, et beneficiatus per Nos ut supra erectos, et institutos, tam pro hac prima vice a primaevis illorum erectione, et institutione hujusmodi respective vacantes, quam in singulis futuris illorum respective vacationibus, et quoties decanatum, ac thesaurariatum, et singulos canonicatus, et beneficiatus praefatos, ubicumque, quandocumque, et quomodocumque, ex personis illos pro tempore respective obtinentibus quovis modo vacare contigerit, scientia, et potestatis plenitudine paribus, apostolica auctoritate praefata in perpetuum quoque reservamus, concedimus, atque assignamus.

Exemptio ecclesiae a jurisdictione episcopi Elborensis.

§. 12. Cumque felicis recordationis Clemens pp. VIII. praedecessore Noster per alias in simili forma expeditas literas incipientes « *Ex injuncto* » ac quatuordecimo kalendas octobris datas anno incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo primo, circa ordinariam jurisdictionem a moderno, et pro tempore existenti archiepiscopo Elborensi in regia ipsa cappella exercendam nonnulla disposuerit; hinc est, quod Nos praedicti Clementis dispositiones confirmantes, eamdem cappellam in insignem collegiatam ecclesiam, ut praefertur, erectam, cum suis capitulo, seminario, beneficiis ecclesiasticis cujusvis speciei, ac dignitatibus, canonicis, beneficiatis, aliisque ministris quovis nomine nuncupatis, et officialibus eidem cappellae inservientibus, et addictis, ab omnimoda subjectione, superioritate, correctione, visitatione, et potestate pro tempore existentis archiepiscopi Elborensis, ita quod ipse nunquam in posterum ali-

quam spiritualem jurisdictionem in capitulum, seminarium, seu personas eidem cappellae addictas exercere possit, apostolica auctoritate, ac de potestatis plenitudine perpetuo exemptam, et totaliter, liberatam declaramus.

Decano ejusdem capituli conceduntur jura episcopalia.

§. 13. Dictaeque postmodum cappellae in collegiatam ecclesiam, ut praefertur, erectae sic a quacumque jurisdictione archiepiscopi Elborensis exemptae, et totaliter liberatae, curam, regimen, et administrationem ad pro tempore decanatum ipsius collegiatae ecclesiae obtinentem per Nos, et Romanum pontificem pro tempore existentem, ut supra, ad ecclesiam episcopalem in partibus infidelium promovendum, concedimus, atque tribuimus, ita ut ipse ex nunc deinceps pontificali dignitate insignitus, ordinariam jurisdictionem, atque pontificalia omnia, etiam quoad ordinum collationem, confessariorum approbationem, respectu dumtaxat ejusdem collegiatae, omnesque et singulas facultates etiam quoad expeditionem literarum dimissorialium, tamquam verus, et realis ordinarius in ipsa collegiata exercendo, idoneas personas ad thesaurariatum canonicatus, beneficiatus, sive alia beneficia, aut officia in eadem collegiata ecclesia erecta nominatas canonice instituere libere, et licite valeat, nec non super eorum vita, moribus, et disciplina inquirere, plenamque demum, meram, et omnimodam spiritualem, ecclesiasticam, et ordinariam jurisdictionem habere, ac omnia et singula alia, quae archiepiscopi, sive episcopi in ecclesiis eisdem subjectis hactenus exercere consueverunt, similiter, et pariformiter nulla prorsus differentia gerere, ac facere possit, statuimus, atque etiam decernimus.

De electione decani, ejusque institutione.

§. 14. Quod vero pertinet ad nominationem personae pro obtinenda dignitate decanatus hujusmodi collegiatae ecclesiae, minime dubitamus, quin pro tempore existentes regii ipsius decanatus patroni, et collegiatae ecclesiae regimen, et ad ordinariam jurisdictionem inibi exercendam personam necessariis qualitatibus praeditam, semper sint electuri; talis idcirco ecclesiastica persona debitis ornata virtutibus, ac suffulta requisitis a Sede apostolica approbandis, per Nos et Romanos pontifices successores Nostros, ad episcopalem ecclesiam in partibus infidelium consueta forma promovebitur, ejusdemque promoti consecratio, a moderno, et pro tempore existente archiepiscopo Elborensi, cui erit commissa, peragetur, ita ut consecratio hujusmodi censeatur, in simul tamquam actus canonicae institutionis in praedicto decanatu. Quod si contingat nominari ad eumdem decanatum personam aliquam jam antea episcopali dignitate insignitam, tunc ei memoratus archiepiscopus eam in ipso decanatu canonice instituat.

Clausulae salutares.

§. 15. Praesentes autem Nostras literas apostolicas nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, et legitima, pia, privilegiata, ac speciali nota digna de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, seu quopiam alio, quantumvis maximo, et substantiali, substantialissimo, ac specialem, et individuam mentionem requirente defectu, notari, impugnari, invalidari, seu alias quomodolibet infringi, retardari, annullari, seu per Nos, et successores Nostros Romanos pontifices pro tempore existentes, ac Sedem praefatam, seu S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios, vel quosvis alios, quavis auctoritate fungentes, suspendi, revocari, restringi, limitari, ad viam, et terminos juris reduci, seu adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque juris, seu facti, aut gratiae vel justitiae remedium impetrari, aut alias etiam motu proprio concedi, seu illis etiam in aliquo derogari, aut quidquam aliud in contrarium disponi ullatenus posse, nec illas, sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam, ut praefertur, aut alias quomodolibet etiam per cancellariae praedictae regulas, et constitutiones apostolicas praefatas, pro tempore factis, et faciendis, ac concessis, et concedendis comprehendi, vel confundi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per futuros, et pro tempore existentes capitulum, et canonicos, et beneficiatos praedictae regiae cappellae in collegiatam ecclesiam, ut praefertur, erectae quandocumque eligenda concessas esse, et fore, suosque plenarios, et

integros effectus sortiri, et sic ab omnibus censeri; et ita per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac praedictae S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios praefatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere; et quidquid secus, super his, a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, atque inane decernimus.

Deputatio executoris apostolici.

§. 16. Ad hoc autem, ut omnia, et singula supradicta a Nobis disposita, atque ordinata, et in praesentibus contenta, et expressa debitis modo, et forma opportunae executioni demandentur, ac perpetuis futuris temporibus, ab omnibus, et singulis firmiter, et inviolabiliter observentur; eidem archiepiscopo Elborensi nunc, et pro tempore existenti praefato per praesentes committimus, et mandamus, ut ipse inspectis prius praedicti archidiaconatus de Regoa, liberis redditibus, ac thesaurariatus de Barcellos, ac supradictorum beneficiorum vacantium ad praelaudatam unionem fructuum archidiaconatus, et thesaurariatus, ac beneficiorum praedictorum firmis remanentibus obligationibus, et oneribus eisdem incumbentibus, absque ulla mora deveniat, eaque peracta, quantitatem hujusmodi fructuum in ejus decreto desuper edendo referat, et enunciet, sicque pariter occurrente pro tempore supradictorum beneficiorum per Nos in eventus praemissos, ut praefertur, suppressorum, respective vacatione, praeviis informationibus super illorum respective redditunm quantitate, et onerum illis incumbentium qualitate debite captis, redditus beneficiorum hujusmodi, juxta illorum respective vacationum eventus massae antedictae cappellae regiae in collegiatam per Nos ut praefertur erectae modo, et forma superius expressis, conscientia ipsius super his onerata applicet, et uniat, donec tantummodo compleatur summa dictorum sexmillium octingentorum quinquaginta septem ducatorum auri de camera hujusmodi; et juliorum duorum monetae Romanae cum dimidio alterius julii similis summae triginta millium cruciatorum monetae illius regni respondentium ultra supradictos mille, et quadringentos circiter ducatos auri similes, quibus ipsa cappella in collegiatam erecta, jam de praesenti, ut praefertur, gaudet. Eidemque archiepiscopo Elborensi, et in casu vacationis hujus ecclesiae, praedicto provisori ipsius dioecesis facultatem, ut ipse super quacumque quaestione, quae adversus eadem praemissa in hujusmodi executionis actu quomodolibet oriri poterit, servatis, quae fuerint de jure servanda, etiam definitive, quacumque appellatione postposita pronunciare possit, et valeat, apostolica auctoritate praedicta, concedimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 17. Non obstantibus generalis concilii, ac nostra, et cancellariae praefatae regula de unionibus ad partes committendis, ac de exprimendo in eis vero annuo beneficiorum ecclesiasticorum valore, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, et quibusvis aliis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis, editis, vel edendis, specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non cathedralium, et aliarum ecclesiarum in quibus beneficia, per Nos, ut praefertur, suppressa, et extincta forsan fuerint, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis quavis auctoritate fungentibus, aut dignitate fulgentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis, et pluries innovatis: quibus omnibus, et singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita, observata exprimerentur, et insererentur, eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide ad praemissorum validissimum effectum, hac vice dumtaxat motu, scientia, et potestatis ple-

nitudine, harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Revocatio praecedentium literarum.

§. 18. Nos enim cum per similes alias literas incipien. « *Romanorum pontificum* » anno tertio pontificatus Nostri, quartodecimo kalendas januarii datas, ipsius regiae cappellae in collegiatam ecclesiam erectionem certis modo, et forma disposuerimus, cumque omnia ad ejusdem collegiatae erectionem spectantia per praesentes integre, ac plenarie statuamus; primodictas literas nostras, salva tamen et integra manente suppressione, si qua vigore ipsarum literarum peracta jam fuerit, aliquorum beneficiorum, illorumque dictae cappellae in collegiatam erectae applicationes, nullas et invalidas, nulliusque roboris, vel momenti censendas declaramus, perinde ac si nunquam fuissent emanatae.

Fides habenda transumptis.

§. 19. Volumus autem, ut praesentium literarum exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et personae in ecclesiastica dignitate constitutae sigillo obsignatis, eadem prorsus fides ubique locorum adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 20. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis, extinctionis, erectionis, unionis, annexionis, applicationis, concessionis, indulti, commissionis, licentiae, et facultatis impartitionis, reservationis, concessionis, assignationis, decreti, deputationis, atque derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romae apud s. Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexto, quinto kalendas aprilis, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCXVIII.

Dat. die 28. martii 1806. Anno VII.

Dignitatibus, et canonicis ecclesiae cathedralis Brixiensis indulgetur, ut loco almutiarum gestare valeant cappam magnam violacei coloris cum pellibus armellinis tempore hyemali, et cottam, et rocchetum aestivo tempore.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Quantum venerationis vel ipsa sacra indumenta Christifidelium animis ingerere valeant optime tenens Apostolica Mater Ecclesia, non modo varias pro festorum varietate sacerdotibus suis in sacris faciendis praescripsit vestes, sed etiam iis ministris, qui almae veluti Sionis aemuli in templis magis conspicuis divinas laudes quotidie concinunt peculiaria, atque ad eorum dignitatem exprimendam aptissima insignia deferenda concessit.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque sicut dilecti filii capitulum, et canonici cathedralis ecclesiae Brixiensis Nobis nuper exponi fecerunt, cathedralis ipsa in qua tres dignitates, decem canonici, et novem cappellani existunt, antiquitatis laude, sacerdotum probitate, et doctrina, populique christiani frequentia, et devotione valde floreat, multum honorificentiae, et splendoris ad ipsam accederet, ac divinus cultus, fideliumque devotio majora susciperet incrementa, si ejusdem ecclesiae dignitates, canonici, et cappellani novis insignibus, et honorificentiis per Nos, et hanc apostolicam Sedem donentur, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 3. Nos igitur eosdem exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, modernis, et pro tempore existentibus dignitatibus, et canonicis dictae Brixiensis cathedralis ecclesiae, ut ipsi loco almutiae, quam adhuc deferre consueverunt, cappam magnam violaceam, vulgo di saja paonazza, cum asulis, et globulis sericis cremisini coloris, et cum pellibus armellinis supra rocchetum hyemali, aestivo autem tempore ipsum rocchetum, et cottam, seu cappam magnam sine pellibus hujusmodi ad instar canonicorum aliarum cathedralium ejusdem provinciae; cappellani autem cottam, et

Digitized by Google

almutiam ex pellibus armellinis maculatis tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque respective uti; ac praeterea iidem dignitates, et canonici crucem auream forma, et magnitudine ab episcopali cruce prorsus discrepantem funiculo serico nigro alligatam cum flocco pariter nigro e collo pendentem etiam privatim deferre libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque dignitates, et canonicos, et cappellanos desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima octava martii millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 1. aprilis 1806. Anno VII.

CCCCXIX.

Revocantur nonnulla rescripta obreptitie, et subreptitie extorta super commutatione testamenti Ignatii Michaelis Giarve patriarchae Antiocheni.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Memoratur quae fuerit dispositio testamentaria patriarchae Antiocheni, et quomodo extitit commutata.

§. 1. Accepimus nuper, venerabiles fratres Nostros S. R. E. cardinales negociis de Propaganda Fide praepositos decreto die decima nona septembris MDCCLXXXXI. ab eis edito duo approbasse, et confirmasse bo. me. Ignatii Michaelis Giarve patriarchae dum viveret Antiocheni Syrorum testamenta, atque his pontificiae etiam auctoritatis robur accessisse per apostolicas in simili forma Brevis die XXII. maji MDCCLXXXXVII. expeditas literas, prout eisdem in literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus, fusius contineri perhibetur. Accepimus itidem, bina alia subinde ab eodem patriarcha condita testamenta fuisse, ac eosdem cardinales, quibus posteriora isthaec testamenta pro eorum confirmatione, aut immutatione, vel declaratione aliqua fuere post testatoris mortem exhibita, mutare hisce etiam perspectis judicasse ac decrevisse rata, et firma in omnibus ista quoque, perinde ac alia duo priora, habenda esse. Quamquam vero iisdem in testamentis cautum esset, ut duo capita pecuniarum collocata a patriarcha praedicto in hac urbe Nostra, alterum scilicet scutatorum ter mille et octingentorum penes annonae frumentariae cameram, alterum autem scutatorum mille, et quingentorum apud Propagandae Fidei congregationem, tum etiam nummorum hujusmodi annui fructus ad monasterium s. Mariae Liberatricis in Kersroano libere pertinerent; nihilominus nulla Nobis facta mentione de supradictis testamentis obtentum fuit die XXXI. octobris MDCCCIV. rescriptum Nostrum, quo recensita pecuniarum capita adversus apertam voluntatem patriarchae testatoris succedentem declaratur spectare; Nobis idcirco supplicatum humiliter est, ut opportune hac in re providere, ac benigne ut infra indulgere dignaremur.

Praevia revocatione rescripti praecedentis decernitur executio voluntatis testatoribus.

§. 2. Nos igitur toto, quo cum Domino possumus studio uniuscujusque jura sarta tecta servare, et ab omni etiam fraude et laesione vindicare cupientes, de praedictorum venerabilium fratrum consilio, praevia memorati rescripti utpote obreptionis, et subreptionis vitio laborantis abrogatione, quemadmodum auctoritate apostolica tenore praesentium illud abrogamus, nullumque, ac irritum facimus, et declaramus; deinde ut eo minime obstante praedicta duo pecuniarum capita in omnibus et per omnia juxta disponentis mentem praedicto monasterio s. Mariae Liberatricis in Kersroano perpetuo firmiter ac omnino libere addicta maneant, atque manere debeant, utque annuos illorum fructus ii, ad quos pertinet aut pertinebit pro tempore, plenarie ad formam testamentariae dispositionis ejusdem patriarchae exigant, auctoritate et tenore praedictis concedimus, volumus, atque decernimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die prima apri-

lis millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 1. aprilis 1806. Anno VII.

CCCCXX.

Dismembratio villae Turris Laurenzettae Tudertinae dioecesis a paraecia s. Faustini, illiusque incorporatio paraeciae Collis Petraccii.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum universitatis et hominum villae Turris Laurenzettae Tudertinae dioecesis expositum Nobis fuit, quod alias infrascripta venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium congregatio ad consulendum spirituali incolarum dictae villae utilitati, attentisque sedulis venerabilis fratris episcopi Tudertini relationibus super dismembratione a primaeva dictae villae paraecia s. Faustini per milliarium distante, et incorporatione ejusdem viciniori paroeciae Collis Petraccii, proposito in ipsa congregatione dubio « *An, et quomodo sit locus dismembrationi, et respective unioni in casu etc.* » eadem congregatio, exponentium precibus inhaerendo decretum edidit sequentis tenoris, videlicet.

Die XXIV. novembris MDCCCIV.

Rescriptum ad relatum s. congregationis Concilii.

§. 2. Sacra congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium concilii Tridentini interpretum respondit affirmative, assignatis annuis scutis viginti in fundis paraeciae s. Faustini arbitrio episcopi, et notificetur ministris datariae apostolicae, proindeque benigne commisit episcopo Tudertino, ut veris existentibus narratis pro suo arbitrio, et conscientia incolas Turris Laurenzettae a paraecia s. Faustini dismembrare, nec non paraeciae castri Collis Petraccii unire possit, et valeat, assignando ejus parocho pro tempore annua scuta viginti in tot fundis ad paraeciam s. Faustini spectantibus, et praesens decretum notificari mandavit ministris datariae apostolicae.

Loco ✠ Signi.

Ph. card. Carandini praefectus.
E. De Gregorio sec.

Confirmatio rescripti.

§. 3. Cum autem, sicut dicti universitas, et homines exponi iterum Nobis fecerunt, ipsi praeinsertum decretum, quo firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent; Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, decretum praeinsertum, atque omnia et singula in eo contenta, et expressa auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et adprobamus, illique inviolabilis, et perpetuae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in eo quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in praemissis, per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non quatenus opus sit, dictarum paraeciarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis ha-

Digitized by Google

bentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die prima aprilis millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 2. aprilis 1806. Anno VII.

CCCCXXI.

Dismembratio nonnullarum ecclesiarum a jurisdictione archiepiscoporum Bononiensis, et Mediolanensis, eorumque unio dioecesi Parmensi.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Dilecto filio nostro Joanni Baptistae tituli sancti Onuphrii S. R. E. presbytero cardinali Caprara nuncupato, nostro et Sedis apostolicae ad charissimum in Christo filium nostrum Neapoleonem Galliarum imperatorem de latere legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Expositum cum Nobis fuerit ex parte charissimi in Christo filii nostri Neapoleonis Gallorum imperatoris, quod valde opportunum ad populorum commoditatem foret, si infrascriptae episcopales ecclesiae in territoriis modo ejusdem Neapoleonis imperio subjectis existentes, videlicet Parmensis, Placentina, Burgi sancti Donnini, et Saonensis, metropolitanae ecclesiae Januensis, nec non Vintimiliensis respective ecclesiae metropolitanae Aquensis respectivis archiepiscoporum jurisdictionibus subjicerentur; atque insuper praevia suppressione ordinariae quasi episcopalis jurisdictionis huc usque exercitae ab abbate saecularis abbatiae Guastallensis nuncupatae nullius dioecesis apostolicae Sedi immediate subjectae ipsius abbatiae territorium episcopali ecclesiae et dioecesi Parmensi uniretur, ac subjiceretur.

Tenor decretae divisionis et respectivae unionis.

§. 2. Gravibus idcirco attentis circumstantiis, ipsius imperatoris votis hac etiam in parte benigne annuentes tibi, dilecte fili noster, specialem tribuimus potestatem, ut praevio infrascriptorum archiepiscoporum, eorumque metropolitanarum ecclesiarum, capitulorum, nec non episcoporum, et abbatis respectivo consensu apostolica speciali delegata auctoritate ecclesias Parmensem, Placentinam, et Burgi sancti Donnini praefatas a metropolitico archiepiscopi Bononiensis jure, atque pariter Saonensem et Vintimiliensem ecclesias praedictas ab eodem jure archiepiscopi Mediolanensis, quibus ad praesens subsunt abdicando, Parmensem videlicet, Placentinam, Burgi sancti Donnini, et Saonensem archiepiscopalis ecclesiae Januensis, Vintimiliensem vero, praefatae ecclesiae archiepiscopalis Aquensis, respectivis juribus metropoliticis in consueta forma subjicias, atque supponas: ac praeterea territorium supradictae abbatiae Guastallensis, una cum ejus clero et populo, a quacumque moderni abbatis jurisdictione liberes, atque eximas, illudque omnimodae ordinariae jurisdictioni, et superioritati moderni, et pro tempore existentis episcopi Parmensis perpetuo unias, et adjicias; cum hoc tamen quod per antedictam ordinariae, et quasi episcopalis jurisdictionis, suppressionem, nihil aliud hodierni Guastallensis abbatis canonicae existentiae umquam detractum censeatur.

Mandatum ad rem datum cardinali a latere legato.

§. 3. Nos enim ad hujusmodi effectum omnes et singulas tibi necessarias, et opportunas facultates quaelibet acta et decreta in una seu pluribus vicibus conficiendi, et expediendi ad plenariam hujus nostrae voluntatis habendam executionem, tribuimus, atque impertimur; quaeque per te vigore praesentium statuta, et ordinata fuerint, ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in posterum observari praecipimus, atque mandamus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non Parmensis, Placentinae, Burgi s. Donnini, Saonensis, Vintimiliensis, ac abbatiae praedictae, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro pleno, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Digitized by Google

Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexto, nonis aprilis, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 5. aprilis 1806. Anno VII.

CCCCXXII.

Dismembratio nonnullarum ecclesiarum a jurisdictione respectivorum archiepiscoporum, earumque subjectio ecclesiae archiepiscopali Januensi.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Dilecto filio Nostro Joanni Baptistae tituli sancti Onuphrii S. R. E. presbytero cardinali Caprara nuncupato, Nostro et Sedis apostolicae ad charissimum in Christo filium Nostrum Neapoleonem Galliarum imperatorem de latere legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Expositum cum Nobis fuerit ex parte charissimi in Christo filii Nostri Neapoleonis Gallorum imperatoris, quod valde opportunum ad populorum commoditatem foret, si infrascriptae episcopales ecclesiae in territoriis modo ejusdem Neapoleonis imperio subjectis existentes, videlicet Parmensis, Placentina, Burgi s. Donnini, et Saonensis, et Lunensis Sarzanensis metropolitanae ecclesiae Januensis, nec non Vintimiliensis respective ecclesiae metropolitanae Aquensis respectivis archiepiscoporum jurisdictionibus subjicerentur.

Tenor decretae dismembrationis, et respectivae incorporationis.

§. 2. Votis idcirco ejusdem imperatoris hac etiam in parte benigne annuentes tibi, dilecte fili Noster, specialem tribuimus potestatem, ut praevio infrascriptorum archiepiscoporum, eorumque metropolitanarum ecclesiarum, capitulorum, nec non episcoporum respectivo consensu apostolica speciali delegata auctoritate ecclesias Parmensem, Placentinam, et Burgi sancti Donnini praefatas a metropolitico archiepiscopi Bononiensis jure, atque pariter Saonensem, et Vintimiliensem ecclesias praedictas ab eodem jure archiepiscopi Mediolanensis, quibus ad praesens respective subsunt abdicando, Parmensem videlicet, Placentinam, Burgi s. Donnini, et Saonensem archiepiscopalis ecclesiae Januensis, Vintimiliensem vero, praefatae ecclesiae archiepiscopalis Aquensis respectivis juribus metropoliticis in consueta forma subjicias, atque supponas: ac praeterea si ita in Domino expedire judicaveris eidem metropolitico Januensis archiepiscopalis ecclesiae antedictae juri, etiam Lunensem et Sarzanensem perpetuo invicem canonice unitas ecclesias, usque ad praesens sub immediata sanctae hujus Sedis subjectione existentes simili auctoritate pariter suppositas, atque subjectas in posterum esse declares.

Mandatum ad rem datum cardinali a latere legato.

§. 3. Nos enim ad hujusmodi effectum omnes et singulas tibi necessarias, et opportunas facultates quaelibet acta et decreta in una, seu pluribus vicibus conficiendi, et expediendi ad plenariam hujus nostrae voluntatis habendam executionem, tribuimus, atque impertimur; quaeque per te vigore praesentium statuta, et ordinata fuerint, ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in posterum observari praecipimus, atque mandamus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non Parmensis, Placentinae, Burgi sancti Donnini, Saonensis, Vintimiliensis, ac Lunensis Sarzanensis respective ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexto, nonis aprilis, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 11. aprilis 1806. Anno VII.

CCCCXXIII.

Dispensatio a choro per tres menses quolibet in anno favore canonicorum ecclesiae collegiatae de terra Podi-Bonitii Collensis dioecesis:

Digitized by Google

Venerabili fratri episcopo Collensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Nuper exponi nobis fecerunt dilecti filii praepositus, atque canonici ecclesiae collegiatae Assumptionis Beatae Mariae Virginis de terra Podi–Bonitii Collensis dioecesis, quod ipse praepositus nulla gaudet praebenda, valde autem tenui potiuntur canonici, qui tamen omnes vi fundationis quotidiano chori adstringuntur servitio absque ulla prorsus relaxatione; quod ipsi minus quidem gravate perferrent, nisi jugi eorum labori insalubritas quoque coeli ac loci, ubi degunt, accederet. Hinc ut aliquid nanciscantur otii, quo suae consulant valetudini, per tres menses in anno se a choro vacare posse, absque ulla tamen distributionum jactura, vehementer desiderant; eo vel magis quod sex extant mansionarii, per quos sat bene poterit chori onus quotidie impleri. Quare nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur:

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes, eorumque singulos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut constito tibi de narratis, eisdem exponentibus, eorumque etiam successoribus in futurum petitam facultatem tres per menses dumtaxat singulis annis a choro vacandi, et tempore vacationis omnes, et singulos fructus, redditus, et proventus, nec non distributiones a solis praesentibus percipi solitas, caeteraque omnia ratione praepositurae, et canonicatuum praedictorum quomodolibet ad eos spectantia, perinde ac si cunctis chori ecclesiaeque functionibus interessent, integre percipiendi, ita tamen ut ipsi vacatione hujusmodi per turnum a te praefigendum solummodo perfruantur, et eorum tres, aut duo prout satius in Domino visurum sit tibi, choro, dum alii vacant, semper assistant, cum mansionariis praedictis, tum, et nemo ipsorum non absit in quadragesima et solemnioribus anni festis, auctoritate nostra apostolica pro tuo arbitrio et conscientia impertiaris.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac fundatione praememorata, cui ad praemissorum effectum specialiter, ac expresse derogamus, nec non dictae collegiatae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quinta aprilis millesimo, octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo. Derogatio contrariorum.

CCCCXXIV.

Dat. die 18 aprilis 1806 Anno VII.

Declaratio nonnullarum literarum apostolicarum diversis temporibus editarum super unione nonnullorum monasteriorum ordinis Cisterciensis existentium in ditione Parmensi.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Tria monasteria Cisterciensis ordinis in ditione Parmensi existentia, (quibus postea quartum adjunctum est, idest monasterium Florentiolae) rec. mem. Pius pp. VI. praedecessor noster, apostolicis suis in forma brevis die XXVI. septembris MDCCLXXXVI. editis literis, a provincia Longobardiae, cui antea copulabantur, in Romanam ejusdem ordinis provinciam transtulit, cooptavitque tali quidem unione, ac nexu, ut sicut in iisdem enunciatur literis, deinceps per tria illa monasteria cum aliis ejusdem Romanae provinciae una dumtaxat provincia constitui absque distinctione nationum, ac monachi omnes trium illorum monasteriorum tamquam professi in provincia Romana haberi, et censeri deberent. Memorantur literae a praedecessore latae super unione monasteriorum.

§. 2. Hanc porro cooptationem, et unionem nos per apostolicas literas nostras in si- Declaratur quibus sub conditionibus;

Digitized by Google

hujusmodi fuerint postea confirmatae.

mili forma brevis die XXI. julii MDCCCI. expeditas, ita ratam habuimus, et confirmavimus, ut memoratas praedecessoris literas in caeteris omnibus, (nonnullis enim ibi a Nobis derogatum, et nova plura ordinata fuerunt, et monasterium s. Crucis de Nostra alma urbe Romanae eidem provinciae adjunctum, et sexta voce numerus patrum regiminis auctus, et alternativa quaedam inter abbatem ejusdem monasterii, et procuratorem generalem memoratae provinciae praescripta) integras in suo robore quoad promiscuitatem religiosorum omnium tam praeexistentium monasteriorum, quam adjunctorum sine ullo nationum discrimine ad quoscumque effectus permanere pronunciaverimus.

Exponuntur preces porrectae pro declaratione decretae reformationis.

§. 3. Verum enim vero alias apostolicas postmodum in pari forma brevis die IV. februarii MDCCCVI. obsignatas literas dedimus, quibus, post quam variis provinciae Romanae indigentiis providere curavimus, ea tunc arrepta occasione sextam praedictam vocem, quippe quae circumstantiis monasteriorum Parmensium in alium jam mutatis, supervacanea evaserat, regimini ademimus, et quo ut haec magis intelligeretur ademptio, omnia, et singula, quae pro dictis monasteriis Parmensibus tantum tunc, prioribus nempe literis Nostris, per Nos sancita, et constituta fuerunt, revocare, et abolere addidimus. Ex hoc tamen additamento factum est contra, ut Parmenses monachos, quaedam ceperit dubitatio, atque formido, ne quid inde scilicet unio ipsorum cum Romana provincia passura sit detrimenti; qui propterea, ut Nobis nuper a dilecto filio abbate Angelo Maria Campagna eorum est nomine expositum, aliquam mentis Nostrae declarationem ad suum uniuscujusque jus quaesitum opportune tuendum vehementer desiderant, enixisque humiliter precibus a nobis efflagitant.

Tenor declarationis, qua sarta tecta servantur jura, et privilegia monachorum Parmensium.

§. 4. Nos igitur, quibus nil sane esse potest antiquius, quam ea, quae in regularium ordinum emolumentum constituta salubriter sunt, sarta tecta servare, praedictos monachos a quolibet metu, animique anxietate eripere, ac recreare cupientes, et specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, praevia abrogatione, quatenus opus sit, revocationis, et abolitionis superius enarratae, quemadmodum auctoritate apostolica tenore praesentium eam penitus abrogamus, deinde verba illa omnia, quae in memoratis literis Nostris revocationem, et abolitionem praecedentium literarum respiciunt, de una, et sola sexta voce regiminis, quam tunc abstulimus, et nunc quoque ablatam volumus (sicuti nunc harum serie ablatam pariter volumus alternativam praedictam utpote ob easdem rationes inutilem factam) esse intelligenda, atque ad hujusmodi vocem, seu vocis ablationem tantummodo referenda, ita ut unio, et incorporatio monachorum Parmensium cum Romana provincia Cistercensi eodem plane modo, ac per memoratum praedecessorem de tribus monasteriis, per Nos vero de quatuor praescripta fuit, jugiter perseverare, firmiterque vigere debeat, omnesque, et singuli dicti monachi perinde ac Romanae provinciae professi semper reputari, semperque cunctis, et singulis juribus, privilegiis, gratiis, atque indultis in Romana provincia haberi, et gauderi solitis indiscriminatim cum reliquis Romanae ipsius provinciae monachis uti, frui, et gaudere, nec non ad munera, et officia quaecumque, si qualitatibus per constitutiones requisitis polleant, et alias canonice eligantur, eligi, et renunciari, eaque assequi, ac per tempus a constitutionibus praefinitum illis fungi libere, ac licite possint, et valeant, auctoritate, et tenore praesentis declaramus, statuimus, atque praecipimus, salva, servataque in caeteris forma, et dispositione literarum tum praedecessoris, tum Nostrarum, de quibus supra meminimus.

Deputatio executoris apostolici.

§. 5. Quocirca dilecto filio nostro Julio Mariae S. R. E. presbytero cardinali de Somalia nuncupato praedicti ordinis protectori, de cujus prudentia, et fide, ac religionis zelo plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, ut pro debita harum literarum executione, et effectu eas publicet, seu publicari faciat, atque omnia in eisdem contenta adamussim observari curet, et studeat; Nos enim illi quamcumque necessariam, et oppor-

tunam ad id facultatem supradictis auctoritate, et tenore tribuimus, ac impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat; et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non provinciae, et monasteriorum praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 8. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitatae constitutae, vel procuratoris generalis dicti ordinis munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima octava aprilis millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCXXV.

Dat. die 7. maji 1806. Anno VII.

Beatificatio venerabilis servi Dei Francisci de Hieronymo sacerdotis professi Societatis Jesu.

Pius PP VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Laudes venerabilis servi Dei.

§. 1. Quae nova semper a Domino instaurantur exempla virtutum, haec fere omnia simul in uno Dei servo Francisco de Hieronymo renovata videmus. Ipse namque coelestibus benedictionibus praeventus puer cum ab ineptiis et nugis prorsus abhorrebat, tum in templis, et oratoriis frequens erat devotas ad Deum preces effundens. Perspectis autem ejus supra aetatem virtutibus, vix duodennis in quorumdam evangelicorum operariorum contubernium est admissus, atque inter eos tantam modestiam cum tanta morum severitate, ingeniique felicitate conjunctam praesetulit, ut non modo fuerit cognomine angelus appellatus, sed adhuc etiam adolescens in catechizando suae patriae Grottolearum populo adhibitus. Mox vero Neapolim profectus literis impensius operam dedit, et in sacro, civilique jure cognoscendo ita est diligenter versatus, ut non multo post publicos honores, lauream que fuerit consequutus; atque interim de virtute in virtutem progrediens, per inferiores ordinum gradus ad presbyteratum ascenderit. Deinde eadem in urbe eo tempore Societatem Jesu ingressus evangelicae perfectionis iter tanto animi fervore suscepit, et peregit, ut cum plurimorum sanctorum virorum, tum maxime sibi cognominum praecipuas virtutes, et charismata habuisse vulgo diceretur. Sanctum vero Franciscum Xaverium peculiarem missionum suarum constituerat patronum, ac sui met exemplum, ad quod se prorsus fingeret, quem ita in omnibus aemulatus est, ut Xaverius ipse Franciscus in Francisco de Hieronymo revixisse videretur. Martyrii desiderio aestuans, superiores vehementer, ac saepius rogabat suos, ut eum ad afferendum evangelicae veritatis lumen efferatis quibusque gentibus in Indias dimitterent. Neapoli tamen retentus, atque sacris missionibus, aliisque spiritualibus hujusmodi officiis addictus, licet debili corporis valetudine uteretur, mirum sane quot labores quadraginta annorum spatio, quo hisce apostolicis muneribus sine intermissione functus est, pertulerit, quot civium odia restinxerit, quot homines ad bonam frugem, quotque mulieres ad honestatem, ac etiam regularis vitae perfectionem intra Gynecaeorum

claustra amplectendam adduxerit. Cursu demum consummato, fideque servata, ad sibi repositam in coelis coronam accipiendam laetus evolavit annos quatuor natus supra septuaginta.

Judicium de ejus virtutibus latum a sacra congregatione Rituum.

§. 2. Quoniam autem, tot tantarumque servi Dei virtutum exempla, quae maximam coaevis utilitatem attulerant, praesentis quoque, et futurorum aetatum hominibus prodesse possunt; Nos, qui ex divina dispositione Dominico gregi, meritis quamquam, viribusque impares, praesidemus, apostolicae servitutis Nostrae esse ducimus tanti viri honorem, et venerationem, quantum Nobis ex alto conceditur, promovere ad majorem Dei gloriam, et fidelium omnium incitamentum, eorum in primis, qui ad Domini vineam excolendam fuerint vocati. Atque eo libentius in hanc sententiam devenimus, quod speramus fore, ut hic Dei servus debitis sibi honoribus affectus in terris peroptatam pacem et tranquillitatem universo christiano populo impetret in coelis. Cum itaque mature diligenterque discussis et perpensis per congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum processibus de hujus s. Sedis licentia confectis super vitae sanctitate, et virtutibus tam theologicis, quam moralibus in gradu heroico, quibus servum Dei Franciscum de Hieronymo sacerdotem professum tunc temporis Societatis Jesu multipliciter claruisse, et super miraculis, quae ad ejus intercessionem ad manifestandam hominibus ejus sanctitatem a Deo edita et patrata fuisse dicebantur, eadem congregatio coram Nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, uno spiritu, unaque voce censuerit, posse, quandocumque Nobis videretur, praedictum Dei servum beatum declarari cum consuetis indultis, donec ad actum solemnis illius canonizationis deveniatur.

Beatificatio.

§. 3. Hinc est, quod Nos piis atque enixis totius congregationis Societatis Jesu, et nominatim presbyteri Alphonsi Muzzarelli hujus causae postulatoris supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de supradictae congregationis consilio et assensu, auctoritate apostolica, tenore praesentium indulgemus, ut idem servus Dei Franciscus de Hieronymo in posterum beati nomine nuncupetur, ejusque corpus, et reliquiae venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferendae) exponantur, imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, ac de eo quotannis die XI. mensis maji recitetur officium, et missa de communi confessorum non pontificum, cum orationibus a Nobis adprobatis juxta rubricas breviarii, et missalis Romani.

Concessio missae, et officii proprii.

§. 4. Porro recitationem officii, et missae celebrationem hujusmodi fieri concedimus in iis locis dumtaxat, in quibus congregatio Societatis Jesu auctoritate apostolica restituta reperiatur, nec non in civitatibus, et dioecesibus Tarentina, et Neapolitana, in quarum prima servus Dei natus est, in altera vero ipse praefata die XI. maji decessit, ab omnibus utriusque sexus christifidelibus tam saecularibus, quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, et quoad missas etiam ab omnibus sacerdotibus ad ecclesias, in quibus festum peragetur, confluentibus. Praeterea primo dumtaxat anno a datis hisce literis inchoando in ecclesiis congregationis Societatis, civitatum, et dioecesum antedictarum solemnia beatificationis ipsius servi Dei cum officio, et missa sub ritu duplici majore die ab ordinariis respective constituenda, postquam in basilica nostra sancti Petri in Vaticano celebrata fuerint eadem solemnia, pro quo re diem XI. sequentis maji assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem.

Derogatio contrariorum, et fides habenda transumptis.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non cultu editis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu secretarii dictae congregationis cardinalium subscriptis, et sigillo praefecti ejusdem congregationis munitis eadem prorsus fides ab omnibus, et ubique tam in judicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda maji millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

IN FESTO
BEATI FRANCISCI DE HIERONYMO
Sacerdotis professi Societatis Jesu.

Oratio

Preces recitandae in festo ejusdem beati.

§. 6. Deus, qui beatum Franciscum, ad animarum salutem, eximium verbi tui prae-

Digitized by Google

conem effecisti; ejus nobis intercessione concede, ut legis tuae mandata et jugiter scrutemur in corde, et fideliter operibus exequamur. Per Dominum etc.

Secreta

Munera, Domine, quae de tua bonitate suscepimus pro beati Francisci commemoratione devote tibi offerimus, suppliciter deprecantes, ut bona etiam opera de tua clementia suscipiamus, quibus justitiam tuam placare possimus. Per Dominum etc.

Postcommunio

Mensae tuae, Domine, salutare mysterium, beato Francisco confessore tuo intercedente, corda nostra purificet; ut nihil in nobis quod punias, sed quod coronare possis invenias. Per Dominum etc.

DECRETUM NEAPOLITANA

Approbatio dictarum orationum.

§. 7. Sanctissimus dominus noster Pius VII. pont. max. humillime supplicante *Rev. sacerdote d. Alphonso ex comitibus Muzzarelli* poenitentiariae apostolicae theologo postulatore causae b. Francisci de Hieronymo sacerdotis professi *Societatis Jesu*, referente R. P. D. Hieronymo Napulionio fidei promotore, suprascriptas *orationes proprias* ab eminentissimo et reverendissimo domino *card. de Somalia* Sanctitatis Suae in urbe vicario, sacrorumque rituum congregationi praefecto, et a praedicto promotore fidei revisas in die solemnis beatificationis ipsius beati Francisci de Hieronymo, necnon subinde ab iis, quibus ex literis apostolicis in forma brevis de eadem beatificatione peragenda expediendis jus recitandi officium, et missam in ejusdem beati honorem datum erit, legi posse benigne indulsit; quibuscumque in contrarium non obstantibus. Die 26. aprilis 1806.

J. Maria card. de Somalia S. R. C. praef.

Loco ✠ Sigilli.

J. de Carpineo S. R. C. secretarius.

Dat. die 9. maji 1806. Anno VII.

CCCCXXVI.

Provisiones susceptae super forma servanda in electionibus dignitatum, et canonicorum in ecclesia cathedrali Minoricensi.

Pius Episcopus

Ad perpetuam rei memoriam.

Memoratur erectio facta a Pio VI. anno 1795.

§. 1. Alias felicis recordationis Pius pp. VI. praedecessor Noster per suas sub plumbo expeditas literas decimo kalendas augusti anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo nonagesimo quinto ecclesiam cathedralem in Minoricensi insula, et sedem episcopalem pro uno episcopo Minoricensi nuncupando, una cum suo capitulo ad formam aliarum episcopalium ecclesiarum in Hispaniarum regnis existentium erexit.

Exponitur quo modo in literis pro erectione facta consultum fuerit provisioni praebendarum.

§. 2. Et in praefati Pii praedecessoris literis ea inter alia praescripta dignoscuntur, quae ad provisionem canonicatuum et archipresbyteralis, magistralis, poenitentiariae et doctoralis respective praebendarum, in eorum et earum respective vacationum eventibus servanda erunt his verbis videlicet « Ac praeterea quoties cantoratum, ac primodictum, et primodictam archipresbyteralem, ac secundodictum, et secundodictam magistralem, ac tertiodictum, et tertio dictam poenitentiariam, ac quatuordictum, et quatuordictam doctoralem, aliosque canonicatus, et officii, et gratiae, ut praefertur, respective nuncupandas praebendas per Nos, ut praefertur erectum, et erectos, ac erectas, in quatuor anni mensibus ordinario loci reservatis respective vacare contigerit, quod illius, et illorum, ac illarum respective provisiones ad futurum, et pro tempore existentem episcopum Minoricensem spectet; quo vero ad praedictos tres canonicatus archipresbyteralem, ac magistralem, et poenitentiariam nuncupandas praebendas, si illi in mensibus Sedi apostolicae reservatis vacaverint; quod post habitum ab eodem ordinario loci, ad formam decretorum conc. Tridentini concursum trium personarum magis idonearum in dicto concursu approbatarum elenchus, primodicto Carolo regi, ejusque successoribus Hispaniarum regibus catholicis pro tempore existentibus praedictis sit transmittendus, ad hoc, ut ab eodem Carolo rege, ejusque successoribus hujusmodi, una ex iis vigore infrascriptae reservationis queat seligi, quodque reliquorum pariter canonicatuum, et officii nuncupandarum praebendarum per Nos, ut praefertur, erectorum, et erectarum quovis tempore va-

Digitized by Google

caturorum, et vacaturarum, respective provisiones per contentionem aut publicum concursum intra modum stricti juris coram pro tempore existente episcopo Minoricensi, dictaeque cathedralis per Nos, ut praefertur, erectae dignitates pro tempore obtinentibus, et canonicis habendum, et juxta leges, mores, aut consuetudines aliarum cathedralium ecclesiarum in Hispaniarum regnis hujusmodi existentium fieri debeant apostolica auctoritate praefata declaramus ».

Exponuntur dubia suborta super executione harum literarum.

§. 3. Cumque in praesentiarum dilectus filius eques Antonius de Vargas y Laguna apud nos, et apostolicam Sedem charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici plenipotentiarius administer, ipsius Caroli regis nomine nobis significaverit, quod supranarratae dispositiones, tam episcopum quam dignitates, et canonicos ejusdem cathedralis ecclesiae in varias adduxit dubitationes. An scilicet in vacatione canonicatus cum praebenda archipresbyterali, cui cura dilectorum filiorum ejusdem ecclesiae parochianorum imminet animarum, quaeque praevio consueto examine erit providenda, contentio, sive concursus hujusmodi in apostolicae Sedis mensibus cum interventu, assistentia, et voto capituli pro consuetudine, et electione approbatorum, eidem Carolo regi, suisque successoribus praesentandorum, haberi debeat, vel tantum coram episcopo, suisque synodalibus examinatoribus, concursus hujusmodi sit habiturus, prout in provisione aliorum beneficiorum cum cura animarum expleatur, et episcopo tantum pertineat electio trium personarum ex approbatis magis idonearum quarum elenchus catholico regi transmittatur, idque ad formam consuetudinis tam archiepiscopalis ecclesiae Toletanae, quam aliarum ecclesiarum episcopalium in Hispaniarum regnis existentium in provisione beneficiorum cum cura animarum habita semper juri, et superioribus ordinibus debita relatione. Itemque an eveniente vacatione praebendarum, officii nuncupatarum, in iis mensibus, in quibus libere episcopo collatio pertinet, concursus hujusmodi sit explendus cum canonicorum assistentia, et quatenus haec ab eis sit praestanda, quae et cujus generis assistentia hujusmodi esse debeat: ac demum an in concursibus pro praebendarum hujusmodi officii provisione habendis, dum eorum vacatio in mensibus Sedis apostolicae eveniat canonici ipsi eorum suffragia conferre valeant in consultationem regi catholico exhibendam, vel si episcopus habita relatione votorum, et aliarum circumstantiarum, quae majorem concurrentium idoneitatem respiciant, ipse solus consultationem eamdem explere debeat: idcirco idem eques Antonius administer regio quoque nomine, preces detulit Nobis ad tollendam omnem dubitationum ambiguitatem literas ejusdem Pii praedecessoris in hac parte declarare, sive novam in hisce rebus methodum praescribere de benignitate apostolica dignaremur.

Declaratur quomodo sit procedendum in concursibus edendis pro concedenda provisione vacantium praebendarum.

§. 4. Ne itaque tam episcopo, quam canonicis cathedralis ecclesiae Minoricensis, in explendis concursibus hujusmodi, ullus quaestioni locus relinquatur, decernendo pronunciamus, et pronunciando decernimus, quod eveniente vacatione canonicatus cum archipresbyterali nuncupata praebenda cathedralis ecclesiae Minoricensis in quocumque anni tempore illius provisio, praevio concursu juxta concilii Tridentini praescriptum, ac servatis ordinibus circa similia vigentibus, modoque, et forma adhiberi solita in provisionibus aliorum beneficiorum cum cura animarum in insula Minoricensi, habeatur. Vacantibus autem canonicatibus officii cum magistrali poenitentiaria, et doctorali respectivis praebendis quolibet pariter mense, praevio etiam concursu ad terminos justitiae, ab eodem episcopo cum voto dignitatum, et canonicorum eligantur, servatis reliquis omnibus, quae de jure, usu, et consuetudine in ecclesiis regnorum Hispaniarum observantur, ac salvo item ejusdem regis jure nominandi, salvisque pariter iis, quae in nuperrimo concordato inter fel. recordat. Benedictum pp. XIV. praedecessorem Nostrum ex una, et clarae memoriae Ferdinandum Hispaniarum regem catholicum ex altera partibus inito praescripta dignoscuntur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernimus propterea Nostras hasce literas semper et perpetuo validas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, et ita per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios judicari, et definiri debere, sublata eis, et eorum cui-

libet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus praefatis literis ejusdem Pii praedecessoris Nostri, aliisque licet expressa mentione dignis, nec non praedictae ecclesiae Minoricensis, etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis: quibus omnibus, et singulis, tenore praesentium ad praemissorum validissimum effectum, specialiter, et expresse derogamus.

Sanctio poenalis.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae declarationis, pronunciationis, mandati, decreti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexto, septimo idus maji, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 10. maji 1806. Anno VII.

CCCCXXVII.

Electio ministri generalis ordinis minorum s. Francisci de observantia in regno Hispaniarum existentis juxta reservationes factas in literis ad rem latis die XV. maji MDCCCIV.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Referuntur reservationes decretae in literis die 15. maji 1804.

§. 1. Inter caetera, quae in apostolicis Nostris literis die XV. maji anno MDCCCIV. datis, quarum initium est « *Inter graviores curas, ac sollicitudines* » a Nobis constituta sunt, et regularium ordinum, ac praesertim earum ipsorum ordinum partium, quae in dominiis carissimo in Christo filio nostro Carolo IV. Hispaniarum regi catholico subjectis existunt, stabili conservationi difficillimis hisce dictorum ordinum temporibus consuleremus, atque ita uberrimos illos fructus Ecclesiae assereremus, qui ab ipsis ordinibus percipiuntur, illud etiam sancitum fuit quoad generalium, vicariorum item generalium, aliorumque infra eos majorum superiorum electiones (quas prima ab iis literis datis vice, attentis praesentis temporis circumstantiis, haud fieri posse sentiebamus ea ratione, quae in iisdem apostolicis literis praescripta est) ut in iis ordinibus, qui praesidem generalem haberent, is suo munere fungi pergeret, usque dum absolveretur tempus, quod ordinis sui legibus praestitutum est; ac si qui summo magisterio fungebatur, natione Hispanus esset, fieret a Nobis electio tum vicarii generalis, tum caeterorum superiorum majorum ordinis extra Hispaniam existentis; si vero summus ordinis magister Hispanus esset, a Nobis vicarius generalis, caeterique superiores majores Hispani constituerentur pro prima dumtaxat vice a datis illis literis.

Tenor electionis.

§. 2. Quamobrem iisdem inhaerentes, quum Nobis de honestate morum, integritate vitae, prudentia, pietate, zelo, doctrina, caeterisque laudabilibus virtutum meritis constet, quibus commendatur dilectus filius Hilarius a Monte Magno ordinis fratrum minorum s. Francisci de observantia nuncupatorum ad praesens commissarius generalis, eumdem a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, motu proprio, atque ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine tenore praesentium in ministrum generalem praedicti sui ordinis eligimus, constituimus, et deputamus. Nobis interim reservantes electiones ad caetera majora munera ejusdem ordinis infra eum posita; atque ut idem minister generalis omnibus, et singulis juribus, facultatibus, praeeminentiis, auctoritate, gratiis, indultis, honoribus, et oneribus solitis, et consuetis, ac in praedicti sui ordinis statutis pro dicto officio praescriptis frui, et gaudere libere, et licite possit, et valeat, ac debeat, motu, et potestate similibus volumus, et declaramus.

Praeceptum de obediendo novo superiori.

§. 3. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis Nostrae, aliisque arbitrio nostro infligendis poe-

nis, omnibus, et singulis dicti ordinis provincialibus, guardianis, aliisque superioribus, nec non professoribus, et personis, caeterisque ad quos spectat, et in futurum spectabit, ut ipsum Hilarium in ministrum generalem, ut supra deputatum, in hoc munere, illiusque libero exercitio juxta tenorem praesentium recipiant, et admittant, eique in omnibus ad munera hujusmodi pertinentibus, et quomodolibet spectantibus prompte pareant, et obediant, faveant, et assistant, ejusque salubria monita, et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimpleri procurent. In hoc autem munere a Nobis ut supra constitutus, eo fungetur per totum illud tempus, quod in praesentibus nostris lit. die XV. maji anno MDCCCIV. datis constitutum est; nisi ad longius tempus statuendum gravibus intercedentibus causis apostolica Sedes moveatur, ut in iisdem literis sancitum est.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac dicto Hilario plenissime suffragari: sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 6. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis dicti ordinis munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima maji, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCXXVIII.

Dat. die 28. maji 1806. Anno VII.

Confirmatio regularum habendarum pro administratione operae piae nuncupatae « *del ponte Metauro*, *e dello Spedaletto* » civitatis Fanensis.

Venerabili fratri episcopo Fanensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem et apostolicam benedictionem.

Exponitur quo modo pia opera visitatoribus apostolicis supposita fuerint, et ab actibus visitae regulae fuerint postea depromptae a peculiari congregatione.

§. 1. Super opera pia, quae vulgari sub nomine del ponte Metauro, e dello Spedaletto in civitate Nostra Fanensi fundata existunt, bo. me. Ignatium S. R. E. dum viveret presbyterum cardinalem Busca nuncupatum pridem certis sub facultatibus, et instructionibus in Nostro chirographo die prima junii, anni millesimi octingentesimi tertii expressis in apostolicum visitatorem edito deputavimus: eique vix post incoeptam visitationem vita sua functo in eorumdem operum convisitatores substituimus ven. fratrem episcopum Tiberiadis vicarium, et dilectum filium magistrum cognominatum Benigni gubernatorem civitatis praedictae. Acta autem, quae in visitatione hujusmodi gesta ab his sunt examinanda com-

misimus peculiari congregationi magistrorum votantium signaturae Nostrae justitiae, qui oneri per Nos sibi injuncto sat bene fecerunt, formamque regulae habendae pro utiliori dictorum operum administratione explanarunt modo, et tenore, ut sequitur.

Piano umiliato alla Santità di nostro Signore dalla congregazione deputata sulla amministrazione, ed erogazione delle rendite delle opere pie di Fano, denominate del ponte Metauro, e dello Spedaletto.

Tenor regularum.

§. 2. L'amministrazione di tutti i beni delle opere pie del ponte Metauro, e dello Spedaletto rimarrà stabilmente presso la comunità di Fano, ed il di lei consiglio generale.

De administratione bonorum de electione administratorum, eorumque munere.

§. 3. Sarà questa esercitata da tre amministratori da nominarsi dal pubblico consiglio per voti segreti tra li consiglieri, probi, ed attualmente esercenti. Il loro ufficio durerà per triennio, trascorso il quale due saranno rinnovati, ed il terzo rimarrà in carica, e così in appresso si praticherà di triennio in triennio. Ciascun' amministratore eletto dovrà prestare una idonea fidejussione da approvarsi dal consiglio, e conseguirà un' annuo onorario di scudi trentasei, esclusa ogni regalia.

De congregatione deputatorum.

§. 4. La congregazione dei tre deputati delibererà, sopra tutte le operazioni concernenti l'amministrazione delle opere pie distribuendo il dettaglio esecutivo, come crederà meglio a varj suoi membri li quali poi dovranno dare conto alla piena congregazione.

De ministro agrario.

§. 5. Assumerà la congregazione un ministro, o fattore per l' azienda di campagna, e così pure un' esattore, ed un computista, diversi sempre da quelli, li quali prestano l'opera loro alla comunità. A ciascuno dei sopraddetti ministri assegnerà un ragionevole stipendio da approvarsi dal consiglio.

De erogatione redditnum.

§. 6. Il denaro, che si ricaverà sia dalla vendita dei prodotti, o dalle pensioni delle case, sia da qualunque altro ramo di rendita, dovrà al momento depositarsi al monte di Pietà di Fano, donde non potrà essere estratto se non per mezzo di ordini firmati dai tre deputati (quando alcuno non sia legittimamente impedito), e dal computista, per essere poi erogato nelle cause, che si diranno in appresso.

De ratiociniis, et ratiocinatoribus.

§. 7. La congregazione provvederà che la scrittura sia posta in regola, ed in seguito ritenuta con un metodo semplice, ma esatto, ed accurato a forma di quanto progettarono li periti computisti eletti dalla visita dei monsignori vicario, e governatore di Fano; che si eseguiscano ovvero si prosieguano li moltiplici già ordinati per l'estinzione dei debiti; la quale debba aver luogo nel più ristretto tempo possibile; che si eseguiscano i bonifici della campagna, e si accresca particolarmente l'industria del bestiame a tenore di quanto hanno rimarcato i periti deputati dai sopraddetti monsignori visitatori, invigilando insieme, perchè si pratichi costantemente una buona, ed esatta coltivazione; che le pigioni delle case si vadino aumentando ad un saggio ragionevole.

De jurisdictione episcopi.

§. 8. Monsignor vescovo pro tempore di Fano non solo, come ordinario, ma inoltre come specialmente delegato apostolico a quest' effetto, avrà il diritto tanto in occasione di sagra visita, quanto in ogni altra circostanza, che crederà conveniente di sindacare lo stato, ed esaminare li conti dell' amministrazione; li libri della quale insieme colle corrispondenti giustificazioni dovranno per ciò a lui esibirsi. Potrà ancora far riconoscere lo stato de' fondi, ed inquirere sull' esatta erogazione delle rendite per prevenire così, o per togliere qualunque abuso, che in appresso potesse insorgere.

De implemento onerum.

§. 9. Le rendite insieme comulate dell' opere pie saranno erogate nella seguente maniera.

I. Si darà ogn' anno la metà in natura dei frutti de' beni donati da donna Gaudiana ai padri Conventuali di Fano, siccome si è praticato per lo addietro, senza alcuna innovazione.

De satisfactione missarum.

II. §. 10. Soddisfaranno esattamente le messe, le doti, e le altre opere pie, volute da testatori Onofri e Cantarini.

De deposito lignaminum ferri, et pecuniae quotidie servando.

III. §. 11. Si formerà, e riterrà un magazzino di legnami, e di ferri, e tutt' altro a giudizio della congregazione, necessario ai lavori del ponte, il qual magazzino dovrà rimaner sempre egualmente fornito; e così pure nel monte della pietà di Fano si riterrà costantemente a parte un deposito di scudi cinquecento per qualunque improvvisa urgenza, la quale esigesse straordinaria riparazione.

Digitized by Google

De manutentione pontis, et ecclesiae.

IV. §. 12. S'impiegheranno annualmente le somme occorrenti all'ordinaria manutenzione del ponte, ed al mantenimento della chiesa dedicata alla Beatissima Vergine del ponte medesimo.

De praestatione praebendae rectoribus s. Crucis.

V. §. 13. Li tre deputati coll'intelligenza dell'ordinario concorderanno coi rettori di santa Croce di Fano la prestazione di una certa annua somma coll'obbligo di ritenere nel loro ospedale li quattro letti voluti da donna Gaudiana, ed inoltre in luogo dell'ospedaletto qualche altro letto a giudizio de' deputati medesimi, e dell'ordinario, rimanendo con ciò a questo rapporto libere le opere pie da qualunque peso ulteriore. Saranno a preferenza di qualunque altro ricevute in que' primi quattro letti le persone contemplate da donna Gaudiana, cioè li pellegrini, li mercatanti, ed altri poveri, e così pure ne' letti aggiunti l' infermi contagiosi. Siccome però è ben raro il caso di simili infermi, così in difetto di essi, e degli altri sopraddetti indistintamente in tutti i letti si riceveranno li poveri, specialmente contadini.

De subministratione facienda communitati.

VI. §. 14. Alla comunità di Fano si somministreranno scudi quattrocento da erogarsi nei stipendj de' pubblici salariati, come si è fatto per lo addietro.

De dimissione aeris alieni.

VII. §. 15. Sarà destinata una conveniente porzione di rendite per li pagamenti de' frutti, e per l' estinzione delle sorti de' debiti a forma di quanto prescrivono li rispettivi beneplaciti apostolici. Altra parte s' impiegherà a giudizio de' deputati nei bonifici di campagna, nelle riparazioni delle case, e nell' acquisto dei bestiami, tanto opportuni per aumentare le rendite.

De erogatione residuorum.

VIII. §. 16. Dei sopravanzi la congregazione dei tre deputati sarà in arbitrio di ripartire ogni anno coll' intesa de' parrochi, nella vigilia del s. Natale, ai poveri un'annua somma di scudi cento, o di proseguire l' elemosina delle farine in un'eguale valuta, e nelle medesime circostanze.

De substentatione piarum institutionum.

IX. §. 17. Gli ulteriori sopravanzi potranno impiegarsi nel soccorrere sia con generi grezzi le pie istituzioni già esistenti in Fano, cioè le case delle orfane, degli orfani, il conservatorio delle bastarde, la casa delle manifatture di s. Rocco, secondo ciò che crederà espediente la congregazione, e che verrà poi dall' ordinario approvato nelle sue revisioni.

Confirmatio apostolica.

§. 18. Ut itaque praeinserta hic forma regulae (seu piano) quam Nos in omnibus, et per omnia probamus optatum sortiatur effectum, Nos fraternitatem tuam specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, te, futurosque tuos pro tempore successores per tempus Nostro, et apostolicae Sedis placito duraturum auctoritate apostolica tenore praesentium in praedictorum operum piorum delegatos apostolicos nominamus, facimus, et constituimus, tuaeque, et successorum cura, ac zelo, ut ea quae in praeinserta forma, seu piano continentur cuncta adamussim adimpleantur injungimus, et commendamus, ac tibi, et successoribus facultates omnes, et singulas, quae ad sedulam, rectamque memoratae regulae executionem tibi, eisque opus fuerit plenarie tribuimus, atque impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 19. Decernentes easdem has Nostras literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac tibi et successoribus tuis in praemissis plenissime suffragari, atque ab omnibus ad quos spectat, ac spectabit, pro tempore inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 20. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die IX. maji MDCCCVI. pontificatus nostri anno septimo.

CCCCXXIX.

Dat. die 9. julii 1806. Anno VII.

Commutatio officiorum pro dioecesi Cordu-

bensi ne umquam officia ritus duplicis omittantur ob concurrentiam aliorum festorum.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Cum sicut venerabilis frater Petrus Antonius episcopus Cordubensis Nobis nuper exponi fecit, ipse nulla umquam officia ritus duplicia in sua dioecesi ob aliorum festorum concurrentiam omitti posse plurimum desideret; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, referente dilecto filio magistro Julio de Carpineo sacrorum rituum congregationis secretario; ut in universa dioecesi Cordubensi, quando circa anni finem desint dies feriales, aut festi simplicis pro reponendis officiis ritus duplicis translatis, ea officia translata reponi valeant in diebus impeditis officio ritus semiduplicis, redactis pro eo anno officii ritus semiduplicis ad gradum simplicis, cum commemoratione in missa, laudibus, et utrisque vesperis, ac nona lectione historica de sancto, qui locum cedet, auctoritate apostolica, tenore praesentium indulgemus.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictae dioecesis consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die sexta junii millesimo octingentesimo sexto, pontificatus nostri anno septimo.

CCCCXXX.

Dat. die 6. junii 1806. Anno VII.

Suppressio beneficii ecclesiastici sub invocatione sancti Joannis erecti in ecclesia collegiata terrae Serviliani Firmanae dioecesis, et applicatio bonorum in applicationem sacrarii ejusdem collegiatae.

Dilecto filio vicario venerabilis fratris archiepiscopi Firmani in spiritualibus generali.

Pius PP. VII.

Dilecte fili salutem, et apostolicam benedictionem.

§. 1. Pastoralis officii Nostri debitum exposcit, ut Nos ad ea per quae collegiatarum ecclesiarum quarumlibet, quae ob passas temporum vicissitudines aliqua detrimenta pati comperiuntur necessitatibus opportune consulitur libenter intendamus ex his, quae ad mala hujusmodi facienda magis apta expedire videantur favorabiliter annuere non dedignemur. Prooemium.

§. 2. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum modernorum capituli et canonicorum saecularis et insignis collegiatae ecclesiae sancti Marci oppidi Serviliani Firmanae dioecesis expositio continebat quod cum sacrarium dictae collegiatae ecclesiae licet annuam summam triginta scutorum monetae romanae pro sua dotatione habeat constitutam, quae quidem alias pro eo quod illud tunc sacris suppellectilibus et vasis etiam argenteis, linteis, aliisque ad divinum cultum satis superque instructum reperiebatur, satis erat pro illius manutentione sufficiens, ad praesens tamen ob communes calamitates retractorum temporum, ac depopulationes quibus illarum partium oppida atque loca, et praesertim oppidum primo dictum respective fuerunt obnoxia, et quarum causa dictum sacrarium praemissis omnibus ad rem divinam Expositio precum.

Digitized by Google

pertinentibus penitus despoliatum extitit ad supplendum expensis pro illarum sarcitione ac renovatione occurrentibus penitus impos omnino evasisse dignoscatur. Summa hujusmodi gravibus quibus modo subest oneribus haud respondeat, ac capitulum et canonici praefati ex suarum praebendarum fructibus, redditibus, et proventibus modici quidem valoris praemissis ejusdem sacrarii indigentiis occurrere teneantur; secus vero perpetuum simplex et personalem residentiam non requirens beneficium ecclesiasticum ad altare, vel sub invocatione sanctorum Joannis et Joannae in praefata collegiata ecclesia per obitum Philippi Rossi apud Sedem apostolicam defuncti, aut alias certo alio modo vacaverit et vacet ad praesens, hujusmodi beneficii vacatio opportunam eisdem exponentibus, praebuit occasionem, certamque spem ut urgentibus praefati sacrarii necessitatibus praedictis aliqua in parte possit provideri. Si itaque sicut eadem expositio subjungebat praefatum beneficium perpetuo ut infra supprimeretur, et extingueretur, illoque sic suppresso et extincto omnia, et singula illius bona, jura, fructus, redditus, proventus, obventiones, emolumenta quaecumque praedicto sacrario itidem perpetuo, ut infra, applicarentur, et appropriarentur, aliaeque infrascripta per Nos ac Sedem apostolicam pariter ut infra fierent, et ordinarentur, ex hoc profecto sacrarium ipsum illius redditibus adauctis propriae, manutentioni prospicere possit, atque providere; unaque simul relevamen aliquod capitulo et canonicatibus praedictis tribueretur. Ideo Nobis humiliter supplicari fecerunt exponentes praedicti, quatenus eis in praemissis opportune consulere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur eosdem exponentes specialis gratiae favore prosequi volentes, nec non eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni tuae per praesentes committimus, et mandamus, quatenus vocatis qui fuerint ad id vocandi beneficium praedictum cujus et illi forsan annexorum fructus, redditus, et proventus etiam non deductis illius oneribus ducatorum auri de camera, et juliorum quatuor monetae Romanae cum dimidio alterius julii similis secundum communem aestimationem valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, sive praemisso, sive alio quovis modo, aut ex alterius cujuscumque persona, seu per liberam dicti defuncti, vel cujusvis resignationem de illo in dicta curia, vel extra eam etiam coram notario publico et testibus sponte factam, aut assecutionem alterius beneficii ecclesiastici ordinaria auctoritate collati vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis statuta concilii ad Sedem apostolicam legitime devoluta, dictumque beneficium dispositioni apostolicae specialiter reservatum existat, et super eo inter aliquos lis, cujus statum praesentibus haberi volumus pro expresso pendeat indecisa, illiusque titulum collativum, nomen, denominationem, naturam, et essentiam beneficii collativi, ita quod illud ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativum esse desinat, et de caetero uti tale in titulum collativum quovis auctoritate conferri, aut impetrari, vel alias de illo quovis modo disponi nullatenus umquam possit, et si illud ullo umquam tempore conferri, aut impetrari, vel alias de illo quomodolibet disponi contigerit, collationes, impetrationes, et quaevis aliae dispositiones de illo pro tempore quomodolibet factae nullae et invalidae, nulliusque roboris vel momenti existant, neminique suffragentur, nec cuiquam jus, vel coloratum titulum possidendi tribuant, auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium, et sine alicujus praejudicio perpetuo supprimas et extinguas, illoque sic suppresso et extincto omnia et singula dicti beneficii, sic, ut praefertur, suppressi et extincti bona, loca, res, proprietates, fructus, redditus, proventus, et emolumenta quaecumque, ita quod liceat praedictis exponentibus, ut praefertur, modernis et pro tempore exercentibus capitulo et canonicis dictae collegiatae ecclesiae per se, vel alium, seu alios ejusdem sacrarii nomine omnium et singulorum praefati beneficii, ut praefertur, suppressi et extincti bonorum, rerum, proprietatum, fructuum, reddituum, proventuum, et emolumentorum praefatorum veram, realem, actualem, et corporalem possessionem propria auctoritate libere appre-

hendere; et apprehensam perpetuo retinere, dictaque bona, jura, res et proprietates locare, dislocare, arrendare, omnesque, et singulos illius fructus, redditus, et proventus praedictos quomodolibet, et undecumque provenientes, et in quacumque re consistentes percipere, exigere, levare, ac supportatis tamen prius per praedictos exponentes, ut praefertur, modernos et pro tempore existentes dictae collegiatae ecclesiae capitulum et canonicos praedictis, aliisque omnibus et singulis dicti beneficii, ut praefertur, suppressi et extincti oneribus, residuales illius fructus, redditus, et proventus in augumentum redditunm sacrarii praedicti in sarcitionem, ac renovationem sacrarum supellectilium, aliorumque ad divinum cultum pernecessariorum, aliosque ejusdem sacrarii usus et utilitatem convertere, et erogare, dioecesani loci vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita pari apostolica auctoritate Nostra earumdem tenore praesentium applices et appropries.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 4. Nos enim si suppressionem, extinctionem, applicationem, et appropriationem hujusmodi per te vigore praesentium fieri contigerit, ut praefertur, easdem praesentes semper et perpetuo validas et efficaces existere, nec illas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus etiam per Nos, et successores Nostros Romanos pontifices pro tempore existentes, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis pro tempore factis et faciendis minime comprehendi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per pro tempore existentes capitulum et canonicos dictae collegiatae ecclesiae quandocumque eligentes concessas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere.

Clausula sublata.

§. 5. Sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios judicari et definiri debere, irritumque decernimus et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae regula de unionibus et applicationibus ad partes committendis, ac de exprimendo in eis vero annuo beneficiorum ecclesiasticorum valore, ac Lateranensis concilii novissime celebrati uniones et applicationes perpetuas nonnisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis, editis, vel edendis, specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere vel in specie, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis et approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis etiamsi de illis, earumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut etiam aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum validissimum effectum latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide hac vice dumtaxat motu, scientia, et potestatis plenitudine, harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die VI. junii MDCCCVI. pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCXXXI.

Dat. die 16. junii 1806. Anno VII.

Concessio officii duplicis secundae classis in solemnitate sanctissimi Rosarii, et duplicis minoris in festo sanctorum martyrum Dionysii et sociorum, pro dioecesi Cordubensi.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Cum sicut venerabilis frater Petrus Antonius episcopus Cordubensis Nobis nuper ex-

poni fecit, ipse ad augendam in Deiparam, et sanctos martyres Dionysium, et socios devotionem eorumdem cultum, et venerationem in dies augeri summopere desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, referente dilecto filio magistro Julio de Carpineo sacrorum rituum congregationis secretario, ut in cathedrali ecclesia Cordubensi officium duplex secundae classis in solemnitate sanctissimi Rosarii, duplex vero minus in festo sanctorum martyrum Dionysii, et sociorum recitari libere, et licite possit, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae cathedralis ecclesiae consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die sexta junii, millesimo septingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCXXXII.

Dat. die 17. junii 1806. Anno VII.

Confirmatio privilegiorum concessorum magistratui, et hominibus terrae di Calvi Narniensis dioecesis; praesertim super celebratione nundinarum.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii magistratus, et homines terrae di Calvi Narniensis dioecesis, quod cum in dicta terra per octo dies continuos, die octava maji incipiendo, nundinae, vulgo *Fiera Franca* cum variis privilegiis ab immemorabili haberi consueverint, privilegiorum hujusmodi adprobationem, et confirmationem, ac etiam, quatenus opus fuisset, novam concessionem, a recolendae memoriae Pio pp. VI. praedecessore Nostro obtinuerunt, prout ex ejusdem praedecessoris in simili forma brevis die xx. martii MDCCLXXXIX. expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac inserto haberi volumus, fusius continetur. Cum autem, sicut in ipsa expositione additum erat easdem nundinas cum iisdem privilegiis die quinta ejusdem mensis, in qua festum sancti Pii pp. V. praedecessoris etiam Nostri ibi solemniter celebratur, utpote de ipsa terra specialiter benemeriti, incipi posse plurimum desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. — Expositio precum.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, atque eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ut nundinae, et privilegia a memorato Pio VI. praedecessore renovata, quae ut praefertur, die VIII. maji incipi consueverant, in posterum die v. ejusdem mensis incipiantur, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, atque tres hosce alios praecedentes dies ad consuetum nundinarum octiduum in perpetuum adjungimus, et adjicimus, servata in reliquis dictarum Pii praedecessoris literarum forma, et dispositione,

Digitized by Google

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus omnibus, et singulis quae in dictis literis concessa sunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima septima junii, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 17. junii 1806. Anno VII.

CCCCXXXIII.

Confirmatio transactionis initae inter canonicos numerarios, et supranumerarios ecclesiae cathedralis Anconae, et nova erectio praebendarum in eadem ecclesia cathedrali.

Venerabili fratri Francisco Xaverio archiepiscopo Larissensi episcopalis ecclesiae Anconitanae administratori auctoritate apostolica deputato.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Quae ad pacem sunt, conjunctionemque animorum, iis potissimum, qui unum corpus in domo Dei divinis celebrandis laudibus consecratum efficiunt, eos semper laetiores suscipimus, quo validius eorum corda per apostolicas gratias unitatis nexibus constringantur.

Expositio precum. §. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici tam numerarii, quam supranumerarii ecclesiae cathedralis Anconitanae; se postquam de variis quaestionum capitibus diu, multumque apud congregationem Sacrorum Rituum disceptassent, felicem tandem omnibus contentionibus finem posuisse, inita inter se sponte concordia in quinque et viginti articulos distributa, quos inter illud praecipue statutum fuit, ut ad augendum decus cathedralis ecclesiae, numerumque simul presbyterorum civitatis Anconitanae super bonis haereditatis bo. me. Andreae Fiorentini tertia fieret erectio clericorum beneficiatorum, qui nomen altaristarum, seu chorallum ferant, et sub certis modo, et forma ibi expressis perpetuo cathedralis servitio mancipentur. Nunc autem, ut per Nos approbetur concordia praedicta, et facultas impertiatur canonice deveniendi ad erectionem recensitam, summopere exponentes desiderant, enixisque humiliter precibus a Nobis efflagitant.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, ac singulares ipsorum personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, de dilecti filii Nostri Julii Mariae S. R. E. presbyteri cardinalis de Somalia nuncupati dictae congregationis Sacrorum Rituum praefecti, ad quem supplicem libellum Nobis porrectum remisimus, consilio, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, quatenus constito tibi de narratis, concordiam, seu transactionem vel conventionem praememoratam, inspectis prius inspiciendis, auditisque etiam, qui audiendi in hoc fuerint, auctoritate Nostra apostolica approbes, atque confirmes, prout a canonicis tam numerariis, quam supranumerariis subscripta fuit, omnesque, ac singulos sive facti, sive juris defectus, si qui in ea quomodolibet intervenerint, suppleas; et sanes. Confirmatio transactionis committitur prudenti arbitrio episcopi.

§. 4. Deinde tot beneficia ecclesiastica, quot juxta concordiam sunt erigenda, pro totidem clericis, seu presbyteris futuris, cum nuncupatione, et loco chori, oneribus quoque et stipendiis in eadem concordia enunciatis, atque praefixis, eadem auctoritate erigas in perpetuum, atque instituas; tunc pro beneficiorum hujusmodi dote haereditatem defuncti Andreae Fiorentini massae capitulari sine alicujus praejudicio applices, et adjicias, ejusque testamento die XII. maji MDCCLXXVII. conscripto, quatenus, et quantum necesse sit, specialiter deroges; ita nimirum, ut post obitum ejus uxoris haeredis usufructuariae vice missarum, quam impletis aliis oneribus dicto testamento praescriptis ex redditibus super extantibus celebrantibus celebrandae fuissent cum eleemosyna manuali, beneficiati, qui sacerdotes jam erunt, vel per aetatem evadent, singulis diebus festis, quavis dispensatione sublata, missam celebrare debeant in De erectione novorum beneficiorum

Digitized by Google

altari privilegiato juxta mentem pii fundatoris, cui etiam suffragari debeant illae, quae in cathedrali ecclesia pro piis benefactoribus celebrantur: firmis remanentibus caeteris oneribus, quae respiciunt aedificium templi, et aedium pro cappellano in fundis loci dicti Ronzano, aedificii illius restaurationes, sacram supellectilem cum tabula picta initio comparandam pensionem annuam scutatorum centum cappellano solvendam, et aliis quibuscumque, quae in eodem testamento praescripta sunt: hoc etiam addito, ut si forte redditus haereditarii praescripti pares non sint hujusmodi implendis oneribus, simulque annuis praestationibus pro singulis beneficiatis a capitulo statutis, ipsummet capitulum aere proprio teneatur rependere, quod desit, ad formam a capitulo ipso in propositae erectionis tabulis susceptae. Caeterum Nos, si, et postquam dicta beneficia per te, ut praefertur, erecta, dictique clerici beneficiati canonice instituti fuerint, beneficiatis hujusmodi, ut tam in choro, et ecclesia, quam in processionibus, aliisque functionibus sacris almutiam, quae tamen illa, qua canonici supranumerarii decorati jam sunt, inferior esse debeat, gestare, libere, ac licite possint, et valeant, auctoritate praedicta concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes has Nostras literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac iis, ad quos spectat, et spectabit pro tempore plenissime suffragari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus felicis record. Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri, super divisione materiarum, ac Nostrae, et cancellariae apostolicae regula de unionibus, et applicationibus ad partes committendis, ac de exprimendo in eis vero annuo beneficiorum valore, nec non concilii Lateranensis novissime celebrati uniones, et applicationes perpetuas, nonnisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, dictaeque cathedralis ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis: quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die decima septima junii, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCXXXIV.

Dat. die 20. junii 1806. Anno VII.

Nominatio superiorum ordinis sancti Francisci de Paula minorum, suspensa celebratione capituli generalis, et electione collegae Hispanici volita a literis ad rem latis a Clemente VIII.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio, et tenor nominationis.

§. 1. Tot, tantaeque sunt praesentium temporum vicissitudines, ut comitia generalia fratrum ordinis sancti Francisci de Paula minorum nuncupatorum juxta ipsius ordinis statuta auctoritate apostolica confirmata convocari minime queant. Hac igitur de causa adducti, Nos paulo ante dilectum filium Bartholomaeum Tombolini in vicarium ipsius ordinis generalem eligimus. Cum autem alia quoque munia, et officia dictis generalibus comitiis ad formam earumdem fuissent distribuenda; Nos de idoneis religiosis viris pro muneribus hujusmodi pariter providere volentes, ac de infrascriptorum fratrum prudentia, vigilantia, et religionis zelo valde in Domino confisi, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et

poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, motu proprio, et certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, dilectos filios Paulum Masi lectorem jubilatum, sacrumque concionatorem in procuratorem generalem, nec non Franciscum Mariam Imbardelli lectorem itidem jubilatum in Italiae, itemque Carolum Martin in Galliae generales collegas, suspensa justis de causis remanente tertii Hispanici collegae hujusmodi generalis electione, quae etiam ex ipsius ordinis statutis, et felicis recordationis Clementis pp. VIII. praedecessoris Nostri constitutione facienda esset, constituimus, et deputamus ad id temporis spatium, quo memoratus vicarius generalis per Nos fuit electus, cum omnibus, et singulis juribus, facultatibus, privilegiis, praerogativis, praeeminentiis, auctoritate, honoribus, et oneribus solitis, et consuetis cuilibet ex dictis officiis respective adnexis; atque dictorum collegarum deliberationes, rite caeteroquin susceptas, perinde valere decernimus, ac si alterius collegae Hispanici deficientis suffragium ad eorum sententiam accepisset.

Praeceptum de obediendo.

§. 2. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis Nostrae, aliisque arbitrio Nostro imponendis poenis omnibus, et singulis praesentibus ordinis superioribus, fratribus, et personis, caeterisque ad quos spectat, et spectabit, ut eosdem Paulum procuratorem generalem, Franciscum Mariam, et Carolum generales collegas in suis respective muneribus, illorumque libero exercitio juxta tenorem praesentium recipiant, et admittant, eisque prompte pareant, et obediant, faveant, et assistant. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, eisdemque procuratori generali, et collegis generalibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus dicti Clementis VIII. praedecessoris Nostri, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis praedicti etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis, superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima junii, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCXXXV.

Dat. die 22. junii 1806. Anno VII.

Dismembratio principatus Neufeatellensis, et Vallengiensis a subjectione episcopi Lausanensis, illiusque subjectio jurisdictioni episcopi Bisuntini.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Dilecto filio Nostro Joannis Baptistae tituli s. Onuphrii Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Caprara nuncupato, Nostro, et Sedis apostolicae ad charissimum in Christo filium nostrum Neapoleonem Galliarum imperatorem de latere legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Cum nomine charissimi in Christo filii Nostri Neapoleonis Gallorum imperatoris Nobis fuerit significatum, quod principatus Neufeatellensis, et Vallengiensis, intra limites

Digitized by Google

regionum ejus imperiali dominio subjectarum ad praesens reperiantur, quodque sibi expediens videatur, si populi in principatum hujusmodi districtu existentes a spirituali jurisdictione, et obedientia episcopi Lausanensis abdicentur, et ordinariae spirituali jurisdictioni pro tempore existentis archiepiscopi Bisuntini supponantur, ad quem effectum suas preces idem imperator Nobis deferri curavit.

Tenor decretae dismembrationis, et respectivae unionis.

§. 2. Nos gravibus rerum, et temporum inspectis circumstantiis, alias supplicationibus hujusmodi annuendum censentes, tibi ut quando justis de causis ita expedire in Domino judicaveris, praevio consensu venerabilis fratris Nostri moderni episcopi, ac dilectorum filiorum capituli, et canonicorum cathedralis ecclesiae Lausanensis, integrum territorium spectans ad Neufeatellensem, et Vallengiensem respective principatus, modo in imperiali ejusdem Neapoleonis ditione, ut asseritur comprehensos, a praedicta Lausanensi dioecesi abdicare, sejungere, et separare, atque una cum suis utriusque sexus habitatoribus, incolis, tam laicis, quam ecclesiasticis, archiepiscopali ecclesiae, et dioecesi Bisuntinae apostolica auctoritate adjungere, et incorporare, atque omnimodae jurisdictioni, et superioritati moderni, et pro tempore existentis metropolitanae ecclesiae Bisuntinae praesulis, ita quod ei liceat per se, vel alium, seu alios ejus nomine territorii principatuum praedictorum veram, realem, actualem, et corporalem possessionem, seu quasi possessionem administrationis spiritualis, et omnimodi juris dioecesani propria auctoritate libere apprehendere, perpetuo subjicere, atque supponere possis, et valeas vigore praesentium facultatem concedimus, atque impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernimus propterea abdicationem, et unionem praedictas, per te vigore praesentium, apostolica delegata auctoritate, ut praefertur, factas, semper, et perpetuo validas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, Nostrasque praesentes literas, ab omnibus, ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit inviolabiliter observari, in contrarium forsan facientibus, licet expressa mentione dignis, non obstantibus quibuscumque, ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum quoque, et inane etiam decernimus. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem, anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexto, septimo kalendas julii, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCXXXVI.

Dat. die 9. julii 1806. Anno VII.

Concessio togae aureae gestandae a magistratu civitatis Recinetensis, ad instar magistratum aliarum civitatum Viterbiensis et Maceratensis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Paterna Nostra sollicitudo erga Nostros et Romanae apostolicae Sedis in temporalibus subditos, Nos movet, ut eorum votis quantum cum Domino possumus benigne annuamus, eosque specialibus gratiis, et favoribus libenter prosequamur.

Ratio, et tenor concessionis.

§. 2. Cum itaque inter caeteras ditionis nostrae ecclesiasticae civitates, civitas Recinetensis antiquitatis laude populique frequentia non mediocriter floreat, et constanti in Romanos pontifices, ac Sedem apostolicam fide emineat, magistratusque habeat in rebus publicis gerendis prudentia, et integritate praeditos, Nos qui civitatem ipsam, ejusque communitatem, et homines praemissorum meritorum intuitu singulari quodam benevolentiae Nostrae complectimur affectu, dilectos, filios senatum, seu magistratum civitatis hujusmodi Recinetensis aliquo beneficentiae Nostrae munere decorare, et ampliori honorificentiae praerogativa ornare volentes, ac eorum singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, modernis, ac pro tempore in perpetuum existentem magistratum Recinetensem, ut togam auream in posterum ad instar magistratuum aliarum Nostrarum civita-

tum Viterbiensis et Maceratensis, publice gestare, illisque in publicis quibuscumque actibus, et functionibus uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque magistratus desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse; ac irritum, et inane si secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae Recinetensis civitatis, aliarumque status Nostri ecclesiastici civitatum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die octava julii, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 8. sep. 1806. Anno VII.

CCCCXXXVII.

Applicatio bonorum cappellaniae fundatae a sacerdote Francisco Gentili in ecclesia parochiali de Castro sancti Liberati favore ejusdem ecclesiae parochialis, cum erectione duarum portionum curatarum pro duobus sacerdotibus opem parocho laturis.

Venerabili fratri episcopo Hortano.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Fraternitatis tuae nomine expositum nuper est Nobis, te in magna versari sollicitudine animi, ne pars quaedam gregis tibi commissi viduitatem pastoris sui, quem novissime amisit, multo etiam diutius, quam quod deploravit, cogatur ingemere. Effluxisse enim duos annos, et ultra, ex quo vacavit parochialis ecclesia de Castro sancti Liberati Hortanae dioecesis, nec hominem, qui in novum illius rectorem constitueretur, inveniri hactenus potuisse, licet iterum, ac tertio evulgata sint pro concursu habendo juxta morem edicta, aliaeque interim adhibitae diligentiae, ut vacatio tam longa optatum tandem sortiretur finem. At perperam tantum laboratum fuisse, neque ullam elucescere spem adversus eos, quas locus, et natura vacantis ecclesiae objiciunt difficultates: quandoquidem Castrum sancti Liberati coeli caret salubritate, et parochialis ejus ecclesia valde modicum affert parocho fructum, ita ut tum periculum valetudinis, tum exilitas congruae a cura, et labore paroeciae istius omnes aeque deterreat. Verum enim vero divina quadam factum est providentia, ut tanto malo commode nunc possit occurri: vita siquidem recens functus unicus, qui adesset in Castro presbyter nomine Franciscus Gentili suis de bonis testamento fundavit in ecclesia praedicta cappellaniam sat pinguem, relinquens jus ad eam nominandi ordinario pro tempore, imponensque onus cappellano, praeter quarumdam celebrationem missarum, non solum residendi in loco, et gerendi confessarii munus, sed etiam, ubi opus foret, adjuvandi parochum in administratione sacramentorum. Patet itaque pia fundatoris mens, luceque clarius patet, nihil aliud eum tali in fundatione expectasse, et voluisse, quam spiritualis boni augmentum, majoremque paroeciae suae utilitatem. Sed quod majus bonum, ac quae major utilitas, quaeque magis ejus zelo, et pietati obsequetur, ac faveat, quam parochialem ecclesiam tamdiu veluti mortuam novae vitae restituere? Visum enim tibi est, posse novum illius parochum facile reperiri, nec alios unquam defecturos in posterum, si multo melior fiat ecclesiae parochialis conditio; quod quidem obtentum iri confidis, si nimirum auctoritate apostolica recensitae bona cappellaniae aliis parochialis ecclesiae bonis adjudicentur, duoque instituantur parochi portionarii, qui pro aequali parte dividant inter se onera, et honores, jura, et proventus ejusdem ecclesiae. Hoc namque modo minuitur labor, augetur fructus laboris, facileque propterea alliciuntur ad concurrendum presbyteri, quum bona cappellaniae, quae erigi deberet, reddant quotannis triplo plus forsan annuo reditu parochialis ecclesiae. Quapropter humiliter Nobis supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur, quibus maxime est cordi ne ullibi desint fideli populo cura, et assisten-

Digitized by Google

tia parochi, te in pastorali tuo zelo, quantum cum Domino possumus, adjuvare, ac specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae facultates necessarias, et opportunas, quarum vigore auctoritate Nostra apostolica, vocatis ad id vocandis, et sine alicujus praejudicio, tam parochialem praedictam supprimere, quam bona memoratae cappellaniae caeteris bonis ejusdem parochialis perpetuo applicare, et unire, ac deinde in parochiali eadem ecclesia duas portiones curatas perpetuo pariter erigere, easque duobus presbyteris portionariis nuncupandis assignare (qui tamen portionarii ad formam semper a Tridentino concilio praescriptam, et juxta constitutionem a sanctae memoriae Pio pp. V. praedecessore Nostro editam, praevio synodali examine eligi, atque institui, et pro aequali parte earumdem portionem, tam oneribus, et laboribus subjacere, et missarum etiam numero per fundatorem cappellaniae praefixo satisfacere quam juribus, et honoribus, nec non fructibus, redditibus, et proventibus quibuscumque uti, et gaudere debeant) libere, ac licite possis, ac valeas, eadem auctoritate tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus felicis recordationis Benedicti pp. XIV. praedec. itidem nostri super divisione materiarum, et regula cancellariae nostrae apostolicae, tum de jure quaesito non tollendo, tum de unionibus, et applicationibus ad partes committendis, ac de exprimendo in eis vero annuo beneficiorum ecclesiasticorum valore, ac Lateranensis quoque concilii novissime celebrati uniones, et applicationes perpetuas nonnisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus nec non dictae ecclesiae parochialis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die octava augusti millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCXXXVIII.

Dat. die 16. aug. 1806. Anno VII.

Exemptio monialium monasterii de Puritate Valentinae dioecesis ordinis s. Francisci a jurisdictione religiosorum ejusdem ordinis; earumque subjectio jurisdictioni episcopi dioecesani.

Venerabili fratri archiepiscopo Valentino.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Multa esse in religiosis ordinibus, quae licet initio salubriter instituta, salubriori tamen consilio oportuit deinceps aliter immutari, magistra rerum experientia saepenumero ostendit providasque immutationes majori ipsis ordinibus, emolumento cessisse, multiplici exemplo probavit. Prooemium.

§. 2. Quum itaque, uti Nobis nuper expositum est, carissimo in Christo filio Nostro Carolo Hispaniarum regi catholico videatur propter rationes, et causas sat fuse Nobis adductas conferre admodum posse ad ea praestanda remedia, quibus tam in spiritualibus, quam in temporalibus indigent nunc dilectae in Christo filiae moniales monasterii de Puritate ordinis sancti Francisci Valentinae civitatis, si ipsae quemadmodum fratribus religiosis ejusdem ordinis hactenus subjectae fuere, ita Expositio precum.

per Nos jurisdictioni ordinarii pro tempore Valentini in posterum subjiciantur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos postulationibus nomine ipsius Caroli regis Nobis porrectis libenter hac in re satisfacere, et meliori earumdem monialium bono opportune consulere volentes, praedictas moniales, ac singulares earum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae, de cujus fide, prudentia, et charitate plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, et mandamus, ut praedictum monasterium de Puritate istius civitatis, omnesque et singulas ejus moniales praesentes, ac futuras a quacumque subjectione, et directione, gubernio, et regimine fratrum religiosorum sancti Francisci auctoritate Nostra apostolica eximas, illudque exemptum, ac eas pariter exemptas, et liberas omnino esse declares, atque decernas; monasterium, et moniales hujusmodi omnimodae, ac absolutae tui, tuorumque pro tempore successorum jurisdictioni perpetuo subjiciendo: et fratribus memoratis nomine, et auctoritate Nostris inhibendo formaliter, ac posthac ulla prorsus in re sive spirituali, sive temporali, quae administrationem, et directionem dictarum monasterii et monialium quomodolibet eis adhuc usque commissas, attributasque respiciat, amplius se ingerere audeant, atque praesumant.

Declaratio super conservatione privilegiorum.

§. 4. Caeterum licet vigore praesentium moniales praedictae ab omni etiam spirituali jurisdictione religiosorum s. Francisci segregatae penitus sint, ac debeant esse, nihilominus tamen omnibus, et singulis gratiis, privilegiis, favoribus, atque indultis, quae alias per apostolicam sanctam Sedem ordinis s. Francisci fratribus concessa jam sunt, seu etiam in posterum concedantur, libere, ac licite ipsas perfrui posse in omnibus, et per omnia, perinde ac si eidem ordini, ejusque fratribus ut prius unitae, et subjectae manerent, volumus, et declaramus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et monasterio, et monialibus supradictis suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non monasterii, ordinis, et provinciae fratrum praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima nona augusti, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCXXXIX.

Dat. die 19 aug. 1806. Anno VII.

Beatificatio venerabilis servi Dei Crispini a Viterbio conversi ordinis minorum sancti Francisci.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Laudes ven. servi Dei.

§. 1. Quae Dominus coeli, et terrae a mundi sapientibus, et prudentibus abscondit, revelat ea parvulis; quippe quia superbis semper resistit, humilibus vero dat gratiam. Jam vero in hujusmodi parvulorum numero Dei servus fuit Crispinus a Viterbio. Obscuro quidem ipse loco natus erat. Sed quamquam doctorum ope, literarumque subsidio careret,

apprime tamen vel ab ineunte aetate percepit, odio sibi habendam animam suam in hoc mundo, ut in vitam aeternam custodiret eam. Quare juvenis factus, et ascensiones in corde suo disponens, ut inter fratres conversos ordinis minorum, quos Capuccinos vocant, admitteretur vehementer petiit, et obtinuit. Acrius itaque certamen ingressus acriore se ipsum odio prosequebatur: ita, ut non modo jumentum se omnium vilissimum praedicaret, et haberet, verum etiam assiduis laboribus, et jejuniis, asperrimis ciliciis, et flagellis corpus castigaret suum, atque in servitutem redigeret, breve interea somnum super nuda bipalmaris latitudinis tabula carpens. Quo autem magis in se ipsum saeviebat, eo ferventiore in Deum flagrabat charitate, cui ita ex animo haerebat, ut ne hortos quidem fodiens, aut ostiatim mendicans a rebus divinis meditandis, et contemplandis distraheretur. Ex hoc autem miro in Deum amore mira in proximum charitas profluebat: quae tanta fuit, ut pater pauperum, afflictorum levamen, oppressorum refugium, ac etiam bonus missionarius vulgo appellaretur, et esset. Simplex, purus, rectus, Deiparae devotissimus, prophetiae dono, et miraculorum gratia clarus in bona tandem senectute eodem, quem praedixerat, die mortalitatem exuit, annum agens secundum supra octogesimum.

Judicium de ejus virtutibus et miraculis editum a sacra congregatione Rituum.

§. 2. Quoniam vero tot, tantarumque servi Dei virtutum exempla, ex quibus multum utilitatis christiani ejusdem temporis percepere, praesentis quoque, et futurarum aetatum hominibus prodesse possunt; Nos, qui ex divina dispositione Dominico gregi, meritis licet, virtutibusque impares praesidemus, apostolicae servitutis Nostrae esse ducimus tanti viri honorem, et venerationem, quantum Nobis ex alto conceditur, promovere cum ad majorem Dei gloriam, tum ad cunctorum fidelium incitamentum, eorum praesertim, qui, relictis omnibus, secuti sunt Redemptorem dominum. Cum itaque mature, diligenterque discussis, et perpensis per congregationem venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum processibus de hujus sanctae Sedis licentia confectis super vitae sanctitate, et virtutibus tam theologicis, quam moralibus in gradu heroico, quibus servum Dei Crispinum a Viterbio ordinis minorum s. Francisci Capuccinorum nuncupatorum professorem multipliciter claruisse, et super miraculis, quae ad ejus intercessionem, ejusque sanctitatem hominibus manifestandam a Deo edita, et patrata fuisse dicebantur, eadem congregatio coram Nobis constituta, auditis quoque consultorum suffragiis, uno spiritu, unaque voce censuerit posse, quandocumque Nobis videretur, praedictum Dei servum beatum declarari cum consuetis indultis, donec ad actum solemnis illius canonizationis deveniatur.

Beatificatio.

§. 3. Quare Nos piis, enixisque totius memorati ordinis, et nominatim dilecti filii Bonifacii a Nicaea hujus causae postulatoris supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de dictae congregationis consilio, et assensu, auctoritate apostolica, tenore praesentium facultatem concedimus, et impertimur, ut idem Dei servus Crispinus a Viterbio beati nomine nuncupetur, ejusque corpus, et reliquiae (non tamen in processionibus circumferendae) venerationi fidelium exponantur, imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, ac de eo quotannis die XXIII. mensis maji recitetur officium, et missa de communi confessorum non pontificum cum orationibus propriis a Nobis adprobatis juxta rubricas breviarii, et missalis Romani.

Concessio officii, et missae propriae.

§. 4. Porro recitationem officii, et missae celebrationem hujusmodi fieri concedimus dumtaxat in universo minorum ordine Capuccinorum utriusque sexus, nec non in civitatibus, et dioecesibus Viterbiensi, et Urbevetana, in quarum prima natalem habuit, in altera vero per quadraginta fere annos est commoratus, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus tam secularibus, quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, et quantum ad missas attinet, etiam ab omnibus sacerdotibus ad ecclesias, in quibus festum peragetur, confluentibus. Praeterea primo dumtaxat anno a datis hisce literis incohando, et quoad Indias a die, quo eaedem literae illuc pervenerint, in ecclesiis ordinis, et dioecesium praedictarum solemnia beatificationis ipsius servi Dei cum officio, et missa sub ritu duplici majore die ab ordinariis respective constituenda, postquam in basilica Nostra sancti Petri in Vaticano celebrata fuerint eadem solemnia, pro qua re diem VII. sequentis septembris assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem.

Derogatio contrariorum, et fides habenda transumptis.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non cultu editis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut earumdem literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu secretarii dictae congregationis cardinalium subscriptis, et sigillo praefecti ejusdem congregationis munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima sexta augusti, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

IN FESTO

B. CRISPINI CONFESSORIS

Oratio

Orationes recitandae in ejus festo.

§. 6. Deus, qui beatum Crispinum confessorem tuum in laetitia tibi servientem ad virtutis apicem perduxisti; da quaesumus, ut ejus intercessione, et exemplo vias vitae sectantes in terris, torrente voluptatis tuae perfrui mereamur in coelis. Per Dominum etc.

Secreta

Da nobis quaesumus Domine, ut beati Crispini confessoris tui exemplo in simplicitate cordis nostri tibi offerentes universa, aeterna cum ipso gaudia laetantes assequamur. Per Dominum etc.

Postcommunio

Laetifica quaesumus Domine animas servorum tuorum, et quos alimentis coelestibus satiasti, ad delectationes, quae in dextera tua sunt, beati Crispini precibus pervenire concede. Per Dominum etc.

DECRETUM NEAPOLITANA

Approbatio orationum.

§. 7. Sanctissimus dominus noster Pius VII. pont. max. humillime supplicante p. fr. Bonifacio a Nicaea definitore generali, et postulatore causarum servorum de ordinis minorum sancti Francisci Capuccinorum, ac referente r. p. d. Hieronymo Napulionio s. fidei promotore, benigne indulsit, ut suprascriptae orationes propriae in honorem beati Crispini a Viterbio laici professi praedicti ordinis Capuccinorum ab eminentissimo, et reverendissimo domino card. de Somalia sanctitatis Suae in urbe vicario, sacrorumque Rituum congregationi praefecto, et a r. p. d. s. fidei promotore praedicto revisas legi possint in missa celebranda in die beatificationis ejusdem beati, et subinde in officio, quod pariter cum missa recitari poterit ab iis, quibus per literas apostolicas in forma brevis de eadem beatificatione expediendas facultas illud recitandi data fuerit; quibuscumque in contrarium disponentibus minime obstantibus. Die 9. augusti 1806.

J. Maria card. de Somalia S. R. C. praef.

Loco ✠ Sigilli

J. de Carpineo S. R. C. secretarius.

CCCCXL.

Dat. die 26. aug. 1806. Anno VII.

Commutatio confraternitatis sub titulo ss. Trinitatis, et B. M. V. de Rosario civitatis Bajensis in Brasilia in archiconfraternitatem sanctissimae Trinitatis Redemptionis captivorum.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni judex, majores domus, aliique deputati, seu officiales confraternitatis sub titulo sanctissimae Trinitatis, et Nostrae Dominae de Rosario in ecclesia ejusdem sanctissimae Trinitatis civitatis Bajensis in Brasilia canonice, ut asseritur, erectae, quod ipsi rationabilibus de causis adducti, ejusdem confraternitatis titulum, et constitutiones adhuc servatas per Nos, et hanc sanctam Sedem in perpetuum supprimi, atque ipsam confraternitatem in confraternitatem archiconfraternitatem nuncupandam sub stricta invocatione tertii ordinis nuncupati sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum erigi juxta modum, et formam, quibus fel. rec. Benedictus pp. XIV. praedecessor Noster, suppresso in perpetuum titulo, et subsistentia quorumdam

confratrum tertiariorum tertii ordinis s. Francisci de Poenitentia in unam utriusque sexus Christifidelium confraternitatem archiconfraternitatem nuncupandam sub invocatione ejusdem sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum in civitate Portugallensi erexit, et jurisdictioni localis ordinarii subjecit, additis quoque regulis pro hac confraternitate, confirmatisque ejus novis statutis, ac alias prout ex ipsius Benedicti praedecessoris desuper sub plumbo pridie idus maji MDCCLV. expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, fusius continetur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas quibus praesentes Nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, venerabili fratri episcopo Bajensi per praesentes committimus, et mandamus, ut constito sibi prius de confratrum consensu per secreta suffragia in generalibus eorum comitiis ferendo, consideratisque diligenter circumstantiis universis, quae fuerint attendendae, ac dummodo nullum oriatur scandalum, titulum, et praesentes constitutiones dictae confraternitatis Bajensis pro suo arbitrio, et prudentia supprimat, et aboleat in perpetuum, atque illico post hujusmodi suppressionem, in confraternitatem archiconfraternitatem nuncupandam sub unica invocatione tertii ordinis nuncupati sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum ordinarii jurisdictioni subjectam in perpetuum erigat; ita tamen, ut confratres, et consorores extinctae hujusmodi confraternitatis, et successive taliter erectae annum probationis, seu novitiatus repetere minime teneantur, ac etiam servata (quantum fieri poterit, aut pro loci, et temporum ratione opus fuerit) memoratarum Benedicti praedecessoris literarum forma, et dispositione, etiam quoad exemptionem veteris peculiaris jurisdictionis, cui forsan confraternitas, ut supra, extincta, subjecta reperiebatur, et cum facultate quoque discedendi (quotiescumque id ratio postulaverit) seque in alium commodiorem locum ab ordinario approbandum transferendi, ac tandem cum reliquis omnibus, et singulis privilegiis, regulis, et statutis, quae a memorato Benedicto praedecessore in dictis suis literis pro dicta confraternitate Portugallensi concessa reperiuntur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac iis, ad quos spectat et spectabit in futurum plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque, in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, ac sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Concessio indulgentiarum.

§. 4. Ut autem dicta confraternitas Bajensis sic erecta suscipiat in dies majora virtutum incrementa, ipsiusque confratres, et consorores in piorum operum exercitio magis confoveantur, Nos de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis confratribus, et consororibus, in dicta confraternitate Bajensi adscriptis, et in posterum adscribendis omnes, et singulas indulgentias tam plenarias, quam partiales, aliasque spirituales gratias memoratae confraternitati Portugallensi ab eodem Benedicto praedecessore, in dictis literis impertitas, dummodo injuncta pro illis consequendis rite adimpleverint, auctoritate praedicta, tenore praesentium perpetuo communicamus.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque apostolicis constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima sexta augusti, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

Digitized by Google

CCCCXLI.

Dat. die 22. Aug. 1806. Anno VII.

Suppressio beneficii ecclesiastici sub invocatione s. Venerandae erecti in collegiata terrae s. Elpidii Firmanae dioecesis, et applicatio bonorum monasterio oblatarum ejusdem loci.

Dilectis in Christo filiabus religiosis oblatis congregationis sancti Francisci Salesii dioecesis Firmanae.

Pius PP. VII.

Dilectae in Christo filiae salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Religiosarum piarum mulierum domus quae ob tenuitatem et insufficientiam redditutum, et onera praesertim publicarum scholarum quibus in puellis ad pietatem, et religionem formandis, ac familiarum munerum primordiis instituendis adstringuntur aliquo indigere videntur auxilio, exigunt a Nostri pastoralis officii debito, ut in earum necessitatibus opportune succurrantur, ac meliori, quo fieri possit medio, etiam per alicujus beneficii ecclesiastici applicationis fructum ministerium a Nobis provideantur, ad hoc, ut religiosae ipsae ad id propositae ex hoc ministerio adjutae, tam piis et salutaribus earum instituti pietatis, et charitatis operibus commode vacare possint, prout ferventia animi Nostri postulant desideria.

Expositio precum.

§. 2. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Christo filiarum modernarum religiosarum mulierum oblatarum congregationis sancti Francisci Salesii nuncupatarum, in regulari domo Beatae Mariae Virginis ejusdem congregationis terrae sancti Elpidii ad Mare Firmanae dioecesis degentium expositio continebat, quod cum ipsae, quibus publicarum scholarum in dicta terra fundatarum pro puellis inibi ad pietatem, et religionem informandis, ac bonis, honestisque familiarum numerum primordiis, quae hujusmodi sexus propria sunt studiose instituendis cura commissa est, atque directio, attenta tenuitate redditunm, quibus praefata regularis domus dotata reperitur ad summam quinquaginta scutorum monetae Romanae dumtaxat annuatim ascendentium in hujusmodi pii operis exercitio ulterius perseverare posse diffidant, nisi opportunum aliquid in urgentibus eorum necessitatibus consequantur subsidium quo earum ulteriori manutentioni queant prospicere, propterea que plurimum cupiant eis per Nos, et Sedem apostolicam benigne, ut infra provideri. Si igitur sicut eadem expositio subjungebat perpetuum simplex, et personalem residentiam non requirens beneficium ecclesiasticum ad altare, vel sub invocatione sanctae Venerandae in saeculari, et forsan insigni collegiata ecclesia ejusdem terrae, quod per obitum quondam Vincentii Procaccini illius, dum viveret, ultimi possessoris extra Romanam curiam defuncti ad praesens vacat apostolica auctoritate perpetuo supprimeretur, et extingueretur, omniaque, et singula praefati beneficii, sic, ut praefertur, supprimendi, et extinguendi bona, jura, fructus, redditus, proventus, res, proprietates, et emolumenta quaecumque praefatae domui regulari perpetuo quoque applicarentur, aliaque per Nos, et Sedem praefatam, ut infra fierent, et ordinarentur ex hoc profecto magis congruae exponentium praefatarum substentationi aliqua in parte provideretur; ideo Nobis humiliter supplicari fecerunt exponentes praefatae, quatenus ipsis in praemissis opportune consulere de benignitate apostolica dignaremur.

Committitur episcopo certis sub legibus suppressio beneficii.

§. 3. Nos igitur easdem exponentes specialis gratiae favore prosequi volentes, nec non earum quemlibet a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quibus quomodolibet, innodatae existunt ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni tuae per praesentes committimus, et mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint ad id vocandi, beneficium praefatum, quod pro tempore obtinenti nonnullas missas quolibet anno in praefata collegiata ecclesia celebrandi, seu celebrari faciendi, aliaque adimplendi respectiva onera incumbunt, ac cujus, et illi forsan annexorum fructus, redditus, et proventus non deductis illius oneribus septemdecim ducatorum auri de camera, et juliorum duorum monetae Romanae praedictae cum dimidio alterius julii similis, illis vero deductis decem ducatorum auri parium, et julio-

Digitized by Google

rum quinque monetae praedictae secundum communem aestimationem valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, sive praemissa sive alio quovis modo aut ex alterius cujuscumque persona, seu per liberam resignationem dicti Vincentii, vel cujusvis alterius de illo in dicta curia vel extra eam, etiam coram notario publico, et testibus sponte factam, aut assecutionem alterius beneficii ecclesiastici ordinaria auctoritate collati vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis statuta concilii ad Sedem praedictam legitime devoluta, dictumque beneficium dispositioni apostolicae, specialiter reservatum existat, et super eo inter aliquos lis, cujus statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore datae praesentium non sit in ea alicui specialiter jus quaesitum, illiusque titulum collativum, nomen, denominationem, naturam, et essentiam beneficii collativi, ita quod illud ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativum esse desinat, et de caetero uti tale in titulum collativum quavis auctoritate conferri, impetrari, aut alias de illo quovis modo disponi amplius nequeat, et si illud ullo umquam tempore conferri, aut impetrari, aut alias de illo quovis modo disponi contigerit, collationes, provisiones, impetrationes, aliaeque dispositiones de illo pro tempore quomodolibet factae nullae, et invalidae, nulliusque roboris, vel momenti existant, neminique suffragentur, nec coloratum titulum possidendi cuiquam tribuant apostolica auctoritate praefata tenore praesentium, et sine alicujus praejudicio perpetuo supprimas, et extinguas.

Bona suppressi beneficii conceditur domui religiosarum Oblatarum

§. 4. Illisque sic suppressis, et extinctis omnia, et singula praedicti beneficii, ut praefertur suppressi, et extincti bona, jura, fructus, redditus, proventus, res, proprietates, et emolumenta quaecumque, praevia perpetua translatione onerum praefatorum missarum hactenus in praedicta collegiata ecclesia celebrari solitarum ad praedictae regularis domus ejusdem congregationis ecclesiam, ubi presbyter ab ipsis exponentibus deputandus praedictas missas dicto beneficio, ut praefertur inhaerentes pro fovenda cum majori commodo, et absque ullo impendio spirituali ipsarum devotione, ex nunc deinceps celebrare debebit eidem domui regulari, ita quod liceat praedictis exponentibus, ut praefertur, modernis, et pro tempore existentibus praedictae regularis domus religiosis mulieribus oblatis per se, vel alium, seu alios proprio, dictaeque regularis domus nomine omnium, et singulorum dicti beneficii patronorum suppressi, et extincti bonorum, rerum, proprietatum, fructuum redditaum, proventuum, et emolumentorum praedictorum veram, realem, corporalem et actualem possessionem propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, dictaque bona, res, et proprietates locare, dislocare, arrendare, fructus, redditus, et proventus, jura, obventiones, et emolumenta praedicta percipere, exigere, levare, ac supportatis tamen prius per eas praedictis missarum in praedicta earum ecclesia, ut praefertur, celebrandarum, aliisque dicti beneficii, ut praefertur, suppressi, et extincti oneribus in proprium cujuslibet earum manutentioni, dictaeque domus regularis hujusmodi subsidium convertere, et erogare dioecesani loci, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita apostolica auctoritate praedicta earumdem tenore praesentium perpetuo quoque applices, et appropries.

Confirmatio suppressionis, et applicationis ab episcopo faciendae.

§. 5. Nos enim si suppressionem, extintionem, applicationem, appropriationem aliaque per te praesentium vigore fieri contigerit, ut praefertur easdem praesentes semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, nec illas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus etiam per Nos, et successores Nostros Romanos pontifices pro tempore existentes sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis pro tempore factis et faciendis minime comprehendi; sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligendo concessas esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Se-

dis nuncios judicari, et definiri debere, irritumque decernimus, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigeri attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus Nostris, et cancellariae apostolicae regulis de unionibus, et applicationibus ad partes committendis, ac de exprimendo in eis vero annuo valore beneficiorum ecclesiasticorum, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati uniones, et applicationes perpetuas non nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque etiam in synodalibus, universalibusque conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictaeque collegiatae ecclesiae, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata inserti forent eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum validissimum effectum latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide hac vice dumtaxat harum quoque specialiter, et expresse serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima sexta augusti, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 5. sept. 1806. Anno VII.

CCCCXLII.

Beatificatio venerabilis servi Dei Josephi Oriol Barcinonensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

De vita et moribus venerabilis servi Dei.

§. 1. Qui vere divites esse cupiunt veras eos divitias amare necesse est. Quoniam aut coelestia ex animo desiderari non possunt, nisi terrena despiciantur, Dei servus Joseph Oriol Barcinonensis adeo res fluxas, et caducas contempsit, ut ne domum sibi quidem ad habitandum ullo umquam tempore emere, aut conducere voluerit, sed in aliqua ex remotioribus cellulis apud alios manserit, quasi columba in summo foraminis ore nidificans. Singularis, vel a teneris annis fuit ejus vitae austeritas cum singulari morum integritate conjuncta. Presbyter autem factus, sacraeque theologiae lauream adeptus, puerorum institutoris officio in nobili familia fungebatur, quando abstinentiam illam suscepit ita severam, ut pane tantum, et aqua uteretur, addito diebus festis quarumdam sylvestrium, inconditarumque herbarum obsonio: quod arduum jejunii genus ad mortem usque, per quinque scilicet et viginti annos constanter retinuit. Imo integram quadragesimam sola eucharistia refectus transegit. Unum ex residentialibus beneficiis ecclesiae sanctae Mariae Regum vulgo de Pinu in patria adsequutus, cum choralia, et capitularia, sibi demandata munia diligentissime explevit, tum in sacris confessionibus excipiendis, sanctimonialium perfectione, et proximorum salute procurandis se indefessum exhibuit. Quiquid vero pecuniae sibi utcumque obveniret, in coelestes thesauros per manus pauperum nulla interposita mora, deportari jubebat. Quo autem ferventiore in dies charitate aestuabat, eo etiam vehementiore orandi studio incendebatur; ita ut e congressu, et collocutione cum Deo vix, ac interdum ne vix quidem dimoveri posse videretur, nefas esse ducens quidquam aliud praeter Deum, quaerere, aut praeter ejus gloriae incrementum optare. Religionis nostrae mysteria, non solum corde credidit ad justitiam, atque ore confessus est ad salutem, verum ea sanguine quoque suo signandi ita quidem cupidus, ut Romam iterum profectus fuerit eo sane animo, ut hinc et sanctae Sedi remittendum praeberet ad barbaris gentibus evangelizandum. Aut in patriam Deipara monente, reversus, coram Deo et hominibus magis magisque claruit. Ex

eo enim tempore non modo, ut antea, omni virtutum genere, sed curationum etiam gratia, rerum occultarum scientia, cordium perscrutatione, signorum dono, et prophetiae spiritu adeo coruscare coepit, ut ejus sanctitatis et miraculorum fama longe lateque volante, infirmos catervatim undique adcurrentes quotidie, ac statis etiam horis in sua ecclesia, in omnium ore, atque oculis sanaret.

De obitu ejusdem.

§. 2. Hisce igitur verissimis divitiis locupletatus Joseph in terris, ad sibi in coelis paratum regnum XI. kalendas februarias MDCCII. fuit evocatus, expleto primo, et quinquagesimo aetatis anno. Sed quando tot, tantarumque ejus virtutum exempla, hominibus quoque futurarum aetatum prodesse valent, Nos qui ex divina dispositione Dominico gregi, meritis licet imparibus, praesidemus, apostolicae servitutis Nostrae putamus, tanti viri honorem, et venerationem, quantum Nobis ex alto conceditur promovere cum ad majorem Dei gloriam, tum ad fidelium omnium incitamentum, eorum in primis, qui in sortem Domini vocati, atque coelestis veluti Sionis aemuli divinas laudes in sacris templis quotidie concinunt.

Judicium de ejus virtutibus datum a sacra congregatione sacris ritibus praeposita.

§. 3. Cum itaque mature, diligenterque discussis per congregationem venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum processibus de hujus sanctae Sedis licentia confectis super vitae sanctitate, et virtutibus, tam theologicis, quam moralibus in gradu heroico, quibus hunc Dei servum presbyterum beneficiarium multipliciter claruisse, et super miraculis, quae ad manifestandam hominibus ejus sanctitatem, a Deo patrata fuisse dicebantur, eadem congregatio coram Nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, uno spiritu, unaque voce censuerit posse, quandocumque Nobis visum esset, praedictum Dei servum beatum declarari cum consuetis indultis, donec ad actum solemnis ejus canonizationis deveniatur.

Beatificatio.

§. 4. Quare Nos piis, enixisque precibus venerabilis fratris episcopi, ac dilectorum filiorum capituli, et canonicorum ecclesiae cathedralis, itemque rectoris, et beneficiariorum ecclesiae sanctae Mariae Regum florentissimae civitatis Barcinonensis, et nominatim Philippi Belli hujus causae postulatoris supplicationibus, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de ejusdem congregationis consilio, et assensu, auctoritate apostolica, tenore praesentium indulgemus, ut Dei servus Joseph Oriol in posterum beati nomine nuncupetur, ejusque corpus, et reliquiae venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferendae) exponantur, imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, ac de eo quotannis die XXIII. martii, seu alia per ordinarium constituenda recitetur officium, et missa de communi confessorum non pontificum cum orationibus propriis a Nobis adprobatis, juxta rubricas breviarii, et missalis Romani.

Concessio officii, et missae.

§. 5. Recitationem autem officii, missaeque celebrationem hujusmodi fieri concedimus in civitate, et dioecesi Barcinonensi ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus, tam saecularibus, quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur. Praeterea primo dumtaxat anno a datis hisce literis incohando in dicta ecclesia sanctae Mariae Regum, in qua venerabile ejus corpus requiescit, solemnia beatificationis ipsius servi Dei cum officio, et missa sub ritu duplici majore die ab ordinario pariter praefigenda, postquam in basilica Nostra sancti Petri in Vaticano celebrata fuerint eadem solemnia die XXI. hujus mensis, celebrandi facimus potestatem, et quoad missas etiam omnibus sacerdotibus eo confluentibus.

Derogatio contrariorum, et fides habenda transumptis.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non cultu editis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu secretarii dictae cardinalium congregationis munitis eadem prorsus fides ab omnibus, et ubique, tam in judicio, quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quinta septembris millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

IN FESTO

B. JOSEPHI ORIOL CONFESSORIS

Oratio

Orationes in ejus festo recitandae.

§. 7. Deus, qui beatum Josephum confessorem tuum mirabili abstinentiae dono, et cu-

Digitized by Google

rationum gratia decorasti: concede, ut a culpis abstinentes in terris, poenitentiae praemium assequamur in coelis. Per Dominum etc.

Secreta

Purifica, Domine, corda nostra, ut qua puritate beatus Josephus coelestem obtulit victimam, eadem nos offeramus. Per Dominum etc.

Postcommunio

Divinum tuum epulum, Domine, quod beato Josepho jejunanti temporale praebuit alimentum, aeternum Nobis, te miserante, largiatur. Per Dominum etc.

Decretum Barcinonensis

Approbatio orationum.

§. 8. Suprascriptas orationes ab eminentissimo, et reverendissimo domino cardinali de Somalia sanctissimi domini nostri Pii VII. pont. max. in urbe vicario, sacrorumque rituum congregationi praefecto, cum r. p. d. Hieronymo Napulionio fidei promotore revisas, ipse sanctissimus dominus noster humillime supplicante Philippo Belli postulatore causae beati Josephi Oriol presbyteri beneficiati ecclesiae parochialis sanctae Mariae de Pinu civitatis Barcinonis, me infrascripto secretario referente, in missa celebranda in honorem ipsius beati in solemniis ejus beatificationis, et subinde in officio cum missa in illius festo recitando juxta facultatem tribuendam per literas apostolicas in forma Brevis de eadem beatificatione peragenda expediendas legi posse benigne indulsit. Die VI. aug. 1806.

J. Maria card. De Somalia S. R. C. praef.

Loco ✠ Sigilli.

J. de Carpineo S. R. C. secretarius.

Dat. die 9. sept. 1806. Anno VII.

CCCCXLIII.

Confirmatio conventionis initae inter monachos monasterii s. Lucii ordinis Praemonstratensis civitatis Curiensis, et seminarium ejusdem civitatis super applicatione bonorum dicti monasterii in casu futurae suppressionis.

Venerabili fratri Fabritio archiepiscopo Berytensi Nostro, et apostolicae Sedis in Helvetia nuntio.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Expositum Nobis nuper fuit pro parte dilectorum filiorum monachorum monasterii s. Lucii ordinis Praemonstratensis Curiensis civitatis, quod ipsi ad consulendum ecclesiae et monasterii ejusdem incolumitati, ne ullo umquam casu ad usus convertantur profanos, tum et ad prospiciendum congruae ipsorum substentationi, si forte contingat, ut in eodem ipso monasterio permanere amplius nequeant, quamdam inter se se, seu praelatos suos legitimos, ac rectorem seminarii Curiensis, venerabili fratre Curiense episcopo, vel ipso probante, inivere die XVII. januarii currentis anni conventionem, in qua sub reservatione beneplaciti apostolici id potissimum cautum est, ut adveniente casu, quo monasterium praedictum servari amplius nequeat, ejusdem bona omnia et jura cujuscumque generis perpetuo devolvantur ad supradictum Curiense seminarium, a quo assumatur onus praestandi monachis, qui actu ibidem reperientur, certam pensionem eorum vita naturali durante, illudque etiam expresse cautum fuit, ut isthaec ipsa conventio nullum omnino sortiatur effectum, nisi adveniente casu, quo reapse monasterii dispersio evidenter immineat, rebus interim in eodem statu manentibus, ipsis optantibus monachis, ut quantum per ipsos est, monasterium ita perpetuo consistat; cujus quidem dissolutionis necessitas superiorum ecclesiasticorum judicio declaranda reservata fuit. Nunc autem quo conventio hujusmodi validitatis, firmitatisque robur possit plenarium assequi, Nobis exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmatio conventionis remittitur arbitrio nuncii apostolici.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes, specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel cau-

sa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, attenta relatione venerabilis fratris Dominici archiepiscopi Myrensis congregationis de Propaganda Fide secretarii, fraternitati, tuae, per praesentes committimus, et mandamus; quatenus constito tibi de narratis, conventionem superius recensitam in omnibus et singulis suis articulis, et conditionibus auctoritate Nostra apostolica approbes atque confirmes, cunctosque sive juris, sive facti defectus, si quos desuper intervenisse contigerit, suppleas et sanes; ita tamen ut reservata intelligatur tibi, tuisque dumtaxat isthic pro tempore successoribus nuntiis apostolicis et non aliis quibuscumque, facultas judicandi et declarandi, an tempus venerit, quo dissolutio praedicta communitatis monachorum necessario facienda sit, et an factus sit propterea locus successioni seminarii Curiensis in ecclesiam, coenobium, et bona ipsius communitatis, juxta conventionem praedictam: praeterea eidem fraternitati tuae ac tuis pro tempore successoribus nuntiis plenariam, et amplam potestatem concedendi praedictis monachis quaslibet facultates necessarias, et opportunas ad omnimodam memoratae conventionis executionem, nec non facultatem vivendi extra claustra in decenti clericorum saecularium habitu; salvis substantialibus votorum, et sub obedientia ordinarii etiam in vim eorum voti solemnis, atque obtinendi quoque ecclesiastica beneficia ac ea dummodo alias tamen canonice assequantur, in administrationem quoad vixerint retinendi, eorumque fructus, redditus, et proventus percipiendi, et ad suae congruae substentationis usus impendendi auctoritate praedicta nunc pro tunc facimus, tribuimus et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, iisque omnibus ad quos spectat, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices, etiam auditores palatii apostolici judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, et quatenus opus sit, etiam fel. rec. Benedicti pp. XIV. praedec. Nostri, super divisione materiarum, tum et monasterii praedicti, ejusque ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus: privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die nona septembris millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCXLIV.

Dat. die 9. sept. 1806. Anno VII.

Confirmatio unionis duarum confraternitatum sanctissimi Sacramenti, et B. M. V. de Gratia civitatis Lisbonensis.

Venerabili fratri Patriarchae Lisbonensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Nuper exponi fecerunt Nobis dilecti filii officiales, atque sodales confraternitatum sanctissimi Sacramenti et Nostrae dominae de Gratia, quod confraternitates hujusmodi, quae canonice, sicut asserunt, erectae, existebant prius in patriarchali ecclesia s. Bartholomaei civitatis Lisbonensis, post terraemotum anni 1755. translatae una cum parochiali ipsa ecclesia fuerunt in locum quae isthic vocant b. Antonii, ubi manent ad praesens. Sed quum locus iste esset suburbium

distans a frequentia populi, necesse fuit ob defectum sodalium duas istas confraternitates simul uniri; in qua quidem unione, quae rite, ut inquiunt, facta est ex licentiis debitis, illud praesertim conventum invicem fuit, ut quae onera inerant antea confraternitati de Gratia, omnia et singula adimplerentur in posterum per eam de Sacramento. Nunc autem quo isthaec unio solidiori stabilitate firmetur nec ulla umquam dissentiendi aut jurgandi adversus eam oriatur occasio, approbari per Nos, et confirmari, quae ambas inter confraternitates gesta et statuta sunt, tum etiam decerni, ut quemadmodum confraternitas Sacramenti onera fert confraternitatis Gratiae, ita et gaudeat bonis, quae confraternitati huic sunt propria, plurimum exponentes desiderant; Nobisque propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor confirmationis apostolicae.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac singulares ipsorum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut constito tibi prius de narratis, et quatenus majori praedictarum confraternitatum bono id fore cessurum in Domino judicaveris, auctoritate Nostra apostolica pro tua conscientia gratis earumdem unionem approbes, conventionemque super recensitis oneribus initam confirmes, atque his sic approbatis, et confirmatis perpetuae firmitudinis robur adjicias, omnesque, ac singulos, si qui desuper intercidere, sive facti, sive juris defectus sanes, et suppleas, nec non auditis interesse habentibus, iisque post deliberationem per consueta suffragia capiendam plene consentientibus, cuncta, et singula bona, jura, et actiones ad confraternitatem Nostrae Dominae de Gratia, huc usque spectantia confraternitati sanctissimi Sacramenti applices, atque adjudices, eaque deinde in perpetuum ad hanc eamdem confraternitatem spectare debere eadem auctoritate decernas, atque declares.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non praedictarum confraternitatum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die nona septembris, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCXLV.

Dat. die 9. sept. 1806. Anno VII.

Permutatio nonnullarum ecclesiarum parochialium in civitate Aquipendiensi.

Venerabili fratri episcopo Aquipendiensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Nuper exponi fecit Nobis dilectus filius promotor fiscalis curiae ecclesiasticae Aquipendiensis, quod ipse, ut necessitatibus parochialis ecclesiae sancti Petri Aquipendiensis civitatis, ea, qua satius posset, ratione occurreret, facultatem suspendendi ad biennium novam ejus, dum, vacasset, provisionem impetravit a Nobis sub certis modo, et forma, prout ex rescripto Nostro, cujus tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus plenius dicitur contineri. Nunc autem biennium hujusmodi prope jam est, ut expiret, sed licet interea temporis plene fuerit satisfactum conditionibus, quae in rescripto erant injunctae, illud tamen, quo vota spectabant, adhuc desideratur, nulli prope usui populo ecclesia manente, quippe quae sua foeditate loci eum arcet potius quam vocet, nec parochialis ipsa domus, cui contiguus supereminet collis, propter humidam aeris gravitatem, potest sine discrimine habitari: hinc ne fideles, qui istam paroeciam incolunt, spirituali assistentia debita fraudentur, egit ipse cum dilectis filiis capitulo, et canonicis ecclesiae cathedralis, qui ecclesiam sancti Antonii cathedralis filialem habentes non modo intra parochiales suos limites positam, sed parum quoque a sancti Petri ecclesia dissitam

haud difficulter sunt exponentis propositioni assentiti, nimirum ut parochiales functiones ecclesiae sancti Petri exerceantur in ecclesia sancti Antonii, ita tamen, ut sancti Petri paroecia incorporetur paroeciae ecclesiae cathedralis, in cujus veluti centro illa consistit, illiusque administrationem parochus cathedralis suscipiat, ac gerat per duos cappellanos curatos, his pro aequali uniuscujusque congrua assignato redditu paroeciae sancti Petri sed imposito simul onere interveniendi choro alternatim, ut solent canonici, quando animarum cura impedimento eis non sit, quominus intervenire valeant. Hoc sane modo commode rectissimeque prospicitur parochiali sancti Petri, ubi non plus, quam centum circiter animae numerantur, et decus augetur cathedrali ecclesiae, quae cappellanorum choralium defectu laborat, nec locus demum timori relinquitur, ne forte cappellani curati facile inveniantur, quum congrua eis adsignata, eam, quae pro canonicis constituta est, exaequet, et fortassis etiam exsuperet. Verum enim vero ecclesia sancti Antonii multis supellectilibus indiget, ut parochialibus parata esse queat functionibus, quae in ea debent protinus exerceri, sumptibusque ad id necessariis cappellanus imparem esse se noscit; sed utendo fructibus vacantis parochialis sancti Petri, cuncta poterunt intra alterum biennium sat bene suppleri. Haec Nobis exponens supplicari humiliter fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Conceditur facultas commutandi ecclesias injunctis nonnullis conditionibus.

§. 2. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis a jure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, attenta relatione Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis praefecti congregationis Concilii, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus praenarratis, et accedente consensu capituli, et parochi ecclesiae cathedralis, auctoritate Nostra apostolica, pro tuo arbitrio, et conscientia ad enunciatam unionem devenias juxta petita, et functiones, etiam parochiales, caeteraque onera ecclesiae sancti Petri adnexa, ad sancti Antonii ecclesiam transferas, injuncto cappellanis curatis ad formam sacri concilii Tridentini instituendis alternativo onere applicationis missae pro populo omnibus diebus festis, etiam novissime reductis, et interessendi choro in ecclesia cathedrali ad instar canonicorum, quoties pro exercitio muneris parochialis actu non fuerint impediti, ita tamen, ut omnes dictae paroeciae redditus iisdem cappellanis pro rata aequali inter eos dividendi assignari debeant, qui praeterea illa omnia missarum, aliaque onera paroeciae adnexa implere teneantur; suspensa interim ad aliud biennium ad formam precis provisione ejusdem paroeciae sancti Petri, et executione unionis praedictae ad effectum erogandi redditus in causam desuper expressam; ita tamen, ut tam oeconomus durante suspensione praedicta, quam cappellani parochiales ea cessata, de praemissorum implemento coram te, aut ordinario pro tempore docere teneantur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae regula de unionibus et applicationibus ad partes committendis, ac de exprimendo in eis vero annuo beneficiorum ecclesiasticorum valore, ac Lateranensis concilii novissime celebrati uniones et applicationes perpetuas nonnisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque etiam in synodalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis ac fel. rec. Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, nec non dictarum ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis: quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die nona septembris, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus nostri anno septimo.

Dat. die 19. sept. 1806. Anno VII.

CCCCXLVI.

Beneficium sub titulo sancti Michaelis Archangeli erectum in ecclesia metropolitana Firmana de jurepatronatu familiae Sinigardi commutatur in pium legatum.

Venerabili fratri archiepiscopo Firmano.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Vincentius Butta Sinigardi patritius, ut asserit, istius Firmanae civitatis, quod cum per spontaneam ultimi possessoris dimissionem vacaverit, et vacet adhuc unum simplex ecclesiasticum sub titulo sancti Michaelis Archangeli in ecclesia ejusdem sancti Archangeli prius erectum, ac successive ad istam metropolitanam ecclesiam translatum, cujus beneficii nonnullam personalem residentiam requirentis, est ipse Vincentius unicus patronus, cumque, ut pariter asserit, tot, tantisque cum sua familia prematur indigentiis, ut nulla alia ratione sublevari possit, nisi ut ipsi ejusque descendentibus per Nos, et hanc apostolicam Sedem concedatur dicti beneficii administratio, etiam in statu saeculari, ideoque ipsum beneficium ad simplex legatum pium reduci posse plurimum desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsum exponentem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus, quatenus constito tibi prius de narratorum veritate, ac diligenter perpensis circumstantiis universis, quae fuerint attendendae, super quo conscientiam tuam oneramus, ut beneficium ecclesiasticum hujusmodi sub titulo sancti Michaelis, ut praefertur erectum in simplicem legatum pium durante ejusdem Vincentii lineis masculina et foeminina, dumtaxat auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio, et conscientia convertas, et immutes cum expressis hisce conditionibus:

Conditiones adjectae concessioni.

§. 3. Prima, ut legatum hujusmodi pium a domino Vincentio ad sui vitam, et successive, ab uno alio ex ejus descendentibus masculis ex masculis in infinitum in administrationem pariter obtineri, et retineri in quocumque statu, etiam conjugali, ac etiamsi in habitu saeculari incedant, et castra sequantur, atque dicti legati pii fructus, redditus, et proventus quoscumque percipi, exigi, et levari, ac in suos respective usus converti per administratorem pro tempore existentem libere, et licite possint; soluta tamen annua praestatuta pensione dicti beneficii resignatario, aliisque pensionibus, si quae fuerint rite impositae, vel imposterum imponendae. Secunda, deficiente masculina domini Vincentii linea ad alios masculos suae foemininae lineae hujusmodi legati administratio transeat pariter in infinitum, et cum iisdem legibus. Tertia, si inter masculos hujusmodi aliquis ecclesiasticae militiae adscriptus fuerit, hic caeteris paribus sit aliis praeferendus in administrationis ipsius assentione consequenda. Quarta, onera quaecumque eidem beneficio ex lege fundationis adnexa ipse pro tempore existens administrator adimpleri omnino faciat, ac de hujusmodi adimplemento rationem ordinario annuatim, vel saltem tempore visitationis reddat, dictique legati pii bona diligenter custodiat, quae semper inalienabilia, ut bona ecclesiastica remaneant. Quinta, utraque tandem domini Vincentii linea deficiente masculina, et foeminina, tunc legatum pium hujusmodi in pristinum beneficium ecclesiasticum ipso facto rediisse censeatur per Romanos pontifices successores Nostros in mensibus apostolicis conferendum; in reliquis vero per ordinarium.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi

et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus fel. recor. Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in omnibus provisionibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, et specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dicti Benedicti fundationis legibus etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima secunda septembris, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. Die 12. sept. 1806. Anno VII.

CCCCXLVII.

Confirmatio duorum decretorum latorum a cardinali protectore fratrum ordinis de Poenitentia super extinctione hospitii oblatorum heremitarum prope portam Angelicam de urbe, et applicatione bonorum ejusdem hospitii.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Pastoralis Nostra sollicitudo postulat, ut quae ex Nostra mente praesertim constituta sunt, ea perpetuo, immutabiliterque serventur.

Expositio precum.

§. 2. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni minister generalis, aliique superiores fratrum ordinis de Poenitentia nuncupatorum quod infrascriptus apud Nos, et Sedem apostolicam protector cardinalis dudum edidit decretum sequentis tenoris, videlicet.

Ionicus Didacus tituli s. Augustini S. R. E. presbyter cardinalis Caracciolo, ecclesiae hospitiique heremitarum sanctae Mariae Gratiarum de urbe apud sanctam Sedem protector, atque ad infrascripta a sanctissimo Domino nostro specialiter deputatus.

Tenor decreti editi a cardinali protectore.

§. 3. Cum sanctissimus Dominus noster Pius papa septimus accepisset, collegiales individuos hospitii oblatorum heremitarum nuncupatorum sanctae Mariae Gratiarum prope portam Angelicam de urbe, ita esse numero imminutos, ut vix duo ibi remaneant aetate graves, et habitualibus corporis infirmitatibus obnoxii, quin ulla spes amplius effulgeat fore, ut regularis disciplina, et ea omnia, quae a sanctae mem. Sixto papa V. in suis apostolicis tertio kalendas junii 1587. expeditis literis constituta sunt, per ipsos heremitas observentur, idem sanctissimus ulteriores sibi provisiones desuper suscipiendas reservans, vivae suae vocis oraculo facultates omnes nobis tribuere dignatus est ad effectum deveniendi ad omnimodam, et totalem ipsius collegii heremitorialis abolitionem. Nos itaque hujusmodi facultatibus utendo, memoratum heremitarum collegium per praesens nostrum decretum supprimimus in perpetuum, extinguimus, et abolemus: ita tamen, ut praedicti duo frater Josephus Merolli, et frater Laurentius Chiesa superstites heremitae in eodem hospitio manere, ac degere possint pro nostro, ac nostrorum in protectoria successorum arbitrio, et juxta leges, ac conditiones per nos constituendas, ac quomodolibet, et quandocumque etiam immutandas, prout magis expedire nobis, ac successoribus nostris visum fuerit, et cum illis conditionibus, quas eidem sanctissimo statuere placuerit. Sic igitur decernimus, et statuimus. Pro quorum omnium adimplemento eadem Sanctitas Sua non obstare voluit laudatas Sixti V. literas, et quidquid in contrarium praemissorum reperiatur sancitum, aut quomodolibet concessum. Datum Romae ex aedibus nostris hac die 18. maji 1806.

I. D. Card. Caracciolo protect. ac a ss. domino nostro specialiter deput.
Petrus Baldassari secretarius.

Loco ✠ signi.

Tenor alterius decreti.

§. 4. Postero autem die aliud quoque decretum edidit, quod (praemissis pariter iis-

Digitized by Google

dem suis supra expressis nomine, et titulis) fuit sequentis tenoris, scilicet.

Aboleto jam, et in perpetuum suppresso heremitarum collegio santae Mariae Gratiarum prope portam Angelicam de urbe, prout fusius ex nostro desuper decreto externa die emanato, ac diligenter consideratis precibus, quae sanctissimo domino Nostro Pio pp. VII, jam a die prima superioris martii fuerant oblatae a superioribus fratrum ordinis de Poenitentia nuncupatorum petentibus, ut sibi ecclesia santae Mariae Gratiarum concederetur, consideratis, inquimus, precibus hujusmodi nobis ab eodem sanctissimo benigniter remissis cum facultatibus necessariis, et opportunis. Nos iisdem, et aliis vivae suae vocis oraculo tributis facultatibus utendo, eamdem ecclesiam cum suis adjacentibus aedibus, horto, domo, seu hospitio, et pertinentiis universis dicto fratrum ordini in perpetuum concedimus, et assignamus cum hisce legibus, et conditionibus, videlicet « 1. Saltem intra proximum triennium tot fratrum numerus ibi collocetur, quot ex constitutionibus apostolicis requiruntur ad conventualitatem regularem constituendam, ibique fixetur ministri generalis ordinis residentia, atque in conventum dicta domus erigatur. 2. Omnes, et singulae sacrae functiones, quae in dicta ecclesia ante heremitarum suppressionem celebrari consueverant, in posterum quoque celebrentur eodem prorsus numero, et modo per dictos fratres, quin tamen omittantur aliae peculiares, quae fuerint ex eorum instituto celebrandae, itemque missarum legata, hospitationes exterorum heremitarum ad triduum redactae, et alia quaecumque onera, sive ex lege fundationis, sive alias quomodolibet praescripta, ac praedictae ecclesiae et hospitio, ac collegio praedictorum heremitarum jam suppresso adnexa, et imposita inviolabiliter, ut antea, expleantur, et serventur. 3. Duobus superstitibus heremitis fratri Josepho Merolli, et fratri Laurentio Chiesa victus, vestitus, et habitatio in dictis aedibus subministrentur in omnibus juxta modum, formam, ac leges per nos, et successores nostros constituendas; qui veluti dicti fratres oblati induti habitu ejusdem coloris cum reliquis religiosis ibidem degere possint ad vitam pro Nostro tamen, et successorum Nostrorum arbitrio, cum lege tamen expressa, ut sub perfecta obedientia communis superioris domus, seu conventus maneant, ac piam et religiosam vitam degant, observantes veteres eorum constitutiones in iis, quae ad communes actus non spectant. 4. Quoniam vero pro praemissorum onerum adimplemento, ac manutentione dictorum duorum fratrum heremitarum, ac receptione in hospitium omnium heremitarum ad urbem adventantium per triduum observanda, ac ecclesiae manutentione, et satisfactione onerum eidem inhaerentium stabiles, et perpetui redditus requiruntur, et ex alia parte dicti fratres paupertatem strictissimam ex eorum instituto observare teneantur, idcirco omnia, et singula bona cujuscumque generis et speciei tam mobilia, quam stabilia, ac semoventia, quae ad dictum extinctum hospitium quomodolibet spectabant, excepto tantummodo horto eidem ecclesiae, et domui adnexo, quem dictis fratribus concedimus, subjectum tamen omnibus et singulis supra expressis oneribus, et quibuscumque hypotecis quomodolibet horto adhaerentibus, atque impositis, cetera autem omnia bona, ut supra, tamquam fundum separatum constituentes, pro omnium, et singulorum praedictorum onerum adimplemento, et perpetua satisfactione adsignamus, atque adjudicamus juxta modum, et leges per nos, et successores nostros pro rerum ac temporum varietate constituendas, ac immutandas, ita tamen ut desuper serventur omnia et singula, quae per apostolicas constitutiones pro fratribus ordinis minorum s. Francisci de observantia, et pro reformatis praescripta reperiuntur, ac nomine s. Sedis bona hujusmodi possideantur, eorumque administratio fiat per probum ac fidelem virum a dicti conventus superioribus eligendum singulis annis, aut confirmandum, et a nobis, ac pro tempore existente cardinale protectore adprobandum, qui administrator *syndacus* appelletur, ac nobis, nostrisque in dicta protectoria successoribus rationem suae administrationis annuatim reddat, ac etiam pluries in anno, si ita protectori videbitur, servetque pariter quidquid de hisce per dicti ordinis constitutiones, et regulas fuerit statutum; reservata nobis, ac nostris successoribus facultate, et arbitrio, ut si quid ex redditibus ac proventibus cujuscumque generis ex bonis, ut supra, in fundum assignatis, ac constitutis supererit post adim-

plementum omnium et singulorum praemissorum onerum, id converti vel erogari possit vel in utilitatem ejusdem ecclesiae, vel in eleemosynas favore dictorum fratrum, prout magis placuerit, ac in Domino expedire per nos, et successores Nostros visum fuerit. 5. Per praesentem custodum dictae ecclesiae immutationem, immutari, vel imminui non intendimus nostram, et successorum cardinalium protectorum dictae ecclesiae, et domus, seu conventus auctoritatem, quae semper sarta, tecta, illaesa, et integra remaneat; etiamsi praedictus ordo alium suum peculiarem protectorem cardinalem habeat: ideoque nobis, et successoribus nostris ipsi dicti conventus fratres quolibet anno constare faciant, ac etiam quando nobis, ac successoribus nostris videbitur, de exacto adimplemento tam missarum, quam reliquorum omnium onerum sub poenis nostro, et protectoris pro tempore existentis arbitrio praeligendis, et subeundis. Haec omnia, et singula ita statuimus, et decernimus, atque in perpetuum servari ex apostolica nobis delegata auctoritate jubemus. Datum Romae ex aedibus nostris hac die 19. mensis maji 1806.

I. D. Card. Caracciolo protect. ac a ss. Domino nostro specialiter deput.

Petrus Baldassari secretarius.

Loco ✠ Signi.

Confirmatio apostolica.

§. 5. Quo autem, sicut in eadem expositione additum erat, praeinserta decreta firmius subsistant, et serventur exactius, dicti fratres omnia per Nos confirmari summopere desiderant. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus, prosequi volentes, ac eorum singulares personas, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, eadem ambo praeinserta decreta una cum omnibus, et singulis in utroque eorum contentis, et expressis auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et adprobamus, illisque inviolabilis, ac perpetuae apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque juris, et facti ac solemnitatum defectus, si qui desuper in eis quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac dictis fratribus, aliisque ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis, per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus memoratis felicis rec. Sixti pp. V. praedec. Nostri literis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decimatertia septembris millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCXLVIII.

Dat. die 13. sept. 1806. Anno VII.

Suppressio conventus Frontini fratrum ordinis sancti Hieronymi congregationis beati Petri de Pisis, et applicatio bonorum favore alterius conventus oppidi s. Agathae ejusdem ordinis.

Dilecto filio Antonio Carloni moderno ministro provinciali ordinis fratrum s. Hieronymi congregationis b. Petri de Pisis.

Pius PP. VII.

Dilecte fili
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Expositum Nobis nuper tuo nomine fuit, te, qui, sicut asseritur, ordinis fratrum s. Hieronymi congregationis b. Petri de Pisis minister provincialis existis, in recens peracta conventuum tuae provinciae visitatione binos ex eis adinvenisse in dioecesi montis Feretranae alterum extra oppidum s. Agathae, alterum extra castrum Frontini, ambos vero in nupera publicarum rerum perturbatione, ac quidem usque et praediis, et redditibus imminutos, ut ad religiosam familiam, quae prius in iis congrue subsistebat, alendam impares prorsus evaserint. Hinc te ut ex eorum collapsu plane irreparabili, unum saltem servare valeas, cogitasse de supprimendo conventu Frontini, deque ejus bonis, etsi valde nunc modicis, applicandis conventui s. Agathae, qui magis interest, ut servetur, quum per unionem, quae ei facta alias fuit parochialis ecclesiae sancti Silvestri de monte Benedicto, adnexam habeat curam animarum: rogare propterea humiliterque exorare, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur te specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, attenta super praemissis relatione venerabilis fratris episcopi Feretrani, tibi licentiam, et facultatem memoratum conventum Frontini auctoritate Nostra apostolica supprimendi, et bona quaecumque, ac cujusvis generis sint ad eumdem pertinentia praedicto conventui s. Agathae perpetuo uniendi, et applicandi, eadem auctoritate tenore praesentium concedimus, et impertimur, hisce tamen sub conditionibus.

Conditiones adjectae. §. 3. Primo, nempe, ut sit oneri semper conventui s. Agathae satisfacere legatis piis, si quae existunt in conventu Frontini, et habere apud se, ac alere jugiter duos saltem religiosos sacerdotes. Secundo, ad hoc, ut omni, et quocumque tempore et casu constet de manso ecclesiae parochialis s. Silvestri de monte Benedicto unitate, ut praefertur, conventui sanctae Agathae fiat per te inventarium bonorum, quibus gaudebat in dotem hujusmodi ecclesia. Tertio, ut inventarium pariter conficiatur bonorum, ac suppellectilium ad ecclesiam, et conventum Frontini spectantium. Quarto demum, ut de ecclesia praedicti conventus Frontini tu nihil aliud agas, nisi quod agendum statuerit ordinarius Feretranus, cui propterea potestatem statuendi quidquid pro ejus clausura, vel pro ejus conservatione satius ipse in Domino censuerit, harum serie facimus, atque tribuimus.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, tum dicti ordinis, et conventus etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque specialem etiam, ac individuam mentionem requirentibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima nona septembris, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo. *Derogatio contrariorum.*

CCCCII. *Dat. die 22. sept. 1806. Anno VII.*

Concessio rocchetti, et mozzetae pro dignitatibus, et canonicis collegiatae s. Laurentii, et s. Mariae Novae terrae de Toffia abbatiae sancti Salvatoris dioecesis Farfensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigia prementes peculiaria indumenta ecclesiasticis viris, qui in templis magis conspicuis Altissimo famulantur, saepe deferenda concedimus, ut ipsi per externas quoque hujusmodi honorificentias excitati, internarum virtutum splendore magis, magisque lucere studeant in domo Domini. *Prooemium.*

Expositio precum. §. 2. Cum itaque sicut dilecti filii archipresbyter, et canonici insigni (ut asseritur) collegiatae s. Laurentii, et s. Mariae Novae nuncupatae terrae de Toffia abbatiae sancti Salvatoris Farfensis nullius dioecesis in districtu urbis Nobis nuper exponi fecerunt, ecclesia ipsa antiquitatis laude caeteris dictae abbatiae ecclesiis praestet, multum splendoris ad ipsam accederet, ac divinus cultus, fideliumque devotio majora ibi incrementa susciperet, si ejusdem collegiatae archipresbyter, et canonici peculiaribus insigniis, et honorificentiis per Nos, et hanc s. Sedem decorentur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis oppportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus dictae collegiatae archipresbytero, et canonicis, ut archipresbyter rocchetum, et mozzetam violaceam tela serica cremisini coloris subsutam cum asulis, et globulis ejusdem cremisini coloris, canonici vero ipsum rocchetum, violaceamque mozzetam cum globulis, et asulis pariter violaceis tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque respective uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque archipresbyterum, et canonicos desuper a quoquam impediri, molestari et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae collegiatae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia septembris, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCL.

Dat. die 23. sept. 1806. Anno VII.

Principibus professoribus academiae Diagraphidos nuncupatae « *di s. Luca* » in urbe conceditur titulus equitis, cum facultate gestandi crucem in vestis asulis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Illud saepe numero cogitantes, quod « honos alit artes, omnesque incenduntur ad studia » gloria liberalium artium professores, et praemiis quantum fieri potest, afficimus, et honoribus libenter cumulamus. Quoniam vero inter alias liberalium artium academias in hac alma urbe Nostra a Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris sapienter, provideque institutas ita floruerit, et floreat illa diagraphidos, seu, ut vulgo vocant del Disegno sub titulo sancti Lucae evangelistae erecta, ut fel. rec. Pius papa VI. praedec. Noster eam multis honoribus auxerit, et ornaverit, ac etiam ipsius academiae principem tempore existentem comitis palatinj titulo decoravit, prout ex ejusdem Pii in simili forma brevis die 12. junii MDCCXCV. expeditis literis, quarum tenorem, praesentibus pro plene et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus, uberius continetur.

Expositio precum. §. 2. Cum autem, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii moderni dictae academiae academici, titulus comitatus hujusmodi, expirato triennalis principatus officio cesset, cumque deceat, eum, qui tali honore, et munere potitus fuerit, aliqua perpetua decoratione praeditum remanere; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune sibi providere, ac ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis, prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione vel causa la-

tis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, moderno, et pro tempore existenti dictae academiae principi simplex equitis titulum auctoritate apostolica tenore praesentium conferimus, eidemque principi etiam postquam principatus sui hujusmodi triennium absolverit, se equitem ad sui vitam inscribere, et denominare, equestremque crucem, juxta exemplar, et formam Nobis exhibitam videlicet « *a spicchi di smalto bianco filettato d' oro con testa di moro lasciato bianco nel mezzo con corona d' alloro sopra il nastro rosso con righe negre* » ex vestis asulis tendentem publice, et ad sui pariter vitam gestare libere, ac licite possit, et valeat, itemque alios academicos illos, qui ante hoc tempus principatus hujusmodi munere functi sunt, eodem titulo gaudere, eamdemque crucem similiter deferre possint, et valeant, auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et indulgemus, dictosque principem, et ex principes desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus, et declaramus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, dictae academiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam-Majorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia septembris MDCCCVI. pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 23. sept. 1806. Anno VII.

CCCCLI.

Erectio in basilicam ecclesiae collegiatae oppidi Foggiae dioecesis Trojanae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. In summo apostolatus apice, meritis licet imparibus, constituti, ad ecclesiarum omnium statum, quarum Nobis a Domino commissa est cura perpensis studiis mentem convertimus, illarumque honorificentiae, et splendori, prout in Domino expedire arbitramur, libenter consulimus.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii, uterque clerus, universitas, et homines oppidi civitatis nuncupati Foggiae Trojanae dioecesis, in ipsius oppidi matrici, et collegiata ecclesia ab antiquissimis temporibus extet vetustissima B. Mariae Virginis imago sub Graeco latina « iconovetere » denominatione « per capitulum Nostrae basilicae principis apostolorum de urbe jam coronata, ac per felicis recordationis Pium pp. VI. praedecessorem Nostrum nonnullis spiritualibus gratiis pro illam visitantibus, ibique orantibus concessis ornatam, miraculorumque fama ita celebris, ut etiam ex distantibus locis Christifideles ad eam devote accurrant gratias impetraturi, prout saepe praesertim ipsi exponentes, eorumque majores impetrarunt, quando in summa annonae penuria subventi, quando flagello terraemotus liberati, quando praesentibus discriminibus erepti ob ejusdem Deiparae intercessionem, quae aliquando etiam sub dictae iconis veteris effigie alicui religioso viro apparuisse ex certis monumentis tenetur; cumque multum splendoris ad ipsam ecclesiam accederet, ac divinus cultus, populique in Deiparam devotio majora ibi incrementa susciperet, si eadem collegiata ecclesia per Nos, et hanc sanctam Sedem in basilicam erigeretur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Declaratur basilica minor, cum respondentibus honoribus, et privilegiis.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, eamdem ecclesiam collegiatam Foggiae in basilicam minorem cum omnibus, et singulis privilegiis, gratiis, et indultis quibus aliae basilicae minores hujusmodi quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere consueverunt, auctoritate apostolica tenore praesentium erigimus, ac talem ex nunc in futurum perpetuo esse, et fore decernimus,

eamque ecclesiam basilicam nuncupari, et haberi volumus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; atque illis ad quos spectat, observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, aliisque omnibus etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia septembris, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCLII.

Dat. die 26 sept. 1806. Anno VII.

Impositio perpetuae pensionis super bonis commendae de Casas Buenas de Merida ad effectum colligendi stipendium pro publico primarum literarum magistro in villa de Arroyo in territorio militiae sancti Jacobi de Spatha.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Expositum nuper fuit Nobis pro parte charissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis catholici, quod quum villa de Arroyo de san Serban, quae in territorio militiae sancti Jacobi de Spatha consistit, publico primarum literarum magistro, haud sine magno tum civilis, tum christianae educationis, atque instructionis detrimento, prorsus careret, ipse Carolus rex postulationibus per istius villae populum, populique repraesentantes, ac justitiae etiam praesides sibi porrectis benigne inclinatus, sua illud auctoritate approbavit, quod a populo, repraesentantibus, praesidibusque praedictis deliberatum unanimiter fuerat, scilicet ut magister hujusmodi institueretur ibidem cum annuo stipendio ducatorum tercentum monetae Hispanae. Quumque ad totam hanc summam conflandam, ac pro majori parte jam aliunde conflatam, concurrerit etiam laudabili cordis zelo dil. fra. Joachim Emmanuel de Villena fr. miles memoratae militiae, ac possessor ad praesens commendae ad eamdem militiam spectantis sub titulo de Casas Buenas de Merida, perceptorque majoris partis decimarum villae praedictae, ac ducata centum ex fructibus commendae suae ad enunciatae summae implementum persolvenda quotannis, sub reservatione tamen apostolici beneplaciti, ultro exhibuerit, nec horum quantitas ducatorum tertiam partem valoris liquidi commendae hujusmodi excedat; Nobis idcirco regio supplicatum est nomine, ut in praemissis providere opportune, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur hac in re, quae commune Ecclesiae, ac reipublicae respicit bonum, votis ejusdem Caroli regis, quantum cum Domino possumus, praesto esse cupientes, ac praenominatum Joachim Emmanuelem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes supplicationibus hujusmodi inclinati, attenta exhibitione, ut praefertur, dicti Joachim

Digitized by Google

Emmanuelis, super memoratae commendae de Casas Buenas de Merida fructibus, redditibus, et proventibus annuam summam ducatorum centum monetae Hispanae, quae tertiam partem liquidi commendae ejusdem valoris non excesserit, auctoritate apostolica tenore praesentium reservamus, et pro parte stipendii magistri pro tempore primarum literarum villae de Arroyo de San Serban assignamus, et constituimus, eamque magistro hujusmodi tam a praedicto Joachim Emmanuele, quam a caeteris in dicta ipsius commenda successoribus quolibet anno in perpetuum persolvi debere declaramus, atque praecipimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes propterea easdem has Nostras literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac iis, ad quos spectat, et spectaturum fuerit, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus, quatenus opus sit felicis recordationis Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non praedictae militiae sancti Jacobi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima sexta septembris millesimo octingentesimo sexto, pontificatus nostri anno septimo.

CCCCLIII.

Dat. die 7 octob 1806, Anno VII.

Erectio sedis episcopalis in civitate Liburnensi.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Militantis Ecclesiae gubernacula, quae copiosus in misericordia Deus ad hoc Nobis, meritis quamvis imparibus committere voluit, ut tamquam de vertice montis ad universas christiani orbis ecclesias dirigentes intuitum, quid ad divini cultus augmentum conferat, quidve locorum insignium felici statui, et decori, ac tam illorum incolarum, quam ad ea confluentium personarum spirituali bono quomodolibet conveniat, attente prospicere non omittamus; atque idcirco in locis ipsis, prout principum regali dignitate praeditorum, et de orthodoxa religione optime meritorum, ob praeclaram etiam erga populos ditioni eorum subjectos dilectionem vota exposcunt, novas episcopales sedes instituimus, ut per novas institutiones hujusmodi, nova quoque populorum adhaesio eidem militanti Ecclesiae accrescat, fideique catholicae professio inibi validius effloreat, et loca ipsa dignioribus titulis illustrentur, atque illorum incolae honorabilium praesulum assistentia, regimine et doctrina suffulti, semper magis proficiant in fide cum congruo divini cultus augmento.

Descriptio civitatis Liburnensis.

§. 2. Nomine modo charissimae in Christo filiae Nostrae Mariae Aloisiae, magnae Hetruriae sibi subjectae reginae regentis accepimus, oppidum civitatem nuncupatum Liburnum Pisanae dioecesis, satis celebre et inter praecipua loca, urbesque ditionis sibi subjectae, ob ejus amplitudinem, situs amoenitatem, rerum ad victum necessariarum copiam aedificiorumque elegantiam, conspicuum merito recenseri. In eo enim viginti sex circiter millia; atque una cum suburbiis quadraginta sex et ultra millia catholicorum numerantur. Quatuor vero regularium ordinum coenobia fratrum nempe ordinis minorum s. Francisci de observantia, ac ordinis sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum, et ordinis s. Dominici Praedicatorum, nec non clericorum regularium congregationis s. Pauli Barnabitarum, respective nuncupatorum oppidum ipsum

continet; atque aliae regularium familiae in ejus suburbiis, altera scilicet fratrum ordinis minorum s. Francisci Cappuccinorum, altera eremitarum ordinis Camaldulensium congregationis Montis Coronae, nec non reliqua monachorum ordinis s. Benedicti congregationis Vallis Umbrosae reperiuntur: nonnulla insuper pro puerorum, ac puellarum indigentium educatione pia loca, bini montes Pietatis, atque unum pro viris, fratrum ordinis s. Joannis de Deo, alterum vero pro mulieribus, conservatorii oblatarum s. Barbarae nuncupatorum respective curis commissa xenodochia ac septem laicorum societates adesse conspiciuntur in oppido praedicto, in quinque parochiales vicarias nuncupatas distributo, ultra infrascriptam collegiatam, earum primariam parochialem, nec non alteram item parochialem in fortalitio veteri, et alias duas parochiales unam videlicet pro Graecis ritus uniti, et alteram pro Armenis respective catholicis, saecularis autem et insignis collegiata, quae etiam parochialis primaria existit ecclesia ducentis circiter ab hinc annis erecta sub titulo s. Francisci Assisiensis nuncupati, ob optimi aedificii structuram, alias forsan collegiatas ecclesias ipsius regni antecellit, utpote altaribus marmoreis trono fixo, ac choro cum stallis praeclare expositis, organo, sacrario, sacris suppellectilibus ad divina summo cum decore peragenda optime ornato, fonte quoque magnifico pro infantibus omnibus oppidi sacro baptismatis lavacro regenerandis, nec non campanile cum campanis, aliisque rebus omnibus ecclesiis cathedralibus necessariis satis locupletata; ejusdemque capitulum, quinque dignitatibus, praeposito videlicet, qui, uti pro tempore existentis archiepiscopi Pisani vicarius in spiritualibus generalis cum separata curia, ordinariam jurisdictionem usque adhuc exercuit, archipresbytero, archidiacono, decano, et primicerio, ac quatuordecim canonicis comprehensis theologali et duabus poenitentiariis respective praebendis, nec non viginti sex cappellanis tot perpetua simplicia personalem tamen residentiam requirentia beneficia ecclesiastica respective obtinentibus constat, qui omnes in ecclesia ipsa divina officia quotidie laudabiliter peragere non omittunt; ac demum satis commoda domus pro antistitis habitatione, minime desideratur: ea propter regina ipsa, ob relatam praedicti oppidi celebritatem, pro catholicae religionis bono, et christifidelium spirituali consolatione, oppidum praedictum, a dioecesi Pisana, cujus archiepiscopalis sedes per obitum bonae memoriae Angeli Franceschi ultimi illius archiepiscopi extra Romanam curiam defuncti, ad praesens vacat, per Nos dismembrari, et collegiatam ecclesiam praefatam in cathedralem, oppidumque in civitatem episcopalem, apostolica auctoritate erigi summopere exoptat.

Erectio novae sedis, cum separatione oppidi et suburbiis et archidioecesi Pisana.

§. 3. Piis igitur ejusdem reginae de catholica religione, deque apostolica sede optime meritae votis annuere opportunum in Domino censentes, aliisque justis de causis animum nostrum moventibus, ex certa scientia deque apostolicae potestatis plenitudine dictum oppidum Liburnense cum suis suburbiis et inibi existentibus paraeciis, ab archidioecesi Pisana, penitus et perpetuo, tenore praesentium, apostolica auctoritate dismembramus, dividimus, et separamus, idemque oppidum Liburnense, juxta canonicas sanctiones civitatis episcopalis honore decoramus, nec non saecularem et insignem collegiatam ecclesiam praedictam sub titulo s. Francisci Assisiensis, una cum illius capitulo, praevia collegialitatis tituli, denominationis, naturae, et essentiae perpetua suppressione et extinctione de simili potestatis plenitudine in ecclesiam cathedralem Liburnensem nuncupandam pro uno episcopo Liburnense, qui omnibus episcopalibus insigniis, privilegiis, et praerogativis, eisdem modo et forma, quibus caeteri episcopi, praesertim Hetruriae regni perfruuntur et gaudent, cum omnimoda jurisdictione episcopali in praefata civitate Liburni, et infrascripta dioecesi, ut infra assignanda perfruatur, et gaudeat, apostolica auctoritate similiter perpetuo erigimus et instituimus, ac praeposituram praedictam in dignitatem post pontificalem majorem, archipresbyteratum in secundam, archidiaconatum in tertiam, decanatum in quartam, et primiceriatum in quintam respective dignitates, ac quatuordecim canonicatus, totidemque superius expressas praebendas, et cappellanias viginti sex praefatas dictae collegiatae ecclesiae, per Nos respective, ut praefertur, suppressae et extinctae, in quatuordecim canonicatus, totidemque praebendas, comprehensis theologali, et poenitentiariis una cum memoratis viginti sex cap-

pellaniis, ipsius ecclesiae cathedralis, ut praefertur, subrogatam, ac respective subrogatos, subrogatas esse, dicta apostolica auctoritate pariter perpetuo declaramus.

Assignatio dotis mensae episcopalis.

§. 4. Pro dote vero praedictae ecclesiae episcopalis Liburnensis, per Nos, ut praefertur, vigore praesentium erectae, ad hoc ut pro tempore existentes ipsius ecclesiae antistites episcopalem dignitatem decenter tenere valeant, quoniam Pisani archiepiscopi liberi erunt in posterum, non modo a quavis expensa per eos erogari solita dum Liburni commorabantur, sed etiam ab onere praestandi Liburnensibus pauperibus charitativa subsidia, quae ab ipsis capitulo et civibus Pisanis ad tria circiter scutorum millia singulis annis deputabantur ascendere, ideo tot ab infrascripto praesentium literarum apostolicarum exequutore dismembranda erunt ex archiepiscopali mensa Pisana stabilia bona in novae Liburnensis dioecesis territorio praesertim sita, quot ad conflandum annuum liberum redditum quatuor millium scutorum monetae Florentinae satis sint, ut summa hujusmodi una cum aliis scutis termille ejusdem monetae a Liburnensi communitate quotannis subministrandis in ipsius novi episcopi, ejusque successorum comodum et utilitatem perpetuo libere cedat; quod si aliqua rationabili ex causa dictorum stabilium bonorum dismembrationem aliquantisper differri contingat, in hoc casu ab archiepiscopo Pisano annua scuta quatuormillia in numerata pecunia erunt episcopo Liburnensi persolvenda: peracta autem dismembratione praedicta omnia, et singula hujusmodi bona, episcopali mensae Liburnensi nunc pro tunc perpetuo adjicimus, assignamus, et appropriamus.

Descriptio novae dioecesis.

§. 5. Ad efformandam deinde hanc novam dioecesim, futuro episcopo cathedralis ecclesiae Liburnensis, per Nos earumdem praesentium vigore, ut praefertur, erectae ultra ejusdem civitatis suburbia, territorium quoque ad tria circiter milliaria se extendens cum paraeciis prope oram marittimam versus Volaterras sitis, nec non quatuor alias parochiales ecclesias intra districtum novi capitanatus Liburnensis comprehensas ad sancti Miniatis dioecesis spectantes, pariterque nonnullas paraecias dioecesi Volaterranae pertinentes, ac Massanae dioecesim ambitum intersecantes apostolica pari auctoritate tenore earumdem praesentium adjicimus, et hujusmodi loca et paraecias, quibus novae Liburnensis dioecesis territorium ab infrascripto praesentium literarum apostolicarum exequutore distinctis limitibus circumscribendum efformabitur, praevia illorum et illarum a Pisana, ac sancti Miniatis, et Volaterranae respective dioecesibus abdicatione, et separatione, pro supradictae novae dioecesis Liburnensis efformatione assignamus, eidemque apostolica pari auctoritate perpetuo unimus, annectimus, et incorporamus.

Subjectio juri metropolitico episcopi Pisani.

§. 6. Ut autem ecclesiasticae hierarchiae in catholico orbe semper omnibus in rebus servetur ordo, tam futurus episcopus Liburnensis in dicta cathedrali ecclesia Liburnensi per Nos ut praefertur erecta, et a primaeva illius erectione hujusmodi, ut praefertur, vacante, primo instituendus, quam ejus in praedicta cathedrali ecclesia Liburnensi episcopi successores, metropolitico juri subjicimus pro tempore existentis episcopi Pisani, cui praefatam Liburnensem cathedralem ecclesiam, per Nos vigore praesentium, ut praefertur erectam, suffraganeam assignamus.

Praeceptum de erigendo seminario.

§. 7. Futuro postmodum et pro tempore existenti ecclesiae Liburnensis episcopo injungimus, ut quam primum fieri poterit, seminarium pro clericis alendis, ac religiose educandis, et ecclesiasticis disciplinis instituendis juxta concilii Tridentini decretum, erigi curet in ipsa civitate si commodum erit, vel in suburbiis, quando ita magis expediens futurum agnoverit, mandantes pariter quod interea clericorum Liburnensium numerus pro illius ecclesiae ac dioecesis servitio sufficiens, collatis inter utrumque antistitem consiliis, et congrua statuta pensione admittatur et retineatur in Pisano seminario.

Deputatio executoris apostolici.

§. 8. Quamobrem ut omnia et singula per has praesentes Nostras literas disposita, et ordinata, debitae executioni absque mora demandentur venerabili fratri Josepho archiepiscopo Thebarum, Nostro et Sedis apostolicae nuncio apud reginam praedictam, in civitate Florentiae commoranti, committimus, et mandamus, ut sive per se, sive per aliam, seu alias ecclesiasticas, personam, aut personas ab eo deputandam, vel deputandas, quibuslibet interesse habentibus praesentem dispositionem Nostram communicet, omniaque agat, quae ad plenarium singularum rerum effectum

consequendum necessaria et opportuna agnoverit, et si quis ad id assentiri irrationabiliter recusaverit, ejusdem et aliarum personarum assensum supplentes, illi apostolica auctoritate derogatum esse declaramus: praedictoque Josepho archiepiscopo amplam et omnimodam ad dirimendas etiam quascumque quaestiones, quae tam super territorii dioecesani efformatione, quam super bonorum pro novi episcopatus dotatione, respectivis dismembrationibus oriri possent, specialem ad supradicta omnia integre exequenda tribuimus potestatem: cuicumque enim consensui capituli, et canonicorum metropolitanae ecclesiae Pisanae ad praesens, ut praefertur, vacantis, nec non capituli, et canonicorum alterius pariter ad praesens vacantis ecclesiae Sancti Miniatis, ac moderni quoque episcopi, et canonicorum cathedralis ecclesiae Volaterranae Nos ad praemissorum omnium et singulorum effectum apostolica auctoritate specialiter, et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, atque decernimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 9. Praesentes quoque literas, semper, et perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere debere, ac nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica et legitima etiam ex eo, quod causae propter quas eaedem praesentes emanarunt adductae, verificatae, et justificatae non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, aut quolibet alio quantumvis magno, substantiali, et inexcogitato, ac specialem et individuam mentionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in praemissis solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite, aut jure, vel facto, seu statuto vel consuetudine aliqua resultante, aut quocumque alio colore, praetextu, ratione, vel causa etiam quantumvis rationabili, legitima, pia, privilegiata, et tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, et aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, aut adversus illas, restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus concesso, et impetrato, aut emanato quempiam uti, seu se juvari in judicio vel extra posse, neque ipsas praesentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariae Nostrae apostolicae regulas quandocumque etiam in crastinum assumptionis Nostrae ad summi apostolatus apicem, vel alias sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam si de eisdem praemissis, eorumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat, editas comprehendi, sed semper et omnino ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas fore et esse, sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos vice legatos, Sedisque apostolicae praefatae nuncios, et alios quoscumque quavis auctoritate potestate, facultate, praerogativa, et privilegio fungentes, ac honore, et praeeminentia fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate in quocumque judicio, et quacumque instantia judicari, et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari irritum, et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 10. Non obstantibus deficientia consensus capituli, et canonicorum praedictae metropolitanae ecclesiae Pisanae praedictorum etiam capituli, et canonicorum ecclesiae sancti Miniatis, nec non moderni episcopi et canonicorum cathedralis ecclesiae Volaterranae ac Nostris, cancellariae apostolicae praefatae regulis de jure quaesito non tollendo, ac de suppressionibus perpetuis committendis, ad partes etiam vocatis ad id interesse habentibus, ac Lateranensis concilii novissime celebrati, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet editis etiam in synodalibus, provincialibus generalibus, universalibusque

conciliis specialibus, vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictaeque Pisanae, sancti Miniatis, et Volaterranae respective ecclesiarum, nec non etiam, ut praefertur, dictae collegiatae ecclesiae Liburnensis praefatae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, eorumque reformationibus, et novis additionibus, stylis, usibus, et consuetudinibus etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, aut alias quomodolibet etiam iteratis vicibus in contrarium praemissorum concessis, approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis etiamsi de illis, earumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut etiam aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret eorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum validissimum effectum latissime, plenissime, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse, motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Praeceptum de inseribendis fructibus mensae in libris camerae.

§. 11. Volumus autem quod ecclesia cathedralis Liburnensis per Nos, ut praefertur, erecta juxta ejus redditus de more taxari, et hujusmodi taxa in libris camerae apostolicae describi debeat.

Fides habenda transumptis.

§. 12. Praeterea volumus, ut praesentium transumptis sive exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo alicujus personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in judicio quam extra illud ubique adhibeatur quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 13. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae dismembrationis, disjunctionis, separationis, suppressionis, erectionis, applicationis, subjectionis, assignationis, commissionis, decreti, mandati, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud s. Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexto, septimo kalendas octobris, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCLIV.

Dat. die 1. octob. 1806. Anno VII.

Approbatio decreti lati a sacra congregatione Rituum super concessione in patronam sanctae Barbarae virginis et martyris, pro villa de Montefrio Granatensis dioecesis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii clerus, et magistratus villae de Montefrio Granatensis dioecesis, quod ipsi pro peculiari, quo in sanctam Barbaram afficiuntur devotionis affectu, ab infrascripta venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium congregatione decretum obtinuerunt sequentis tenoris, videlicet.

Tenor decreti lati a sacra congregatione Rituum.

§. 2. Sacra Rituum congregatio, supplicantibus clero, magistratu et populo villae vulgo nuncupatae de Montefrio Granatensis dioecesis pro confirmatione electionis sanctae Barbarae virginis et martyris in patronam principalem ipsius villae ad relationem eminentissimi et reverendissimi domini cardinalis de Somalia sanctissimi domini nostri Pii VII. pont. max. in urbe vicarii, sacrorumque rituum congregationi praefecti, comperiens ex fide digno reverendissimi archiepiscopi testimonio eamdem electionem legitime, et juxta praescriptum in decreto sa. me. Urbani VIII. factam fuisse, eam approbavit, et confirmavit, ac festivitati memoratae sanctae Barbarae in patronam principalem electae praerogativas omnes sanctorum patronorum principalium festis competentes attribuit, atque con-

cessit. Die 20. septembris millesimo octingentesimo sexto.

Loco ✠ Signi.

Julius M. cardinalis de Somalia praef.
J. de Carpineo S. R. C. secretarius.

Confirmatio apostolica.

§. 3. Cum autem sicut in eadem expositione additum erat, quo praeinsertum decretum firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae Nostrae confirmationis subsidio muniri plurimum desiderent; Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, praeinsertum decretum cum omnibus, et singulis in eo contentis, et expressis auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis, ac perpetuae firmitatis robur adjicimus, ac singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in eo quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, et S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae villae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima octobris millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCLV.

Dat. die 17. nov. 1806. Anno VII.

Episcopo Fabrianensi committitur administratio monasterii monialium sanctae Margaritae ejusdem civitatis per specialem commissionem.

Pius PP. VII.

Motu proprio.

Memorantur praecedentes literae, quibus monasterium positum fuit sub immediata subjectione sanctae Sedis.

§. 1. Cum Nos alias certis rationabilibus causis adducti, ad supplicationem dilectarum in Christo filiarum abbatissae et monialium monasterii sub titulo sanctae Margaritae civitatis Fabrianensis ordinis sancti Benedicti congregationis Cassinensis, per apostolicas sub plumbo expeditas literas, datas pridie idus februarii, pontificatus Nostri anno secundo, monasterium praedictum, et in eo contentas, ac in posterum continendas moniales, omnesque alias eidem monasterio addictas et addicendas personas, cum bonis, rebusque omnibus monasterio praefato spectantibus et pertinentibus, a gubernio et jurisdictione pro tempore existentium episcoporum Fabrianensium abrogando, sub speciali et immediata Nostra et apostolicae Sedis protectione ac gubernio susceperimus.

Tenor mandati ad nutum revocandi.

§. 2. Hinc Nos qui venerabilem fratrem Joannem Franciscum antea episcopum Fabrianensem in administratorem monasterii hujusmodi statueramus, ob ejus translationem a Nobis factam ad episcopalem ecclesiam Asculanam, curae praefati monasterii in posterum

Digitized by Google

vacare minime valet, ut monasterii hujusmodi, et monialium in eo degentium res omnes provide ac recte administrentur, motu simili etc. venerabilem fratrem Dominicum modernum episcopum Fabrianensem, ad regendum, administrandum, et gubernandum monasterium praedictum Nostro nomine, tamquam Nostrum et apostolicae Sedis delegatum ad hoc specialiter deputatum, ad nutum tamen et beneplacitum Nostrum amovibilem eligimus, ipsiusque monasterii pro tempore existentem administratorem hodie statuimus et declaramus, ad hoc ut ea omnia, quae a Nobis in gubernio et administratione ejusdem monasterii et monialium hujusmodi, omniumque rerum et personarum ad ipsum quomodolibet spectantium, et pertinentium expleri possent, ab ipso agantur et adimpleantur. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexto, sextodecimo kalendas decembris, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 2. dec. 1806. Anno VII.

CCCCLVI.

Concessio officii, et missae propriae sancti Isidori recitandae in oratorio ejusdem sancti adnexo horreis annonae frumentariae ad termas Diocletianas de urbe.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Nicolaus Ponti presbyter cappellanus ecclesiae seu publici oratorii sancti Isidori, adnexi horreis annonae frumentariis ad Diocletiani termas nuncupatas hujus Nostrae almae urbis, ac per fel. rec. Benedictum pp. XIV. praedecessorem Nostrum aliquo jam perpetuo privilegio decorati, quod ipse pro eo, quo in laudatum sanctum afficitur devotionis affectu, ejusdem cultum, et venerationem in dies augeri summopere desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur, ut piis etiam dilectorum filiorum modernorum praefecti, et deputatorum annonae praedictae votis annuamus, ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac singulares personas, quibus praesentes Nostrae favent, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes; supplicationibus hujusmodi inclinati, ut in die, quo in memorata s. Isidori ecclesia seu publico oratorio festum s. Isidori, juxta generales rubricas celebrari contigerit, missa propria de eodem sancto jam ab hac apostolica Sede pro aliis Hispaniarum, et s. Isidori fratrum minorum reformatorum nuncupatorum Hibernensium urbis ecclesiis approbata per omnes tam saeculares, quam regulares cujusvis ordinis sacerdotes inibi sacrum facturos celebrari libere, et licite possit, servatis tamen in reliquis generalibus rubricis, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volentes insuper eamdem ecclesiam, et in ea situm altare ipsius s. Isidori specialiori dono illustrare, ac de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, ut quandocumque sacerdos aliquis saecularis, vel cujusvis ordinis, congregationis, et instituti regularis missam defunctorum pro anima cujuscumque christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad praedictum altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut ejusdem D. N. Jesu Christi, ac beatissimae Virginis Mariae, sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberetur concedimus, et indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda decembris millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 5. dec. 1806. Anno VII.

CCCCLVII.

Facultas instituendi in collegio nostrae Dominae de Gratia civitatis Conimbricensis tres

magistros, cum erectione locorum, seu graduum queis adnexa sint privilegia praedicatorum generalium.

Dilecto filio moderno ministro provinciali ordinis fratrum eremitarum sancti Augustini provinciae Portugalliae.

Pius PP. VII.

Dilecte fili
salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§. 1. Quum Hebraici, Graecique idiomatis notio plurimum divinarum literarum intelligentiam adjuvet, et studium artis rethoricae magnopere addiscendi, scribendique praestantiam conferat; tuque propterea, sicut Nobis nuper exponi fecisti, quo religiosi tuae provinciae juvenes, dum in collegio Nostrae dominae de Gratia Conimbricensis civitatis scientiis philosophicis, ac theologicis addiscendis operam navant, hujusmodi linguis, et arte ad majorem sui utilitatem, collegii decus, et religionis emolumentum imbui valeant, magistros isto in collegio, qui tum rethoricam, tum Hebraicam, tum Graecam linguam edoceant, statuere cupias; ac in praemium, quo tales magistri, et ad laborem alliciantur suscipiendum, et de suscepto exantlatoque congrue rependantur, duo loca in eodem collegio, seu duos gradus, quibus inhaereant privilegia, etiam cum voto in capitulis, per ordinis, et provinciae praedicatores generales haberi, et gauderi solita, et consueta, sed postea tantum a talibus assequenda magistris quam annos duodecim singuli eorum in magisterii sui exercitio impenderint, erigere intendas; Nosque idcirco providere in praemissis, ac ut infra indulgere tibi humiliter poscas.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos te specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, tibi licentiam, et facultatem, perpetuis futuris temporibus, ad hoc valituram, scilicet instituendi in memorato collegio tres magistros, unum pro arte rethorica, alterum pro lingua Hebraica, et tertium pro lingua Graeca, religiosis juvenibus edocentibus; nec non in praemium, magistrorum hujusmodi (non adipiscendum tamen ab eis nisi post duodecim annorum expletum cursum in magisteriis suis, ac servato semper ordine juxta tempus unius cujusque jubilationis) erigendi duo loca in eodem collegio, seu duos gradus, queis adnexa sint privilegia praedicatorum generalium omnia, et singula, etiam cum jure suffragandi in comitiis, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et impertimur.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac tibi, aliisque, ad quos spectat, et spectabit pro tempore, plenissime suffragari, et ab omnibus, inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis nec non dictorum ordinis, et provinciae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis irritantibusque et aliis decretis in genere, vel in specie ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem, sub annulo piscatoris die quinta decembris, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus nostri anno septimo.

CCCCLVIII.

Dat. die 10. dec 1806. Anno VII.

Concessio officii, et missae s. Ludovici episcopi Tolosani pro dioecesi Valentina.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Quum venerabilis frater modernus archiepiscopus Valentinus ac dilecti filii capitulum et canonici cathedralis ejus ecclesiae nuper Nobis fecerunt supplicari, ut quoad officium et missam in festo s. Ludovici episcopi Tolosani indulgere pro ut infra benigne dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos audito in hac re dilecto filio magistro Julio de Carpineo sac. Rituum congregationis secretario praenominatos archiepiscopum, capitulumque et canonicos specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, ac singulares ipsorum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ut omnes et singuli de clero seculari et regulari civitatis et dioecesis Valentinae, quibus fas est recitare officium cum missa de communi in festo s. Ludovici episcopi Tolosani, libere ac licite in posterum recitare possint et valeant lectiones proprias cum oratione, quae in Valentina cathedrali ecclesia recitantur, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, ac praeterea ritum festi ejusdem s. Ludovici a duplici majori ad duplicem secundae classis sine octava elevamus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictae civitatis et dioecesis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 4. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima secunda decembris, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus nostri anno septimo.

CCCCLIX.

Dat. die 12. dec. 1806. Anno VII.

Immutatio ritus officii s. Thomae de Villanova pro capitulo, et canonicis cathedralis ecclesiae Valentinae.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Quum venerabilis frater modernus archiepiscopus Valentinus, ac dilecti filii capitulum et canonici cathedralis ejus ecclesiae nuper Nobis fecerunt supplicari, ut super officio s. Thomae de Villanova indulgere prout infra benigne dignaremur.

A duplici secundae classis ad duplex primae classis ritus extollitur.

§. 2. Nos audito in hac re dilecto filio magistro Julio de Carpineo sac. rituum congregationis secretario praenominatos archiepiscopum, capitulumque, et canonicos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac singulares ipsorum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ritum officii s. Thomae de Villanova de duplici secundae classis ad duplicem primae classis pro tota civitate et dioecesi Valentina auctoritate apostolica tenore praesentium elevamus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus

conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictae civitatis ac dioecesis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 4. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima secunda decembris millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 12. dec. 1806. Anno VII.

CCCCLX.

Concessio officii, et missae sancti Josephi sponsi Beatae Mariae Virginis pro dioecesi Valentina.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Quum venerabilis frater modernus archiepiscopus Valentinus, ac dilecti filii capitulum et canonici cathedralis ejus ecclesiae nuper Nobis fecerint supplicari, ut ob rationes et causas in eorum precibus enarratas dominicam secundam post pascha festo s. Joseph sponsi Beatae Mariae Virginis cum officio et missa, loco diei proprii 19. martii, assignare in perpetuum pro civitate et dioecesi Valentina benigne dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos audito super praemissis dilecto filio magistro Julio de Carpineo sac. rituum congregationis secretario, praenominatos archiepiscopum, capitulumque et canonicos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac singulares ipsorum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ut in posterum perpetuis futuris temporibus in Valentina civitate et dioecesi universa festum s. Joseph sponsi B. M. V. cum officio et missa, loco diei proprii 19. martii, libere, ac licite celebrari possit et valeat in dominica secunda post pascha, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, et ad hunc effectum festum hujusmodi transferimus, praedictamque dominicam pro illo assignamus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictae civitatis ac dioecesis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 4. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae

adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima secunda decembris millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 12. dec. 1806. Anno VII.

CCCCLXI.

Nonnullae facultates regi catholico concessae pro suppressione cappellaniarum, et erogatione pretii in pios usus, ac ad necessitates regni sublevandas.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium

§. 1. Supremum dispensatoris ministerium divina institutione tributum Nos nonnunquam admonet, ut quum communis aliqua, et evidens utilitas postulat, vel gravissima necessitas flagitat, ex bonis etiam Ecclesiae dicatis aliquid decerpi, ac divelli permittamus, quod ad levandas publicas, ingentesque calamitates, quibus reges, populique catholici conflictantur, praesertim quum alia eis haud suppetunt aliunde remedia, opportune conducere, ac salubriter expedire noverimus.

Ratio concessionis.

§. 2. Hanc ob causam novissimae, ac gravissimae contagionis, caritatis, terraemotuum, ac bellorum aerumnae, quibus nonnullis abhinc annis carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis ditiones, agmine veluti facto, non tam anguntur, ac vexantur, quam pene prosternuntur, Nos impulerunt, ut eidem piissimo regi per literas apostolicas in simili forma brevis datas die 15 junii anni elapsi facultatem impertiremur separandi, ac dismembrandi ex bonis ecclesiasticis existentibus in regno Hispanico tot fundos, quot annuum redditum ducatorum biscentorum millium auri de camera conflarent, eosque applicandi regiae arcae, quam consolidationis, et extinctionis nuncupant, ut ex illorum venditione pecuniae cogi possent, quibus tum nummariae tesserae, quae in maximam commerciorum, et publicarum, privatarumque rationum perniciem nimis late excreverant, vel de medio tollerentur, vel saltem intra certos fines coercerentur, tum aliis quoque publicis ejusdem regni necessitatibus occurrere posset, ea quidem lege ab eodem piissimo rege proposita, ut aequalis amissorum fructuum retributio ex regio aerario quotannis possessoribus bonorum, quae distrahi contigerit, eaque libera, et immunis a quocumque onere et detractione praestaretur. Verum postquam operi manus admotae fuerunt, novae religiosissimi regis postulationes certiores Nos effecerunt, hanc Nostram concessionem, nec ob exortas difficultates ad exitum pro instantis necessitatis celebritate perduci posse, imo ob cunctationes fieri ferme inutilem, nec vero satis opis, praesidiique adferre ad sananda vulnera, quae ex praecedentium temporum calamitatibus illata fuerunt, quaeque adhuc partim permanent, partim recrudescunt. Quamvis enim Dei misericordia cessaverint pleraque flagella, quae in eas regiones antea cumulatim saevierant, attamen recedentia ipsa mala res adeo prostratas, adeoque afflictas reliquerunt, ut ingentibus, promptisque subsidiis opus sit, ad easdem publicas res aliquantisper excitandas, reficiendasque. Accedit quod commeatus classis, quae ab Indiis opes afferre consuevit, interea temporis modo impediti, modo intercepti, maritimi praeterea belli adhuc flagrantis, dispendia, ac detrimenta in dies ampliata, aucta etiam incommoda papyraceae monetae aestimatione in dies collabescentis, ac nisi cito remedium afferatur, exitium allaturae publicis, privatisque negociis veteres aerumnas, novis, ac quotidie in immensum crescentibus adeo auxerunt, praegravaruntque, ut longe amplioribus ac efficacioribus remediis opus sit, quam quae fuerant antea praestituta. Quae quidem quum essent Nobis aliunde perspecta, tum vero cum regis jussu ad Nos perlata sunt, nec potuimus pro eximia, qua eum subditosque ejus complectimur, dilectione non summopere commoveri, neque haec non habere exploratissima primum quidem, quod rex pietate, et religione nemini secundus, nisi iis premeretur angustiis, quas Nobis exponi suis verbis curavit, haud in animum suum induxisset ab ecclesiasticis bonis praesidia sibi postulare, deinde quod in iis adhibendis eam foret moderationem servaturus, quae quantum fieri posset, quam minimum Ecclesiae commodis, utilitatibusque detraheret: suae enim abstinentiae,

Digitized by Google

ac temperantiae suique studii in protuenda Ecclesiae dignitate, ac in custodienda incolumitate patrimonii ad eam spectantis, tot, tamque illustria suppeditavit jugiter argumenta, ut nullus haereat Nobis scrupulus, quominus plenissimam in illius integritate, ac religione fiduciam collocemus.

Tenor concessionis.

§. 3. Quibus, aliisque gravissimis de causis, animum Nostrum juste moventibus, et eumdem carissimum in Christo filium Nostrum Carolum Hispaniarum regem specialibus etiam gratiis, et favoribus, ob eximias ejus virtutes, ac insignia erga Ecclesiam merita prosequi volentes ex certa scientia, et matura deliberatione Nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine praecedentes Nostras in simili forma brevis expeditas literas sub datum diei decimae quintae junii millesimo octingentesimo quinto revocantes, in locum et vicem facultatum in eis concessarum eidem regi facultatem de novo concedimus, et impertimur distrahendi praedia sive urbana, sive rustica spectantia ad cappellanias, quarum erectio ecclesiastica auctoritate facta fuerit, vel alias quomodolibet illarum collatio, ac institutio canonica ad ordinarios, vel ad alios ecclesiasticos superiores pertineant. Volumus autem, quod in compensationem possessoribus pro tempore earumdem cappellaniarum a regia arca statim adsignari, et singulis annis solvi debeant in numerato fructus liberi, et immunes ab omni impositione, vectigali, aliove onere sive imposito, sive imposterum imponendo ad rationem trium in singula centum super capite, quod respondeat pretio, quo eadem praedia alienari, ac distrahi contigerit.

Conditiones implendae.

§. 4. Quod si postea comperiatur, hosce fructus vel aequare, vel superare annualem redditum praediorum a possessoribus praedictarum cappellaniarum perceptum per quinquennium elapsum ab initio anni millesimi septingentesimi nonagesimi octavi usque, et per totum annum millesimum octingentesimum secundum, et ad liquidum perducendum modo, et forma inferius exprimendis, nulla tunc debeat ex iisdem fructibus fieri imminutio. Si vero ex dicta quinquennali annuorum reddituum collatione comperiatur, annuum fructum eorumdem praediorum ad rationem capitis modo praemisso supputatum redditum a possessoribus perceptum non attingere, tunc caput praedictum, cujus regia arca debitum suscipit in retributionem sequutae alienationis, et distractionis, augeri debeat ad eam summam liberam, et immunem, quae praecise respondeat annuo reddituі, ut supra praefertur, a possessoribus percepto. Ex reliquis autem praediis ad ecclesiam ac ad monasteria utriusque sexus etiamsi exempta, conventus, communitates, fundationes ecclesiasticas, et quascumque pariter ecclesiasticas personas cujuscumque dignitatis, ordinis, gradus, et conditionis spectantibus, et pertinentibus, eidem regi facultatem concedimus, et impertimur alienandi pariter, et distrahendi septimam eorum partem, quam proxime fieri poterit ab integritate stabilium ad quemlibet ecclesiasticum possessorem pertinentium separandam, ac dismembrandam, ita quidem, ut facta coacervatione redditυum perceptorum per quemlibet possessorem ex praedictis praediis, et non aliunde intra spatium supradicti quinquennii, eaque integra quinquennalis redditus summa in singulos annos ad modum peraequationis distributa, seligantur, et segregentur totidem ex eisdem praediis, quot plus minus fructus praebeant ad septimam partem totius praedicti annualis redditus respondentes, eaque regis jussu alienari, et distrahi valeant, ut de illorum pretio in publica commoda, prout ipsi in Domino expedire visum fuerit disponere valeat.

Declaratio de bonis comprehensis in indulta segregatione, et dismembratione.

§. 5. In hac autem segregatione, et dismembratione septimae partis stabilium, et praediorum ecclesiasticorum eidem Carolo regi, ob publicae necessitatis causas superius expositas permissa, volumus, quod comprehensa quoque intelligantur bona stabilia patrimonialia spectantia ad ordinem sancti Joannis in Hierusalem, atque ad alios militares ordines quoscumque, prout e converso volumus, et declaramus, quod comprehendi minime debeant, praedia destinata in patrimonium, ac pro congrua ecclesiarum parochialium, quae dumtaxat a supradicta dismembratione excepta, et praeservata in perpetuum remaneant. Ut autem expeditius, ac pro urgenti necessitate peragi valeat tum liquidatio integri redditus praediorum ad quaslibet personas, communitates, fundationesque ecclesiasticas spectantium, quam segregatio fundorum septimam ejusdem integri redditus praedialis partem constituentium mandamus, quod hujusmodi liquidationis, et separationis

Digitized by Google

opus unitim perficiatur a singulis possessoribus, seu legitimis administratoribus ecclesiasticis unitim cum uno vel pluribus procuratoribus quibus sua ex parte hoc munus committere placuerit eidem Carolo regi, a quo pro sua pietate non alios electurum in tuto confidimus, quam eos, quorum fidem, integritatem, ac erga Ecclesiam, et ecclesiasticas personas, reverentiam perspectam habeat. Quod si in hac peragenda liquidatione, ac separatione aliquod suboriatur inter ecclesiasticos, et regios procuratores discrimen, volumus tunc, quod obortae difficultates per ipsum Carolum regem, cui apostolicas omnes facultates hanc in rem impertimur, vel per probas, et idoneas personas ab eo seligendas pro sua conscientia definiri, ac dirimi valeant, praeservato dumtaxat possessoribus praediorum ecclesiasticorum jure, quod si in posterum novis repertis monumentis, vel alias quomodocumque emergat error aliquis illapsus in liquidationem annui redditus praediorum distractorum ex quo praejudicium Ecclesiae inferatur, error corrigi quocumque tempore, ac quidquid justo praediorum distractorum redditui decessisse appareat, suppleri per regiam arcam debeat.

De modo procedendi contra renuentes exhibere rationes redituum.

§. 6. Quatenus autem possessores, rectores, aliique administratores bonorum ecclesiasticorum antea per regem, ejusque ministros moniti recusent, aut negligant quinquennalium redditaum statum exhibere, ac rationum codices, aliasque scripturas in id opportunas edere, sive aliter quomodocumque detrectent suam praestare operam ad liquidationem redditaum praedialium, segregationemque praediorum septimae eorum parti respondentium quantocitius absolvendam, volumus tunc, quod post elapsos a die praedictae monitionis triginta dies, per eum, a quo exerceatur ordinaria jurisdictio in loco, ubi beneficium aliaque ecclesiastica fundatio instituta reperiatur unitim cum regiis ministris in id electis, et quatenus hi dissenserint, per ipsum regem, vel alias probas, et idoneas personas ab eo deputandas fiat segregatio partis praediorum, quam ii pro sua eorum conscientia, et prudentia judicaverint septimae parti proximius respondere, eaque segregatio pro rata, et valida, ac numeris omnibus absoluta habeatur, praeservato tantum ecclesiastico possessori jure postulandi, ac consequendi supplementum justi redditus praediorum segregatorum, si in illius aestimatione erratum in praejudicium Ecclesiae legitimis monumentis et probationibus postea quomodocumque demonstretur. Si vero contingat, bona praedicta tempore, quo liquidatio, et segregatio facienda sit, vacantia existere, vel quomodocumque legitimo rectore, aut pastore viduari, mandamus, quod nihilominus ad eamdem liquidationem, et segregationem procedi debeat per ordinarios, aliasve legitimas personas, ad quas defensio, et administratio vacantium beneficiorum pertineat, quin expectare oporteat novos eorumdem beneficiorum rectores, quantumvis secus dispositum reperiatur in literis, quibus felicis recordationis praedecessor Noster Gregorius XIII. alienandi nomulla bona ecclesiastica veniam indulsit Philippo II. pariter Hispaniarum regi, ac in Nostris apostolicis in simili forma brevis superius relatis diei 6. junii 1801. statim, ac vero modo, et forma superius expressis peracta fuerit liquidatio, et separatio septimae partis praediorum mox enunciatae, unaque simul a praedicto Carolo rege constituta fuerit annua summa memoratis eorum fructibus respondens, atque integre semper, et absque ulla mora, vel imminutione, non obstante cujuscumque vectigalis, aut alterius cujuslibet oneris indictione a supradicta regia arca libere unicuique ecclesiastico possessori in numerata pecunia realiter, et cum effectu (super quo ipsius catholici regis conscientiam oneramus) persolvenda, tunc praedia hujusmodi nullo ad hoc requisito consensu praesulum, priorum praepositorum, abbatum, abbatissarum, capitulorum, rectorum, conventuum, monasteriorum, et personarum quarumlibet praedicta bona obtinentium, quacumque ecclesiastica, licet eminenti, dignitate praefulgeant, censenda erunt ab Ecclesiae bonis dismembrata, ac separata, atque antedictae regiae capsae applicata, prout Nos nunc pro tunc ob enunciatas gravissimas causas de specialis gratiae dono apostolica auctoritate dismembramus, ac separamus, et respective applicamus, nec non annuam summam a regio aerario, ut supra, perpetuo libere, et sine ulla imminutione persolvendam, in locum dictorum praediorum in saecularem potestatem ita translatorum favore cujuslibet alterius possessoris cum iisdem oneribus, et obligationibus perpetuo subrogamus. Carolo autem regi

plenam potestatem facimus eadem praedia in praemissa forma regali coronae adscripta pretio reperibili, ac sibi beneviso juxta suam prudentiam, ac arbitratum vendendi, atque alias quomodolibet alienandi, in extinctionem tesserarum, nummos repraesentatarum, et ad praedictas relevandas gravissimas, et urgengentissimas sui regni necessitates, districtim inhibentes, ne cuique, quacumque eminenti quoque praefulgeat dignitate ecclesiastica, liceat quovis sub obtentu, ac quaesito colore praefatorum praediorum emptores, et acquisitores in praesentiarum, vel umquam postea perturbare.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 7. Nos enim praedictas venditiones, et distractiones favore cujuslibet personae praedicta bona acquirentis ex nunc pariter, prout ex tunc apostolica auctoritate adprobamus, et confirmamus, supplentes consensus omnium, et singulorum interesse habentium, nec non defectum solemnitatum in alienationibus bonorum ecclesiasticorum observandarum, ac quoslibet alios defectus tam juris, quam facti, simulque decernentes dismembrationes, et respective alienationes, atque alia, quae vigore praesentium fieri contigerit, perpetuo firmitatis robore convalescere, suosque effectus sortiri, ac per omnes nullo discrimine dignitatis, et privilegii observari, perinde ac si praedia praedicta dismembrata, et alienata fuissent a Nobis, et apostolica Sede cum solemnitatibus a jure requisitis, et aliis necessariis, sublata quacumque exceptione subreptionis, vel obreptionis, ac defectus Nostrae voluntatis, et intentionis, enormis, atque enormissimae laesionis, aut cujuslibet vitii, aut nullitatis. Necessarium autem haud ducimus laudatum Carolum regem monere, atque enixe rogare, ne praedia hujusmodi ultra praefinitum modum per suos ministros, aut alias quomodolibet alienari sinat, quoniam eximia ejus pietas, et religio, atque erga Ecclesiam et apostolicam Sedem observantia ne dubitare quidem sinunt, quin idem piissimus rex quodcumque ejusdem Ecclesiae praejudicium, et quemcumque abusum sedulo, diligenterque praecavere, avertere, et reparare studeat. Jubemus praeterea, quod sicuti pro sua religione, et justitiae zelo ipse rex significari Nobis curavit, imputari debeant in hanc dismembrationem, et saecularizationem bona, siqua interea in exequutionem praecedentium literarum apostolicarum in simili forma brevis expeditarum die 15. junii 1805. aut distractioni destinata, aut actu distracta reperiantur, eo insuper addito, quod si haec bona septimam partem a possessore debitam superaverint, excessus eo meliori modo, quo fieri potest adsignatione aliorum bonorum compensetur. Demum si casus incidat, quo commodam divisionem, ac separationem septimae partis praedia ab aliquo ex possessoribus ecclesiasticis retenta non patiantur, eidem Carolo regi pro suo arbitrio, et conscientia facultatem concedimus concordandi cum eodem possessore, atque ab eo in numerato recipiendi eam pecuniae vim, quae respondeat redemptioni septimae partis valoris praediorum segregandae, atque alienandae, ad quem effectum volumus, quod ad hanc comparandam pecuniam hypothecae, aut alteri cuicumque nexui bona ecclesiastica ab eodem possessore retenta valide, et cum effectu subjici valeant. Ut autem omnia, et singula in hisce Nostris literis contenta debitum implementum, atque executionem obtineant, duabus personis in praecellenti ecclesiastica dignitate constitutis a venerabili fratre Petro archiepiscopo Nicaeno in regnis Hispaniarum Nostro, et apostolicae Sedis nuncio electis, et nominatis, vigore aliarum in simili forma brevis literarum, quas ad eum dedimus die 15. junii 1805. mandamus, ut suae efficacis defensionis praesidio sedulam navent operam, quo omnia, et singula in hisce Nostris literis contenta, et concessa firmiter, et inviolabiliter ab omnibus observentur, non permittentes per archiepiscopos, episcopos, praepositos, priores, capitula, abbates, abbatissas, monasteria, conventus, aut alios quoscumque ullum impedimentum interponi dismembrationi, atque alienationi, aut ullas inferri molestias emptoribus, ac possessoribus pro tempore bonorum dismembratorum, contradictores quoslibet, et reluctantes, eisque consilium, auxilium, aut favorem praebentes per opportuna juris remedia, ac, si necessarium fuerit, per ecclesiasticas quoque censuras compescendo.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii VIII. de una, et concilii generalis de duabus dictis, Symmachi, et Pauli II, ac Pauli IV., ac aliorum Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum de rebus, ac bonis Ecclesiae nisi sub certa forma alienandis,

aliisque apostolicis, ac in synodalibus, provincialibus, et quibusvis aliis conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non statutis, et consuetudinibus, privilegiis, indultis quibusvis personis ecclesiasticis, monasteriis, ecclesiis, ordinibus, aliisque quibuscumque cum quibusvis etiam derogatoriarum derogationibus, aliisve quantumvis insolitis clausulis, et decretis irritantibus concessis, atque juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate roboratis, ac motu etiam proprio, et de potestatis plenitudine, consistorialiter, aut alias quomodolibet concessis, renovatis, et confirmatis quantumvis in iis dismembrationes, et separationes bonorum ecclesiasticorum etiam per Romanos pontifices factae nullius roboris, vel momenti declarentur, nisi derogatio facta fuerit sub certis modo, et forma, ac inserto de verbo ad verbum tenore constitutionum hujusmodi dismembrationes prohibentium, ac non obstantibus pariter quibusvis testamentariis, aut aliis per contractum editis dispositionibus hujusmodi dismembrationes, et alienationes quomodolibet directe, vel indirecte vetantibus; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, perinde ac si de verbo ad verbum inserti forent, quatenus praesentium executioni opponantur, ac in caeteris in suo robore permansuris, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus specialiter, et expresse derogamus, derogantes quoque indultis, quatenus concessa reperiantur archiepiscopis, episcopis, capitulis, abbatibus, monasteriis, conventibus, aliisque supradictis, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes de eis expressam mentionem.

Fides habenda transumptis. §. 9. Volumus autem, quod praesentium literarum transumptis, seu exemplis manu alicujus publici notarii subscriptis, et sigillo unius ex memoratis executoribus, vel alterius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis ea prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die duodecima decembris millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCLXII.

Dat. die 19. dec. 1806. Anno VII.

Confirmatio nonnullorum decretorum latorum pro imminutione expensarum, quae requiruntur in comitiis congregationis fratrum excalceatorum sancti Augustini.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Nuper Nobis exponi fecit dilectus filius modernus procurator generalis Lusitanae congregationis fratrum excalceatorum sancti Augustini, quod in generalibus congregationis comitiis semel ac iterum novissime habitis ad minuendum onus expensarum, quas comitia requirunt, quibusque satis praestandis, dum illa celebrantur, imparem se in praesentiarum congregatio noscit, binis decretis statutum est ut eadem comitia, quorum celebratio ad quindecim dies perdurare prius solebat, arctiori deinceps tempore absolvantur, juxta quod prudentiae patrum, qui conventuri in capitulum fuerint, magis videbitur expedire. Sed quo decreta hujusmodi firmius subsistant, exactiusque serventur, illa exponens, totius etiam congregationis suae nomine per Nos confirmari vehementer desiderat, enixisque humiliter precibus a Nobis efflagitat.

Tenor confirmationis apostolicae. §. 2. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, decreta superius recensita auctoritate apostolica tenore praesentium valida, et rata habemus, ac declaramus, roburque approbationis, et confirmationis Nostrae apostolicae illis adjicimus, ac omnes, et singulos sive facti, sive juris defectus, si quos desuper quomodolibet intervenisse contigerit, sanamus, atque supplemus.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 3. Decernentes eadem decreta, quoties, et quoadusque capituli patres illis uti censuerint, plenarie semper vigere, et a cunctis observari debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae congregationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima nona decembris, millesimo octingentesimo sexto, pontificatus nostri anno septimo.

Dat. die 23. dec. 1806. Anno VII.

CCCCLXIII.

Facultas servandi cultum beatorum martyrum Joannis de Perusio, et Petri de Saxoferrato pro fratribus ordinis minorum de Observantia.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Quum sicut Nobis dilecti filii modernus minister provincialis aliique religiosi alumni ordinis minorum de Observantia s. Francisci, provinciae Aragoniae fecerunt nuper exponi, ipsi pro eo, quem erga beatos ejusdem ordinis martyres Joannem de Perusio et Petrum de Saxoferrato gerunt devotionis affectu antiquam ac immemorabilem colendi eos in cunctis praedictorum ordinis, provinciaeque coenobiis consuetudinem servari posse vehementer exoptent, ac insuper sibi per Nos ut infra indulgeri humillime efflagitent.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac singulares ipsorum personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, audito hac in re dilecto filio magistro Julio de Carpineo sac. rit. congregationis secretario, ut beati Joannes de Perusio et Petrus de Saxoferrato dicti ordinis martyres in omnibus et singulis coenobiis ejusdem ordinis et provinciae praememoratae juxta recensitam consuetudinem coli tamquam ipsius provinciae principales patroni possint et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, ac proinde etiam festo eorumdem beatorum in universis praedictis coenobiis ac adnexis ecclesiis praerogativas omnes sanctorum patronorum principalium festis competentes attribuimus, ac elargimur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus decretis, constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque in contrarium disponentibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia decembris millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 23. dec. 1806. Anno VII.

CCCCLXIV.

Confirmatio trium rescriptorum editorum a sacra congregatione Concilii ad consulendum inopiae ministrorum in ecclesiis civitatis, et dioecesis Aretinae.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exponitur series decretorum.

§. 1. Ad consulendum ministrorum inopiae qua ecclesiae civitatis dioecesisque Aretinae novissime laborabant, ac in praesentiarum quoque laborant, tria subsequenter sunt edita rescripta a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium Tridentini concilii interpretum, instante apud eam venerabili fratre moderno episcopo Aretino primum quidem die 15. septembris 1802., alterum die 11. decembris ejusdem anni, et tertium die prima septembris 1804., modo et forma ut sequitur.

Tenor primi decreti, quo communica-

§. 2. La dioecesi di Arezzo trovasi in tanta, e tale desolazione, e penuria di sacerdoti

Digitized by Google

tur privilegium sac. me. Eugenii IV. et Pii V. pro triginta clericis Eugenianis nuncupandis.

non ostante varj forastieri impiegativi, che nelle due cattedrali del duomo, e della pieve vedonsi con sommo scandalo i cori, e i divini officj regolati da persone ammogliate parate cogli abiti sacri, ed in sottana, e più parrocchie il popolo manca della spirituale necessaria assistenza, anzi in più luoghi; e nell' inverno specialmente manca eziandio della messa nelle feste.

In vista di ciò l' eletto vescovo d' Arezzo umilissimo servo, ed obbedientissimo figlio della Santità Vostra non avendo altro mezzo per riparare a un tanto disordine, supplica la di lei paterna clemenza ad estendere, finchè almeno le circostanze non migliorino, alla diocesi di Arezzo il privilegio concesso da Eugenio IV., e da s. Pio V. alla diocesi di Firenze, di potersi cioè ordinare un determinato numero di chierici a titolo di servigio prestato alla chiesa, e così riempire un vuoto tanto dannoso al servigio di Dio, ed al bene delle anime, obbligandosi l' oratore d' erogare la somma di scudi undici mila ottenuta dagli arretrati in fondo di cappellanie amovibili a pro di detti chierici, sinchè siano provveduti di benefizi, o cappellanie perpetue, e che non manchino della decente sussistenza, il che non sarà difficile in una diocesi, in cui oltre circa trecentotrenta parrocchie, che abbisognano di cappellani, o sotto curati si possono contare circa trecento altre proviste ecclesiastiche.

E siccome i chierici di Firenze prendono dal pontefice loro benefattore il nome di Eugeniani, e sono obbligati in perpetuo a recitare per esso alcune preghiere, perciò l' oratore prega la Santità Vostra d' accordare il di lei nome ai chierici, che dovranno ordinarsi in Arezzo a detto titolo di servigio, e di prescrivere loro la recita di quelle preghiere, che ella crederà opportune secondo le sue piissime intenzioni.

Die 15. septembris 1802.

Sanctissimus Dominus Noster, audita relatione infrascripti secretarii, episcopi oratoris precibus benigne annuens, privilegium s. m. Eugenii IV. et Pii V., de quo in precibus indultum favore metropolitanae ecclesiae Florentinae, ad dioecesim Aretinam extendit pro triginta clericis ejusdem dioecesis in communi schola erudiendis, et Pianis nuncupandis, nec non in legitima aetate constitutis ad sacros ordines, et sacerdotium promovendis ad titulum servitutis praestandae in ecclesia cathedrali Aretina, reservata tamen favore eorumdem clericorum passiva nominatione ad cappellanias amovibiles ab eodem episcopo oratore instituendas ex capitali scutorum undecim millium, atque cumulative cum aliis clericis dioecesanis ad cappellanias curatas, nec non ad beneficia jam in dioecesi fundata ejusdem liberae collationis, non tamen parochialia, et proviso interim per eumdem episcopum, ut promoti, donec cappellaniam, aut beneficium hujusmodi in perpetuum titulum obtinuerint, congruam habeant substentationem, ut in Eugeniana, et Piana constitutione praescriptum est; voluit autem eadem Sanctitas Sua, ut privilegium hujusmodi perduret ad annos viginti, atque ut clerici dietim recitare teneantur antiphonam *Salve Regina*, et orationem dominicalem juxta mentem ejusdem Sanctitatis Suae, et praesens rescriptum habeatur, ac si literae apostolicae in forma brevis fuissent desuper expeditae.

Loco ✠ Signi.

P. H. card. Carandini praef.
E. De Gregorio secretarius.

Tenor secundi decreti quo praefinitur tempus a quo incipiet privilegium ut supra concessum.

§. 3. Il moderno vescovo d'Arezzo avendo ottenuto per il suo collegio Piano l'estenzione del privilegio accordato da Eugenio Quarto alli chierici della diocesi di Firenze, supplica perciò ora I. Per la dichiarazione autentica, che il vicennio comincerà quando si metterà in pratica l' indulto d' ordinarsi il chierico a titolo di servitù. II. La grazia di poter ricevere i chierici in questi primi tempi, quando diano buona speranza, anche dopo i quindici anni termine fissato per gli Eugeniani di Firenze, giacchè i medesimi non poterono approfittarne in quell' età non essendovi ancora il privilegio. III. E per quelli, che si riceveranno dopo i quindici anni di età si possa scemare il tempo degli otto anni di servigio fissato in Firenze prima dell' ordinazione, la quale diversamente converrebbe per quelli differire ad età troppo adulta. Che ec.

Die xi. decembris 1802.

Sanctissimus Dominus Noster, audita relatione infrascripti secretarii supradictis episcopi oratoris precibus benigne annuens declara-

vit, ut tempus fruendi privilegio ecclesiae Aretinae, impertito ad formam concessionis s. mem. Eugenii IV. pro ecclesia Florentina, nempe vicennium praefinitum ad formam rescripti 15. septembris proxime praeteriti, incipiat currere a prima clericorum ordinatione. In reliquis vero eadem Sanctitas Sua mandavit, ut episcopus recurrat in casibus particularibus, et providebitur.

Loco ✠ Signi.

P. H. card. Carandini praefectus.
E. De Gregorio secretarius.

Tenor tertii decreti, quo prorogatur ad beneplacitum sanctae Sedis duratio privilegii.

§. 4. Il vescovo di Arezzo umilissimo servo, e figlio obbedientissimo della Santità Vostra con ogni rispetto rappresenta l'esito felicissimo che hanno avute le paterne di lei mire nell'accordare in favore della cattedrale, e diocesi Aretina il privilegio concesso da Eugenio IV. suo antecessore a quella di Firenze nell'erezione di un collegio di chierici, che si ordinino a titolo di servitù. Questo collegio eretto in Arezzo sotto il nome della Santità Vostra, e detto Piano, come Eugeniano quello di Firenze, si è stabilito in un sistema il più vantaggioso. Il servizio, che questi chierici prestano al coro, è sommo, con grande edificazione dei secolari, e danno le più fondate speranze colla loro applicazione alla pietà, ed alle scienze di essere di grandissima utilità alla diocesi in gran parte desolata per la scarsezza di buoni, ed operosi ecclesiastici. Il vescovo dal canto suo non ha mancato di assegnare li fondi per le cappellanie amovibili in loro vantaggio nella somma di undicimila scudi in danaro contante, e fruttifero, che egli ha ceduto in perpetuo per il capitale delle medesime a forma della sua prima rappresentanza, come costa dalla nota passata in mano di monsignor De Gregorio specialmente delegato dalla Santità Vostra su tal'affare; del qual danaro il frutto sarà diviso in offiziature da godersi privativamente da questi chierici tosto che salgono all'altare, ed intanto non essendovi alcuno, potrà andare a moltiplico.

In vista di tutto ciò, supplica umilmente la Santità Vostra a degnarsi di perpetuare come in Firenze, così in Arezzo, o di estendere almeno (ad beneplacitum s. Sedis) la grazia concessa a vicennio per li detti chierici Piani, affinchè possa meglio, e più stabilmente assicurarsi la detta fondazione; Che della grazia ec.

Die prima septembris 1804.

Sanctissimus Dominus Noster audita relatione infrascripti secretarii, et veris existentibus narratis episcopi oratoris precibus benigne annuens privilegium, de quo in precibus benigne, ad annos viginti concessum, ita ampliavit, atque extendit, ut deinceps Aretina dioecesis ejusque pro tempore episcopus illo frui possint ad beneplacitum sanctae Sedis, servata tamen in reliquis forma, et conditionibus indulti 15. septembris 1802. et praesens rescriptum haberi voluit, ac si literae apostolicae in forma brevis desuper expeditae fuissent.

Loco ✠ Signi.

P. H. card. Carandini praef.
E. De Gregorio secretarius.

Confirmatio decretorum.

§. 5. Nunc autem ut tria rescripta hujusmodi ab omni semper vicissitudine persistant immunia, idem episcopus per apostolicas Nostras literas specialiter ea confirmari plurimum optat, enixisque humiliter precibus a Nobis efflagitat. Nos igitur ipsum episcopum Aretinum apostolicis gratiis et favoribus magis magisque prosequi cupientes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, tria praeinserta rescripta cum omnibus et singulis, quae in eis continentur, auctoritate apostolica tenore praesentium rata, validaque habemus et declaramus, Nostraeque expressae confirmationis apostolicae praesidio roboramus, atque munimus, ac omnes et singulos sive facti sive juris defectus, si quos desuper quomodolibet intervenisse contigerit plenarie sanamus, atque supplemus, salva tamen in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes easdem has literas Nostras firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac memorato episcopo, aliisque ad quos spectat, ac spectabit pro tem-

Digitized by Google

pore plenissime suffragari, et a cunctis inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, caeterisque speciali, ac expressa mentione et derogatione dignis, contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia decembris millesimo octingentesimo sexto, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 8. jan. 1807. Anno VII.

CCCCLXV.

Concessio juris privativi typis mittendi opera itale, vel latine composita a ven. servo Dei Alphonso Maria de Liguori favore Vincentii Antonii Giattini procuratoris generalis congregationis sanctissimi Redemptoris.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Exponitur privilegium concessum jam fuisse per rescriptum.

§. 1. Pro parte dilecti filii Vincentii Antonii Giattini procuratoris generalis congregationis sanctissimi Redemptoris, et postulatoris in causa servi Dei Alphonsi Mariae de Liguori, ipsius congregationis fundatoris, quod ipse opera omnia etiam ea adhuc inedita ab eodem servo Dei cum latine, tum itale scripta typis mandare cupiens, in supplici libello Nobis porrecto pro hujusmodi novae editionis faciendae privilegio impetrando, rescriptum obtinuit sequentis tenoris, videlicet.

Die 25. novembris 1806.

Tenor rescripti.

§. 2. Habito verbo, in solita audientia, cum sanctissimo de introscriptis precibus, Sanctitas Sua benigne annuit pro gratia, ad normam precum earumdem, et oratori Vincentio Antonio Giattini etiam clementer indulsit petitum privilegium privative pro editione operum venerabilis Alphonsi Mariae de Liguori, exequendae Romae a typographo Joachino Puccinelli, vel alio eidem oratori beneviso, cum expressa prohibitione alteri cuicumque thypographo intra ditionem ecclesiasticam degenti, praedicta opera imprimendi, sive omnia simul, sive ex parte per integrum decennium, incohandum ab eorumdem operum publicatione, sub poena aureorum quingentorum, et amissionis exemplarium, contra prohibitionem typis mandatorum, aliisque arbitrio Sanctitatis Suae, quam privativam extendi voluit in favorem oratoris, etiam contra introducentes, et vendentes opera eadem, quae forte edita fuerint extra dominium pontificium, tempore hujus privilegii Sanctitas Sua mihi, S. P. apostolici magistro, hujus decreti communicationem, et executionem commisit.

Ita est Fr. Thomas Vin. Paui O. P. sacri palatii apostolici magister.

Loco ✠ Signi.

§. 3. Cum autem, sicut in eadem expositione additum erat, ipse Vincentius, quo praeinsertum rescriptum firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae Nostrae confirmationis subsidio ipsum muniri vehementer desideret; Nos eumdem exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, idem rescriptum, et singula in eo contenta cum poenis ibidem expressis auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et adprobamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in eo quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus.

Preces porrectae pro confirmatione rescripti, et concessio juxta preces.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat in omnibus et per omnia, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus su-

Clausula sublata, et decretum irritans.

Google

per his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis statutis, et consuetudinibus etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda januarii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 2. jan. 1807. Anno VII.

CCCCLXVI.

Confirmatio decreti editi a capitulo ecclesiae collegiatae terrae sancti Elpidii Firmanae dioecesis super immutatione temporis absendi a choro, et celebratione missae conventualis tempore quadragesimae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni archipresbyter, et canonici insignis, ut asseritur, collegiatae ecclesiae s. Elpidii Firmanae dioecesis, quod quamquam ex lege erectionis dictae collegiatae per duos menses conciliares ad uniuscujusque canonici libitum intra annum a choro abesse liceret, minime vero in principalioribus anni festivitatibus, recens tamen usus invaluerat, ut praestatuta hujusmodi absendi licentia ad dies quoque festos extenderetur. Quoniam vero magna ibi esse solet populi christiani frequentia, eo quod dicta ecclesia est etiam parochialis, locique matrix, idcirco in actu sacrae visitationis dilectus frater Noster Julius Caesar S. R. E. cardinalis Brancadorius nuncupatus ex concessione, et dispensatione apostolica ecclesiae Firmanae praesulis, quo sacrae functiones decentius ibi celebrarentur, censuit, non in principalioribus modo, sed in aliis etiam omnibus festis diebus canonicos omnes clero interesse oportere, idque eo magis, quod dictus archipresbyter cum duobus perpetuis vicariis, aliisque duobus canonicis ex respectivis eorum fundationibus e choro absentes sacramenta diebus praesertim festis ministrare tenentur. Illud quoque ex altera parte ipse cardinalis censuit, quidquam compensationis fore concedendum memoratis canonicis, ut divini cultus hujusmodi incrementum, animarumque curam cum veteri absendi licentia praedicta inter se conciliaret. Ne autem quidquam durius idem cardinalis statuere videretur, rem omnem ipsis etiam canonicis considerandam reliquit.

Tenor decreti editi a capitulo.

§. 2. Qui et ipsi eodem divini cultus studio incensi in eamdem venere sententiam, atque memorato cardinali capitularem deliberationem exhibuerunt sequentis tenoris, videlicet. « Quod adempta in posterum canonicis, aliisque addictis servitio ecclesiae collegiatae s. Elpidii, vacandi licentia in festis cujuscumque ritus, a primis vesperis (dummodo non agatur de simplici dominica, quae non habet primas vesperas) ad secundas inclusive, servitium dierum ferialium sit alternativum, adeo ut in prima hebdomada inserviant archipresbyter, sex canonici, unus vicarius perpetuus, tresque beneficiati: reliqui vero sex canonici, alter vicarius perpetuus, et tres beneficiati in secunda hebdomada; et sic alternatim per hebdomadas subsequentes: excepto tamen toto adventus et quadragesimae tempore, in quo omnes, ut in dictis festis diebus, interesse teneantur, sicuti et in tota octava sanctissimi corporis Christi ad formam ultimae dioecesanae synodi de anno 1793: sub poena amissionis omnium distributionum pro rata absentiae singulis vicibus. In principalibus autem anni festivitatibus poena duplicabitur, uti habent antiquae constitutiones ejusdem ecclesiae ». Hanc vero deliberationem ab eodem cardinali minime improbatam esse affirmant. Quoniam autem sicut in eadem expositione

additum erat, diebus etiam ferialibus septem ejusdem collegiatae individui plerumque remanent in sacramentis administrandis occupati, haud facile secunda, et tertia missa juxta generales rubricas, seu statuta celebrari possunt cum cantu, praeter missam conventualem in feriis quadragesimae praesertim, in quibus et sacra concio publice habetur, et frequentior esse solet sacramentorum administratio; ideo archipresbyter et canonici praedicti Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, praememoratum a dicto praesule susceptum consilium immutandi, ut supra tempora abessendi a choro, atque praeinsertam canonicorum deliberationem, et singula in ea contenta cum poenis ibidem expressis adprobamus et confirmamus, illique inviolabilis, ac perpetuae apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos cum juris, tum facti defectus, qui desuper in ea quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus, ita tamen, ut in praemissis festis diebus etiam ii comprehendi debeant, quos felicis recordationis Pius pp. VI. praedecessor Noster concessit, non amplius de praecepto esse censendos. Praeterea, ut perpetuis futuris temporibus missa tam conventualis in quadragesimae diebus cum cantu in dicta ecclesia celebretur, et secundae et tertiae missae hujusmodi, quae adhuc etiam cum cantu celebrari consueverunt, per missas in posterum sine cantu suppleri libere, et licite possit, et valeat, auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae collegiatae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti forent, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda januarii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCLXVII.

Dat. die 9. jan. 1807. Anno VII.

Electio prioris generalis ordinis B. M. V. de monte Carmelo nationis Hispanicae facta ad tramites constitutionis diei 15. maji 1804. cujus initium « *Inter graviores curas, ac sollicitudines*.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Memorantur literae diei 15 maji 1804 ad rem editae.

§. 1. Inter caetera, quae in apostolicis Nostris literis die XV. maji anno MDCCCIV. datis, quarum initium est: *Inter graviores curas, ac sollicitudines*: a Nobis constituta sunt, ut regularium ordinum, ac praesertim earum ipsorum ordinum partium, quae in dominiis carissimo in Christo filio Nostro Carolo IV.

Hispaniarum regi catholico subjectis existunt, stabili conservationi difficillimis hisce dictorum ordinum temporibus consuleremus, atque ita uberrimos illos fructus Ecclesiae assereremus, qui ab ipsis ordinibus percipiuntur, illud etiam sancitum fuit quoad generalium, vicariorum item generalium, aliorumque infra eos majorum superiorum electiones, (quas prima ab iis literis datis vice, attentis praesentis temporis circumstantiis, haud fieri posse sentiebamus ea ratione, quae in iisdem apostolicis literis praescripta est), ut in iis ordinibus, qui praesidem generalem haberent, is suo munere fungi pergeret, usquedum absolveretur tempus, quod ordinis sui legibus praestitutum est, ac si qui summo magisterio fungebatur natione Hispanus esset, fieret a Nobis electio tum vicarii generalis, tum caeterorum superiorum majorum ordinis extra Hispaniam existentis; si vero summus ordinis magister Hispanus non esset, a Nobis vicarius generalis, caeterique superiores majores Hispani constituerentur pro prima dumtaxat vice a datis illis literis.

Tenor electionis.

§. 2. Quamobrem iisdem inhaerentes, quum Nobis de honestate morum, integritate vitae, prudentia, pietate, ac doctrina, caeterisque laudabilibus virtutum meritis, quibus commendatur dilectus filius Timotheus Ascensj ordinis fratrum B. M. V. de monte Carmelo definitor generalis, constet, eumdem a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, auditis super hoc per secreta suffragia etiam dilectis filiis vocalibus ordinis, auctoritate apostolica tenore praesentium in priorem generalem praedicti sui ordinis eligimus, constituimus, et deputamus.

Reservatio de aliis electionibus pariter faciendis, et communicatio privilegiorum favore electi.

§. 3. Nobis interim reservantes electiones ad caetera majora munera ejusdem ordinis infra eum posita; eique priori generali, ut omnibus, et singulis juribus, facultatibus, praeeminentiis, auctoritate, gratiis, indultis, honoribus, et oneribus solitis, et consuetis, ac in praedicti sui ordinis statutis pro dicto officio praescriptis frui, et gaudere libere, et licite possit, et valeat, ac debeat, auctoritate, et tenore praesentis decernimus, et declaramus. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis Nostrae, aliisque arbitrio Nostro infligendis poenis, omnibus, et singulis dicti ordinis provincialibus, prioribus, aliisque superioribus, nec non professoribus, et personis, caeterisque, ad quos spectat, et in futurum spectabit, ut ipsum Timotheum in priorem generalem, ut supra deputatum, in hoc munere, illiusque libero exercitio juxta tenorem praesentium recipiant, et admittant, eique in omnibus ad munus hujusmodi pertinentibus, et quomodolibet spectantibus prompte pareant, et obediant, faveant, et assistant, ejusque salubria monita, et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimpleri procurent. In hoc autem munere a Nobis, ut supra, constitutus, eo fungetur per totum illud tempus, quod in praedictis Nostris literis xv. maji anno MDCCCIV. datis constitutum est, nisi ad longius tempus statuendum gravibus interdicentibus causis apostolica Sedes moveatur, ut in iisdem literis sancitum est.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac dicto Timotheo plenissime suffragare; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de ver-

bo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, vel aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis. §. 6. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae, vel procuratoris generalis dicti ordinis munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die nona januarii MDCCCVII. pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 9. jan. 1807. Anno VII.

CCCCLXVIII.

Confirmatio privilegiorum, et gratiarum alias concessarum congregationi sanctissimi Redemptoris.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ratio concessionis. §. 1. Qui sicut boni Christi milites pari studio laborant, ii paribus quoque privilegiis afficiendi sunt, et gratiis; quare nonnulli Romani pontifices praedecessores Nostri congregationi sanctissimi Redemptoris, ejusque alumnis de catholica religione optime meritis omnes et singulas gratias, et indulta, quae ab hac sancta Sede aliis duabus congregationibus piorum operariorum, et doctrinae Christianae concessa fuerant, aeque principaliter communicarunt. Subortis autem quibusdam dubiis super iisdem communicationibus, in iis praesertim, quae ad altaria privilegiata, indulgentias, et officia sanctorum propria spectabant, dubia hujusmodi felicis recordationis Clementi pp. XIII. itemque Clementi XIV. praedecessoribus Nostris humiliter proposita, ipsi ambo favorabiliter in omnibus pro dicta congregatione sanctissimi Redemptoris declararunt. Tandem recolendae memoriae Pius pp. VI. praedecessor itidem Noster declarationes favorabiles hujusmodi auctoritate apostolica confirmavit, ipsiusque congregationis alumnis alia quoque singula privilegia supercommunicavit, quae successive fuerant alii congregationi clericorum discalceatorum Crucis, et Passionis Domini Nostri Jesu Christi a dicta Sede concessa, prout ex ejusdem Pii in simili forma brevis die XXI. augusti MDCCLXXXIX. expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro expresso, et inserto haberi volumus, uberius continetur. Cum autem, sicut dilectus filius Petrus Paulus Blasucci rector major, seu superior generalis dictae sanctissimi Redemptoris congregationis exponi Nobis nuper fecit, memoratas gratiarum communicationes iterum per Nos confirmari, ac alia quoque suborta dubia de medio tolli vehementer desideretur.

§. 2. Nos pro eo quo ipsius congregationis alumni fervere non desinunt religionis, et animarum zelo, eamdem congregationem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, ac singulares personas, quibus praesentes Nostrae favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existant ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati memoratas singulas communicationes a praefatis singulis Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris favore congregationis sanctissimi Redemptoris factas de verbo ad verbum praesentibus insertas habentes, cum omnibus, et singulis in eis contentis, et expressis auctoritate apostolica tenore praesentium adprobamus, et confirmamus, ac omnes, et singulos tum juris, tum facti defectus, si qui desuper in eis quomodolibet irrepserint, aut irrepsisse potuerint, sanamus, et supplemus. Tenor concessionis.

§. 3. Praeterea ad conscientiarum anxietates penitus tollendas in praememorata per Pium praedecessorem facta communicatione gratiarum ab alio praedecessore Clemente XIV. congregationi Crucis, et Passionis Domi- Declaratio specialis.

ni Nostri Jesu Christi per apostolicas sub plumbo XVI. kalendas decembris MDCCLXIX. datas literas concessarum comprehensa fuisse, ac esse, et fore comprehendenda omnia, et singula privilegia, indulta, indulgentias, et peccatorum remissiones, facultates, exemptiones, et gratias spirituales, etiam specialem mentionem requirentes, quibus praedictae, aliaeque similes clericorum seu regularium seu saecularium congregationes, earumque domus regulares, necnon generales, aliique superiores, officiales, ministri, et personae ex concessione apostolica, seu ex qualibet venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium congregatione, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere poterunt in futurum comprehensa inquimus esse et fore auctoritate, et tenore praedictis statuimus, edicimus, et declaramus, ac etiam, quatenus opus sit, eidem congregationi sanctissimi Redemptoris, illiusque domibus, ministris, et aliis quibuscumque personis, illaque omnia, et singula tamquam de verbo ad verbum hic expressa, et inserta fuissent, etiam quoad altaria privilegiata, officia sanctorum respective propria, indulgentias, ac ordinum facultates eadem auctoritate denuo concedimus.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et apostolicae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ejusdem sanctissimi Redemptoris, aliarumque singularum praedictarum congregationum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis, etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 6. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae vel procuratoris generalis dictae congregationis munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die nona jan. MDCCCVII. pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCLXIX.

Dat. die 25. jan. 1807. Anno VII.

Dotatio seminarii episcopalis civitatis sancti Hippolyti nuncupatae facta ex suppressione nonnullorum beneficiorum, et legatorum missarum.

Venerabili fratri Josepho Godefrido episcopo sancti Hippolyti.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Clericorum seminaria, in quibus adolescentes in sortem Domini vocati optimis moribus, et disciplinis informantur, ut ipsi ineunte tempore ad sacros ordines promoti salutis viam Christiano populo verbo, et exemplo ostendant, non modo pastoralem omnem episcoporum, sed Nostram quoque curam requirunt; ideoque Nos universo Dominico gregi

(nullis Nostris suffragantibus meritis) praesidentes, quae pro seminariorum hujusmodi praesidio, et incremento necessaria, aut opportuna videntur, libenter, quantum cum Domino possumus, impertimur.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis nuper fraternitatis tuae nomine fuit expositum, ex pia carissimi in Christo filii Nostri Francisci Austriae imperatoris, et Hungariae regis apostolici munificentia episcopale seminarium in ista sancti Hippolyti civitate fuerit extructum, cumque ad illud sufficienter dotandum minime tibi satis sint facultates a sacrosancto Tridentino concilio ordinariis ad id constitutae, Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur te specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, eidem fraternitati tuae beneficia ecclesiastica simplicia personalem residentiam non requirentia, itemque missarum legata, aliaeque piorum operum perpetuae fundationes (non tamen illa de jure patronatus, nisi de legitimorum patronorum consensu) quae suo careant rectore ad eum usque numerum, et quantitatem, quae satis esse dignoscantur pro sufficienti dicti seminarii dotatione constituenda dumtaxat perpetuo supprimendi, illorumque bona, redditus, et proventus eidem episcopali seminario applicandi, uniendi, et incorporandi. Nec non omnia, et singula ex lege fundationis beneficiis, aliisque piis institutionibus praedictis adnexa missarum, aliorumque operum onera alio in perpetuum transferendi post suppressionem, et incorporationem hujusmodi factam, et commutandi in alia pia opera, ac etiam pro data tibi a Domino prudentia perpetuo imminuendi, et reducendi plenam, et amplam facultatem auctoritate apostolica, tenore praesentium tribuimus, et impertimur. Nos enim respectivis beneficiorum, ac missarum legatorum, aliorumque piorum operum fundationibus, legibus, et conditionibus ad praemissorum effectum dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ac derogatum esse auctoritate, et tenore praedictis decernimus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 4. Decernentes pariter ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere in omnibus, et per omnia dicto seminario, ejusque alumnis plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictorum beneficiorum, et piarum institutionum fundationibus etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis, superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Declaratio specialis.

§. 6. Volumus autem, ut statim atque beneficia, missarum legata, et aliae piae institutiones hujusmodi per te vigore praesentium dicto seminario fuerint addicta, et applicata, ejusdem seminarii rector, vel aliquis ex ejus deputatis veram, et realem possessionem eorumdem bonorum perpetuo applicatorum apprehendat, apprehensamque retineat ejusdem seminarii nomine, ac de perceptis fructibus tibi, ac pro tempore existenti episcopo annuatim rationem reddat. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia januarii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno septimo.

graviores efflagitant, ut in eamdem rem sollicitudinem omnem Nostram conferamus. Ut enim post tantas rerum politicarum in Europa universa vicissitudines, nemo est qui deteriora jure non vereatur, sic Nos in tanta perturbatione rerum ecclesiasticarum, nihil non timendum Nobis et sanctae huic Romanae Ecclesiae, cui divina praesumus dispositione, merito esse cognoscimus, atque idcirco nihil magis praecavendum est Nobis, quam ne, absoluto mortalis vitae Nostrae curriculo, quae de successore eligendo comitia instituenda erunt, vel per apertam vim debita libertate destituantur, vel electioni ipsi tot opponantur impedimenta, ut ea quam longissime protrahatur, aut impossibilis omnino ratio novi creandi pontificis reddatur, aut vero, quod deterrimum malorum omnium esset, dispersis, et discissis electoribus schisma confletur. His periculis occurrere, gravissimaque detrimenta, quae Christiana res a diuturna Sedis apostolicae viduitate, aliisque modo memoratis malis caperet, removere pro munere Nostro volentes, diu multumque explorata etiam nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus sententia, quid consilii in tanta re capere, quo futuris post obitum Nostrum comitiis providere possemus, animo reputavimus. Post longam deliberationem, imploratoque supremo lumine, vidimus sane, planeque prospeximus, in tanta futurorum incertitudine, impossibile ferme esse, omnes vicissitudines temporum praevidere, atque ad illas consiliorum Nostrorum rationes accomodare, proptereaque putavimus, muneri Nostro minime Nos defuturos, si opportunis saltem auctoritatis Nostrae remediis Romani pontificis Nostri successoris electio quam fieri possit facilior expeditiorque reddatur.

De notitia obitus papae electoribus danda.

§. 2. Sequuto igitur obitu Nostro, quacumque Nos Deus in orbis terrarum parte, ex mortalis hisce vitae angustiis ad aeternam, quam speramus, pacem migrare jusserit, quicumque ex cardinalibus praesens ibidem aderit, et si plures erunt, antiquior in episcoporum cardinalium ordine, vel episcopis cardinalibus inde absentibus, antiquior in presbyterorum cardinalium ordine, vel demum tam episcopis quam presbyteris cardinalibus absentibus, antiquior in diaconorum cardinalium ordine, aut iis omnibus absentibus, nuntius apostolicus, sive in hujus defectu loci ordinarius, aut praelatus, vel alius quispiam in dignitate ecclesiastica constitutus quam celeriter de pontificis obitu cardinalium sacri collegii decanum certiorem faciat, qui accepto hujusmodi nuncio vel alio quocumque modo intellecta rei veritate, compertoque sibi certissime de Sedis apostolicae vacatione, de eo doceat cardinales in presbyterorum, et diaconorum ordine antiquiores, et S. R. E. camerarium. Deinde una cum tribus hisce cardinalibus, vel altero (pluribusque ex illis absentibus) cum eo qui praesens aderit, aut (absentibus omnibus) ipse solus, vel eo legitime impedito alius cardinalis ab ipso specialiter subdelegandus per convocationis literas cardinales omnes ubicumque sint advocet ad novi pontificis electionem peragendam eo in loco de quo infra constituetur. Quod si dispersis hac illac cardinalibus, qua in mundi parte alter, pluresve ex illis degant ignoretur, ita ut ad eos literae convocationis dari minime possint, volumus nullius umquam propterea nullitatis aut defectus insimulari posse peragendam absque memoratorum cardinalium interventu pontificis electionem.

De loco in quo comitia erunt celebranda.

§. 3. Quo vero ad locum in quo comitia celebranda erunt, potestatem facimus tribus cardinalibus antiquioribus, uno videlicet ex quolibet ordine una cum cardinali S. R. E. camerario, vel pro camerarii munere fungente si una simul congregati erunt, aut decano sacri collegii vel alteri cardinali ab eo ut supra subdelegato cum illis ex memoratis tribus cardinalibus qui praesentes aderunt, vel ei soli (si reliqui omnes absentes sint) eam civitatem, aut locum sub quacumque cujusvis generis ditione seligendi, quae aut qui ipsis, vel ei opportunior videbitur, derogantes iis legibus, et constitutionibus apostolicis, quae de habendis comitiis in eo loco, ubi mortuus est pontifex, constitutae sunt. Cardinalibus autem omnibus in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, ut nisi legitimo impedimento detenti fuerint, literis convocationis obtemperantes ad locum, qui in iisdem literis designatus fuerit, pro perficienda pontificis electione, sine mora se conferant. Ii porro ex cardinalibus qui in loco ut supra diximus constituto una cum cardinali sacri collegii decano, vel ipso impedito, cum altero cardinali ab eo, ut diximus subdelegando congregati erunt, quique in illum locum undecumque ac-

cesserint, dummodo tot cardinales sint, qui vel per unum dumtaxat medietatem superent totius collegii cardinalium in humanis tunc existentium etiam non expectato consueto decendio a die obitus summi pontificis, atque etiam caeteris cardinalibus absentibus non expectatis, si ita cardinales una cum cardinali decano ipso, vel altero cardinali ab eo subdelegato congregati expediens judicabunt, novum pontificem libere ac licite eligant, ita ut, qui a duabus e tertiis partibus congregatorum cardinalium electus pontifex fuerit, is rite electus, et vere sit pontifex Romanus Christi vicarius, et talis ab universa Ecclesia agnosci, atque haberi debeat.

De dispensatione a solitis caeremoniis, et solemnitatibus.

§. 4. Ut vero cardinales minoribus, quoad fieri poterit impedimentis ac difficultatibus coarctentur, ut facilius pro circumstantiis temporum electio pontificis perfici possit, derogatum volumus et plane atque expresse derogamus iis omnibus caeremoniis, solemnitatibus, consuetudinibus, quae respiciunt urbem, seu locum in quo comitia habenda essent, tempus ipsius electionis peragendae, conclavis usum, clausuram, custodiamque, numerum inservientium, colloquia, cibos; salvis tamen ac firmis, non modo conditionibus omnibus, quae necessaria sunt in quavis electione canonica Romani pontificis, tam iis, quae ad loci, in quo comitia habenda erunt, securitatem pertinent, quam illis quae spectant ad electorum libertatem, et ad duas tertias partes suffragiorum eorum, qui congregati sint, quibus convenire in electum debent, seclusoque item omni ambitus ac simoniae crimine, de quo ne suspicari quidem Nos possumus, verum etiam firmis, suoque in robore omnino manentibus duabus Gregorii pp. XV. constitutionibus « *Aeterni patris* » ac *Decet* » anno 1621. editis, in iis omnibus quae tres canonicas eligendi pontificis formas respiciunt, scilicet per scrutinium, per compromissum, et per quasi inspirationem.

Monitum ad electores.

§. 5. Hisce omnibus constitutis in humilitatis spiritu, animoque contrito vitam hanc Nostram, quam a suscepto praesertim pontificatus exordio in gemitibus et dolore transegimus, creatori Nostro offerentes venerabiles fratres Nostros S. R. E. cardinales, qui obitus Nostri tempore superstites futuri erunt (quorum jus in Romani pontificis electione apostolica praedecessorum Nostrorum auctoritate universalis Ecclesiae consensu, totque saeculorum possessione constabilitum, firmum, in suoque robore manere volumus, ac decernimus) per viscera misericordiae Jesu Christi vehementer in Domino obsecramus, obtestamurque, ut memores illius sacramenti, quo obstricti sunt tuendi ac defendendi Christi Ecclesiam usque ad sanguinis effusionem, atque in tanto Christianae rei periculo, privatis rationibus ac personarum acceptione Dei gloriae et Ecclesiae tranquillitati postpositis, concordibus animis, ac voluntate in hanc unam curam incumbant, ut ne nimirum diu Petri navicula tantis agitata tempestatibus rectore suo careat, nec Dominicus grex tot lupis undecumque irruentibus pastore destituatur, illud habentes propositum ab optima ac celeri summi pontificis electione salutem maxime populi christiani pendere, ipsosque severissimo Dei judicio puniendos, si culpa aut negligentia eorum fiat, ut longiori quam par est spatio apostolica haec Sedes vacet, indeque Christiana respublica aliquid detrimenti capiat.

De observantia hujus novae legis.

§. 6. Omnia autem quae in his literis Nostris sancita aut constituta sunt valere ac servari volumus, ac decernimus non modo in iis comitiis, quae de pontifice eligendo prima post obitum Nostrum futura sunt, verum etiam in sequentibus donec a Romano pontifice pro tempore existente non fuerint revocata et annullata, et quacumque in orbis terrae parte tam Nos quam successores Nostri e vivis excesserint.

Poenae contra inobedientes impictae.

§. 7. Quia vero res de qua agitur tanti momenti est, ut ab ea potissimum et matura pontificis electio et catholicae unitatis conservatio, et Ecclesiae tranquillitas pendere videatur, Nos utentes apostolica Nostra auctoritate in virtute sanctae obedientiae, et sub poena excommunicationis praecipimus, ne quis e sacro collegio cardinalium fas sibi esse quovis praetextu arbitretur his quae a Nobis per has literas Nostras praescripta sunt repugnare, quin imo volumus, ut universi singula quaeque servare, atque exequi teneantur.

De recitatione harum literarum ante electionem pontificis.

§. 8. Hanc etiam ob causam mandamus, ut hae literae apostolicae voluntatis Nostrae testes prima die, in qua ad suffragia cardinales convenerint palam recitentur, et si qua in re, aut interpretatione, aut declaratione aliqua indigere videbuntur, id per sententiarum pluralitatem ab iisdem cardinalibus, qui con-

Digitized by Google

gregati fuerint interpretetur, ac declararetur, ita ut quidquid a majori parte cardinalium congregatorum constitutum hac ratione fuerit, id habeatur perinde ac apostolica auctoritate esset a Nobis constitutum.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 9. Decernentes praesentes literas, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo quod quilibet in praemissis jus vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati sive auditi fuerint, sed easdem praesentes literas semper et perpetuo validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac iis ad quos spectat, et pro tempore spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari quoque debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 10. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostris, et cancellariae apostolicae regulis de jure quaesito non tollendo, ac tam Alexandri III. quam Gregorii X. et Clementis V. ac Pii IV. aliorumque Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum circa electionem summi pontificis hactenus editis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis earum omnium tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, quoad reliqua in eis contenta in suo robore permansuris, volumus et mandamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 11. Volumus insuper, et apostolica auctoritate decernimus quod praesentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrarum permissionis, dispensationis, facultatis, ordinationis, decreti, mandati, voluntatis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septimo octavo idus februarii, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCLXXII.

Dat. die 18. febr. 1807. Anno VII.

Suppressio beneficii ecclesiastici sub titulo sancti Petri in civitate Urbinatensi, et incorporatio bonorum favore seminarii episcopalis ejusdem civitatis cum nonnullis conditionibus.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Clericorum seminaria, ubi adolescentes in sortem Domini vocati ad religionem, et bonas artes informantur, ut ipsi postea ad sacros ordines permoti verbo, et exemplo salutis viam laicis ostendant, non modo pastoralem episcoporum curam efflagitant, sed Nos quoque movent, ut ea, quae utilitatem, et commodum seminariorum hujusmodi respiciunt, libenter concedamus.

Expositio precum.

§. 2. Exponi quidem Nobis nuper fecit venerabilis frater Spiridion archiepiscopus Urbinatensis seminarium illud dioecesanum sufficientibus redditibus esse destitutum. Cum autem ibi extet unum jamdiu vacans beneficium curatum sub titulo s. Petri vulgo de Maciolla annui redditus biscentum circiter scutatorum monetae Romae, qui redditus per fel. rec. Pium pp. VI. praedecessorem Nostrum ad quinquennium tunc proximum tantum fabricae metropolitanae ecclesiae fuerat addictus, et successive per Nos die v. aprilis MDCCCV. ad aliud tunc proximum quinquennium pariter assignatus, addita facultate eidem archiepiscopo aliquam redditus hujusmodi partem erogandi in subsidium ejusdem ecclesiae sacristiae, quae in notissimis Italiae vicissitudinibus ob validam illius civitatis resistentiam adgressoribus factam rebus omnibus pretiosis, ac tandem vel ipsa metropolitica aurea rosa, quam antea archiepiscopus diligenter, et cum sui periculo occultaverat, spoliata remansit; cumque idem archiepiscopus pro eo, quo in bona senectute adhuc fervet pastorali zelo, dicto seminario sufficientibus redditibus carenti, dictaeque sacristiae ob nonnullorum et fundorum deperitionem extrema sacrarum

suppellectilium inopia laboranti, per Nos, et hanc s. Sedem prospici vehementissime cupiat, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsum archiepiscopum in suo laudabili proposito, quantum cum Domino possumus, confovere volentes, ac tam ipsum, quam reliquas singulares personas, quibus praesentes Nostrae favent, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, statim ac reliquum concessionis praedictae per Nos ad quinquennium factae tempus expiraverit, memoratum sancti Petri beneficium cum omnibus, et singulis ejus redditibus, et pertinentiis universis, exceptis proventibus stolae, ut vocant, qui semper pro infrascripto cappellano curato remaneant, eidem seminario dioecesano Urbinatensi auctoritate apostolica, tenore praesentium ex nunc, pro ut ex tunc, et e contra addicimus in perpetuum, et adsignamus, atque addictum, assignatumque esse, et fore decernimus, ac declaramus, cum sequentibus tamen legibus, et conditionibus, sine quarum singulis nunquam huic concessioni fuisset locus; ideoque vel una earum inexpleta remanente, tunc praesentem gratiam eo ipso cessasse edicimus.

Conditiones concessioni adjectae.

§. 4. Conditiones autem sunt I. Onera quaecumque eidem beneficio ex lege fundationis adnexa indispensabiliter, et in perpetuum adimpleantur. II. Instituatur perpetuus, et inamovibilis cappellanus curatus animarum curam gerens, cui cedant singula stolae jura, et alii quicumque similes parochiales proventus, ac eorum reservata remanente ex beneficii hujusmodi redditibus congrua quinquaginta scutatorum annuorum dictae monetae Romanae praecipua, et libera ab omni alio onere illarum quoque missarum, quae pro populo applicari debent. In casu autem morae solutionis hujusmodi, ipsemet cappellanus curatus ex ejusdem beneficii redditibus per se ipsum dictam pecuniae summam auferat sine ulla praevia juridica interpellatione. III. Quidquid ex redditibus supererit expletis oneribus, impendatur dictae sacristiae donec, et quoad tantum conficiatur nova rosa aurea metropolitica pondere, et labore mediocris. IV. Qua rosa confecta, redditus praedicti in seminarii subsidium integri convertantur, ita tamen, ut praeter memorata onera solvat scutata annua quinquaginta in perpetuum sacristiae praedictae. V. Seminarii rector, vel quivis alius de more deputatus realem, et corporalem bonorum ad dictum beneficium spectantium nomine ipsius seminarii adipiscatur, ac singulis annis rationem separatam hujusmodi redditum reddat nunc, et pro tempore existenti archiepiscopo, cujus conscientiam oneramus, ut ex hujusmodi parochialis beneficii redditibus quidquam eleemosynae pauperibus ejusdem paroeciae annuatim distribuatur.

Clausulae sublatae, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes ipsas praesentes literas firmas validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis, per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dicti beneficii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s.

Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima tertia februarii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 20. febr. 1807. Anno VII.

CCCCLXXIII.

Concessio missae propriae Beatae Mariae Virginis Conceptionis pro episcopo Mindoniensi in loco nuncupato Fras de-Onterio intra limites paraeciae sancti Vincentii de Vimianzo dioecesis Compostellanae.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio, et tenor concessionis.

§. 1. Quum venerabilis frater Andreas episcopus Mindoniensis prout nuper Nobis est ejus nomine expositum, oratorium publicum titulo Conceptionis Beatae Mariae Virginis in propria domo, quae manet in loco vulgo dicto Fras de-Onterio intra limites paraeciae s. Vincentii de Vimianzo Compostellanae dioecesis, erexerit, atque ad majorem ipsius Virginis Beatissimae cultum in oratorio hujusmodi sibi per Nos, ut infra, indulgeri humiliter flagitaverit; Nos audito dilecto filio magistro de Carpineo congregationis sacrorum rituum secretario, eumdem episcopum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ut quotannis in posterum in oratorio praedicto occasione peculiaris festi, quod in memoriam ejusdem Conceptionis Nostrae Dominae agetur in dominica post octavam illius assumptionis, dummodo non occurrat officium ritus duplicis primae vel secundae classis, a cunctis sacerdotibus eo ad sacrificandum convenientibus missa propria Conceptionis Beatae Mariae Virginis cum commemorationibus tamen officii diei, dominicae, aliisque occurrentibus juxta rubricas, tam in una missa cum cantu, quam in caeteris sine cantu; occurrente vero officio ritus duplicis secundae classis dumtaxat, tunc una tantum missa cum cantu, ut supra celebrari libere ac licite possit et valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 2. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima februarii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 28. febr. 1807. Anno VII.

CCCCLXXIV.

Subjectio nonnullarum ecclesiarum Rutheni ritus existentium in regno Bohemiae, et Hungariae juri metropolitice archiepiscopi Kiovensis.

Pius episcopus Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. In universalis Ecclesiae regimine divina disponente clementia, meritis licet imparibus collocati, ad gregem Dominicum oculos Nostrae mentis intentos semper habentes, et quid apostolicae providentiae impendere debeamus, ut utique comode atque utiliter gubernetur, et ad coelestia pascua fideliter dirigatur, eam potissimum muneris Nostri curam agnoscimus, quod tot ecclesiarum praesules opportunis pro commodiori populorum spirituali regimine praerogativis decorentur. Ea propter Christianorum principum vota hisce in rebus favore complectimur, et nonnulla interdum statuere curamus, quae in Domino salubriter conspicimus expedire.

Historia rerum actarum occasione decretae unionis ecclesiarum nationis Ruthenae.

§. 2. Postquam felicis recordationis Clemens papa octavus praedecessor Noster tunc cum Michael tertius Kiovensis metropolita, assentientibus aliis episcopis Rutensibus concilio coacto in civitate Brestiae, et publice in eo nationis Ruthenae cum apostolica Sede unione statuta, ad eam perficiendam duos episcopos Romam miserat, nationem praedictam ad S. Catholicae Romanae Ecclesiae communionem recepit, atque hanc unionem per suas apostolicas sub plumbo expeditas literas incipientes « *Magnus Dominus* » anno pontificatus sui quarto datas, et incarnationis Dominicae mil-

lesimo quingentesimo nonagesimo quinto, decimo kalendas januarii approbavit et confirmavit, nec non per alias similes literas incipientes « *Decet Romanum pontificem* » eodem incarnationis Dominicae anno expeditas ac datas septimo kalendas martii idem pontifex postmodum archiepiscopo Kioviensi Ruthenorum metropolitano facultatem benigne concessit confirmandi nomine apostolicae Sedis episcopos suffraganeos ejusdem ritus in Polonia existentes, eosque juxta illius ritus formam consecrandi. Alia etiam haec apostolica Sedes diversis temporibus quoad Ruthenam nationem praedictam disposuit praecipue per organum congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis de propaganda fide praepositorum, ac insuper de anno Domini millesimo septingentesimo vigesimo de speciali assensu felicis recordationis Clementis pp. XI. praedecessoris Nostri coacta in civitate Zamosciae synodo nationali Ruthena, eique praesidente Hieronymo bonae memoriae archiepiscopo Edessae, tunc in Poloniae regno Sedis apostolicae nuntio, deinde S. R. E. cardinali Grimaldo nuncupato, ac in eo nonnullis statutis, atque ordinatis, cum Benedictus recolendae memoriae papa decimus tertius similiter praedecessor Noster satis compererit hujusmodi statuta et ordinationes ecclesiasticae disciplinae summopere esse profutura, per apostolicas suas literas incipientes « *Apostolatus officium* » in forma brevis expeditas sub annulo piscatoris die nona mensis julii anno millesimo septingentesimo vigesimo quarto, pontificatus sui anno primo, firmis tamen semper remanentibus aliorum praedecessorum pontificum constitutionibus, et apostolicis ordinationibus, aliisque etiam in generalibus conciliis super Graecorum ritibus emanatis decretis, ac salva quoque auctoritate venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, tam de propaganda fide negotiis praepositorum, quam Tridentini concilii interpetrum respectivarum congregationum, benigne atque expresse approbavit, et confirmavit.

Memoratur erectio Sedis episcopalis Suprassiae facta a Pio VI.

§. 3. Ob varias postmodum temporum vicissitudines, et praecipue immutatum temporalis jurisdictionis dominium in illis partibus in quibus Ruthenorum ecclesiae collocatae reperiebantur, necesse visum fuit, ut ab apostolica Sede saepe numero super his rebus negotia nonnulla gererentur, ita ut de natione hujusmodi Ruthena sedulam curam suscipiendo, perspectis circumstantiis aliqua de novo statuere Sedes ipsa apostolica haud neglexerit, et pontifex quoque immediatus praedec. Noster Pius pp. VI. recol. memoriae episcopalem ecclesiam ejusdem Rutheni ritus erexerit in civitate Suprassiae tunc in serenissimi regis Borussiae ditione existente, nec non quoad metropolitanam Kioviensem, aliasque episcopales ecclesias ejusdem ritus Russiaco in imperio existentes plura statuere non omiserit.

Preces porrectae pro obtinenda variatione juris metropolitici.

§. 4. Nobis autem nuper exposito, quod populi catholici Rutheni ritus Leopoliensi, Kelmensi, et Premisliensi respective episcopis subjecti et in charissimi in Christo filii Nostri Francisci I. Austriae imperatoris ac Bohemiae et Hungariae regis apostolici ditione existentes, ad metropolitanum Kioviensem appellare, et episcopi ipsi suum metropolitam consiliorum eorum participem facere minime respective possint, quodque laudatus Franciscus imperator et rex summopere cupiat Ruthenorum in regno Galliciae existentium spirituali bono consulere, atque idcirco a Nobis singulari studio per suas literas postulaverit, ut a jure metropolitico praedicti archiepiscopi abdicatis ecclesiis antedictis, Leopoliensem cathedralem ecclesiam, quae a felicis recordationis Joanne papa vigesimo tertio per suas literas Romae datas quinto kalendas septembris pontificatus sui anno tertio antequam sedem Haliciensem transferendo in metropolitanam sub invocatione Beatae Mariae Virginis tunc fuerat erecta, ac deinceps ad simplicis episcopalis ecclesiae statum redacta, nunc denuo in metropolitanam, cum unione tituli dictae perantiquae Haliciensis ecclesiae, cujus territorium intra limites suae ditionis modo reperitur, per Nos erigatur, nec non Kelmensis, et Premiliensis respective episcopales ecclesiae ejusdem novae metropolitanae Leopoliensis ecclesiae suffraganae declarentur, ac demum gratiae et indulta praecipue quoad jus nominationis ad illas, et ad illarum praesulum canonicam institutionem respective concedantur.

Ratio concessionis.

§. 5. Nos itaque, temporum, et locorum circumstantiis mature perspectis, agnoscentes plures, easque non leves esse difficultates, quae opponuntur Kioviensi archiepiscopo ad

exercendum jus secum metropoliticum in Ruthenos Galliciae regno subjectos, compertaque necessitate occurrendi stabili methodo spirituali Ruthenorum regimini, apostolici officii Nostri esse duximus vota precesque ejusdem Francisci imperatoris ac regis benigne suscipere, et illis quantum opportune in Domino possumus clementer obsecundare.

Tenor concessionis.

§. 6. Quapropter ne in injuncto Nobis apostolicae servitutis officio deesse videamur, venerabili fratri Nostro Antonio Gabrieli archiepiscopo Petrensi, atque ecclesiarum Viterbiensis, et Tuscanensis invicem perpetuo canonice unitarum episcopo, nec non Nostro et Sedis apostolicae nuncio Viennae Austriae commoranti, per praesentes committimus et mandamus, ut sive per se, sive per aliam personam ecclesiasticam ab eo ad hoc specialiter subdelegandam, certiorato prius venerabili etiam fratre Nostro Eraclio Lissonsks ecclesiae Plocensis archiepiscopo, atque in praesentiarum, attenta vacatione metropolitanae Kioviensis ejusdem ecclesiae et dioecesis administratore, titulum perantiquae ecclesiae Haliciensis a metropolitana ecclesia Kioviensi, cui pridem unitus fuerat, apostolica Nostra sibi delegata auctoritate, servatis servandis, disjungat, ac separet, nec non memoratas ecclesias episcopales Rutheni ritus Leopoliensem, Kelmensem, et Premisliensem antea ejusdem metropolitanae ecclesiae Kioviensis suffraganeas a quacumque superioritate, et metropolitica jurisdictione ecclesiae, et archiepiscopi Kioviensis extra praedicti Francisci imperatoris ac regis ditionem in praesentiarum existentis, sejungat, abdicet, et absolvat, atque in posterum separatas et minime archiepiscopatui, ac pro tempore existenti ipsius ecclesiae Kioviensis antistiti, subjectas esse declaret.

Prosequitur ut supra.

§. 7. Episcopalibus autem ecclesiis Rutheni ritus superius expressis, videlicet Leopoliensi, Kelmensi, et Premisliensi, sic a metropolitica nominatae archiepiscopalis ecclesiae titulum alterius ecclesiae Haliciensis simili facultate uniat, ac perpetuis futuris temporibus unitum esse, ac fore declaret, ac Nostro nomine decernat ita ut quicumque in posterum cathedram Leopoliensem canonice occupaverit una simul nuncupetur et inscribatur Leopoliensis, et Haliciensis ecclesiarum unitarum praesul, et deinde sic, ut praefertur, unitas Leopoliensem, et Haliciensem ecclesias ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, Beatissimae Virginis Mariae, ac sanctorum apostolorum Petri et Pauli, nec non ad fidei catholicae exaltationem, totius militantis Ecclesiae decus in Ecclesias archiepiscopales Rutheni ritus unitas, et metropolitanam pro uno archiepiscopo, qui pallii et crucis usum more archiepiscoporum ejusdem ritus habeat, aliisque gaudeat privilegiis, praerogativis, honoribus, et juribus similibus archiepiscopis debitis, et concessis, quibus omnibus pro tempore existentes hujus Leopoliensis, et Haliciensis ecclesiarum invicem, ut praefertur, unitarum archiepiscopi uti, frui, potiri et gaudere possint, et valeant, ac etiam debeant, apostolica Nostra hujusmodi sibi delegata auctoritate ipsarum tenore praesentium perpetuo erigat, et instituat, ita ut dictarum Leopoliensis, et Haliciensis ecclesiarum unitarum praesules omnia, et singula quae ad similes Ruthenae nationis, et ritus archiepiscopos in eorum civitatibus et dioecesibus ad archiepiscopale munus exercendum de jure, usu, consuetudine, aut alias quomodolibet spectare et pertinere solent, ac debent, gerere, facere, et exercere libere ac licite possint, plenam, et omnimodam auctoritatem tenore praesentium concedere et impertiri Nostro nomine possint et valeant.

Idem ut supra.

§. 8. Alteras vero ecclesias episcopales supradictas, Kelmensem videlicet et Premisliensem jam per eum Nostro nomine ut supra a metropolitico jure, et respectiva subjectione archiepiscopi Kioviensis exemptas et liberatas, ad hoc ut ecclesiasticae hierarchiae in toto catholico orbe semper servetur ordo, in praedictarum archiepiscopalium Leopoliensis, et Haliciensis ecclesiarum invicem unitarum suffraganeas assignet, atque illarum episcopalium ecclesiarum praesules, et loca omnia, personasque tam ecclesiasticas, quam laicas in earum respective dioecesibus existentes, pro tempore existentium archiepiscoporum antedictarum Leopoliensis, et Haliciensis invicem ut praefertur unitarum ecclesiarum metropolitico juri, simili Nostra delegata auctoritate perpetuo subjiciat, atque supponat.

Declarationes speciales.

§. 9. Volumus autem, ut hujusmodi ecclesia cathedralis Leopoliensis ad metropolitanae ecclesiae gradum evecta una cum suo capitulo, et eodem quoad praesens reperitur Leopoliensis et Haliciensis dioecesis territorio firma

Digitized by Google

etiam in posterum remaneat, ut futuri ac pro tempore existentes Leopoliensis, et Haliciensis ecclesiarum praesules omnes et singulos eis spectantes fructus, redditus ac proventus, quos episcopi Leopolienses huc usque perceperunt, quique ad annuos decem mille florenos monetae illarum partium ut asseritur ascendunt, integre ac libere percipiant; ac insuper eidem futuro metropolitano summam assignes aliorum florenorum similium bismille a praelaudato Francisco imperatore ac rege annuatim persolvendam, usque dum nonnulla bona perantiquae mensae Haliciensi antea spectantia, et ob temporum vicissitudines in aliorum potestate existentia opportune recuperentur.

Alia similis ut supra.

§. 10. Quum vero omnia, et singula superius expressa Nostro nomine ab antedicto venerabili fratre Antonio Gabriele fuerint expleta, Nos eidem Francisco imperatori ac regi, ejusque in Galliciae regno successoribus facultatem in quolibet vacationis casu nominandi ad antedictas Leopoliensem et Haliciensem invicem unitas archiepiscopales ecclesias, et Kelmensem, et Premisliensem ecclesias episcopales infra tempus a jure praefixum ecclesiasticas personas idoneas iis dotibus praeditas, quae juxta sacrorum canonum praescripta, et juxta statuta suprememoratae synodi Zamosciensis requiruntur de specialis dono gratiae impertimur, cum lege tamen quod quandocumque metropolitana ecclesia Leopoliensis et Haliciensis vacare contigerit, quilibet ad eam nominatus confirmationem suae nominationis, institutionem, et provisionem ecclesiae hujusmodi, nec non muneris consecrationis licentiam a Nobis, et a Romano pontifice pro tempore existente petere atque obtinere, literasque apostolicas in consueta forma per secretam viam de curia nuncupatam expedire facere omnino debeat, ac teneatur. Nos enim futurum ac pro tempore existentem archiepiscopum dictarum ecclesiarum Leopoliensis et Haliciensis invicem unitarum Ruthenorum omnium in laudati Francisci imperatoris ac regis dominio degentium metropolitam declaramus cum auctoritate singula exercendi, quae ad hujusmodi jus metropoliticum dignoscuntur pertinere. Eidem insuper futuro, ac pro tempore existenti Leopoliensis, et Haliciensis unitarum ecclesiarum metropolitae attentis peculiaribus circumstantiis, et de speciali indulgentia facultatem concedimus nominatos ad suas suffraganeas episcopales ecclesias Kelmensem et Premisliensem dummodo iis dotibus praediti sint, quae ut supra dictum est requiruntur, auctoritate et nomine Sedis apostolicae confirmandi, et instituendi, munusque consecrationis impendendi iisdem modo ac forma, quibus facultas hujusmodi metropolitano Kioviensi ab antedicto Clemente papa octavo praedecessore Nostro per suas apostolicas literas secundo loco suprememoratas, fuerat elargita.

Confirmatio actorum synodalium habitorum in synodo Zamosciae.

§. 11. Volumus etiam, quod omnia, et singula, quae statuta fuerunt in laudata Zamosciae synodo per apostolicam Sedem confirmata nunc et in posterum a Leopoliensi et Haliciensi metropolita, atque ab episcopis Kelmensi, et Premisliensi, et ab universa natione Ruthena observentur, firmis et in suo robore semper mansuris apostolicis constitutionibus, et conciliorum generalium decretis super ritibus Graecorum emanatis, nec non venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium tam negotiis de Propaganda Fide praepositorum, quam interpretum concilii Tridentini respectivarum congregationum auctoritate salva semper, et integra remanente.

Protestationes de non laedendis juribus ab aliis legitime quaesitis.

§. 12. Volumus praeterea quod per disposita in hisce Nostris literis nullum de cetero juribus ac privilegiis metropolitanae ecclesiae Kioviensis praejudicium inferatur, nec quidquam circa Ruthenorum imperio in Russiaco existentium ecclesiasticam hierarchiam censeatur immutatum.

Conservatio jurium monachorum sancti Basilii magni.

§. 13. Denique volumus quod nihil pariter super ordine regulari monachorum sancti Basilii Magni ejusdem Ruthenae nationis innovatum intelligatur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 14. Praesentes literas Nostras, et in eis contenta quaecumque semper et perpetuo validas, et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri debere, ac nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, et legitima etiam ex eo quod causae propter quas eaedem praesentes emanarunt adductae, verificatae, et justificatae non fuerint de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, aut quolibet alio quantumvis magno, substantiali, et inexcogitato, ac specialem et individuam mentionem requi-

Digitized by Google

rente defectu, seu etiam ex eo quod in praemissis solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite, aut jure, vel facto seu statuto, vel consuetudine aliqua resultante, aut quocumque alio colore, praetextu, ratione, vel causa etiam quantumvis rationabili, legitima, pia, privilegiata, et tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, in jus vel controversiam vocari, aut ad terminos juris vel facti, aut gratiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine concesso et impetrato, aut emanato quempiam uti, seu se juvari in judicio vel extra posse, neque ipsas praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per quascumque literas et apostolicas constitutiones, aut cancellariae Nostrae apostolicae regulas comprehendi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas, et plenariae reintegratas esse et fore; sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vice-legatos, dictaeque Sedis nuncios, et alios quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, aut privilegio fungentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate in quocumque judicio, seu quacumque instantia judicari et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari irritum et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 15. Non obstantibus quibusvis etiam in provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis, specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictarumque Kioviensis, Leopoliensis, Haliciensis, Kelmensis, Premisliensis, respective ecclesiarum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis derogatoriis, et clausulis irritantibusque decretis in contrarium praemissorum forsan concessis, approbatis, et confirmatis; quibus omnibus, et singulis etiam si de illis specialis, specifica, et expressa mentio, aut expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, ad praemissorum validitatem plenissime ac specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 16. Praeterea etiam volumus, quod earumdem praesentium transumptis etiam typis impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, ac si illae exhibitae forent vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 17. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrarum commissionis, disjunctionis, abdicationis, separationis, erectionis, unionis, indulti, concessionis, impertitionis, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septimo, octavo kalendas martii, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCLXXV.

Dat. die 27. febr. 1807. Anno VIII.

Declaratio, et ampliatio facultatum concessarum guardiano, et fratribus ordinis minorum s. Francisci conventus, vel seminarii de Mezzaofrio Portugallensis dioecesis super applicatione legum, et statutorum alterius seminarii de Varatojo, aut Brancannes.

Venerabili fratri Laurentio archiepiscopo Nisibensi in Portugalliae, et Algarbiorum regnis Nostro, et Sedis apostolicae nuntio.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni guardianus, et fratres ordinis mi-

norum s. Francisci conventus, vel seminarii de Mezzaofrio Portugallensis dioecesis, quod ipsi per Nostras in simili forma brevis die XI. octobris MDCCCIV. expeditas literas obtinuerunt, ut dictus eorum conventus, vel seminarium legibus, et statutis alterutrius seminarii conventualis de Varatojo, aut Brancannes a te auctoritate Nostra apostolica in perpetuum subjicerentur, sub certis modo, et forma tunc expressis, prout ex iisdem Nostris literis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, fusius continetur. Cum autem sicut in eadem expositione additum erat, pro dictarum literarum executione quaedam tibi obveniat difficultas ex eo, quod in narratoria earum parte expositiva praetermissum reperiatur, dicti conventualis seminarii de Mezzaofrio statuta, licet bis condita, suo tamen effectu caruisse, et adhuc fortasse carere, quippe quia auctoritate apostolica minime umquam munita fuere, cumque accedat praeterea notabile discrimen, et varietas, quae inter hujusmodi statuta, ac alia dicti seminarii Brancannensis statuta intercedit, eoque magis quod huic seminario per fel. rec. Clementem pp. XI. praedecessorem Nostrum auctoritate apostolica extensae, et communicatae fuerant gratiae, et privilegia, quae recolendae memoriae Innocentius pp. XI. praedecessor itidem Noster pro seminariis hujusmodi Hispanis per suas in simili forma brevis die XVI. octobris MDCLXXXVI. datas literas indulserat, idcirco dicti guardianus, et fratres rem omnem melius, quam antea aperientes, Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor electionis.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus favoribus, prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus hujusmodi inclinati, praevia sanatione cujuscumque defectus in dictis Nostris literis obvenientes ex memoratis causis fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut dicto seminario conventuali de Mezzaofrio leges, et statuta alterius seminarii praedicti Brancannensis, cum omnibus, et singulis privilegiis, facultatibus, et gratiis, comprehensis etiam modificationibus per congregationem venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium Propagandae Fidei praepositorum in capitulo generali die XVI. novembris MDCLXXXVIII. editis auctoritate Nostra apostolica in perpetuum communices; dictique seminarii de Mezzaofrio alumnis nunc, et pro tempore existentibus, ut singulis privilegiis, favoribus, et gratiis ab hac s. Sede pro alumnis Brancannensis seminarii utcumque concessis, aliisque indultis, quibus hi Brancannenses alumni quomodolibet fruuntur et gaudent pari modo, et aeque principaliter frui, et gaudere libere, et licite possint, et valeant, servata in reliquis dictarum Nostrarum, et Innocentii praedecessoris memoratarum literarum forma, et dispositione, eadem auctoritate, concedas, et indulgeas.

Clausula sanblata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac iis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque, in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictorum seminariorum et ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie ac aliis in contrarium quomodolibet concessis approbatis, et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad

verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Declaratio specialis. §. 5. Volumus autem, et declaramus, ut ob alumnorum in Mezzaofrio degentium paucitatem, ipsi ab obligatione suffragiorum, quae in obitu uniuscujusque fratris provinciarum, quibuscum ratione communicationis hujusmodi conjunguntur, fieri solent, exempti remaneant, ac vicissim provinciarum alumni ad suffragia hujusmodi pro iis, qui in dicto seminario de Mezzaofrio decesserint celebranda minime teneantur. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima septima februarii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCCLXXVI.

Dat. die 10. martii 1807. Anno VII.

Canonicis ecclesiae collegiatae sancti Pauli Civitatis Novae Firmanae dioecesis conceditur usus cappae magnae, cottae, et roccheti, et aliis beneficiatis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Romanus pontifex universae regendae Ecclesiae praepositus singularium quoque respicit statum, ecclesiarum, ac eas, quas clariore noscit celebritate praestare ad augendum divini cultus splendorem, praecipuis praerogativis illustrat, earum ministros majoribus honorificentiis ornat, ut magis magisque, et domui Domini decus, et fideli populo devotio accrescat.

Expositio precum. §. 2. Quum itaque oppidum Civitatis Novae sicut Nobis est nuper expositum, satis eminet inter terras Firmanae dioecesis primarias, ibique insignis, prout asseritur, collegiata existat ecclesia s. Pauli pro qua affabre riaedificanda, cunctisque in partibus cumulate absolvenda, et campanis, organo, altaribus, quorum majus ex marmore est totum exstructum, ac caeteris rebus, atque suppellectilibus decore locupletanda adeo magni sumptus facti unt a dilectis filiis capitulo, et canonicis, ut aere etiam alieno se praegravari non formidaverint, flagitentque propterea ad tanti operis implementum, si benignitati Nostrae placuerit, se quoque ut infra condecorari.

Tenor concessionis. §. 3. Nos ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, earumque singulares personas a quibusvis excommunicationis suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, ut imposterum perpetuis futuris temporibus archipresbyter dignitas, et canonici praedictae ecclesiae collegiatae, et successores eorum cappam magnam, sed ex serico tantum rubri coloris supra rocchetum durante hyeme, cottam autem, et rocchetum aestate. Beneficiati vero, et clerici de choro nuncupati ejusdem ecclesiae praesentes, et futuri semicappam ex serico coloris violacei supra cottam, quae tamen manicis careat tempore hyemali, cottam autem tantum cum manicis tempore aestivo, inducere, et tam in choro, intraque ecclesiam quam extra in quibusvis functionibus sacris adhibere, et gestare libere ac licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 4. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac praememorato capitulo plenarie suffragari, atque ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae collegiatae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo

piscatoris die decima martii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die 11. martii 1807. Anno VII.

CCCCLXXVII.

Dismembratio territorii districtus di Egre a jurisdictione ordinaria archiepiscopi Ratisbonae, ejusque unio, et incorporatio dioecesi Pragensi.

Pius episcopus
Servus servorum Dei

Dilecto filio Nostro Antonio Theodoro S. R. E. presbytero cardinali de Colloredo nuncupato archiepiscopo Olomucensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Eximia catholicorum principum reverentia, ac devotio, qua in divi Petri cathedram se gerunt, ita excitat cor Nostrum, ut illa, quae quandoquidem ab illis petuntur, apostolica benignitate excipere impellamur, prout tantorum principum preces, et locorum, ac temporum exigunt peculiares circumstantiae, atque apostolicae Sedis ad eas convenit inclinatio.

Expositio precum.

§. 2. Cum igitur nomine charissimi in Christo filii Nostri Francisci primi Austriae imperatoris, atque Hungariae, et Bohemiae regis apostolici expositum Nobis fuerit, quod summopere ad praesens ei expedire videatur, ut territorium districtus comitatus di Egre vulgo nuncupatum, intra limites imperialis suae ditionis existentem, cujus habitatores spirituali ordinariae moderni archiepiscopi Ratisbonensis jurisdictioni subjecti reperiuntur, a praefati Ratisbonensis archiepiscopi dioecesi modo abdicarentur, atque locorum hujusmodi habitatores praedicti, obedientiae et superioritati moderni, et pro tempore existentis archiepiscopi Pragensis subjicerentur, ut in posterum ab hoc praesule ecclesiastico moderati opem in spiritualibus ab eo facilius valeant implorare.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos idcirco rerum omnium inspectis circumstantiis, antedicti Francisci imperatoris ac regis votis, ex apostolicae Sedis indulgentia, benigne annuendum esse censentes, tibi dilecte fili Noster, ut communicata re cum venerabili fratre Antonio Gabriele Severoli archiepiscopo Petrensi et episcopo ecclesiarum Viterbiensis, et Tuscanensis invicem perpetuo canonice unitarum, ac Nostro et Sedis apostolicae nuncio Viennae in Austria commorante, exquisitoque, et accepto ab ipso Antonio Gabriele consensu venerabilis fratris moderni archiepiscopi metropolitanae ecclesiae Ratisbonensis, cujus authenticum exemplum ad urbem mittere teneatur, integrum territorium districtus comitatus di Egre, ut praefertur, nuncupatum in imperiali ditione ejusdem Francisci imperatoris ac regis existentem, omniaque in eo contenta loca, et respective sitas ecclesias, etiam parochiales ac monasteria conventus, et beneficia, ac jura, nec non utriusque sexus personas, et incolas, tam laicos, quam clericos, presbyteros, beneficiatos, ac regulares quoscumque, et cujuscumque etiam sint status, gradus, ordinis, ac conditionis ab enunciata dioecesi Ratisbonensi apostolica Nostra specialiter ad hoc delegata auctoritate sive per te, sive per aliam ecclesiasticam personam ad hoc a te specialiter subdelegandam, abdicare, sejungere, et separare, atque una cum habitatoribus, et incolis praedictis metropolitanae ecclesiae et dioecesi Pragensi, simili apostolica auctoritate, unire, adjungere, et incorporare, nec non omnimodae spirituali jurisdictioni, superioritati, et obedientiae venerabilis etiam fratris Nostri moderni, et pro tempore existentis metropolitanae ecclesiae Pragensis antistitis subjicere possis, ita quod dictae ecclesiae Pragensis praesul per se, vel alium, seu alios ejus nomine totius territorii praedicti cum in eo contentis locis, ecclesiis, et monasteriis, ejusque pertinentiis, juribus, et annexis veram, realem, et actualem possessionem, seu quasi possessionem, administrationis spiritualis, et omnimodi juris dioecesani propria auctoritate libere apprehendere potestatem habeat, libere ac licite valeas vigore praesentium facultates omnes necessarias, et opportunas concedimus, et impertimur.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 4. Abdicationem, vero, et unionem praedictas, praesentium vigore apostolica delegata auctoritate, ut praefertur factas, semper ac perpetuo validas et efficaces existere, ac fore decernimus, suosque plenarios ac integros effectus sortiri, et obtinere; Nostrasque praesentes literas ab omnibus ad quos

spectat, et pro tempore quomodolibet in futurum etiam spectabit, inviolabiliter observari volumus, et mandamus, quibuscumque etiam speciali, expressa, et individua mentione dignis non obstantibus: ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum quoque, et inane etiam decernimus. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septimo, quarto idus martii pontificatus Nostri anno septimo.

Digitized by Google

ANNO OCTAVO

Dat. die 17. martii 1807. Anno VIII.

CCCCLXXVIII.

Concessio indulgentiae plenariae assequendae ab eis qui occasione capituli generalis visitaverint ecclesiam sancti Caroli ad Catinarios urbis, vel alias congregationis sancti Pauli decollati Barnabitarum.

Pius PP. VII.

Universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio et tenor concessionis.

§. 1. Cum sicut accepimus capitulum generale clericorum regularium congregationis s. Pauli decollati Barnabitarum nuncupatorum in ecclesia, seu collegio s. Caroli a Catinari vulgo nuncupat. de urbe propediem benedicente Domino celebrandum sit; Nos ut opus tam pium majori cum fructu fiat, et ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem, coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, vere poenitentibus, et confessis, ac s. communione refectis, qui praedictam, vel aliquam ex ecclesiis, congregationis hujusmodi ubicumque existentibus die quo incohabitur capitulum generale hujusmodi, ac singulis diebus actualis illius celebrationis, devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel dumtaxat omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus post celebrationem dicti capituli generalis minime valituris.

Conditiones adjectae, et fides habenda transumptis.

§. 2. Volumus autem, ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint; utque praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis dictae congregationis munitis eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima septima martii, millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 24. martii 1807. Anno VIII.

CCCCLXXIX.

Concessio indultorum, et gratiarum, quibus caeterae utuntur commendae hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani pro commenda Fanensi erecta a praesule Castruccio Castracani, cum participatione privilegiorum a Clemente VIII. concessorum ecclesiae commendae de Insula nuncupatae.

Dilecto filio Nostro Romualdo Sanctae Romanae Ecclesiae diacono cardinali Braschio de Honestis nuncupato prioratus urbis hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani magno priori.

Digitized by Google

Pius PP. VII.

Dilecte fili noster
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Nuper exponi Nobis fecit dilectus filius Castruccius Franciscus Castracani Antelminelli praeceptor, seu commendatarius hospitalis s. Joannis Hierosolymitani, et magister, seu praelatus Romanae curiae Nostrae de Numero protonotariorum participantium decanus quod ipse zelo devotionis accensus erga hospitale praedictum praeceptoriam, seu commendam conventualem, seu collegialem sanctorum Augustini, et Norberti Fanen de jure patronatu fundavit, et hanc fundationem, praevio consensu camerae communis aerarii, ac linguae Italiae consilium hospitalis ejusdem die decima quarta octobris millesimo septingentesimo nonagesimo primo ratam, probatamque habuit, atque admisit. Aegre autem ipse ferens plures in nuperis perturbationibus amissas esse ab hospitali commendas, eamque praesertim, quae nominabatur de Insula Viridi Argentinensis dioecesis, in ejus ecclesia, vel ecclesiis pontificalium usus a recolendae memoriae Clemente pp. VIII. praedecessore Nostro per apostolicas suas in simili forma brevis die v. aprilis MDLXXXXVI. expeditas literas commendatariis illius praelatis specialiter concessus vigebat, ut aliquam eo, quo posset modo, compensationem talibus amissionibus, ac detrimentis afferret, statuit in sua commenda praedicta ecclesiam aedificare, ac locupletioribus fundis augere pro congrua tum commendatarii, tum cappellanorum obedientiae ibi instituendorum sustentatione, ea scilicet mente, ac spe non defutura ecclesiae isti eadem pontificalium privilegia, quibus praedita erat commenda Insulae Viridis per s. Sedem impertienda. Auxit quidem bonis commendam suam exponens, et augumentum bujusmodi admissum, probatumque fuit duplici decreto dilectorum filiorum consilii hospitalis, primo nempe die XXII. decembris MDCCLXXXXIV. altero anni MDCCLXXXXVI. quo duorum tantum loco sex qui debebant institui cappellanorum obedientiae numerus fuit praefixus juxta s. m. Pii pp. VI. praedec. itidem Nostri apostolicas literas datas die XXIV. januarii MDCCLXXXXVII. Verum illius vicissitudines temporis causa fuere, cur aedificatio ecclesiae interim suspensa maneret. Perrexit tamen exponens in novis semper bonis adjiciendis commendae; annoque 1802. confectum fuit juxta morem, et ab assemblea prioratus urbis, approbatum cabreum, ac subinde anno 1804. quo majus evaderet in ecclesia aedificanda divinum servitium, majora adhuc sunt per exponentem addita praedia, quae jam antea assignatorum duplicarunt valorem, iterum tamen declarando, prout et prius declaraverat, quam formaretur cabreum, suum in his additionibus animum esse, ut ejus commendam decorandam fore promereretur indultis, et gratiis, quas alii fundatores, qui vel minimorum redituum erexerunt commendas, favorabiliter impetrarunt. Quoniam vero in memorata commenda Fanensi extructa nunc tandem ecclesia est, ac foriasecus porticu, et turri cum quatuor campanis, interius autem pluribus cappellis, altaribusque, organo, et odeis, choro, et presbyterio quibusvis functionibus apto, sacrisque suppellectilibus magnificenter ornata, ecclesiam hujusmodi cupit idcirco exponens recensitis privilegiis a Clemente VIII. praedecessore Nostro ecclesiae commendae de Insula Viridi impertitis per Nos aeque ditari, enixisque humiliter precibus a Nobis deposcit.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur, quibus summopere est cordi, ut divinus cultus magis in dies propagetur, et vigeat, ipsumque exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, circumspectioni tuae dilecte fili Noster, per praesentes injungimus, ut, constito tibi de narratis, eidem exponenti, si in sacro presbyteratus ordine sit constitutus, ejusque etiam in dicta commenda successoribus, qui charactere sacerdotes extiterint, licentiam, et facultatem perpetuis futuris temporibus, ac etiam si supradicta commenda Insulae Viridis in priori, quo erat statu reponi contigerit, duraturam, cujus vigore tam ipse, quam successores ipsius dummodo tamen presbyteri, ut praefertur, sint, in quibuscumque solemnioribus actibus celebratio-

nis divinorum officiorum mitra, annulo, et baculo pastorali, aliisque insignibus pontificalibus, sicut abbates mitrae, baculique usum habentes, sine cujusvis praejudicio intra ecclesiam dictae commendae sanctorum Augustini, et Noberti Fanensis civitatis, vel dioecesis, extra ecclesiam vero, accedente venerabili fratris episcopi pro tempore Fanensis consensu, uti, ac solemnem benedictionem cum iisdem insignibus supra populum in dicta ecclesia quando episcopus, vel antistes, aut Sedis apostolicae legatus, vel Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis praesens non fuerint, vel si praesens, ad id expressus accedat assensus, impendere, ac largiri libere, et licite possint, et valeant, auctoritate Nostra apostolica pro tui prudentia, et arbitrio impertiaris.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dicti hospitalis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, et naturis; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quarta martii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus nostri anno octavo.

Dat. die 12. maji 1807. Anno VIII.

CCCCLXXX.

Facultas concessa ex-vicariis generalibus ordinis fratrum excalceatorum sancti Augustini congregationis Portugalliae votandi in cunctis electionibus faciendis in capitulo generali, postquam in eo vicariatum generalem gesserunt.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Nuper Nobis exponi fecit dilectus frater moderuus procurator generalis ordinis fratrum excalceatorum s. Augustini congregationis Portugalliae, quod ii, qui vicariorum generalium titulo universae praesunt congregationi praedictae, post quam tali perfuncti sunt munere, quod vi constitutionum ad unum dumtaxat praefinitur triennium, omni prorsus destituuntur per easdem constitutiones jure suffragii in novis comitiis, ubi tamen ratio postulare videtur, ut intersit, ac sedeant ad vocales magis magisque edocendos de illorum idoneitate praecipua, quibus administratio munerum per novas debet electiones committi: quod quidem, sicut ipse arbitratur majori emolumento congregationi futurum, ita et congruum judicat, aliquo eos, qui totius congregationis ferendo onere laborabunt, condigno praemio hac etiam in parte rependi. Quapropter exponens vicarios generales hujusmodi, tam qui dignitatem istam generalis vicariatus asseculi jam sunt, quam qui ad eam in posterum evehentur, facultatem suffragandi in electionibus generalium comitiorum donari per Nos, ac insigniri vehementer exoptat, suaeque etiam congregationis nomine enixis precibus humillime flagitat.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ut ex-vicarii generales praememoratae congregationis omnes, et singuli, non modo praesentes, sed etiam futuri, postea nimirum quam generalem vicariatum in ea gesserunt, licet ex constitutionibus auctoritate apostolica confirmatis, nullum ipsis in generali capitulo votandi jus relinquatur, nihilominus posthac jure, facultate, ac praerogativa votandi in cunctis electionibus, quae in solo tamen capitulo generali fieri solent, ac debent, uti, frui, et gaudere in perpe-

tuum libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis, et congregationis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima secunda maji, millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 12 maji 1807. Anno VIII.

CCCCLXXXI.

Confirmatio decreti editi a sacra congregatione Rituum pro approbatione orationis, et lectionum recitandarum in festo beati Dominici de Val martyris.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Pro parte venerabilium fratrum archiepiscopi, et episcoporum provinciae Caesaraugustanae expositum Nobis nuper fuit, quod ipsi ad augendum b. Dominici de Val martyris cultum, orationem, et lectiones proprias in festo ipsius martyris legendas exhibere Nobis fecerunt, sequentis tenoris, videlicet.

IN FESTO

B. DOMINICI DE VAL MARTYRIS

Oratio

Oratio recitanda in festo b. Dominici de Val. §. 2. Deus, qui beato Dominico martyri innocenti vitae perpetuae praemium contulisti, concede, quaesumus, ut ejus meritis, et precibus fulti aeterna beatitudine perfrui mereamur. Per Dominum etc.

In II. Nocturno

Lectio IV.

Lectio IV. legenda in secundo nocturno. §. 3. Inter innocentes pueros, quos per diversas Ecclesiae aetates sanguinem pro Christo fudisse constat, insignis memoria est pueri Dominici de Val, cujus haec sunt gesta martyrii in antiquissimis membranis descripta et pia fidelium traditione comprobata. Caesaraugustae honesto loco natus in ipso vitae exordio praesagium futuri martyrii, et laureae obtinendae exhibuit; nam et crucem in humero dextro, et coronam in capite praeferre visus est. Ejus rei conscii parentes natum omnibus pietatis officiis informandum, et literarum studiis imbuendum sedulo curarunt. Verum ad septimum aetatis annum vix ille pervenerat, quum a perfidis Judaeis in odium fidei Christianae crudeliter occisus est. Quum enim eorum nonnulli ingenita in Christum rabie commoti, magno proposito praemio Christianum puerum quaererent, in cujus corpore passionis Christi tormenta renovarent, inventus est aliquis ex eodem Hebraeorum genere, qui Dominicum clam subductum ipsis sisteret, et tamquam alter Judas venderet. Opportunum tempus, et secretum locum nacti impii Judaei innocentem puerum in crucis speciem extentum incredibili immanitate parieti clavis confixerunt, et tenerum latus gravi lanceae ictu perforarunt. Quo vulnere confossus martyrii lauream consequutus est anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo.

Lectio V.

Lectio V. §. 4. Scelerati Judaei, ne tam crudele flagitium aliis manifestum fieret, exanime corpusculum ad Iberi fluminis ripam alte defossum clam terrae mandarunt. Verum Salvator Noster Christus Dominus, pro quo Dominicus passus fuerat gloriosam ejus passionem, diu occultum latere noluit. Itaque supra locum, in quo sacrae exuviae reconditae fuerant per aliquot noctes coelestia lumina coruscare visa sunt, quae a nautis vigilias ad urbis portum agentibus observata ingentem admirationem ingesserunt cum ipsis, tum reliquis civi-

bus, qui ab eis de re tota admoniti, ad locum indicatum accedentes, corpus Dominici invenerunt, et illico ad aedem sancto Aegidio sacram detulerunt. Deinde quum Deus illum insignibus miraculis illustrare caepisset, antistes, et universus clerus, indicta solemni supplicatione, magna populi, atque omnium ordinum frequentia musicis concentibus, plurimisque cereis accensis ad ecclesiam sancti Aegidii convenerunt, et innocentem martyrem pie venerati, ejus corpus debito cum honore extrahentes, per alias civitatis ecclesias circumtulerunt. Quod quum ab omnibus magno plausu exceptum fuisset, demum ad ecclesiam cathedralem translatum fuit, ibique publico cultui expositum.

Lectio VI.

Lectio VI. §. 5. Aliis gratiis, quas misericors Deus meritis, et intercessione servi sui impertiri dignatus est annumeranda est mirabilis conversio illius Judaei, qui cum dolo circumventum subripuit, et aliis suae gentis hominibus tradidit occidendum, qui tanti sceleris poenitens, ejurata perfidia hebraica, christianam religionem amplexus est. Quibus prodigiis cultus innocentis sancti martyris mirum quantum auctus, propagatusque fuit, instituta etiam artis agrariae cultorum antiquissima societate, cujus initii memoria non extat, quae ejus titulo, et patrocinio gloriatur. Eumdem innocentem martyrem pueri clerici, qui in cathedrali sede s. Salvatoris cantui, et ministerio altaris inserviunt tamquam patronum, et collegii sui olim alumnum peculiari cultu prosequuntur: nam et pictae tabulae vetustae eum ejusmodi habitu clericali indutum exhibent. Ad sacellum vero, in quo ossa ejus servantur, religionis, et venerationis causa frequens populi multitudo quotannis pridie kalendas septembris confluit. His permotus Pius septimus pontifex maximus diem ejus festum missa, et officio proprio celebrari benigne indulsit. « Successive obtentum est rescriptum sequentis pariter tenoris, scilicet ».

Approbatio congregationis sacrorum Rituum §. 6. Sanctissimus dominus noster Pius VII. pontifex maximus supplicante r. p. d. Dionisio Bardaxi de Azzarra ecclesiae cathedralis Caesaraugustanae concanonico, et sacrae rotae Romanae auditore nomine reverendissimi archiepiscopi Caesaraugustani Indiarum patriarchae, et aliorum Romanorum episcoporum Caesaraugustanae provinciae, nec non capituli et magistratus ecclesiae cathedralis, et civitatis Caesaraugustana, referente r. p. d. Hieronymo Napulionio fidei promotore, benigne indulsit, ut in posterum, in officio, et missa de communi beati Dominici de Val pueri martyris sancti nuncupati legi possint suprascriptae oratio, ac lectiones II. nocturni propriae ab eminentissimo, et reverendissimo domino cardinali de Somalia Sanctitatis suae in urbe vicario, sacrorumque Rituum congregationi praefecto, et a praedicto promotore fidei revisae. Praeterea indulsit, ut quotannis etiam in posterum idem officium cum missa de communi cum memoratis oratione, et lectionibus II. nocturni propriis recitari possit ritu duplici minoris ab utroque clero reliquarum civitatum, et dioecesum provinciae Caesaraugustanae in die non impedito officio novem lectionum semel fixe a singulis ordinariis in propria dioecesi destinando. Die 28. februarii 1807.

Loco ✠ Signi.

Julius M. card. de Somalia S. R. C. praef.

J. de Carpineo S. R. C. secretarius.

§. 7. Cum autem sicut in eadem expositione additum erat, quo praeinsertum rescriptum firmius subsistat, et servetur exactius, apostolicae Nostrae confirmationis subsidio muniri vehementer desideretur; Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, idem rescriptum, et singula in eo contenta, et expressa auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus, et adprobamus, illique inviolabilis, ac perpetuae apostolicae firmitatis robur adjicimus, atque omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in eo quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus. Confirmatio apostolica.

§. 8. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam Clausula sublata, et decretum irritans.

causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non civitatum et dioecesium dictae Caesaraugustanae provinciae consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima secunda maji millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 24. maji 1807. Anno VIII.

CCCCLXXXII.

Homilia habita in solemni canonizatione sanctorum Francisci Caracciolo, Benedicti a sancto Philadelphio, Angelae Merici, Coletae Boilet, et Hyacinthae Mariscotti, inter missarum solemnia in basilica Vaticana die XXIV. maji 1807.

Venerabiles fratres ac dilecti filii,

Magno Nobis est, et magno item vobis gaudio esse confidimus, venerabiles fratres, dilectique filii, quod pater misericordiarum, et Deus totius consolationis dederit Nobis, ut sanctorum albo, quos universa per terrarum orbem veneratur Ecclesia, duos viros, ac tres mulieres adscriberemus, sanctos videlicet, Franciscum Caracciolum, Benedictum a s. Philadelphio, Angelam Mericiam, Coletam Boilet, atque Hyacintham Mariscottam, quinque sacros heroes, quos jamdiu de agone justitiae, in quo decertarunt devictis hostibus reversos (1), sinu suo civitas coelestis excepit. Sponsa enim Christi Ecclesia, assueta jam inter persecutiones mundi, et consolationes Dei peregrinando procurrere (2); habet in ista gloria servorum Dei, unde consoletur se in his diebus afflictionis suae. Deus siquidem, qui cum ipsa omnibus diebus usque ad consummationem saeculi se futurum spopondit, eamque veluti civitatem supra montem ita constituit, ut abscondi nullo umquam tempore possit (3), et tamquam fulgidissimam lucernam in candelabro posuit, ut nisi contra illam oculos claudant (4), omnibus luceat; servorum suorum sanctitatem digito omnipotentiae suae identidem manifestare non desinit, ut, etiam ex hac divina, eique uni propria ac peculiari sanctitatis nota, eam esse solam, et agnoscant, et fateantur omnes, in qua vera fides, vera peccatorum remissio, vera salutis aeternae spes reperiatur. Interea dum inimici ejus convenientes in unum adversus eam meditantur inania, dicentes, quando morietur et peribit nomen ejus? ipsa novis coronata triumphis militum suorum, quos jam coelis inseruit, permanent gloriosa praedicans brachium Domini omni generationi superventurae (5). Magnus Dominus et laudabilis nimis, qui dum tantis Ecclesia sua quatitur tempestatibus, nec quiescit ventus contrarius, idest adversans ei diabolus qui impedire nititur, ne perveniat ad quietem, nos admonere non desinit, majorem esse illum, qui interpellat pro nobis, et in ista nostra fluctatione, in qua laboramus, dat nobis fiduciam veniens ad nos, et confortans nos (6), ut non oblivi-

(1) Ven. Beda serm. in fest. sanctorum omnium.

(2) S. Aug. l. 18. de Civ. Dei cap. 51. num. 2. opp. tom. 7. col. 534. edit. Maurin. Paris. 1679.

(3) S. Aug. lib. 2. contr. liter. Petilian. cap. 104. opp. tom. 9. col. 293. edit. ejusd.

(4) S. Aug. tract. 2. in Jo. num. 8. et 9. tom. 3. par. 2. col. 301.

(5) S. Aug. serm. 2. in ps. 70. n. 12. tom. 4. col. 742.

(6) S. Aug. serm. 75. de verb. evang. Matth. al. 22. de div. c. 5. n. 4. tom. 5. col. 412.

Digitized by Google

scamur, coelo, et terra transeuntibus, nunquam transitura esse verba promissionis divinae, qua pollicitus est, portas inferi adversus Ecclesiam minime praevalituras. Neque vero non singulari etiam fit Dei providentia, ut hoc potissimum tempore, abundante malitia, nobis suppeditentur patroni, qui in tempore iracundiae fiant reconciliatio, et, charitate multorum refrigescente, ardentes quinque istae splendidaeque lucernae super candelabrum ponantur, ut luceant omnibus, qui in domo sunt. Lucent siquidem sancti virtutibus suis nova quotidie nobis proponentes, quae imitemur, exempla; lucent ostendentes nobis quas ipsi persecuti sunt vias, ut easdem et nos persequamur, spesque etiam nostra immortalitate plena sit; lucent in ea, quam ipsi a Deo consequuti sunt, scientia sanctorum nos jugiter erudientes. Ad hanc porro sanctorum scientiam potissimum pertinent verba illa, quibus Christus, cum ascendisset in montem, atque ad eum discipuli accessissent, eosdem alloquutus est: beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum. Sunt autem pauperes spiritu humiles (1), et timentes Deum, atque illa beata paupertas est, ut inquit s. Leo praedecessor Noster (2), quae rerum temporalium amore non capitur, nec mundi opibus augeri appetit, sed coelestibus bonis ditescere concupiscit. In hac scientia mirum in modum praestantes quinque Ecclesiae filios hodierna die veneramur, qui propterea non modo amplissimum illud praemium regni coelorum, quod iis omnibus, qui pauperes spiritu futuri essent, promisit Dominus Noster Jesus Christus, sunt consequuti; sed et inter amicos suos ad coenam nuptiarum agni vocatos a Deo electi sunt, qui superiori loco dignissimoque recumberent. Ex breviario namque eorum vitae, rerumque gestarum quod in omnium manibus versatur, intellexistis profecto quo omnes ardore arctam mandatorum Domini viam quae ducit ad vitam, ingressi fuerint, et quam feliciter consummarint; quantum a mundi illecebris abhorruerint, terrenasque omnes res pro nihilo habuerint, quantum contra laboraverint, ut divites fierent, in bonis operibus, sibique (3) thesaurizarent thesauros in coelo, ubi neque aerugo, neque tinea demolitur. E saeculi fluctibus ac tempestatibus in tutum recepti jactis altissimis humilitatis fundamentis, magnum construxerunt aedificium sanctitatis. Fuit eorum castitas illibata, paupertas arctissima, profunda humilitas, obedientia promptissima, asperrima poenitentia, in Deum charitas ardentissima, conversatio prorsus coelestis. Eorum vero aliqui perfectionis studium illud, quo flagrabant, per salutaria instituta propagare, et perenne esse cupientes, novis praeclarisque ordinibus auxerunt Ecclesiam Dei.

Oh vero beata Mater Ecclesia, quam sic honor divinae dignationis illuminat, ut nunquam aut extingui, aut languescere flagrantem illam in Deum, atque homines charitatem sit passa, qua a primis saeculis incensi fideles, terrenis omnibus abdicatis, evangelicae perfectionis statum amplexi sunt, quaque excitati sanctissimi homines Basilius in primis, et Benedictus (quo Nos patre gloriamur, et cujus instituto ab adolescentia Nostra addicti fuimus) admirabiles illas regulas tradiderunt, quibus in Oriente, et Occidente monachi regerentur. Nam inde usque ad nostra tempora et alios spiritu Dei plenos identidem suscitavit, quorum opera, et studio sacrae illae societates instituerentur, in quas divina aspirante gratia adsciti homines, abjectis omnibus saeculi curis, in id solum incumberent, ut christianae charitatis perfectionem quae legis plenitudo est, facilius ac tutius consequerentur: divina id accidit voluntate, quandoquidem hanc perfectionis et sanctitatis professionem, cujus servator ipse Noster Christus Dominus, traditis evangelicis consiliis, auctor fuit, in Ecclesia sancta sua perpetuo voluit conservari, unde novum, et valde conspicuum sanctitatis ejus accresceret argumentum: Ecquis non miretur (4), et praedicet, qui contemptis et desertis mundi hujus illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimamque, congregati, simul aetatem agunt viventes in orationibus, in lectionibus, in disputationibus, nulla superbia tu-

(1) S. Aug. de serm. d. in monte secund. Matth. lib. 1. num. 3. opp. tom. 3. par. 2. col. 166.

(2) Serm. 95. cap. 2. tom. 1. col. 368. edit. Baller. venet. 1753.

(3) Matth. vi. 20.

(4) Aug. lib. 1. de mor. eccl. cap. 3. num. 67. tom. 1. col. 710.

midi; nulla pervicacia turbulenti, nulla invidia lividi, sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam, et intentissimam ad Deum, gratissimum munus ipsi offerunt, a quo ita posse meruerunt? Quis praeterea non fateatur, incredibiles utilitates ex coenobitarum coetibus tum in Ecclesiam Dei, tum in civilem etiam societatem manasse? Eorum siquidem doctrina, praedicatione, et exemplo informati populi, acceptabiles Deo facti sunt; eorum meritis, precibusque aversa saepissime ira Dei, eorum opera adjuti in pascendis gregibus antistites, clericique, haereses compressae, levati infirmi, captivi, vel propriae libertatis jactura a servitute redempti, pauperes evangelizati, informata juventus, instituti clerici, excultae literae, scientiae, atque artes servatae sunt. Ex omnibus vero regularium societatibus unaquaeque in vocatione sua permanens, qua vocata fuit a Deo, in aedificationem jugiter corporis Christi ita concurrit, ut, ob id potissimum, mira varietate circumdata, veluti reginam, in vestitu deaurato, Christi sponsam Ecclesiam a dextris Christi adstantem dicere possimus. Sint haec omnibus proposita; ut rectum possit esse judicium de instituto, vitaque regularium, ac ne quis decipiatur, ut inquit apostolus (1), per philosophiam, et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum. Nova nunc gloria, et splendore illustrant regulares ordines praeclara merita, et eximiae virtutes horum coelitum, qui omnes regularem vitam amplexi fuerunt, ac viventes laborarunt (2), sicut boni milites Christi Jesu, vitaque functi (3) a Domino acceperunt retributionem haereditatis. De eorum triumpho gaudent angeli, coelitesque omnes, suaque miscet gaudia cum Ecclesia triumphante terrestris filia Sion.

Nos igitur, venerabiles fratres, ac dilecti filii, laetitia exultare oportet, solemnemque diem in conspectu altaris Domini celebrare. Sed nostra erit laetitia triumphanti, ac militanti Ecclesiae acceptior atque jucundior, si, quae tantis a nobis ornantur laudibus, tamquam justam habent venerationem nostram, etiam factis et actionibus imitemur. Cum enim Deus insignia nobis sanctorum, qui iisdem ac nos fuerunt infirmitatibus, pravisque cupiditatibus obnoxii, proponit, exempla ostendit quo pacto et nos absolutissimum illud virtutum omnium exemplar et fontem totius sanctitatis Jesum Christum, quem tam egregie illi in se expresserunt, pro modo facultateque nostra imitari possimus, ut conformes effecti imagini filii Dei, ad societatem eorum gloriae, adjuvante Domino, perveniamus. Habentes igitur eumdem spiritum fidei (4), eumdem patrem Deum (5), eumdem mediatorem Dei, et hominum Christum Jesum, qui clamat (6): Estote perfecti, sicut et pater vester coelestis perfectus est; hoc laboremus, hoc agamus, ut omnes curas cogitationesque nostras ad hanc normam dirigamus, atque ita ad eum, ad quem hi quinque sancti pervenerunt, finem feliciter perveniamus. Hi jam (7) de sua immortalitate securi, ac de nostra salute solliciti, Deum pro nobis assidue deprecantur, nosque ejusdem, qua ipsi fruuntur, gloriae participes fieri vehementer cupiunt. Fac igitur (8), ut veniat super nos misericordia tua Domine, atque, ut (9) in via testimoniorum tuorum delectemur, sicut in omnibus divitiis per preces et merita sanctorum tuorum Francisci, Benedicti, Angelae, Coletae, Hyacinthae; et quemadmodum eos spiritu sancto tuo replevisti, ita et nos eodem spiritu repleamur, et sancti paracliti gratia roboremur per Jesum Christum filium tuum dominum nostrum, cui pariter ac tibi, et eidem Sancto Spiritui sit gloria, honor, obsequium, imperium per omnem aeternitatem.

CCCCLXXXIII.

Dat. die 24. maji 1807. Anno VIII.

Canonizatio sanctae Coletae Boilet virginis reformatricis ordinis sanctimonialium sanctae Clarae.

(1) Ad coloss. II. 8.
(2) II. Timoth. II. 3.
(3) Coloss. III. 24.
(4) II. ad cor. IV. 13.
(5) I. ad Timot. II. 5.
(6) Matth. V. 48.
(7) Cyprian. de mortalit. in fine pag. 116. edit. Amstelod. 1700.
(8) Ps. 118. 41.
(9) Ibidem 14

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Sponsam Christi Ecclesiam vidit in spiritu regius psaltes a dexteris ejus adstantem veluti reginam in vestitu deaurato circumdatam varietate. Vere enim virtutum omnium germina, quae nonnisi in catholica succrescunt Ecclesia, pretiosam, ornatissimamque vestem ejus efficiunt; diversaeque sanctitatis species, quae in membris ejus effulgent, vestem ipsam mira circumdant, atque exornant varietate. Sunt haec in primis invicta martyrum fortitudo, constans poenitentium perseverantia, modesta viduarum pietas, intacta virginum pudicitia, multiplicesque aliae aliorum fidelium virtutes, quibus bonum certamen certantes, et cursum suum consummantes, demum ad coelos in aeternum cum Christo evolant regnaturi. Sed quoniam quo infirmior est pugnantis conditio, et imbecillior sexus, eo majus est vincentis meritum, decet sane, ut nostra etiam crescant gaudia, dum dives in donis suis Deus, coelestis gratiae prodigia in virginibus, licet minus firmis sint viribus, ostendere non cessat, et frigescentem mundum perspicuis sequioris sexus exemplis ad perfectam charitatem, virtutisque culmen per omnes aetates excitat, atque impellit.

De praestantia vitae regularis. §. 2. Etsi autem prudentum virginum choro omnes virgines illae adnumerandae sint, quae sub regularis disciplinae suavi jugo non secundum carnem ambulantes, sed spiritu facta carnis mortificantes, uni sponso Christo placere studuerunt; peculiaribus tamen laudum praeconiis dignae sunt illae, quae supra sexum fortes, divinoque spiritu ferventes, ad novum aliquem sanctimonialium ordinem condendum, aut quod proximum est, antiquum jam conditum ad veteres leges, sanctioremque vivendi formam revocandum animum adplicuerunt; arctamque vitae spiritualis semitam, quam ipsae avide arripuerunt, et feliciter cucurrerunt, aliis tenendam, et secuturis temporibus continuandam actionum quoque suarum exemplis praemonstrarunt.

Generales laudes praeclarissimae virginis. §. 3. Inter has saeculo decimo quinto ineunte insigniter excelluit praeclarissima virgo beata Coleta, quae cum in tenera aetate se, suamque voluntatem cum terrenis omnibus oblectamentis Deo in holocaustum obtulisset, divini amoris igne inflammata, charitate in proximos flagrans, ut consilia evangelica plenius exequeretur, tertio ordini s. Francisci nomen dedit, ejusque regulam professa est. Dum in salutem animae suae impense incumberet, omnesque perfectionis religiosae virtutes in se exprimeret, corpus jejuniis, atque asperrimis afflictationibus maceraret, omnia ad gloriam Dei ageret, et referret, a spiritu Sancto, qui ubi vult spirat, non obscuro instinctu ad reformationem ordinum s. Francisci se vocari sensit. Illa quidem prae humilitate tantum onus subire detrectabat, sed prodigiis coelestibus incitata reformationem inchoavit, brevique ad optatum exitum perduxit. Postremo plena meritis, et virtutibus, supernisque donis locupletata aeternam gloriae repromissionem de manu sponsi Christi recipere meruit. Quae, cum ob ingentem sanctitatis opinionem statim post obitum venerationem, cultumque publicum adepta sit, discussis, perpensisque omnibus, quae ad constitutionum pontificiarum praescriptum, consuetudinemque receptam ad examen revocari debet, cultu nempe publico legitime b. Coletae exhibito, et continuato, heroica ejus vitae sanctimonia, miraculis demum ejus ope a Deo impetratis; ad decus, et utilitatem Ecclesiae catholicae, cui nullis meritorum Nostrorum suffragiis, sed divina tantum dignatione praesidemus, maximopere pertinere arbitramur, ut b. Coletae, in qua benignissimus Deus divitias bonitatis suae copiosissime effudit, et luculentissime manifestavit, sanctitatem in militanti Ecclesia venerandam, imitandamque declaremus. Igitur in consilium adscitis venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus, praeterea patriarcha, archiepiscopis, et episcopis in Romana curia existentibus, suumque assensum praestantibus, post imploratam coelestis luminis opem, b. Coletam in sanctarum virginum numerum, ac coetum retulimus; eamque ab omnibus christifidelibus pie colendam, sancteque honorandam statuimus, et decrevimus: in qua scilicet tuta exempla ad morum emendationem, et solida praesidia ad pacem, tranquillitatemque populorum obtinendam reposita esse confidimus.

§. 4. Corbiae in Picardia dioeceseos Ambianensis piis, honestisque parentibus nata est ancilla Christi idibus januarii anno Domi- De ejus ortu, et vitae tenore.

ni MCCCLXXX. Ab ipsa infantia eximia sanctitatis praebuit indicia: ludos enim ejus aetatis proprios, et mundi illecebras respuens, orationi, et rerum coelestium assiduae vacabat contemplationi: iis vero adeo oblectabatur, ut jure elogium sit illud promerita, quo sacrae literae Tobiam prosequutae sunt, quod cum esset junior, nihil tamen puerile gessit in opere. Deinde eas sibi vivendi leges indixit, ut pane et aqua contenta, cilicio, ferreisque flagellis intempesta nocte uteretur, minime sibi passa somnum irrepere, nisi brevissimum, qui fractas vires vix reficeret: miserorum inopiae sublevandae sic ab ineunte aetate assueverat, ut jure cum Job posset dicere: ab infantia mea crevit mecum miseratio, et de utero matris meae egressa est mecum. Summam siquidem in aegrotos benignitatem, ardentissimamque in egenos charitatem exercens, infima quaeque ministeria sibi demandari semper studuit, et quidquid aut cultui supererat, aut victui, in pauperes erogatum voluit. Facultatibus deinde suis in pauperes distributis, tacta solitudinis desiderio, in eremum accessit, ubi a daemonibus frequenter lacessita, ac lacerata vulneribus, orationi tamen sic instabat, ut interdum in extasim rapta angelorum visione, et colloquio frui mereretur. Tum tertii ordinis s. Francisci regulam professa iis cruciatibus, quibus corpus suum affligebat, licet nihil jam addi posse videretur, adjunxit tamen plurimum: nudis semper pedibus, etiam hyemis tempore incedens, jejuniis continuis corpus pene conficiens, coelestem plane vitam aggressa est, id unum prae oculis habens, nihil ut unquam nisi ad Dei gloriam loqueretur, ageret, meditaretur. Hinc uberes gestientis animi voluptates, et deliciae: hinc voces, et suspiria, quibus internus charitatis ardor foris erumpebat: hinc admirabiles mentis excessus; quibus, spiritu sarcinam corporis elevante, sublimis a terra in coelum rapi videbatur.

Quomodo curam susceperit reformandae regularis observantiae ordinis a se professi.

§. 5. Tot virtutibus instructa, totque supernis charismatum donis cumulata beata Coleta, cum aliquando vehementer Deum pro peccatorum conversione precaretur, divinum oraculum accepit, futurum, ut iniquorum correctio, quam desiderabat, per reformationem ordinum a s. patre Francisco institutorum, adimpleretur. Haesit ad haec humillima virgo, serio monitum coeleste secum reputans, et in eo expendendo noctes, diesque insistens, verita, ne praestigiis a daemone illuderetur. At cum divinae voluntati prae magna animi sui demissione nimium reluctaretur, oculorum et linguae usum amisit usquedum ei sese plenissime subjecit. Itaque divino afflata spiritu, et coelitus edocta de necessariis ad reformationem suscipiendam, nulla interposita mora sibi media comparare studuit, quibus demandatum opus exequeretur. Obstabant quidem, quominus facultatem opportunam obtineret, juvenilis famulae Dei aetas, humilis ejus conditio, et summa instituti, quod revocare cupiebat, austeritas. Non sine tamen prodigio omnia vicit impedimenta, et non solum voti compos facta est, verum etiam reformandarum monialium abbatissa ex obedientia fuit constituta. Itaque omnem curam, omnemque cogitationem suam in id intendit, ut quod a Deo jussa erat perficere, diligentissime compleret. In Sabaudia, quo maxima de ejusdem sanctitate jam opinio pervaserat, arduum opus incoepit anno MCCCCVII. Quam multas vero reformationis initio, et quam acerbas injurias, calumniasque pertulerit cum ab aliis, tum ab illis ipsis, qui ei faverant, haud facile dictu est. Neque enim eam solum ut veneficam, sortilegam, et daemonum invocatricem traducebant: sed usque adeo detractionibus impetere ausi sunt, ut alio commigrare coacta fuerit. In tanta rerum perturbatione, et asperitate nihil de gradu heroicae fortitudinis, constantiaeque ancilla Christi dejecta, comprobavit, quam vere sit dictum, justum non contristari quidquid acciderit. Contumeliis enim, et impudentissimis lacessita conviciis, ita sese gerebat, ut in iis quam maxime delectari videretur: cujus admirabili patientiae singularem aliquam vel in terris mercedem Deus rependit. Cum enim gravi, et periculoso morbo premeretur, Beatissimae Virginis ope, cujus adspectu, alloquioque fertur recreata, convaluit. Praeterea reformationem suam, divino numine adjuvante, brevi propagatam vidit, adaucto sanctimonialium ubique numero, et compluribus per diversas provincias constructis monasteriis.

§. 6. Quadraginta annorum spatio b. Coleta ad divini nominis exaltationem summo conatu adlaboravit, sed ita tamen, ut in semetipsa magnam construxerit virtutum fabricam, quae eo erat excelsior, quo de fundamento

De ejus humilitate.

profundioris humilitatis cogitaverat. Divinis charismatibus liberaliter locupletata, singularibus populorum, magnatum. principum laudibus celebrata, ea tamen erat animi demissione, ut communi luce se indignam diceret, et haberet. Cum invita, ac reluctans praefecturam omnium reformatarum monialium accepisset, ac proinde tamquam a Domino super familias suas constituta, universis praeesset, nihilominus omnium se infimam nominabat. Eminebat praeterea in ea talis vitae severitas, quae vix credi potest; incensissimus in Deum, et proximos amor; in ministeriis assiduitas admirabilis sine ulla vigiliarum, laborumque remissione. Ut leges praescriptas moniales accuratissime observarent, diligentissime studebat; sed nihil habuit antiquius, quam ut quidquid verbo docuerat, suo ipsamet firmaret exemplo. Comis, blanda, facilis, omnes materna sollicitudine complectebatur. Cum vero virtutum, et miraculorum fama Italiam, Galliam, Germaniam, aliasque regiones pervagata esset, innumerabiles undique confluebant gentes, ut ejusdem precibus spirituales gratias a Deo obtinerent. Viri etiam virtute, et doctrina conspicui eamdem conveniebant, ut de obscuris, subtilibusque quaestionibus, deque rebus ad christianam perfectionem spectantibus interrogarent; quos inter sanctus Vincentius Ferrerius, qui relicta Aragonia ad eam venit, tamquam ad omnis sanctitatis magistram, Christianaeque perfetionis exemplum.

De ejus obitu, et fama sanctitatis protinus diffusa.

§. 7. Sexagesimum sextum aetatis suae annum Dei ancilla compleverat, cum ad coelestes sponsi nuptias se vocari praesciens, ut plena lampade intraret, salutaris sumendae hostiae desiderium, quo summopere tenebatur, ardentissime adeo explevit, ut charitatis flamma in ore, atque oculis clare emicante, filiarum adstantium pietatem miris modis accenderit. Tum doloribus Dominicae passionis contemplandis intenta, manibus, pedibusque in Christi crucifixi similitudinem positis, ad divini sponsi amplexus inter plaudentes angelorum choros evolavit Gandavi die VI. martii anno millesimo quadringentesimo septimo. Demortuae is color erat, ea species, ut jucundiorem conspectum redderet, quam cum viveret. Illius vero mortis rumore ad Corbienses, finitimasque regiones allato, effusa undique multitudo accurrit, spectatissimi omnium ordinum viri, matronae, proceres, sacerdotes, praeterea surdi, muti, paralytici, aegroti cujusque generis spem certam sanationis in famulae Dei intercessione reponentes: qui omnes una voce clamabant, dignam esse Coletam, quae coelitum numero adderetur. Statim igitur ab obitu cultum publicum obtinuit, quem apostolica Sedes ampliavit, missam, et officium in illius honorem pluribus ecclesiis ordinis ab ea reformati indulgens.

Approbatio cultus habita in sacra congregatione Rituum.

§. 8. De hujusmodi cultu publico cum in congregatione cardinalium sacris ritibus praeposita quaestio esset agitata, communi calculo judicatum fuit, tam praeclaris rationum momentis eum inniti, ut commissio causae canonizationis ejusdem beatae jure meritoque posset admitti. Huic judicio die septima septembris anni millesimi septingentesimi trigesimi noni prolato recolend. mem. Clemens pp. XII. praedecessor Noster subinde annuit, commissionemque signavit. Die vero XXIII. januarii anni sequentis MDCCXL. eadem congregatio, causa diligenter discussa, rescripsit, constare de cultu ab immemorabili tempore praedictae beatae exhibito, seu de casu excepto a decretis fel. rec. Urbani VIII. pariter praedecessoris Nostri ex indultis apostolicis: quod rescriptum, cum interea laudatus Clemens XII. obiisset, piae mem. Benedictus XIV. itidem praedecessor Noster die XXVI. augusti ejusdem anni suo oraculo confirmavit. Tunc locus factus fuit examini de heroica virtutum praestantia, et in congregatione sacrorum Rituum ordinaria die XVII. augusti anni MDCCLXXI. cardinales consentientibus suffragiis responderunt, ita de virtutibus theologalibus ac cardinalibus, earumque adnexis constare, ut ad quatuor miraculorum discussionem posset deveniri. Quam sententiam fel. rec. Clemens XIV. pariter praedecessor die XXIV. ejusdem mensis et anni ratam habuit atque adprobavit. Igitur quatuor prodigiosae sanationes, quae, b. Coleta intercedente, contigisse ferebantur, propositae fuerunt, ut in tribus congregationibus de more discuterentur. Post primam congregationem postulatores ipsi unam ex quatuor istis sanationibus seposuerunt: tres reliquas ejusdem memoriae Pius VI. Noster item praedecessor die XII. augusti anni millesimi septingentesimi octogesimi primi inter vera miracula, vimque naturae superantia, recensendas esse decrevit, et rite

recensuit. Trium horum miraculorum primum contigit in sorore Rosa Croes, quae ab inveterata impotentia ad motum, orta ex transversa, et complicata fractura rotulae sinistri genu, ejusque mala coagmentatione, momento temporis convaluit. Alterum experta fuit soror Maria Theresia Smidt tertiaria ordinis sancti Francisci, quae a tumore ulcerato in epigastrio sinistro aliisque pessimis aegritudinibus repente sanata est. Tertium miraculum fuit subita sanatio fr. Romani de la Motte laici professi ordinis recollectorum sancti Francisci, a phthisi pulmonari confirmata, et antiquata, viribus penitus restitutis.

Dispensatio a quarto miraculo.

§. 9. Jam vero, cum postulatores intelligerent, plurima huic causae favere pro obtinenda dispensatione a quarto miraculo, supplices preces eidem Pio VI. antecessori Nostro obtulerunt, qui, exquisita sententia particularis congregationis ad hunc effectum a se deputatae, inspectisque peculiaribus ejusdem causae circumstantiis, die XXI. aprilis anni MDCCXC. petitam dispensationem concessit. Post haec ab universa sacrorum Rituum congregatione quaesitum est, num tuto in canonem sanctorum b. Coleta referri posset. Et si autem congregatio ipsa minime de hoc dubitaverit, tamen laudatus Pius VI. diuturnas ad Deum interposuit preces, ut viam veritatis agnosceret, atque ita demum die XV. augusti ejusdem anni MDCCXC. definivit, ad solemnem b. Coletae canonizationem quandocumque procedi posse. Et ille quidem in votis habuit rem tantam perficere: sed difficillima, quae consecuta sunt, tempora tam piis desideriis obstiterunt. Nos vero, qui Domino sic disponente eidem in pastorali catholicae Ecclesiae regendae munere successimus, aequitati, et rationi congruere censuimus, ut, quae pie, et religiose inchoata sunt, debitum sortiantur effectum, existimantes etiam, et sperantes, multiplicatis intercessoribus esse obtinendum, ut Deus misericordiarum in Nos propitius respiciat, atque a tot tantisque, quibus undique premimur, calamitatibus Nos eripere tandem dignetur.

Processus adhibitus pro canonizatione.

§. 10. Quamobrem exemplis, et vestigiis praedecess. Nostrorum inhaerentes, brevem relationem vitae, virtutum, cultus, et miraculorum b. Coletae ex autenticis sacrae Rituum congregationis monumentis religiose depromptam formis imprimi mandavimus, quam legere, et perpendere possent omnes et singuli, qui sententiam suam in hac causa dicturi essent. Tum in consistorio secreto habito coram Nobis die XXIII. proxime elapsi mensis martii, postquam dilectus filius Noster Julius Maria tituli s. Mariae supra Minervam S. R. E. presbyter cardinalis della Somaglia nuncupatus sacrorum Rituum congregationis praefectus, merita et conditiones causae diligenter exposuit, omnes venerabiles fratres Nostri S. R. E. cardinales, qui praesentes aderant, tempus jam esse, ut solemnia canonizationis decernerentur, unanimi suffragio pronunciarunt. Successit publicum consistorium die XX. superioris mensis aprilis a Nobis convocatum, in quo dilectus filius Augustinus Valle consistorialis aulae Nostrae advocatus pro praedictae b. Coletae canonizatione accuratam, et luculentam orationem habuit, precesque tum veteres, tum novas, praesertim nomine universae recollectorum, et monialium clarissarum familiae Nobis exhibuit. Itaque in semipublico consistorio die XIV. vertentis maji congregato non modo S. R. E. cardinales, sed etiam patriarcham, archiepiscopos, et episcopos, quorum multi in hanc urbem Nostram ex diversis Italiae partibus a Nobis acciti convenerant, ut tam arduum negotium consiliis suis juvarent, reique majestatem praesentia sua cohonestarent, de more congregavimus suffragia omnium et singulorum excepturi pro canonizatione b. Coletae, et aliorum quatuor beatorum; nimirum Francisci Caracciolo, Benedicti a sancto Philadelphio, Angelae Mericiae, et Hyacinthae Mariscotti. Facile universi in eam sententiam consenserunt, ita de eximia sanctitate ancillae Dei Coletae, ac de signis, et prodigiis ejus intercessione editis, ex legitimis sacrorum Rituum congregationis actis constare, ut jure illi supremi venerationis honores haberentur decreto Nostro promulgandi; idque ut perficeremus, vehementer supplicarunt: de quibus omnibus publica instrumenta confici mandavimus: sententias quoque chirographo singulorum subscriptas colligi praecepimus in Sanctae Romanae Ecclesiae tabulario asservandas.

Preces publicae indictae ad opem a Deo petendam.

§. 11. Omnia feliciter processerant, nihilque omnino necessariae diligentiae praetermissum videbatur: sed novas adhuc preces ad Deum pro rei gravissimae magnitudine fundere decrevimus, ac proinde, praeter indi-

Digitized by Google

ctos per urbem generalium jejuniorum dies, humillimas, et assiduas Nostras cum publicis orationes conjunximus, in conspectu Altissimi deprecantes, ut spiritu intelligentiae repleret Nos, quo in tanto opere exequendo ejus voluntatem tuto perficere possemus.

Canonizatio. §. 12. Denique hac die dominica vigesima quarta maji, qua solemne festum sanctissimae Trinitatis peragitur, expletis jam omnibus, quae sacris constitutionibus, et Sanctae Romanae Ecclesiae, consuetudine perficienda erant, ad basilicam principis apostolorum in Vaticano, apparatu splendido, et religioso, qualis domum Dei decet, ornatam, supplicationis solemni ritu processimus, praecedentibus ex ordine omnibus cleri saecularis et regularis ordinibus, omnibusque Romanae curiae collegiis, ibique cum S. R. E. cardinalium, patriarchae, archiepiscoporum, et episcoporum venerabili corona iteratas preces, quas dilectus filius Noster Innicus Didacus tituli sancti Augustini S. R. E. presbyter cardinalis Caracciolo nuncupatus, postulationum pro obtinenda canonizatione procurator constitutus, ter Nobis exhibuit, pro b. Coletae glorificatione supplicans, libenti animo admisimus. Itaque implorata prius per litanias sanctissimae Triadis miseratione, nec non Deiparae, coelestium spirituum, et sanctorum omnium intercessione, decantato etiam speciali hymno, quo Spiritum Paraclitum rogavimus, ut lucis suae radium coelitus emitteret, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae, ad religionis Christianae incrementum, et ad Divini cultus decus, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, divina ope saepius implorata, ac de praedictorum S. R. E. cardinalium, patriarchae, archiepiscoporum, et episcoporum in urbe existentium unanimi consilio, et sententia, beatam Coletam Boilet reformatricem ordinis sanctae Clarae, splendore virtutum praestantem, donis supernis cumulatissimam, signisque, et miraculis post obitum illustrem, sanctam esse decrevimus, et in sanctarum virginum numerum adscripsimus, et tamquam sanctam honorandam, invocandamque esse definivimus, prout tenore praesentium decernimus, adscribimus, et definimus; statuentes, ut singulis annis in universa Ecclesia memoria ejus inter sanctas virgines die sexta mensis martii pia devotione recoli, ac ritu debito celebrari debeat. Omnibus vero Christifidelibus, qui quotannis in ejus festo sepulcrum, in quo corpus ejus requiescit, vere poenitentes, et confessi, ac sacra communione refecti visitaverint, septem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavimus.

§. 13. Mox solemni hymno Deum, Dominumque Nostrum venerati, laudes, et confessiones pro debita gratiarum actione decantavimus, et in ara basilicae maxima ad sacros b. Petri cineres incruentam salutis nostrae hostiam in spiritu humilitatis obtulimus, facta speciali commemoratione ipsius sanctae Coletae, nec non sanctorum Francisci Caracciolo, Benedicti a s. Philadelphio, Angelae Mericiae, et Hyacinthae Mariscottiae, quos hodie pariter in tabulas ecclesiasticas, sanctorumque album retulimus. Postremo omnibus adstantibus, quos ad tantam solemnitatem celebrandam religionis studium magna frequentia attraxerat, plenariam peccatorum indulgentiam auctoritate Nobis coelitus impertita, in forma Ecclesiae consueta concessimus. Concessio indulgentiae plenariae, pro eis, qui praesentes canonizationi fuerunt.

§. 14. Cum autem ad eum cultus gradum s. Coleta sit evecta, ut templa, et altaria ad ejus honorem aedificari possint immortali Deo dicata; ejusque sacrae imagines in veneratione haberi debeant, congruum profecto est, ut fideles, qui tantopere in hac ejus celebritate gaudent, dent sedulo operam, ne quid immundum, aut profanum templo Dei, hoc est animae suae inferatur; corpora sua hostiam viventem, sanctam, Deo placentem exhibeant; ejusque virtutum pulcherrimam formam, et sanctitatis imaginem divina opitulante gratia, in se ipsis exprimere, ac repraesentare studeant. Ita enim fiet, ut Deus, sancta Coleta, aliisque sanctis intercedentibus, miseratione placatus indignationem suam avertat a Nobis, optatamque tranquillitatem Ecclesiae suae restituat. Conclusio.


§. 15. Quoniam vero idem cardinalis procurator humiliter Nobis supplicavit, ut praemissa omnia ad universalis Ecclesiae notitiam deducere, et apostolicas literas ad perpetuam rei memoriam decernere, et edere dignaremur, propterea Nos his precibus libenter annuentes, omnia et singula praemissa tenore praesentium roboramus, et confirmamus, at- Fides habenda transumptis.

que iterum definimus, et decernimus: mandantes, ut harum transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem ab omnibus fides habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 16. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti, relationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud s. Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septimo, nono kalendas junii, pontificatus Nostri anno octavo.

✠ Ego Pius catholicae Ecclesiae episcopus.



✠

Nomina eminentissimorum cardinalium consentientium praesentium.

✠ Ego L. episcopus Portuensis et s. Rufinae card. Antonellus major poenitentiarius.

✠ Ego A. episcopus Albanen. card. Valenti Gonzaga.

✠ Ego A. episcopus Praenestinus card. Matthaejus.

✠ Ego J. episcopus Tusculanus card. ab Auria Pamphily.

✠

Ego F. S. R. E. tit. s. Laurentii in Lucina prior presb. card. Carafa.

✠
✠
✠
✠
✠
✠

✠ Ego A. tit. s. Praxedis presb. card. Dugnani.

✠ Ego H. tit. ss. Nerei et Achillei presb. card. Vincenti.

✠

✠ Ego F. tituli s. M. Transtyberim presb. card. Pignatelli.

✠ Ego A. tituli ss. Joannis et Pauli presb. card. Roverella.

✠ Ego J. M. tit. s. Mariae supra Minervam presb. card. de Somalia.

✠ Ego I. D. tit. s. Augustini presb. card. Caracciolo.

✠

✠ Ego M. tituli s. Mariae in Via presbyter card. de Petro.

✠ Ego C. tit. s. Susannae ad thermas presb. card. Crivelli.

✠

✠ Ego F. M. tit. s. Anastasiae presb. card. Saluzzo.

✠
✠

✠ Ego B. tit. s. Silvestri in Capite presb. card. Pacca.

✠

✠ Ego J. Ph. tit. s. Alexii presb. card. Gallerati Scotti.

✠ Ego L. tit s. Pudentianae presb. card. Litta.

✠ Ego Ph. tituli s. Mariae Angelorum presb. card. Casoni.

✠
✠

✠ Ego H. tit. s. Petri ad Vincula presb. card. della Porta.

✠ Ego J. tituli s. Thomae in Parione presb. card. Gabrielli.

✠ Ego V. tit. s. Laurentii in Pane, et Perna presb. card. Mastrozzi.

✠
✠
✠
✠

Digitized by Google

✠
✠
✠
✠ Ego P. F. tit. s. Bartholomaei in Insula presb. card. Galleffi.

✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠ Ego A. sanctae Mariae in Via-Lata prior diaconorum cardinalis ab Auria.

✠ Ego R. s. Mariae ad Martyres diaconus card. Braschius de Honestis.

✠ Ego Ph. s. Eustachii diac. card. Caraudini.

✠
✠ Ego H. sanctae Agathae ad Suburram diaconus card. Consalvi.

✠
✠
✠
✠
✠ Ego C. s. M. in Porticu diac. card. Erskine.

✠ Ego A. s. Adriani diac. card. Gazzoli.

✠
✠
✠
✠
✠

A. card. pro-Datarius R. card. Braschius de Honestis.

VISA

De curia J. Manassei.

F. Lavizzarius.

Loco ✠ plumbi.

Registrata in secretaria Brevium.

CCCCLXXXV.

Dat. die 24. maji 1807. Anno VIII.

Canonizatio beatae Hyacinthae de Mariscottis monialis professae in monasterio sancti Bernardini Viterbii ordinis s. Francisci.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. In evangelica parabola, qua operarii tota die otiosi circa undecimam horam conducti parem mercedem habuerunt, ac caeteri, qui primo mane, hora tertia, sexta, et nona ad vineae labores a patrefamilias missi sunt, magister noster et Salvator Jesus Christus nos docuit, gloriam aeternae beatitudinis, quae, cum merces sit, meritis rependitur, labori, atque operis intensioni respondere, non tempori, quo quis laboravit, aut operatus est. Sic erunt, inquit, novissimi primi, et primi novissimi. Neque etiam dubitandum est, quin majus, praestantiusque praemium a justo bonorum operum remuneratore Deo ii accipiant qui licet serius ad Dei servitium accesserint, sic tamen postea, divina opitulante gratia, per poenitentiae, omnisque pietatis opera in evangelicae perfectionis stadio cucurrere, ut aliis multis in Dei servitio prioribus post se relictis, dignos se praebuerunt, qui singulari quadam gloriae corona donarentur.

Sumptuum vitae venerabilis ancillae Dei.

§. 2. Atque ita reapse factum videtur in beata Hyacintha Mariscottia. Deus enim, qui mirabilis est in sanctis suis, et electos per occultas hominibusque ignotas vias fortiter, suaviterque ad sanctitatem perducit, b. Hyacintham, quae licet in tertio ordine s. Francisci strictam paupertatem professa esset, avita tamen generis nobilitate, paternaeque domus divitiis abstracta atque illecta, de mundano adhuc pulvere aliquatenus sordescebat, supremo tandem coelesti gratiae lumine replevit persuasitque, emere a se aurum ignitum probatum, ut vere locuples fieret, et vestimentis albis indueretur. Mutatio illa dexterae excelsi fuit; extemplo enim superfluis rejectis omnibus, voluntateque sua abbatissae arbitrio, nutuique submissa, quo remissior antea fuerat in via mandatorum Dei currenda, eo alacriori, atque incensiori postea studio virtutum omnium curriculum ingressa est, et doloris simul atque amoris vulnere perculsa, repleta spiritu consilii, et fortitudinis, per reliquum vitae tempus mortificationem Jesu in suo corpore gestavit: Deoque unice adhaerens, et in ejus altissima contemplatione defixa, cum admirabiles de virtute in virtutem progressus fecisset, a sponso Christo Jesu ad nuptialem

Digitized by Google

coenam, et debitum gloriae locum vocata, in osculo Domini decessit, stupendis post obitum clara miraculis.

Publicatio canonizationis ejusdem beatae.

§. 3. Ejus vitam, et merita universo Christifidelium coetui ad exemplum, et imitationem proponere maxime opportunum est, ut omnes quidem, sed praecipue qui Deo peculiariter consecrati sunt, misericordias Domini laudent, ejusque voci obsequantur, qui non cessat vocare recedentes a se, et derelinquentes fontem aquae vivae, ut fodiant sibi cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas. Nos igitur, quibus apostolicum munus pascendi gregem Christi, regendique universam Ecclesiam concreditum est, cupientes, quantum Nobis ex alto conceditur, saluti animarum consulere, ac venerationem, cultumque sanctorum in aedificationem Christiani populi promovere, expletis jam omnibus et singulis, quae sacri canones, et praedecessorum Nostrorum constitutiones praescribunt, matura deliberatione praemissa, et coelesti auxilio saepius implorato, de plenitudine auctoritatis a Deo Nobis factae, beatae Hyacinthae Mariscottiae sanctitatem solemniter declaravimus, eamque eo cultu, quo Deus in sanctis suis glorificatur, honorandam esse statuimus, decrevimus, et definivimus. Cujus gesta, virtutes, et miracula brevi narratione modo complectemur.

De ortu Hyacinthae, ejusque professione regularis observantiae.

§. 4. Ex parentibus piis, et prisca nobilitate conspicuis, comite Marco Antonio Mariscottio, et Octavia Hortensia Ursina, Hyacintha nata est Vineanelli gentilitiae ejus familiae oppido prope Viterbium, intra fines tamen dioecesis Civitatis Castellanae, anno a partu Virginis, millesimo quingentesimo octogesimo quinto. Septennis ad putei oram ludens a vitae discrimine divinitus fuit servata. Parentum, maximeque matris cura christianae legis praeceptis fuit optime imbuta, et quamvis muliebres adamaret ornatus, virginalem tamen modestiam, et singularem in parentes pietatem, et obsequium semper praetulit. Ut morem patri gereret, in monasterium s. Bernardini Viterbii, illic educanda venit, et quamvis animo a regulari vita alieno, anno aetatis XIX. ibidem religiosam vestem sumpsit, Clariciis nomine, quod in baptismate acceperat, in sororis Hyacinthae commutato.

Quomodo esse gesse-rit in primordiis suae professionis exponitur.

§. 5. Institutum s. Clarae, seu, ut ajunt, tertii ordinis s. Francisci jam professa, nihilominus per plures annos deliciarum paternae domus minime oblita, pretiosa suppellectile usa est, et vestes etiam induit paupertati religiosae minus congruentes. At vero decem circiter post annos, ex quo Deo se devoverat, cum gravi morbo conflictaretur, acriter a confessario admonita, piamque s. Catharinae Senensis imaginem conspicata, anteactae vitae errores magnopere doluit, neque in posterum gloriari statuit, nisi in cruce Domini Nostri Jesu Christi.

Subita ejus mutatio, et novae vitae tenor.

§. 6. Confestim quidquid vel auri, vel argenti, vel pretiosae vestis, aut supellectilis habebat, annuos etiam redditus, indumenta, tunicas ultro tradidit abbatissae, nihil ut sibi omnino reservaret. In ejus cella excelsa tantum crux instrumentis passionis Dominicae adornata, lectulus tribus asseribus, vili sacculo, et villosa lodice stratus, in quo pro cervicali lignum, aut saxum, nisi quandoque alio ex obedientia uteretur. Vestitus ejus vulgaris in primis et abjectus, rude velum, detrita usu tunica, arcta praeterea, vix ut gressus movere posset, eaque a patribus observantiae, vel cappuccinis emendicata. Quin etiam humanum omnem animi affectum exuens, paterni oblita generis, consanguineorum loco sibi nonnullos selegit coelites, et avito cognomine non amplius usa, se sororem Hyacintham Mariae virginis subscribebat. Corporis affligendi studio quam vehementissime flagrabat. Perpetuum jejunium, cibus semel tantum in die e simplici plerumque pane, eoque secundiario, aut micis e culina, vel e furno collectis, nisi forte viles aliquos fructus adjungeret: si obedientia urgeret (quod quidem raro) coctis herbis, saepius insipidis, vescebatur, et modico utebatur vino, valde tamen diluto. Pluribus diebus, ac fere continentibus, panis frustulo, quod vix tres uncias aequaret, vel lupinis, aut amaris herbis contenta erat: adjuncto etiam cum reficeretur quodam supplicii genere; nam sic semper mensae assidebat, ut non sine magno incommodo id praestare posset. Somni quoque parcissima lectulum jam asperum injectis vitis sarmentis magis asperabat, neque cubabat umquam, nisi prius ad collum ferream catenam alligasset, quo citius ad orandum excitaretur. Non alio indumento utebatur, quam absoluta tunica, impari illa quidem ad arcendam aeris intemperiem; et si quando etiam indusio, eo semper

et laneo, et rudi. Nudis praeterea cruribus, pedumque plantis incedebat, superiore tantum pedum parte ad modestiam contecta: et extremo quidem tempore a medicis coacta induit sandalia, cruribus tamen semper nudata. Quin etiam in monasterii horto modo per nives ita hilariter incedebat, ac si inter rosas versaretur, modo genua, aut crura tamdiu aquae immergebat, dum rigescens frigore cellam repeteret, ut insisteret precationi. Ad haec cilicio corpus discruciabat, ferreis flagellis, et urticarum, aut ruscorum manipulis sese quotidie caedebat, persaepe etiam cruentabat: tum vero plures alias sane novas, ac miras corporis affligendi rationes excogitavit, quas, ut carnem suam plane crucifigeret, singulis praesertim sextis feriis adhibebat. Nam ancilla Dei, praeterquam quod quinque sibi inusserat cauteria, quibus Christi vulnera in se ipsa quoad posset exprimeret; insuper feria quoque sexta noctu, fune de collo suspensa, crucem bajulans, quaedam obibat monasterii loca, in iisque singulos patientis Christi cruciatus tum contemplari, tum imitari curabat. Proinde in aquas se gelidas immergere, colaphis caedere, triplici asperrimo flagello cruentare, caput acutis spinis transfigere, strata humi, expansisque brachiis, Christi in cruce suspendium in se ipsa referre; denique flexis genibus scalas quasdam ascendere, quasi eae ipsae essent, quas Sanctas Nostra in urbe appellamus, in more habebat. Interdiu autem cibo abstinere, aut amaras tantum herbas comedere, cera ex accensis candelis stillante, aut ignitis laminis corpus ustulare; tametsi vulnera ex nocturnis flagellationibus, et ruscorum spinae nunquam e corpore avulsae haud leviter eam excruciarent. Atque hoc vitae institutum ad extremum usque servavit; mirum ut omnibus videretur, foeminam deliciis olim assuetam, corporis habitu delicatam, parumque firma valetudine in se tantopere saevire posse.

De virtutibus ejusdem beatae.

§. 7. Nec minore studio b. Hyacintha precatione, rerumque coelestium commentatione pascebat animum, tantis interdum obortis lacrymis, ut iis respersa circa illam humus appareret; non raro etiam a sensibus alienata: quandoque ut diutius, ac liberius orationi vacaret, ad quadraginta continentes dies e cella nunquam egrediebatur, nisi ut ad chorum una cum caeteris monialibus se conferret, aut ad poenitentiae, et eucharistiae accederet sacramenta. Quod si quid operis faceret, vel cum hominibus colloqueretur, tunc quoque aut divina cogitabat, aut de divinis sermones conferebat sic, ut mentem a Deo nunquam abduceret. Praeter preces monialibus singulis communes, sacris quibusque, quae in monasterii templo fierent, intererat: eucharistiae vero sacramentum, quo saepissime reficiebatur, tanto amore, ac dulcedine sumebat, ut eo die cibum omnino fastidiret. Singulari pietatis affectu complures sanctos, quos sibi patronos adsciverat, tum maxime gloriosissimam Dei coluit genitricem, in cujus honorem singulis sabbatis sub vesperam, quamvis rigeret hyems septem in monasterii horto obibat aediculas, in unaquaque earum diutius orans.

De exemplo Christi sibi proposito.

§. 8. Quandoquidem vero beata Hyacintha Christum Jesum, qui se mitem et humilem corde professus est, in exemplum sibi ad imitandum proposuerat, tanto hinc humilitatis amore succensa fuit, nihil ut umquam praetermitteret, quod ad sui despectum conferre posset, nihilque magis aegre ferret, quam si vel minimum commendaretur. Hinc vestitus ille, quo nihil abjectius, hinc sermo tam demissus, vel cum inferiores alloqueretur, ut nihil supra; hinc saepius ea usurpata verba, se unam esse ex fatuis virginibus; hinc etiam illa animi firmitas, qua oblatum abbatissae munus semper detrectavit. Dum per praesides licuit, plures per annos singulis fere diebus in coenaculo, fune de collo suspenso, denudatisque humeris diris se primum flagris caedebat, pravae, ut ajebat, anteactae vitae veniam ab omnibus demississime petens; singulis denique quibusque monialibus, conversis quoque, pedes deosculabatur. Quin etiam saepe prae foribus coenaculi, aut conclavis tirocinii strata humi proculcari a praetereuntibus expetebat.

De virginali candore usque ad obitum servato.

§. 9. Ad haec Hyacintha casta corpore, et spiritu, ut agnum cum virginibus sequeretur nihil umquam, ne ante ipsam quidem vitae commutationem, gessit, unde vel leviter pudor laederetur, dubitari ut nullo modo possit, quin virginalem candorem ad obitum usque integrum servaverit. Totus corporis ejus habitus ad modestiam compositus, oculi ad terram perpetuo demissi. Si forte huic virtuti contrarium audiisset, illico sudore diffluere, et animo etiam deficere videbatur. Alios ad castitatis amorem magnopere hortabatur: non-

Digitized by Google

nullas quoque preces condidit ad hanc ipsam virtutem illibatam servandam. Neque minus in ea obedientiae studium, sine qua ne in virtutibus quidem se exercere voluit, experta, quod aliquando cum abbatissae consiliis paruisset, colici, quibus affictabatur, dolores statim remisissent.

Quomodo animi motus, et cupiditates compescere continuo studuerit.

§. 10. His suffulta virtutibus famula Dei animi quosque motus, et cupiditates compescere, et vero etiam frangere facile potuit: famem non pellere, sed irritare; monialibus graveolenti morbo laborantibus ministeria quaeque praestare, ulcera etiam putrida lambere; quamvis natura ita comparata, ut potius a solitudine esset aliena, ipsarum monialium congressus defugere, nunquam vero in propinquorum, nedum aliorum colloquia venire, nisi aut obedientia, aut charitas ad id ipsam adigeret. Mira in primis erat ejus aequanimitas, constantia, hilaritas, etiam in adversis quibusque, colicis doloribus, aliisque morbis tolerandis, in dicteriis, conviciis, et quibusvis injuriis ipsi illatis gaudenti animo excipiendis: pro quibus et gratias agebat, et se demittens pedes eorum, qui intulerant, deosculabatur, imo etiam eis beneficia rependebat. Denique in angustiis quibuslibet non alius Hyacinthae animus, non alia vox erat; quam ut pati posset, et Christo crucifigi.

De ejus charitate in Deum.

§. 11. Jam vero charitate in Deum tanta Hyacintha flagrabat, quanta maxima dici potest: nimirum ab omni vel levi culpa summopere abhorrens, id unum mente agitabat, ut divinae voluntati omnino inserviret. Divini hujusce amoris vis adeo vehemens erat, ut undique foris emicans ex suspiriis, quae trahebat, ex lacrymis, quas effundebat, et fervidis piae mentis affectibus, in quos erumpebat, ex colloquiis, quae de rebus coelestibus, ut alios etiam ad Deum amandum inflammaret, habebat, denique ex ore, gestu, totiusque corporis habitu satis cuilibet pateret. Atque ex hoc tam incenso in Deum amore charitas in homines emanabat egregia sane, et admirabilis, in foemina maxime intra monasterii claustra degente. Ut delictorum veniam, morumque emendationem peccantibus a Deo impetraret, preces assidue, lacrymasque fundebat, diris quoque sese caedebat flagellis: utque homines a peccandi occasione deduceret, tum alias per annum, tum praecipue postremis bacchanalium diebus divinam hostiam in ejus monasterii templo, vel etiam alibi, publicae adorationi proponendam curavit. Ad haec qua monitionibus, qua suasionibus, qua aliis rationibus errantes ad salutis viam revocare conabatur, eo successu, ut non pauci e vitiorum coeno emersi ad bonam frugem reversi sint; nonnullae etiam meretrices ad morum honestatem traductae in tuto opera ipsius fuerint collocatae: plures quoque inimicitiae graves, mortalesque fuerint omnino restinctae. Magistrae tiruncularum, educandarum munus eo consilio libenter diu exercuit, ut puellas christianis praeceptis erudiret: quod quidem ea suavitate, ac sapientia perficiebat, ut vel ipsae moniales docentem libenter audirent. Curam quoque omnem in id conferebat, ut puellas, praesertim si periclitantes, ac pauperes, virginitatis amore accenderet, et emendicata undequaque pecunia juvaret, ut vitae religiosae disciplinam possent amplecti. Neque mirum, si ejus confessarii affirmaverint, in lucrandis Deo animabus plus Hyacintham valere, ac proficere, quam sacros oratores. Eadem quoque charitate eas complectebatur animas, quae post obitum piaculari igne torquentur, pro quibus et Deum assidue orabat, et auxilia precum ab aliis implorabat, et emendicata pecunia sacra facienda curabat.

Quomodo prospiceret alienis necessitatibus.

§. 12. Ut vero alienis necessitatibus, atque incommodis prospiceret non solum ea, quae in communi mensa apponebantur, aut dono accipiebat, praesidum permissu in pauperes conferebat; verum etiam pecuniam, aliaque opportuna, quibus eorum inopiam sublevaret, undique conquirebat: quin et moniales, caeterosque ad hujusmodi pia opera praestanda impense hortabatur. Ipsa viduas, pupillos, egenos quosvis cibariis, vestibus, pecunia sustentabat: carcere detentos sive a capitis discrimine vindicare, sive a vinculis erogata pecunia liberare, sive qua posset alia ratione consolari studebat. Monialibus aegrotantibus praesto in primis erat, et ministeria quaeque exhibebat, eo etiam libentius, quo foediore, ac putidiore morbo laborarent. Aegrotos vero exteros, quos nosset, omnes vel escis, vel medicaminibus, vel aliis ad rem opportunis juvare pro viribus enitebatur.

Sodalitates conditae in civitate Viterbii.

§. 13. Quae tam eximia in proximos charitas, ut perennis quodammodo, et perpetua permaneret, duas Viterbii pias sodalitates condendas, et suis quoque legibus, episcopo com-

probante, muniendas curavit, quarum altera aegrotantium in publico valetudinario, alterum senum pauperum in unum locum congregandorum, et alendorum curam gereret: utraque vero emendicatam stipem in eos erogaret, qui vel carcere inclusi detinerentur, vel mendicare erubescerent, aut illam in alia pia opera impenderet. Sodales Hyacinthae monitis instructi, ac subsidio adjuti, votis ejus egregie respondentes, miseris haud leve solatium, et omnibus maxima virtutis documenta praebuerunt. Hujusmodi pia opera, et charitatis exercitationes tam praeclarae, simul et salutares visae sunt, ut viri illi sapientiae et virtutis laude praestantes, qui in alma nostra urbe anno millesimo septingentesimo vigesimo nono piam sodalitatem, cui nomen a sacro corde Jesu in s. Theodori aede ad forum Boarium instituerunt, nihil satius fieri posse putarint, quam si plurima ex iis, quae sodalibus illis olim Hyacintha praescripserat, novis hisce sodalibus, eadem Hyacintha patrona, praescriberentur. Proinde si hujusce piae sodalitatis homines tum doctrina, tum dignitate, tum pietate amplissimi, omnibus quidem illustri virtutis exemplo, abjectis vero, et egenis maximo etiam usui semper ex instituto fuerunt, et modo sunt, id profecto Hyacinthae in proximos charitati, ejusque opportunis praescriptionibus referamus acceptum oportet.

De praestigiis, et sollicitationibus adhibitis a daemone ad vincendam ejus virtutem.

§. 14. Tam perfectam, consummatamque virtutem iniquo animo ferens daemon praestigiis, sollicitationibus, aliisque modis b. Hyacintham tentare, et ab instituto vitae genere revocare conabatur; Dei tamen famula nunquam animo fracta, divinoque implorato auxilio victrix semper discedebat, imo vehementius etiam ad summum virtutis gradum properabat. Cum autem sanctimonia vitae undique praefulgeret, admirabilem ejus in omni virtutum genere constantiam aliis quoque gratiarum charismatibus Deus voluit ornatam; siquidem saepe et prodigia edidit, et animi secreta perspexit, et futura praenunciavit, coelestibus demum visionibus, atque alloquiis recreata, et in divinarum rerum contemplatione a sensibus abstracta, et vero humo sublimis efferri visa est. Ex quibus omnibus factum, ut magnam spectatae, cumulataeque virtutis opinionem apud cujusque aetatis homines ipsa haberet, eamque tam late quoque diffusam, ut vel ipsi aliquando nautae tempestate jactati ejus opem implorarint; qua quidem implorata, a mortis discrimine evaserunt.

De obitu beatae.

§. 15. Verum jam matura coelo b. Hyacintha, annum agens quinquagesimum quintum, vigesimum vero sextum circiter, ex quo tam asperum vitae genus fuerat amplexa, doloribus colicis, quibus saepe in vita, tum etiam passione iliaca correpta fuit. Vitae exitum, prout saepius jam praedixerat, sibi adventare intelligens, poenitentiae, et extremae unctionis sacramentis muniri voluit, id unum moleste ferens, quod divino pane, quo pridie tamen fuerat refecta, ob ingravescentis morbi impetum rursus recreari nequaquam posset. Inter gravissima morbi incommoda, quae tranquillo, serenoque animo pertulit, cujusque virtutis actus exercens, a singulis etiam monialibus veniam petiit tanta cum animi demissione, ut ex omnium oculis lacrymas expresserit. Denique dum psalmorum versiculos recitaret, et Deiparae, aliorumque coelitum opem imploraret, viginti quatuor circiter post horas, ex quo decubuerat, III. kalendas februarias anno millesimo sexcentesimo quadragesimo evocata ad agni nuptias advolavit ad sponsum, ut acciperet coronam gloriae, quam ei Dominus paraverat in aeternum.

De opinione sanctitatis ejus apud omnes diffusa.

§. 16. Ad ejus corpus invisendum tantus hominum concursus factus, ut militum custodiis opus fuerit, qui affluentis populi turbam, impetumque alia saltem ex parte coercerent. Neque vero solum ejus faciem spectabilem, et majestate plenam, membraque flexibilia omnes demirabantur, verum etiam ungues, capillos, vestimenta summo cum pietatis affectu certatim excidebant, sic, ut aliis, aliisque subinde vestibus eam induere oportuerit. Quae sanctitatis opinio cum in dies invalesceret, et frequens hominum multitudo ad ejus sepulcrum pie accurreret, acta de ejus virtutibus, et prodigiis ex auctoritate ordinaria anno millesimo sexcentesimo octogesimo octavo perfecta sunt, ex apostolica vero quatuor post annos. Post haec virtutum inquisitione instituta, et re saepius in sacrorum Rituum congregatione de more expensa, tandem eas vere heroicas existere fel. rec. Clemens XI. praedec. Noster III. kalendas februarias anno MDCCXV. apostolico decreto confirmavit.

Judicium de miraculis ab ea factis.

§. 17. Huic judicio successit alterum de miraculis, quae plurima, b. Hyacintha suffragante, post ejus mortem patrata dicebantur,

Digitized by Google

e quibus duo pluribus in comitiis ab eadem congregatione ad trutinam revocata, communibus suffragiis approbatione digna visa sunt, quorum alterum piae mem. Innocentius VIII. praedecessor Noster xv. kalendas sextiles anno MDCCXXII., alterum ejusdem mem. Benedictus XIII. pariter praedec. III. idus majas anno millesimo septingentesimo vigesimo sexto inter vera miracula referendum esse dixit.

Tenor miraculorum.

§. 18. Primo loco approbatum miraculum referebat, quod soror Virginia Pedantes conversa in monasterio Viterbiensi s. Bernardini jam inde ab ineunte aetate epilepsia aliquantulum vexata, martio tamen anni MDCCIX. saepius, et vehementius adeo correpta est, ut ab omni sensu alienata valde se contorqueret, et spumam ex ore eliceret. Vi morbi in dies saeviente, VI. idus decembris ita fuit conflictata, ut nonnisi septem post horas sensus receperit. Ubi primum tamen Hyacinthae opem exposcere per morbum ei licuit, subito eam sibi adstantem adspexit, dexteraque capiti imposita ajentem audivit, sanitati jam restitutam, ut plane contigit. Alterum miraculum erat, quod Felix Sterbinia tres et viginti annos nata ineunte majo anni MDCCI. continente febri, pectoris dolore, spirandi difficultate, tussi, purulenta, foetidaque excretione, atque adeo pulmonea vomica laborabat, empyemate etiam afflictata; quintili ineunte, Ecclesiae sacramentis jam munita, atque a medicis deposita erat; statim vero ac sibi Hyacinthae effigiem admovit, omnino convaluit.

Beatificatio ejusdem famulae Dei.

§. 19. Deinde cum cardinales pronunciassent, Hyacintham in beatorum coelitum numerum tuto adscribi posse, idem Benedictus praedecessor pridie idus quintiles anni ejusdem id utique fieri posse, edito decreto affirmavit, prout solemni ritu in basilica Vaticana perfectum est proximis kalendis septembribus. Accessit facultas Viterbii, et Vineanelli incolis, universisque ex sacra s. Francisci familia, qui ad horas canonicas tenentur concessa recitandi quotannis b. Hyacinthae officium, et missam de communi virginum, oratione tamen propria, itemque lectionibus propriis secundi nocturni; quas rec. mem. Clemens XII. praedecessor Noster pridie idus quintiles anno MDCCXXXIX. comprobavit.

Nova prodigia a beata facta.

§. 20. Caeterum, ut b. Hyacintha sanctarum virginum catalogo referri posset, acta confecta sunt de prodigiis, ea deprecante, editis posteaquam in beatorum coelitum ordinem fuerat adscita. Ex eis tria cardinalium congregationis sacrorum Rituum judicio fuerant commissa, quorum etsi duo tantum causa postularet, tamen omnia attente, diligenterque perpensa, demum in congregatione generali VIII. kalendas decembris anno millesimo septingentesimo octogesimo nono approbationem obtinuerunt; quam sacrae congregationis sententiam fel. rec. Pius VI. proximus praedecessor Noster VI. idus decembris ejusdem anni ratam esse voluit, ac tres sanationes miraculo fuisse patratas declaravit: quae ita se habuerunt. Prima: Soror Paula Felix Urbinia ex puellarum collegio, vulgo delle Tavelle, Ravennae undevigesimo aetatis anno sicco astmate tentari coepit, et per septennium saepe acri febre, aliisque incommodis eousque vexata fuit, dum inveterato astmate ex medicorum sententia se laborare intellexit. Itaque de sua salute desperans ad b. Hyacinthae opem confugit III. nonas febr. anno MDCCXLIV., quo quidem die in summo discrimine versabatur, neque ita post, omni depulso morbo, pristinae valetudini fuit restituta.

Idem ut supra.

§. 21. Altera: Soror Margarita Fusconia ex eodem puellarum collegio Ravennae, celtica lue a matris utero contracta, assiduis capitis doloribus pressa, atque acutis quoque febribus saepe in anno jactata, post annos decem et septem, ex quo tam adversa jam detinebatur valetudine, accedentibus tuberculis in ore, et in gutture, gravius in dies morbo urgebatur, prorsus ut inveterata, atque immedicabili arthritide eam premi artis medicae periti pronunciaverint. Cum igitur nulla salutis spes affulgeret, b. Hyacinthae opem imploravit, ejusque effigiem chartaceam affectis corporis partibus admovet, ac repente ad integram, confirmatamque valetudinem pervenit.

Idem ut supra.

§. 22. Tertia prodigiosa sanatio contigit in Anna Gertrude Tirinonia una ex alumnis collegii puellarum, cui a s. Paschali nomen, hac in nostra urbe, quae olim a gravissimo morbo morti jam proxima, b. Hyacintha exorante, convaluerat: sex post mensibus eadem saevo, vehementique dolore sub sinistra mammilla fuit affecta, cui accessit anhelatio, cibi fastidium, viriumque infirmitas; majo vero anni MDCCLXXIX. asperiore vexata tussi, majore spirandi difficultate, acriori dolore, eoque in aegra corporis parte pulsu, ut auri-

bus etiam perciperetur; postremo, elata, incurvataque costa: oedemate toto corpore afflictata, viribus destituta, desperata a medicis habebatur, quippe quae organico praecordiorum vitio omnino laboraret. At III. kalendas februarias die sacra b. Hyacinthae anno millesimo septingentesimo octogesimo cum ejus praesidium implorasset, ejusque reliquia signo crucis muniri postulasset, vix dum reliquia admota, omni laethalis morbi abacta vi, ipsa lecto desiliit, vestem induit, stetit, ac deambulavit.

Judicium sacrae congregationis Rituum super sanctitate ejusdem beatae.

§. 23. His tribus miraculis approbatis, cum universi cardinales sacris ritibus praepositi affirmare non dubitaverint, beatam Hyacintham in sanctorum numerum adscribi tuto posse, idem Pius praedecessor Noster, divino prius implorato praesidio, XVIII. kalendas septembris anno millesimo septingentesimo nonagesimo decretum edidit canonizationis b. Hyacinthae Mariscottiae quandocumque opportunum videretur peragendae. Itaque Nos ex debito pastoralis officii, quod infirmitati Nostrae divina clementia credidit, iteratis precibus jam olim exhibitis, ac denuo repetitis in primis Mariscottiae nobilissimae familiae, monasterii Viterbiensis s. Bernardini, et universi ordinis s. Francisci, imo votis publicis fidelium permoti, b. Hyacintham sanctis virginibus adnumerare aequum, et pium esse censuimus. Quocirca de veteri more Sedis apostolicae in tribus consistoriis eamdem causam agitari mandavimus; in quorum primo, quod secretum fuit, die XXIII. martii proxime elapsi coram nobis habito, venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales, postquam summam virtutum, et miraculorum b. Hyacinthae, seriemque actorum in sacra Rituum congregatione, dilecto filio Nostro Julio Maria tituli s. Mariae supra Minervam presbytero cardinale della Somaglia nuncupato congregationis sacrorum Rituum praefecto referente, attentis animis audivissent, eadem omnes sententia sibi placere dixerunt, ut ad solemnem b. Hyacinthae canonizationem juxta consuetum Sedis apostolicae morem procederemus.

Preces porrectae pro obtinenda ejus canonizatione.

§. 24. Non multo post tempore, nimirum die XX. aprilis consistorium publicum convocavimus, in quo Hieronymus Bontadossi sacri consistorii advocatus, petita, et impetrata a Nobis venia, seriem vitae, virtutum, et miraculorum beatae Hyacinthae luculenta, et diserta oratione exposuit, et de more pro ejusdem canonizatione preces obtulit; interea summa virtutum, et miraculorum, b. Hyacinthae, seriesque actorum ex authenticis sacrae Rituum congregationis monumentis deprompta typis commissa fuerat, cujus exemplaria omnibus, et singulis dari jussimus, qui adhuc in hac causa sententiam dicturi erant. Quam ad rem et ut sanctificationis celebritas quam maxima posset dignitate perageretur, episcopos e provinciis urbi vicinioribus acciri mandavimus. Igitur in consistorio semipublico S. R. E. cardinalium, patriarchae, archiepiscoporum, et episcoporum die XIV. hujus mensis indicto, in quo etiam Nostri et apostolicae Sedis notarii, protonotarii nuncupati, ex numero participantium, et sacri palatii apostolici causarum auditores vocati adfuerunt, iidem cardinales, patriarcha, archiepiscopi, et episcopi, uno omnes ore, et spiritu censuerunt dignam profecto esse b. Hyacintham, quae sanctorum virginum canoni adjungeretur. Exultavit anima Nostra in Domino cum tam venerabilem fratrum Nostrorum coronam in eam sententiam consensisse intelleximus, ut Nos ad extremam manum tam pio operi imponendam enixe adhortarentur: quorum suffragia, proprio chirographo munita, colligi, et in S. R. E. tabularium inferri jussimus; instrumentum quoque publicum de actis ejus consistorii confici mandavimus.

Preces, et jejunia publica indicta ad petendam opem divinam in judicio ferendo.

§. 25. Absolutis omnibus, quae ex Catholicae Ecclesiae disciplina, et novissimis antecessorum Nostrorum decretis impleri debuerunt, quod reliquum erat, jejunia, et orationes publicas indiximus, et una cum devota plebe humillimas Nostras preces Deo obtulimus, ut lumen veritatis Nobis ostenderet, auxiliumque praestaret; ut in tam sancto, et arduo negotio rectam viam et cognoscere, et ei insistere possemus.

§. 26. Hac denique die vigesima quarta maji, qua hoc anno solemnitas sanctissimae Trinitatis recurrit, supplicationis generalis ritu, praeeuntibus utriusque cleri ordinibus, congregationis sacrorum Rituum consultoribus, Nos ipsi demum cum dilectis filiis aulae Nostrae officialibus, et familiaribus, cum schola cantorum, cunctisque Romanae curiae praelatorum collegiis, presbyteris quoque poenitentiariis sacerdotali veste indutis;

deniqne cum venerabilibus fratribus episcopis archiepiscopis, et patriarcha, qui in urbe est, universoque venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium collegio, frequenti procerum, et magistratuum numero stipati, ex apostolicis aedibus prodeuntes, et subsequentibus apostolicae Sedis notariis, ac regularium ordinum generalibus superioribus, ad Vaticanam principis apostolorum basilicam, nova dignitate, ac majestate fulgentem, processimus: ibique antequam sacra mysteria perageremus, ecclesiasticum conventum celebrantes, post exhibitas Nobis semel, iterum, atque iterum a dilecto filio Nostro Innico Didaco tit. s. Augustini S. R. E. presb. cardinali Caracciolo nuncupato postulationes pro ipsius b. Hyacinthae Mariscottae, quemadmodum etiam pro bb. Francisci Caracciolo, Benedicti a s. Philadelphio, Angelae Mericiae, et Colletae Boilet, solemni canonizatione, implorata prius divina ope, coelestium spirituum, et sanctorum omnium intercessione, atque invocato Spiritu Paraclito, ad honorem sanctae, et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae, et christianae religionis augumentum, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, ipsam b. Hyacintham, monialem professam tertii ordinis sancti Francisci, incensae in Deum, et proximum charitatis, poenitentiae singularis, omniumque christianarum virtutum laude, et miraculorum gloria maturo Nostro, et adstantium fratrum Nostrorum judicio cumulatissimam, una cum praefatis Francisco, Benedicto, Angela, et Coleta sanctam esse decrevimus, et definivimus, et in sanctorum album retulimus, ejusque memoriam, quam in subsecuta missae celebratione Nos ipsi solemniter venerati sumus ab universa Ecclesia quotannis die trigesima januarii coli mandavimus. Omnibus quoque Christifidelibus, qui praesentes aderant, plenariam, iis vero, qui singulis annis praedicta die ad ejusdem sanctae venerandum sepulcrum accessissent, septem annorum et totidem quadragenarum indulgentiam in forma Ecclesiae consueta misericorditer in Domino concessimus.

Gratiarum actio.

§. 27. Debitas quoque gratias decantato hymno egimus, Deum patrem, regemque gloriae Christum, et sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum, unumque Dominum laudantes, et confitentes. Tum Altissimo vota nostra reddentes hostiam immaculatam pro pace Ecclesiae, et incolumitate plebis Christianae Deo solemni ritu immolavimus.


Fides habenda transumptis.

§. 28. Quoniam vero idem cardinalis, et procurator deputatus, obsequenter Nobis supplicavit, et super praemissis literas apostolicas decernere dignaremur; Nos justissimae huic petitioni ultro annuentes, praesentes Nostras literas in perenne gestorum omnium monumentum edi, et publicari jussimus; mandantes, ut earum transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ab omnibus habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 29. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti, relaxationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septimo, nono kalendas junii, pontificatus Nostri anno octavo.

✠ Ego Pius catholicae Ecclesiae episcopus.



✠

Nomina cardinalium praesentium canonizationi.

✠ Ego L. episcopus Portuensis et s. Rufinae card. Antonellus major poenitentiarius.

✠ Ego A. episcopus Albanen. card. Valenti Gonzaga.

✠ Ego A. episcopus Praenestinus card. Matthaejus.

✠ Ego J. episcopus Tusculanus card. ab Auria Pamphily.

✠

Ego F. S. R. E. tit. s. Laurentii in Lucina prior presb. card. Carafa.

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ Ego A. tit. s. Praxedis presb. card. Dugnani.

✠ Ego H. tit. ss. Nerei et Achillei presb. card. Vincenti.

✠

✠ Ego F. tituli s. M. Transtyberim presb. card. Pignatelli.

✠ Ego A. tituli ss. Joannis et Pauli presb. card. Roverella.

✠ Ego J. M. tit. s. Mariae supra Minervam presb. card. de Somalia.

✠ Ego I. D. tit. s. Augustini presb. card. Caracciolo.

✠

✠ Ego M. tituli s. Mariae in via presbyter card. de Petro.

✠ Ego C. tit. s. Susannae ad thermas presb. card. Crivelli.

✠

✠ Ego F. M. tit. s. Anastasiae presb. card. Saluzzo.

✠

✠

✠ Ego B. tit. s. Silvestri in Capite presb. card. Pacca.

✠

✠ Ego J. Ph. tit. s. Alexii presb. card. Gallerati Scotti.

✠ Ego L. tit. s. Pudentianae presb. card. Litta.

✠ Ego Ph. tituli s. Mariae Angelorum presb. card. Casoni.

✠

✠

✠ Ego H. tit. s. Petri ad Vincula presb. card. della Porta.

✠ Ego J. tituli s. Thomae in Parione presb. card. Gabrielli.

✠ Ego V. tit. s. Laurentii in Pane, et Perna presb. card. Mastrozzi.

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ Ego P. F. tit. s. Bartholomaei in Insula presb. card. Galleffi.

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ Ego A. sanctae Mariae in Via-Lata prior diaconorum cardinalis ab Auria.

✠ Ego R. s. Mariae ad Martyres diaconus card. Braschius de Honestis.

✠ Ego Ph. s. Eustachij diac. card. Curandini.

✠

✠ Ego H. sanctae Agathae ad Suburram diaconus card. Consalvi.

✠

✠

✠

✠

✠ Ego C. s. M. in Porticu diac. card. Erskine.

✠ Ego A. s. Adriani diac. card. Gazzoli.

✠

✠

✠

✠

✠

A. card. pro-Datarius R. card. Braschius de Honestis.

VISA

De curia J. Manassei.

F. Lavizzarius.

Loco ✠ plumbi.

Registrata in secretaria Brevium.

Digitized by Google

Dat. die 24. maji 1807. Anno VIII.

CCCCLXXXVI.

Canonizatio beati Francisci Caracciolo sacerdotis professi, et fundatoris clericorum Regularium minorum.

Pius episcopus
servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Ad cathedram apostolorum principis summa Dei benignitate, nullis licet Nostris meritis, sublevati, atque adeo in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, ad consummationem sanctorum positi, muneris Nostri esse sentimus, non modo errores contra orthodoxam fidem serpentes evellere, securamque viam, quae ducit ad vitam, demonstrare; verum etiam nova, quae in Ecclesia sancta Dei jugiter florent, virtutum heroicarum exempla fidelibus imitanda proponere, quibus illi incitati, despectis caducis, et terrenis omnibus, sola coelestia et perennia bona concupiscant. Sed cum multi omni aetate viri eximia vitae claruerint sanctimonia, quibus pretiosissima in coelis corona justitiae a Domino reddita est, honoresque venerationis in terris solemni ritu decreti sunt, peculiarem tamen sibi locum vindicant regularium ordinum institutores, qui voce Salvatoris Nostri Iesu Christi admoniti in evangelio dicentis, messem quidem esse multam, operarios autem paucos, et apostolis, discipulisque suis praecipientis, ut a Domino messis operarios mitti rogent, non solum ipsi pro virili parte in agro Dominico excolendo strenuam operam collocarunt, verum in futura etiam tempora prospicientes, igne divinae charitatis incensi, et gratia Paracliti Spiritus roborati sanctissimas illas societates instituerunt, in quas adsciti homines, et votorum religione adstricti, alii vitae contemplativae totos se devoverent, alii vero hanc ita sequerentur, ut simul iis etiam ministeriis se manciparent, quae proximorum saluti procurandae utilia essent atque opportuna.

De utilitatibus promanantibus a canonizatione sanctorum.

§. 2. Neque enim honorificum dumtaxat est Ecclesiae sponsae Christi, quae circumdata varietate in sacris literis describitur, praecipuos religiosarum familiarum fundatores ita perfectione vitae, et prodigiorum coelestium gratia excelluisse, ut in sanctorum numerum referri meruerint, verum universo quoque fidelium coetui utilissimum est, iis, vitam laudabiliter actam, et virtutes eorum imitandas proponi, a quibus tot spiritualia dona in christianos populos derivarunt, et adhuc per eorum alumnos ex instituti sui legibus in vinea Domini Sabaoth assidue laborantes uberrime manare non cessant. Quid, quod regularium institutorum alumni validioribus stimulis ad currendam perfectionis viam sese excitari sentiunt, dum magistros, parentesque suos sublimibus meritis praefulgentes, donisque coelestibus insignitos, ad supremos altarium honores evectos intuentur? Gaudeat igitur, et exultet sponsa Christi Ecclesia, quae tam multa atque illustria sanctitatis germina Christo parit, et dum tantis undique premitur tribulationibus, novis filiorum suorum triumphis mirifice decoratur. Eminet inter hos servus Dei fidelis beatus Franciscus Caracciolo, quem tamquam amicum carissimum, ut ascendat superius, Dominus invitat, novumque nobis protectorem ad mortalis hujus vitae difficultates superandas in coelis constituit. Pretiosissima quidem corona gloriae illustria ejus, praeclaraque merita donata sunt, qui, calcatis mundi deliciis, aeternae saluti unice intentus totum se cultui divino addicens, cum aliis ejusdem propositi sodalibus ordinem Clericorum Regularium minorum instituit, qui praeter juge orationis, jejunii, et afflictationis corporis studium, spiritualibus proximorum commodis consulerent, et in apostolicis ministeriis obeundis sese assidue diligenterque exercerent. Hunc ille ordinem amplificavit, prudentissime rexit, et, quod primum est, exemplis, sanctissimisque moribus instruxit, donec feliciter consummato cursu, ad aeternae beatitudinis praemium evolavit.

Resolutio habita super canonizatione venerabilis servi Dei.

§. 3. Quo circa post maturum, diligensque examen ex veteri more, et catholicae Ecclesiae disciplina adhibitum, cum de hujus beati viri virtutum excellentia, et miraculorum gloria legitime constiterit, Nos, de consilio, et consensu venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium, atque etiam patriarchae, archiepiscoporum, et episcoporum in Romana curia congregatorum eum in sanctorum confessorum album retulimus, et

ut vere sanctum ab universa Ecclesia honorandum, et colendum esse definiendo decrevimus, ejusque vitam ad sanctitatis normam exactam fidelibus imitandam proposuimus.

Tenor vitae habitae a venerabili servo Dei.

§. 4. Natus is est in Aprutii avito oppido cui sanctae Mariae de Villa nomen, ex nobilibus, piisque progenitoribus Ferdinando Caracciolo, et Isabella Baratucci anno reparatae salutis millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, die vero decima tertia octobris. Sortitus animam bonam, sancteque educatus, in pueritia a levitatibus, ejus aetatis propriis alienus fuit, cum vero a pueris excessit, a vitiorum illecebris semper abhorruit. Vigesimum aetatis suae annum cum attigisset, gravissimo, molestissimoque morbo, elephantiae simili, conflictatus, quo totum ejus corpus misere foedatum erat, cum spes salutis vix ulla relicta esset, superno lumine illustratus, humanarum rerum, mundique vanitatem agnoscens, statuit in corde suo, si convaluisset, divino prorsus servitio, ac proximorum utilitati sese mancipare. Convaluit, nihilque habuit antiquius, quam, ut id, quod proposuerat, alacriter exequeretur. Neapolim se contulit, sacrisque eruditus literis, et sacerdotio initiatus sodalitio « de Bianchi » vulgo nuncupato, adscribi voluit, cujus praecipua cura est iis, qui extremo supplicio damnati sunt, verbis, aliisque pietatis operibus, auxilium opemque ferre; quo quidem eximiae charitatis officio maximo cum fructu, et summo animi fervore toto reliquo vitae suae tempore functus est. Assidue autem Deum precabatur, ut viam sibi ostenderet, qua fideliter, quod proposuerat, impleret. Annuit votis Deus, et mirabili ratione; nam cum Franciscus in praedicti sodalitii sacello oraret, Ascanii nomen in sacro baptismatis fonte illi impositum adhuc retinens, epistola ei tradita est, qua Augustinus Adorni nobilis Januensis, et Fabricius Caracciolo alium Ascanium de familia Caracciolo in partem consiliorum suorum de regulari clericorum minorum ordine instituendo vocabant. Franciscus errorem minime suspicatus, occasionem divinitus oblatam ultro arripuit, et illico Augustino, et Fabricio sese fidissimum adjutorem exhibuit, qui divinae providentiae consilia demirantes libentissime illum in tanti operis societatem receperunt.

Erectio novi ordinis ab eo facta, cum ordinatione regularum a sancta Sede confirmatarum.

§. 5. Tunc piissimi hi tres viri in Camaldulensium eremum prope Neapolim profecti, orationi, jejuniis, aliisque vitae austeritatibus intenti, coelesti ope a patre luminum implorata, novi ordinis leges condiderunt. Beatus Franciscus cum Augustino Romam venit, et a fel. rec. praedecessore Nostro Sixto V. regulam approbari obtinuit, qua scilicet, praeter alia, alumni ejus ordinis jubentur continuis orationibus, spiritualium operum exercitione, et aspera carnis maceratione ad suam, aliorumque Christifidelium animarum salutem et profectum vacare, quibus etiam ecclesiasticas dignitates non ambiendi, neque acceptandi, nisi, summo pontifice jubente, solemne votum tunc additum fuit. Spirituali gestiens gaudio vir Dei Franciscus, et Augustinus Neapolim redeunt, et solemni professione emissa, propagandi ordinis desiderio inflammati ambo simul Hispaniam petunt; sed cum nihil tunc proficerent, Neapolim revertuntur. Biennio vix elapso a solemnibus votis nuncupatis, Augustinus Adorni immatura morte decedens, magnum sui desiderium, et praeclarum virtutum suarum odorem reliquit. Ex quo factum est, ut omnis propagandi, augendique ordinis sollicitudo in Franciscum incumberet; qui primum Neapoli, tum in Hispania, deinde Romae sui instituti domicilia fundavit. Verum in Hispania, quo semel, et iterum pedes, mendicans, et aspero cilicio praecinctus se contulit, multum ei elaborandum, multaque fuerunt perferenda, inimico homine zizania super seminante, et calumniis acerrime conatus ejus turbare tentante. At difficultates demum, contrariaque omnia vicit Franciscus Dei omnipotentis primum ope, deinde virtutibus suis mirifice praefulgentibus, patrocinio tandem, munificentiaque Philippi II., et Philippi III. regum catholicorum.

De virtutum splendore, quibus excellebat.

§. 6. Profecto virtutum splendor, quibus Dei famulus excellebat, omnium excitabat admirationem. Theologicam ejus fidem cum alia argumenta multa, tum ingens illud studium, quo alios in fidei mysteriis, catechesibus, et concionibus erudiebat, mirifice demonstrabat. Spe vero in Deum summa fretus, terrena quaevis ad mortem usque constanti animo despexit, ad solum beatae vitae praemium anhelans, quod sibi a Deo, per Christi merita, magna cum fiducia expectabat. Immo ne in necessitatibus quidem temporalibus divinam opem sibi umquam defuturam persuasum habebat, nonnullis etiam prodigiis in hoc confir-

Digitized by Google

matus, cibis ei, atque eleemosynis, cum maxime opus esset, ex insperato exhibitis. Sed prae caeteris virtutibus charitas Dei in Francisci corde diffusa eminebat. Nihil illi dulcius, quam de Deo loqui, nihil in sacris concionibus frequentius, quam de charitate disserere, unde divini amoris promotor, et concionator tum in Hispania, tum in Italia passim appellabatur. Tantus vero erat divinae charitatis ignis, quo intus aestuabat, ut in ejus quoque vultu sese proderet manifeste. Adorationem eucharistici sacramenti ad integras usque noctes protrahere consuevit, quo tempore cor ejus tamquam cera liquescebat, et oculi lacrymis profundebantur; exclamare etiam solitus: « Zelus domus tuae comedit me ». Quem cultum coelestis eucharistici panis ut promoveret, constituit, ut sui ordinis alumni quotidie per vices coram augustissimo sacramento venerabundi persisterent; quod pium perenne exercitium, veluti praecipuam sui ordinis tesseram, esse voluit. Ex vehementi in Deum amore efficax proximorum dilectio in Francisco oriebatur, qui diu noctuque super egenum, et pauperem intelligebat. Cum regularem vitam profiteri constituit, venditis prius bonis omnibus, quae possidebat, pretium dispersit, deditque pauperibus. Solemni professione emissa, in publicis viis stipem emendicabat, ut pauperum inopiam sublevaret, egenisque matronis victum quotidie subministraret; quin etiam tres in hebdomada dies solo pane et aqua transigebat, ut sua abstinentia inopes reficeret. Aliquando hyemis tempore pauperi ferme nudo, et frigore pene exanimi, exteriori tantum sibi veste relicta, caetera sua indumenta largitus est. Carceribus detentos amicissime solabatur, aegrotantibus primum fidei christianae rudimenta explicabat, tum consilia, et alia pietatis officia exhibebat: illis vero, qui in extremo mortis agone versabantur, praesto erat, et flexis genibus, qua sacris precibus qua fervidis adhortationibus spirituale praestabat auxilium, neque eos deserebat, donec inter hujusmodi charitatis officia expirassent.

Quomodo obtinuerit a rec. me. Paulo V. ecclesiam sancti Laurentii in Lucina, et honores continuo renuerit.

§. 7. Ejus autem cor tunc maximo dilatatum fuit, cum a rec. mem. Paulo V. praedecessore Nostro impetravit, urbis paroeciam s. Laurentii in Lucina suo ordini administrandam tradi, in qua praeclaram ille nactus fuit occasionem exercendae frequentissime charitatis. Nam cum aeternae proximorum salutis studium medullis propemodum ejus ac visceribus inhaereret, sacramentalibus confessionibus excipiendis summa semper patientia, atque etiam hilaritate se dabat; ad perditorum hominum conversionem procurandam, non verba solum, sed orationem etiam, jejunia, suique corporis flagellationem adhibebat: ne puellarum periclitaretur pudicitia corrogatis eleemosynis, aut piis matronis, asceteriisve custodiendas tradebat, aut ut provide nuberent curabat. His, aliisque charitatis in proximos officiis merito assecutus fuit, ut pater pauperum, et charitatis vocaretur. Accedebat virtutum aliarum omnium chorus, quae regularis instituti propriae ac peculiares sunt. Paupertatis cultor eximius saepe domus angulo pro cella utebatur; lacera, et attrita veste indui gaudebat; jejunium mensae cuivis lautae, et jucundae praeferebat; ut brevissimum carperet somnum, lectulo decumbebat, qui tabula, aut humo commodior non esset. Mentis, corporisque puritatem maxima cura custodivit, servavitque illaesam. Carnem ita compescuit, et in servitutem redegit, ut homo aeneus appellaretur. Effrontis mulieris artes, quae ipsum impulerat, ut caderet, divina protegente gratia, elusit; impudentiamque coarguit; quae facti poenitens ad ejus pedes provoluta veniam a Deo, et a Dei servo lacrymans precata est. Jam obedientiae virtutem, quam omnium virtutum lydium lapidem esse dicebat, quantopere adamaret, vel tunc satis patuit, cum ante Deiparae imaginem voce paullulum elata salutationem angelicam domi recitans, a superiore tacere jussus est. Conticuit ille statim, et submissis genibus immobilis mansit, dum idem superior, post aliquod temporis spatium, ut surgeret, imperavit. Neque minor in viro Dei elucebat animi demissio, qui caeteris omnibus eo se minorem et contemptibiliorem existimabat, quo coram Deo atque hominum etiam opinione, ac judicio major erat, et dignior. Electus perpetuus praepositus generalis, ordinis aegre honorificum istud onus subiit, a quo sponte sese postmodum abdicavit: Dum tamen praepositi generalis munere fungebatur, aegrotantibus suis alumnis fercula inferebat, lectulos sternebat, cubicula verrebat, vilia, et abjecta quaevis munia praestabat, et per noctes etiam insomnis assidebat. Cum pro ordinis sui con-

firmatione obtinenda Romam sine sacculo, sine pera venisset, ut honores effugeret, ad januam coenobii fratrum cappuccinorum sese inter mendicos abscondit, et ab eisdem hospitio receptus, cibum in eadem paropside cum leproso et ulceroso libentissime sumpsit. Nihil igitur mirum videri debet, si ecclesiasticas dignitates ab eodem praedecessore Paulo V. oblatas constantissime recusaverit, et in suo ordine aliis semper subesse vehementissime optaverit.

De donis obtentis a Deo, et portentis patratis.

§. 8. Supernis vero donis Deus servum suum ita demissae de se sentientem clarificavit, praecipue sanationum gratia, et prophetiae spiritu. Nam gravissimis oppressos morbis quandoque signo crucis, quandoque sola manus impositione sanitati restituit. Effraenato juveni, salutaria ejus monita irridenti, intra unius horae spatium mortem denunciavit, quam ille, ut praedixerat servus Dei, repente oppetiit. Navim conscendens, horridam tempestatem, et omnes ex ea incolumes evasuros praevidit, praedixitque. Cum autem voti solvendi causa sacram Lauretanam aedem Beatissimae Mariae Virginis adivisset, et jamdiu corpore dissolvi, et cum Christo esse cuperet, brevi cum sui voti compotem futurum, Deus in augusto templo illo ipsi patefecit. Sane inde rediens, cum ad Agnonem, citerioris Aprutii oppidum, ordinis propagandi ergo accederet: Hic requies mea, dixit, in seeculum saeculi. Altero transacto die, postquam ad dictum oppidum pervenerat, in domo patrum Oratorii, a quibus hospitio receptus fuerat, in febrim levem incidit, quae deinde gravis, et pessimae indolis evasit. Extemplo per generalem exomologesim conscientiae suae munditiem augere voluit; tum sacrosanctum Christi corpus, etsi viribus omnino fere destitutus, e lectulo tamen prosiliens, et genuflexus, singulari pietate, atque animi fervore accepit. Alumnis suis epistolam mittendam dictavit, qua eosdem ad regularis disciplinae, omniumque virtutum amorem adhortabatur. Ingravescente morbo extremae unctionis sacramento munitus, insigne patientiae, fortitudinis, et firmissimae in Deum spei exemplum praebens, modo Jesu Christi, modo Beatissimae Virginis, quam summo semper veneratus fuerat obsequio, ac sanctorum se commendans patrocinio, ad coelum se pergere affirmans, in pervigilio solemnitatis corporis Christi dilectam Deo et hominibus placidissime efflavit animam die quarta junii anno millesimo sexcentesimo octavo, aetatis vero suae quadragesimo quarto.

De fama sanctitatis ejus vix divulgata morte, et prodigiosis sanationibus ipso intercedente operatis.

§. 9. Divulgata Francisci morte, ob praeconceptam de ejus sanctitate opinionem magnus hominum concursus factus est, etiam ex finitimis oppidis, ut corpus illius inviserent, manus deoscularentur, et vestis frustula certatim sibi raperent. Ad haec corporis flexibilitas, odor suavissimus, vultus hilaris, prodigiosae sanationes ejus ope impetratae gloriam ejus in coelis demonstrabant. Fertur etiam, extractis ex dissecto corpore visceribus, in corde ejus apparuisse carneis literis descripta Davidica verba « Zelus domus tuae comedit me », quae ille quidem, dum in vivis ageret, semper in corde, ac saepissime habebat in ore. Per tres dies cum pio confluentis populi desiderio satis fuisset factum, post inde ex illius oculis subtractum, et noctis tempore citissimo itinere Neapolim ad ordinis domum s. Mariae Majoris delatum fuit, ibique honorifico funere sepultum, et divinis prodigiis illustratum. Viginti circiter post annos in corporis translatione ad decentiorem locum singularis in illum populi pietas eos praetergressa est fines, quos sapientissima decreta piae recordationis Urbani VIII. praedecessoris Nostri statuerant, de cultu publico ante Ecclesiae judicium Dei servis non exhibendo; ac propterea causa ejus beatificationis et canonizationis non ante diem vigesimam octavam septembris anni millesimi septingentesimi primi, qui a felici ipsius obiti nonagesimus secundus numerabatur, in sacrorum Rituum congregatione introducta fuit. Tum processus apostolici, tam in genere, quam in specie, constructi fuerunt, quibus probationes de splendore virtutum servi Dei, deque gloria miraculorum ejus intercessione a Deo editorum continebantur. Cum caetera omnia rite ac feliciter processissent; et interea omnipotentis Dei dextra novis prodigiis suum famulum clarificaret, nonnullorum venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium congregatio declaravit, ob peculiares ejusdem causae circumstantias posse sacrae Rituum congregationis consultores in virtutum judicio etiam miracula prae oculis habere.

Judicium latum de ejus

§. 10. Virtutibus igitur servi Dei in sacrorum Rituum congregatione diligenti examine

virtutibus in gradu heroico.

discussis, earumque praestantia in gradu heroico probata, sanctae memoriae praedecessor Noster Benedictus pp. XIV. ejusdem congregationis sententiam confirmans, die vigesima tertia aprilis anno millesimo septingentesimo quadragesimo primo declaravit, de virtutibus Francisci in gradu heroico constare; cum tamen virtutes ipsae ex testibus de auditu tantum, multiformiter licet adminiculatis, probatae essent, simul censuit ad ejus beatificationem non ante esse deveniendum, quam miracula omnino quatuor probarentur, atque approbarentur juxta formam decreti eadem ipsa die editi. Deinde cum octo miracula in tribus consuetis sacrorum Rituum congregationibus ad examen, et approbationem proposita fuissent, idem praedecessor Benedictus XIV. ex unanimi praelaudatae congregationis sententia die decimanona septembris anno millesimo septingentesimo quinquagesimo secundo de duobus miraculis constare declaravit, nimirum de sanatione Januarii Cappelli, qui, invocato Dei servo, repente liberatus fuit ab ulcere cancrenoso, pro cujus tentanda sanatione chirurgus die sequenti ignem decreverat, itemque de altera sanatione Philippi Rubinacci ad extremum deducti ob lapsum ab eminenti loco secuta ossium luxatione, et fractura, qui ad servi Dei invocationem illico sanitatem, liberumque et expeditum totius corporis motum obtinuit, nulla adhibita medici ope, aut chirurgi manu. Consecuta sunt alia duo miracula per Francisci intercessionem a Deo patrata, quae pari ratione examini subjecta, et a sacrorum Rituum congregatione approbata piae memoriae Clemens XIII. praedecessor quoque Noster decreto suo die trigesima novembris anno millesimo septingentesimo sexagesimo octavo confirmavit: quorum alterum erat repentina sanatio Caroli de Vivis a copioso, et immodico sanguinis ex ore effluxu ac pravis symptomatibus, quae eum ad deploratum statum redegerant, cum instantanea, et perfecta deperditarum virium reparatione: alterum repentina pariter sanatio Antoniae Niglio ab immanibus doloribus ischiadis, motum omnem inhibentis, et intestinorum, adjuncta gravi, continuaque febri, aliisque gravibus symptomatibus, viribus illico restitutis.

Beatificatio venerabilis servi Dei.

§. 11. Quatuor his miraculis ita probatis fel. rec. Clemens XIV. praedecessor Noster, attentis peculiaribus circumstantiis, concessit, ut ad beatificationem devenirì posset, quin causa in sacra Rituum congregatione iterum proponeretur, literasque apostolicas in forma brevis pro solemni servi Dei beatificatione celebranda expediri jussit sub die quarta junii anni millesimi septingentesimi sexagesimi noni. Post beatificationis solemnia eo ipso anno die festo sanctissimi Nominis Beatae Mariae Virginis ritè celebrata, statim de duobus aliis miraculis beati Francisci intercessione editis agi coeptum est, quae in sacra Rituum congregatione ad trutinam legitime revocata, approbationem obtinuerunt; quorum primum fuit subita, et perfecta sanatio Agathae Montellae Romanae ab ulcere fistuloso in cavum pectoris penetrante, comite febri lenta, cum integra virium recuperatione: alterum similiter repentina, integraque sanatio Angelae Nardi Romanae a teterrimo cancro in regione lienis. Sententiam sacrae congregationis secutus fel. record. Pius papa VI. praedecessor Noster haec duo miracula die decima septima decembris anni millesimi septingentesimi octogesimi sexti approbavit, ac subinde die decima quinta augusti anno millesimo septingentesimo nonagesimo post generalem solitam congregationem pronunciavit, tuto ad solemnem beati Francisci canonizationem procedi posse. Quod cum idem praedecessor Noster ad exitum propter temporum difficultatem perducere non potuisset: Nos, habita ratione precum, quae ab exordio causae a regibus et principibus apostolicae Sedis pro famuli Dei canonizatione exhibitae fuerunt, et quas ordo clericorum regularium minorum exhibere non desistebat, juxta canonicas sanctiones, et venerabilia praedecessorum Nostrorum decreta in tam arduo negotio procedere volentes, primum universo S. R. E. cardinalium collegio totius causae seriem, scilicet compendium vitae, virtutum, et miraculorum exactis sacrae Rituum congregationis depromptum, typisque impressum distribui jussimus: tum in consistorio secreto die vigesima tertia martii proxime elapsi eosdem de totius rei summa allocuti, quid illi existimarent, rogavimus, et cum ingenti animi Nostri laetitia audivimus eorum omnium communia esse vota, ut supremam gravissimo judicio manum quantocius imponeremus.

Judicium latum super ejus decernenda canonizatione.

§. 12. Igitur, accitis in urbem ex Italia pluribus archiepiscopis, et episcopis, ut eorum quoque consilium ex laudabili apostolicae Se-

dis consuetudine exciperemus, hi omnes plenam causae cognitionem hauserunt tum ex eo, quod diximus, vitae servi Dei compendio, quod singulis traditum fuit, tum ex copiosa, et gravi oratione, quam in consistorio publico coram Nobis die decima sexta aprilis proxime praeteriti dilectus filius Joseph Capece-Latro advocatus consistorialis aulae Nostrae habuit de sanctitate vitae, et miraculis beati Francisci, ut pro ejus canonizatione instaret. Itaque in dicto consistorio semipublico die octava currentis mensis, cum, praeter eosdem fratres Nostros S. R. E. cardinales, convenissent magno numero patriarcha, archiepiscopi, et episcopi in Romana curia praesentes, uno spiritu omnes, et una voce censuerunt, beatum Franciscum inter sanctos omnino referendum esse, ac Nos ad peragendam canonizationem vehementer adhortati sunt. Quorum omnium suffragio chirographo singulorum munita colligi, et in Ecclesiae tabularium inferri jussimus, confectis de re tota publicis instrumentis. Caeterum, ut divinam voluntatem plenius intelligeremus, Nobisque ex alto coeleste lumen affulgeret, quo recta via incederemus, Nostris assiduis, enixisque precibus communes aliorum orationes conjungendas curavimus, et praeter indictos per urbem generalium jejuniorum dies, supplicationes ad certas ecclesias fieri praecepimus, concessa indulgentia iis, qui ad eas se conferrent, et pro impetrando Nobis divino auxilio et Spiritus Sancti gratia pie, ac devote orarent.

Canonizatio. §. 13. Denique hac die vigesima quarta maji sanctissimae Trinitatis solemnitati consecrata, ad Vaticanam basilicam, servata supplicationis publicae forma, praecedentibus solemni ritu omnibus utriusque cleri saecularis, et regularis ordinibus, omnibus magistratuum, et officialium Romanae curiae collegiis una cum praedictis Nostris fratribus S. R. E. cardinalibus, patriarcha, archiepiscopis, et episcopis, processimus: ubi ad confessionem principis apostolorum pervenimus, dilectus filius Noster Innicus Didacus tituli s. Augustini S. R. E. presbyter cardinalis Caracciolo nuncupatus ad canonizationem impetrandam procurator constitutus iterum atque iterum supremorum principum ecclesiarum, et ordinum nomine preces pro beati Francisci, aliasque pro beatorum Benedicti, Angelae, Coletae, et Hyacinthae canonizatione Nobis exhibuit. Quare quo uberiori superni luminis gratia obtinenda cum venerabili consacerdotum conventu, et devotissimo populo sacras litanias decantavimus, Deum optimum maximum, Deiparam, angelos, sanctosque omnes precati, ut coeleste Nobis adesset auxilium. Praeterea Spiritum Sanctum Paraclitum hymno, et oratione solemni rogavimus, ut lucis suae radium emitteret: itaque post maturas deliberationes rite praemissas, declaratumque ecclesiastici senatus consilium, divinae voluntatis nutum exequentes, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, et apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, in honorem sanctae et individuae Trinitatis, fidei catholicae exaltationem, et religionis christianae incrementum, praedictum Franciscum Caracciolo sacerdotem professum, et fundatorem ordinis clericorum regularium minorum catalogo sanctorum confessorum adscripsimus, eumque veneratione, quae sanctis cum Christo in coelis regnantibus debetur, prosequendum, et honorandum esse declaravimus, et definivimus; statuentes insuper, et concedentes, ut in ejus honorem in universa Ecclesia aedes sacrae, et altaria Deo dicari, et memoria ejus quotannis die quarta mensis junii inter sanctos confessores non pontifices recoli possit in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Eadem auctoritate Christifidelibus, qui singulis annis praedicta die sepulcrum ejusdem s. Francisci devote visitaverint, septem annos, totidemque quadragenas de injunctis eis, aut alias debitis poenitentiis in perpetuum relaxavimus.

§. 14. Mox debitas Deo gratias egimus, decantato laudis, et confessionis hymno, omnibusque Christifidelibus, qui pietatis, et religionis causa frequentissimi convenerunt, plenam peccatorum remissionem, et indulgentiam misericorditer in Domino concessimus. Tum in ara maxima supra sacratissimam confessionem beati Petri Principis apostolorum reverenter incruentum missae sacrificium celebravimus, facta speciali commemoratione sancti Francisci, uti etiam sanctorum Benedicti, Angelae, Coletae, et Hyacinthae, quorum suffragia ardenter imploravimus, ut iracundiae suae flagella Deus a Nobis avertat, atque ita concedat sanctorum glorias nos celebrare in terris, ut eorumdem virtutum aemulantes cum ipsis regnare possimus in coelis. Gratiarum actio.


Expositio literarum et fides habenda transumptis.

§. 15. Quibus omnibus peractis, cum idem cardinalis procurator humillime Nobis supplicasset, ut ad universalis Ecclesiae notitiam praemissa omnia deducere, literasque Nostras apostolicas ad perpetuam rei memoriam edere dignaremur, Nos justissimae petitioni annuentes, has praesentes Nostras literas, quibus omnia et singula praemissa confirmamus, atque iterum sancimus, perpetuo valituras extare voluimus; mandantes, ut earumdem praesentium transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ab omnibus habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 16. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti, relaxationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septimo, nono kalendas junii, pontificatus Nostri anno octavo.

✠ Ego Pius catholicae Ecclesiae episcopus.



Nomina cardinalium

✠

✠ Ego L. episcopus Portuensis et sanctae Rufinae cardin. Antonellus major poenitentiarius.

praesentium canonizationi.

✠ Ego A. episcopus Albanen. card. Valenti Gonzaga.

✠ Ego A. episcopus Praenestinus card. Matthaejus.

✠ Ego J. episcopus Tusculanus card. ab Auria Pamphily.

✠

✠ Ego F. S. R. E. tit. s. Laurentii in Lucina prior presb. card. Carafa.

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ Ego A. tit. s. Praxedis presb. card. Dugnani.

✠ Ego H. tit. ss. Nerei et Achillei presb. card. Vincenti.

✠

✠ Ego F. tit. s. M. Transtyberim presb. card. Pignatelli.

✠ Ego A. tit. ss. Joannis et Pauli presb. card. Roverella.

✠ Ego J. M. tit. s. Mariae supra Minervam presb. card. de Somalia.

✠ Ego I. D. tit. s. Augustini presb. card. Caracciolo.

✠

✠ Ego M. tituli s. Mariae in Via presbyter card. de Petro.

✠ Ego C. tituli s. Susannae ad thermas presb. card. Crivelli.

✠

✠ Ego F. M. tituli s. Anastasiae presb. card. Saluzzo.

✠

✠

✠ Ego B. tit. s. Silvestri in Capite presb. card. Pacca.

✠

✠ Ego J. Ph. tit. s. Alexii presb. card. Gallerati Scotti.

✠ Ego L. tit. s. Pudentianae presb. card. Litta.

✠ Ego Ph. tit. s. M. Ang. presb. card. Casoni.

✠

✠

✠ Ego H. tit. s. Petri ad Vincula presb. card. della Porta.

Digitized by Google

✠ Ego J. tit. s. Thomae in Parione presb. card. Gabrielli.

✠ Ego V. tit. s. Laurentii in Pane, et perna presb. card. Mastrozzi.

✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠

✠ Ego P. F. tit. s. Bartolomaei in Insula presb. card. Galleffi.

✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠
✠

✠ Ego A. sanctae Mariae in Via-Lata prior diaconorum cardinalis ab Auria.

✠ Ego R. s. Mariae ad Martyres diaconus card. Braschius de Honestis.

✠ Ego Ph. s. Eustachii diac. card. Carandini.

✠

✠ Ego H. sanctae Agathae ad Suburram diaconus card. Consalvi.

✠
✠
✠
✠

✠ Ego C. s. M. in Porticu diac. cardin. Erskine.

✠ Ego A. s. Adriani diac. card. Gazzoli.

✠
✠
✠
✠
✠

A. card. pro-Datarius R. card. Braschius de Honestis.

VISA

De curia J. Manassei.

F. Lavizzarius.

Loco ✠ plumbi.

Registrata in secretaria Brevium.

CCCCLXXXVII.

Dat. die 14. maji 1807. Anno VIII.

Canonizatio beati Benedicti a s. Philadelphio laici professi ordinis minorum de observantia reformatorum sancti Francisci.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Civitatem sanctam novam Jerusalem Joannes apostolus et evangelista, in apocalypsi contemplatus, vidit in ea turbam magnam, quam numerare nemo poterat ex omnibus gentibus, tribubus, et populis, et linguis, stantes ante thronum, et in conspectu agni. Ex quo sane admirabilis Dei et Salvatoris nostri benignitas apparet maxime, qui cum velit omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, ad fidem omnes vocat, neminem respuit, et cum personarum acceptor non sit, ex quavis gente ad se venientes excipit, dives in omnes, qui invocant illum. Propterea cum natus esset infans in Bethlehem, gentibus revelari, ab eisque adorari voluit: deinde cum aeterni Patris promissione gentes in haereditatem, et terminos terrae in possessionem suam esset habiturus, misit apostolos ad praedicandum evangelium omni creaturae; et Paulum singulari vocatione apostolum, doctoremque gentium constituit, ut fieret oblatio gentium accepta, et sanctificata in Spiritu Sancto.

De origine beati.

§. 2. Ex innumerabili vero illa justificatarum gentium plenitudine quosdam Deus elegit, et peculiari quodam sanctitatis fulgore illustres reddidit, quos cum principibus populi sui sedere facit in coelis, et tamquam super candelabrum collocat, ut luceant omnibus, qui in domo sunt, et qui in terrestri Jerusalem adhuc militant, eos exemplo suo ad arduum virtutis iter capessendum inflamment, adjuventque patrocinio. Ex eodem igitur Aethiopum genere, quo natus erat potens ille eunuchus Candacis reginae Aethiopum, quem insigni prodigio a Philippo apostolo aquis ablutum baptismatis acta perhibent apostolorum, originem traxit beatus Benedictus a s. Philadelphio, in quem divitias bonitatis suae tam copiose Dominus effudit, ut sublimibus virtutibus, coelestibusque charismati-

Digitized by Google

bus cumulatus in diebus sanctae conversationis suae admirationi omnibus fuerit et exemplo. Perspectum et in illo fuit mirum in modum, Deum superbis resistere, dare autem humilibus gratiam, infirmaque mundi eligere, ut confundat fortia. Benedictum siquidem humili, abjectoque natum loco, ad sublimissimum perfectionis et sanctitatis fastigium erexit: rudi, atque illiterato scientiam sanctorum dedit, quique aspectum, laudesque hominum diligentissime refugiebat, eum donis coelestibus sic decoravit, ut sanctitatis ejus fama in populos, et nationes manarit.

De fama ejus sanctitatis.

§. 3. Ut vero ejus vita eximiis virtutibus, meritisque praecelluit, ita obitus multis prodigiis, atque omnibus illis indiciis effulsit, quae eum sanctis Domini in coelis cooptatum, et aeternam mercedem recepisse liquido demonstraret. Factum inde est, ut cujus sanctitatem et gloriam miraculis eo intercedente patratis, demonstrare omnibus dignatus erat Deus, ei cultus publicus brevi fuerit pluribus in locis delatus. Ut igitur benignus, et misericors Deus, qui facit mirabilia magna solus, magis ac magis in sanctis suis glorificetur, absoluto jam pridem examine de cultu publico ei praestito, de virtutum ejus splendore, deque miraculorum veritate, cum omnia ad constitutionum apostolicarum praescriptum de more processerint, Nos Catholicae Ecclesiae regimini licet immeriti miseratione tamen divina praepositi, in id potissimum studia, curasque omnes nostras conferentes, ut cultus divinus promoveatur, et pietas fidelium accrescat, de plenitudine apostolicae auctoritatis Nostrae b. Benedictum condignis venerationis honoribus decorare decrevimus, firma in Deum spe confisi, ut qui jam de sua est securus, de nostra sit salute sollicitus, divinam clementiam exorans, ut conveniant populi in unum, et cognoscant gentes, quia non est alius Deus praeter Deum nostrum.

De vita et moribus ejusdem beati.

§. 4. In oppido sancti Philadelphi Messanensis dioecesis in Sicilia anno Domini circiter MDXXIV. natus est Benedictus, ob genus ejus, nigrumque colorem Maurus vulgo appellatus: parentes siquidem habuit origine Aethiopes, et divitis cujusdam servos, catholicos tamen, et singulari pietate spectabiles. Promiserat herus, se primam eorum prolem libertate donaturum. Quare cum Benedictus primogenitus ex iis natus sit, fuit ille quidem liber ab ortu: sancteque insuper educatus, atque ingenua indole praeditus, vix puerulus satis ostendit, qui, quantusque futurus esset in tempore. A puerorum ludis abhorrens, id unum animo contendebat, ut pietatem coleret, Deiparae praesertim virginis cultui impense addictus. Ut vero per aetatem licuit, coelesti convivio saepe recreari, simul corpus jejuniis, ciliciis, flagellis afflictare coepit. Vigesimo circiter aetatis anno durius vitae genus amplexus est, atque in solitudinem divino instinctu vocatus a Hieronymo Lanza viro nobili, et pio, qui sancti Francisci institutis jam devinctus, facultate ab apostolica Sede obtenta, cum aliis ejusdem propositi sociis, quartum perpetui quadragesimalis cibi, et trium in hebdomada feriarum esurialium, vitaeque solitariae votum susceperat, eumdem, venditis boum jugis, unde sibi victum parabat, pretioque in egenos collato, confestim sequutus est.

De professione votorum emissorum ex facultate apostolica, et abstinentiis quotidie adhibitis in eremo.

§. 5. In eremum sanctae Dominicae agri Coroneae, qua a s. Philadelphi oppido quatuor aut quinque millia passuum distabat, receptus sub disciplina ejusdem fr. Hieronymi, tyrocinio exacto, solemnia vota ex facultate apostolica nuncupavit. In eo vitae statu virtutes omnes eousque colere curavit, ut iis brevi cumulate instructus, ac caeteros omnes ejusdem disciplinae alumnos superasse visus sit. Quotidiana jejunia servabat, eaque adeo rigida, ut a vino semper abstinens, tantum panis, atque herbarum semel in die comederet, quo sustentare utique vitam, famem tamen depellere nunquam posset. Corporis macerationes cruentis flagellationibus, asperrimisque ciliciis adjunxit incredibiles: somnum brevem humi cubans capiebat: divinarum rerum meditationi sic deditus erat, ut dies noctesque pene totas orando traduceret. Horum eremitarum virtus cum paulatim innotescere caepisset, ac Benedicti imprimis, cujus sanctitatem Deus ipse pluribus prodigiis manifestabat, ex eremo in eremum una simul saepius commigrarunt, ut hominum frequentiam, congressusque defugerent; et modo Mancusae in cryptis asperrimis, modo in altissimo, horridoque s. Peregrini monte prope Panormum, modo aliis remotis in locis agrestia tuguriola extruxerunt. Ubique opinio virtutis, qua Bene-

dictus eminebat, augebatur, neque solum apud exteros, sed apud suos etiam, qui vita defuncto fr. Hieronymo Lanza, eum prae caeteris dignum judicarunt, quem in demortui praesidis locum sufficerent. Post vigintiduos annos, ex quo Benedictus eremo se addixerat, in eoque perfectissimum vitae genus ducere instituerat, fel. rec. Pius IV. praedecessor Noster edixit, ut pii illi viri, relicta solitudine, et quarto quadragesimalis cibi, et trium in hebdomada jejuniorum voto soluti, quamlibet ex approbatis sacris familiis amplecterentur. Omnes extemplo paruerunt; et Benedictus quidem sacro cappuccinorum ordini dare nomen cogitabat; sed cum in templo cathedrali Panormi Deum oraret, ut quid sibi agendum esset ostenderet, ter coelesti lumine fuit dignatus, quo ad sacram minorum s. Francisci familiam se vocari plane intellexit.

De instituto vitae eremitalis ab eo servato etiam in coenobiis.

§. 6. Igitur in coenobio Panormitano s. Mariae Jesu ejus ordinis inter laicos admissus, nec ita multo post in coenobium s. Annae Julianae ex obedientia profectus, tres ibi annos permansit, et absconditam, solitariamque vitam duxit, quae a pristina vitae ratione parum dissentiebat. Panormum revocatus ibidem reliquum omne vitae tempus exegit Etsi autem Benedictus regulare institutum immutasset, et ex eremo in frequentem urbem venisset, sui tamen semper similis vitae institutum, quod ab initio susceperat, ad obitum usque servavit. Cibus scilicet perpetuo quadragesimalis, parcissimus, et ex vilioribus, persaepe simplex panis. Hispidum quod semel induerat, cilicium nunquam detractum: perexigua corporis quies, et plerumque humi: multus, et operosus labor: rudis, ac trita tunica: corpus flagris, iisque saepe cruentis afflictum, aliaeque voluntariae carnis macerationes. Orationis, meditationisque perpetuum studium minime intermissum, etiamsi operibus vacaret, vel iter conficeret. Antiquae solitudinis studio captus, Dominicaeque passionis commentationi potissimum addictus, quantum in se erat convictum hominum refugiebat; sermo illi rarus, ac tantum de coelestibus rebus, de quibus eo charitatis ardore disserebat, ut in miros mentis excessus quandoque raperetur.

De paupertate evangelica obedientia, et virginali pudicitia ad extremum usque servata.

§. 7. Severus puritatis custos, toto corporis habitu in modestiam composito, nulli manus osculandas tradebat, imo etiam semper tunica contectas habebat, ne denudatae conspicerentur. Ita virginalem pudicitiae florem ad extremum usque servavit, unoque ore angelus, in carne appellabatur. Paupertatem evangelicam summopere coluit, ad eamque socios vehementer adhortabatur. Palearum sacculus, crux in pariete carbone delineata, una aut altera Mariae Virginis, et sanctorum chartacea imago, haec tota cellae suppellex. Peram, aut viaticum, dum iter ageret, nunquam deferebat: munuscula sponte oblata constantissime recusabat. Adeo vero se totum praesidum suorum voluntati subjecerat, nihil ut umquam sponte sua, omnia autem ad eorum arbitrium, nutumque ageret, idque prompte, et alacriter. Ex obedientia ad plures cujusvis conditionis homines audiendos, qui eum frequenter affari cupiebant, illico, precatione vel quovis alio opere intermisso, advolabat. In extremo morbo medicamina, quae nihil omnino profutura coelitus cognoverat, libenter adhibuit, prout medici, vel praesidis voluntas ferebat. Mansuetus praeterea, docilis, patiens, in omnique genere aequabilis, nunquam infirma valetudine, caeterisque adversis, numquam diaboli tentationibus, quas patiebatur, nunquam conviciis hominum, quibus impetebatur, perturbari potuit; siquidem ad omnes vitae eventus sic erat animo comparatus, ut unum respiceret Deum, in eoque spem omnem suam collocaret.

De charitate in Deum quae maxime effulsit.

§. 8. Caeterarum omnium virtutum praestantissima charitas in Deum in Benedicto effulsit maxime, qui nihil, nisi coelestia spectare, et contemplari studebat, omnem vero, levissimam licet, Dei offensionem summopere refugiebat: frequens, ac pene quotidianus sacramentorum poenitentiae et eucharistiae usus, diuturna ad divinas epulas praeparatio, diuturnior post eas gustatas gratiarum actio; simul vero is pietatis ardor, ut saepe coelesti fulgore circumfusus totum collustraret templum, atque extra sensus raptus diu immotus consisteret. Hinc incensa ejus charitas in proximos, quorum omnium aeternam salutem et vehementissime optabat, et corporis afflictatione, assiduisque orationibus a Deo precabatur. Qui vero ad Benedictum, ut eum consulerent, confluebant, iis omnibus ipse facilis, et praesto aderat, etiam dum aegrotaret, et opportuna consilia, et remedia cuique praebebat. Praeterea inclusos carcere, aut morbo laborantes, frequenter invisebat, ministe-

ria quaeque, et charitatis officia ipsis exhibens aliquid etiam in subsidium deferens, eosque ad patientiam, spemque in Deo collocandam excitans. Idem ejus animus, idem studium in hospites coenobitas praesertim suos, quibus omni officiorum genere ministrabat. Eadem charitas, eademque in egenos misericordia, quibus fiebat refectio Benedicti jejunantis abstinentia. Ipse autem Panormitani coenobii praeses factus, nihil urgebat magis, quam ut janitor a nemine paupere faciem suam averteret.

De ejus sapientia, et virtute in patrandis prodigiis.

§. 9. Ad hanc mirificam perfectionem, sanctitatemque vitae coelestia dona accesserunt; in primis singularis, et divinitus indita sapientia, qua homo, caeteroquin illiteratus, de altissimis fidei mysteriis tam apposite disserebat, et difficillima sacrorum codicum loca tam apte interpretabatur, ut et doctissimis ipsis theologis admirationi esset, et coenobitae qui eum audiebant, non ipsum esse censerent, sed Spiritum Sanctum, qui per eum loqueretur. Interdum abdita cordis penitus perspexit, saepe futura praenunciavit, suum quoque obitum, exiguumque in funus populi concursum. Prodigiorum autem virtute jam tum famulus Dei eminebat, cum in eremo adhuc versabatur: multo tamen magis, emicuit laicus severioris s. Francisci disciplinae cum esset. Plurimi vel crucis signo ab eo muniti, vel oleo lampadis ante Mariae virginis aram accensae inuncti, vel ejus precibus Deo commendati, statim a gravissimis, desperatisque morbis emergebant. In egentium subsidium non ita raro cibos augebat; et in suorum coenobitarum commodum quandoque coelitus comparabat, quandoque vero multiplicabat annonam.

De ejus humilitate.

§. 10. Nihil igitur mirum, si Benedictus probatissimus omnibus esset, omnium ordinum viri, nobiles, docti, socii quoque coenobitae, et coenobitarum praesides ejus opem implorarent, consilia exquirerent, precibus sese studiosissime commendarent: siquidem apud omnes constabat divino eum spiritu afflari. Quare sanctitatis ejus opinio longissime pervagata, Neapolim, Romam, Hispanias, et Lusitaniam pervasit. Interea ipse mitis, et humilis corde de se, demississime sentiebat, omnium mortalium minimum ex animo putabat, peccatorem autem vel maximum praedicabat: idoneas quasque opportunitates captare studebat, quibus se aliis despiciendum praeberet. Honores vero, significationes, atque hominum plausus quam moleste ferret, aperte ostendebat, et ut hominum laudes quoad posset vitaret, remotiores semper, minusque frequentes vias, cum ad aegrotos, aut ad alia charitatis opera ex obedientia iret, seligebat. Verum nihil ei tam gratum, et jucundum fuit, quam ut omnia, et viliora quidem, atque abjectiora coenobii ministeria praestaret, etiam tum cum Panormitani coenobi moderator fuit constitutus.

De ejus prudentia, et obedientia.

§. 11. Nimirum Siculae minorum provinciae praepositi Benedicti virtutes, singularem in primis prudentiam tanti faciebant, ut ex tot aliis praestantibus viris eum unum seligendum duxerint, quem Panormitano coenobio praeficerent, ubi rigidior disciplina recens instituta magis ac magis erat confirmanda. Excusavit quidem ipse literarum ignorantiam, infimam sui conditionem, multaque alia, quae humilis de se opinio sugessit. At cum nihil profecisset, obedientiae praecepto urgente, tacitus, promptusque paruit. Praesidum votis plene, cumulateque respondit: coenobitasque sibi concreditos brevi post tempore, qua monitis, qua exemplis, qua lenitate, et sermonis suavitate in culpis etiam pro re, et tempore vindicandis, ad severiorem disciplinam deduxit.

De ejus obitu.

§. 12. Triennio exacto ex coenobii praefectura solitudini restitutus, vehementius etiam per plures annos in virtutibus progredi studuit: quoad de proximo ex hac vita excessu certior coelitus factus, gravissimi morbi molestias per triginta dies laeto libentique animo subiit, nihil umquam sua sponte postulavit, nihil ex iis, quae sumenda porrigebantur, recusavit. Interea vel precari, vel divina, et quidem multo magis acerbissimos Christi cruciatus contemplari, pro viribus enitebatur. Coelesti pane reficiendus, fune de collo suspenso, veniam a singulis quibusque coenobitis sociis petiit, lacrymasque profundens, et fidei charitatisque ardorem animo conceptum, verbis etiam efferens, sacrum Christi Corpus, ceu viaticum suscepit. Quo quidem suscepto, extra sensus abreptus miro vultus splendore emicuit, et suavissimum odorem efflavit. Ex hoc mentis excessu cum se recepisset, manibus in pectore ad Crucis speciem compositis, oculis vero in coelum

defixis, saepius repetens suavissima Jesu, et Mariae nomina, eaque psalmographi verba: « in manus tuas Domine commendo spiritum meum », ad sinum, complexumque Domini, quem unum in omni vitae tempore dilexerat, advolavit, pridie nonas aprilis, millesimi quingentesimi octogesimi noni feria tertia solemnium paschalium, annos natus sexagintas tres.

Preces a regibus, clericis, et populis porrectae pro obtinendo honorifico loco pro custodia exuviarum ven. servi Dei.

§. 13. Quamquam vero pauci, ut ipsemet praedixerat, in ejus funus venerint, postridie tamen illius diei, cum obitus ejus fama in vulgus manasset, magnus hominum cujusque aetatis, et conditionis concursus in templum factus est, tantoque cum pietatis sensu, ut et sacras reliquias quisque vellet habere, et vix fieri potuerit, quin ejus corpus effoderetur. Porro beneficia, et prodigia, quae a Deo plurimi, Benedicto intercedente, impetrarunt, famam sanctitatis ejus, quae jampridem omnium animis alte insederat, ita auxerunt, ut non modo Europam universam, sed disjunctissimas quoque terras, et Americam ipsam peragraverit. Propterea anno MDXCII. nonis majis corpus ejus e terra erutum, cardinali Matthaejo, sacrae minorum s. Francisci familiae patrono, veniam concedente, fuit in sacrario repositum. Mirum tunc quoque visum, corpus idem, quod per triennium in humido aliorum sepulcro nullo modo medicatum jacuerat, integrum tamen, incorruptumque perstare, et suavissimum odorem spirare, quem diu etiam postea spirasse compertum est. Duobus post annis idem cardinalis Matthaejus archiepiscopo Panormitano mandavit, ut de Benedicti virtutibus, ac miraculis inquisitionem legitime institueret, quam ad annum quidem perfecit. Cum sanctimoniam servi sui Deus aliis atque aliis prodigiis testari videretur, et preces Philippi II. Hispaniarum, et utriusque Siciliae regis, nec non universi cleri, et populi Panormitani Sedi apostolicae fuissent exhibitae, congregatio sacrorum Rituum concessit, ut sacrae ipsius exuviae in templum transferrentur, et in honorifico loculo e terra elevato conderentur, quod quinto nonas octobris anno MDCXI. cardinalis Joannettinus ab Auria tunc archiepiscopus Panormitanus praestitit.

Beatificatio ejusdem ven. servi Dei.

§. 14. Cum plurimae aliae publici cultus, et honoris significationes accessissent, votivae tabellae ejus sepulcro appensae, imagines, et signa altaribus imposita, novus processus auctoritate ordinaria constructus fuit anno MDCXX. subinde duo auctoritate apostolica; alter Panormi anno MDCXXV.; alter in oppido s. Philadelphii anno proximo, in quos ea omnia fuerunt relata, unde servi Dei et virtutes, et miracula constarent. Interea fel. rec. Urbanus VII. praedecessor Noster super hisce causis nova decreta edidit, ex quorum sinistra interpretatione b. Benedicti causa intermissa fuit, donec anno demum MDCCXIII. eam resumendi facultas data est annuente piae mem. Clemente XI. Nostro pariter praedecessore. Ita apostolicis absolutis actis tum Panormi, tum in urbe de cultu publico ipsi exhibito, re semel, atque iterum in congregatione sacrorum Rituum expensa, tandem v. idus majas anno MDCCXLIII. decretum prodiit: constare de cultu publico b. Benedicto praestito, sive de casu excepto a decretis s. m. Urbani pp. VIII., cui quidem judicio rec. mem. Benedictus XIV. antecessor Noster proximis idibus assensum suum praebuit: qui etiam paulo post sacrae minorum s. Francisci familiae, et universo clero dioecesis Panormitanae, et oppidi sancti Philadelphii potestatem fecit recitandi ipsius beati officium, et missam de communi confessoris non pontificis, oratione tamen propria jam approbata. Porro ejusdem mem. Clemens XIII. praedecessor Noster iis omnibus lectiones secundi nocturni proprias recitandas indulsit.

Processus adhibitus ut in sanctorum numerum adscribi posset.

§. 15. Ut autem b. Benedictus ex provida Sanctae Romanae Ecclesiae dispositione in sanctorum numerum adscribi posset, virtutum ejus disquisitio rite instituta fuit ex tabulis ordinaria, et apostolica auctoritate jam digestis, in quas ejus et sanctissima gesta fuerant relata. Re mature perpensa, congregatio sacrorum Rituum pronunciavit, singulares, et plane heroicas b. Benedicti virtutes extitisse: quod decretum piae mem. Pius VI. proxime decessor Noster apostolica auctoritate confirmavit XVII. kalendas aprilis MDCCLXXVII. Quaestio supererat de miraculis. Quatuor fuerant cardinalium, qui sacris Ritibus praesunt, judicio commissa, quae b. Benedicto suffragante divinitus edita ferrebantur post cultum publicum a sacrorum Rituum congregatione ipsi permissum. Ex his quatuor duo tantum (neque vero res

Digitized by Google

plura postulabat) in comitiis generalibus pridie nonas aprilis anno MDCCXC. accurate perpensa, et unanimi cardinalium suffragio probata, idem Pius VI. praedecessor in miraculorum numero reponenda esse decrevit.

Miracula patrata sub ejus intercessione.

§. 16. Primum miraculum fuit hujusmodi: Franciscus Centinius et Capitius novem annorum puer ab oppido s. Philadelphii ictu glandis ab ignea ballista explosae tam grave vulnus in gutture acceperat, ut aspera arteria perforata, vel potius penitus discissa, vulneris ipsius hiatu spiritum duceret, quin ulla spes salutis affulgeret: ubi autem b. Benedicti reliquia saucio gutturi admota est, statim vulneri obducta cicatrix, atque integra valetudo restituta. Alterum: Philippus Scaglioneus ex oppido s. Philadelphii, ab ortu ad decimum quartum aetatis annum ea pedis utriusque infirmitate laborabat, ut neque per se ipse staret, neque loco moveretur, multoque minus pedibus ire ullo modo posset, at vix dum beati Benedicti opem imploraverat, cum religiosum ordinis s. Francisci sibi adstantem aspexit, simul suadentem, ut surgeret, et graderetur, utpote jam sanus. Statim ille Benedictum, quem invocaverat, eum esse ratus, dicto audiens erexit sese, et exinde expedito semper ambulavit.

Opinio Pii VI. de sanctitate beati.

§. 17. His prodigiis approbatis, cuncti ejusdem congregationis sacrorum Rituum cardinales laudato praedecessori Pio VI. summo consensu affirmarunt, b. Benedictum sanctis viris adscribi posse: ac demum idem ipse Pius VI. praedecessor, pluribus jam ante precibus ad Deum fusis, Sanctique Spiritus ope implorata, XVIII. kalendas septembris ejusdem anni b. Benedictum in sanctorum album referri posse declaravit, decretumque canonizationis ejus quandocumque faciendae expediri, et publicari jussit. Cum igitur antiquis, repetitisque plurimorum votis novae enixae accessissent preces, quas singuli quique Siculorum civium ordines, maxime vero sacra minorum s. Francisci universa familia Nobis exhibendas curarunt, atque omnia essent absoluta, quae in congregatione sacrorum Rituum peragi debuerunt, congruum quoque Nobis videbatur, ut ultimam denique sententiam super beati viri canonizatione ferremus.

Preces indicuntur ad divinam opem implorandam.

§. 18. Quamobrem ex Sanctae Romanae Ecclesiae disciplina in consistorio Nostro secreto die XXIII. martii proxime elapsi a dilecto filio Julio Maria tituli sanctae Mariae supra Minervam presbytero cardinali de Somalia nuncupato sacrorum Rituum congregationis praefecto praemissorum omnium relatione apposite facta, cum reliqui cardinales sibi placere dixissent, ut b. Benedictus sanctorum fastis adscriberetur, publicum deinde consistorium die XVI. proxime superioris aprilis convocavimus, in quo dilectus filius Bellisarius Christaldi consistorialis aulae Nostrae advocatus diserta oratione virtutum excellentiam, vitaeque sanctitatem b. Benedicti laudavit. Praeterea in alio consistorio semipublico die VIII. hujus mensis coram Nobis habito, cum prius omnibus suffragaturis summa vitae, virtutum, et miraculorum b. Benedicti ex actis sacrae Rituum congregationis exacte deprompta, typisque publicata, fuisset tradita, ut ad sententiam dicendam parati accederent, omnes quotquot adfuerunt, venerabiles fratres Nostri S. R. E. cardinales, patriarcha, archiepiscopi, et episcopi, quorum plurimi ex vicinioribus dioecesibus a Nobis acciti Romam convenerant, unanimi consensu b. Benedictum in sanctorum numerum referendum esse censuerunt. Quorum omnium suffragia, quibus singuli subscripserunt, colligi, et in Sanctae Romanae Ecclesiae tabulario custodiri mandavimus; instrumenta etiam super his omnibus confici jussimus. Deo autem maximas gratias egimus, quod servum suum per ministerium Nostrum honorificari velle dignaretur, diemque canonizationis indiximus, omnesque interim adhortati sumus, ut ad coelestem Spiritus Sancti gratiam Nobis impetrandam suas preces Nostris adderent, eleemosynisque, et jejuniis perseveranter insisterent, ut in tanta re, et tam arduo negotio auctor bonorum omnium Deus, Pater luminum adesset Nobis, dirigeretque consilia Nostra.

Canonizatio.

§. 19. Demum omnibus rite expletis, quae sacri canones, et ecclesiastica consuetudo praescribunt, hac die, quae fuit dies dominica sanctissimae Trinitatis, cum venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus, nec non patriarcha, archiepiscopis, et episcopis, Romanaeque curiae praelatis, officialibus, et familiaribus Nostris, clero saeculari, et regulari, ritu solemnis supplicationis, ad Vaticanam beatissimi Petri apostolorum principis basilicam splendide ornatam convenimus, ubi

dilecto filio Nostro Innico Didaco tituli sancti Augustini S. R. E. presbytero cardinali Caracciolo nuncupato procuratore semel iterum, ac tertio pro canonizationis decreto supplicante, sacris precibus, et litaniis decantatis, et creatore Spiritu invocato, ut mentem Nostram visitaret, pectusque superna gratia impleret, ad honorem sanctissimae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae, ad Christianae religionis augumentum, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, divina ope saepius implorata, ac de praedictorum S. R. E. cardinalium, patriarchae, archiepiscoporum, et episcoporum in urbe existentium consilio et sententia, beatum Benedictum a s. Philadelphio omnium virtutum genere cumulatissimum, et miraculorum gloria illustrem, vere sanctum esse definiendo pronunciamus, et una cum Francisco Caracciolo, Angela Merici, Coleta Boilet, et Hyacintha Mariscotti sanctorum canoni inseruimus, eumque ab omnibus Christifidelibus honorandum colendumque esse decrevimus: statuentes, ut ubique ecclesiae, et altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, in ejus honorem aedificari possint, in ejusque memoria singulis annis die quarta mensis aprilis inter sanctos confessores non pontifices recoli debeat: eademque auctoritate omnibus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui quotannis eodem die festo sepulcrum, in quo corpus ejus requiescit, visitaverint, septem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavimus. His peractis, hymnum laudis, et confessionis pro gratiarum actione Deo decantavimus, et in ara maxima missae sacrificium celebravimus, cum commemoratione ejusdem sancti Benedicti, et praedictorum quatuor sanctorum; plenariam quoque indulgentiam omnibus Christifidelibus ad tantae solemnitatis celebritatem congregatis in forma Ecclesiae consueta concessimus. Quoniam vero sancti Benedicti praesidium Nobis coelitus comparatum videmus, aequum est, ut cum humilitate gratias Deo agamus, suppliciter obsecrantes, ut servi sui meritis et intercessione a praesentibus hujus mortalis vitae angustiis, et calamitatibus Nos liberare, et in hoc saeculo coelesti gratia sua implere dignetur, qua in futuro aeternam sanctorum felicitatem adipisci mereamur.

§. 20. Caeterum cum idem cardinalis procurator, quo par erat obsequio, a Nobis petiisset, ut super praemissis omnibus apostolicas Nostras literas perpetuo valituras decerneremus, Nos justissimis precibus annuentes, praesentes Nostras literas edi, et publicari voluimus, et decrevimus, quarum tenore omnia et singula praemissa confirmamus, atque iterum statuimus: mandantes ut earum transumptis sive exemplis etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, et sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem ubique fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Expeditio literarum, et fides habenda transumptis.

§. 21. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti, relaxationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septimo, nono kalendas junii, pontificatus Nostri anno octavo. Sanctio poenalis.

✠ Ego Pius catholicae Ecclesiae episcopus.



Nomina cardinalium praesentium canonizationi.

✠

✠ Ego L. episcopus Portuensis et s. Rufinae card. Antonellus major poenitentiarius.

✠ Ego A. episcopus Albanen. card. Valenti Gonzaga.

✠ Ego A. episcopus Praenestinus card. Matthaejus.

✠ Ego J. episcopus Tusculanus card. ab Auria Pamphily.

✠

✠ Ego F. S. R. E. tit. s. Laurentii in Lucina prior presb. cad. Carafa.

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ Ego A. tit. s. Praxedis presb. card. Dugnani.

✠ Ego H. tit ss. Nerei et Achillei presb. card. Vincenti.

✠

✠ Ego F. tituli s. M. Transtyberim presb. card. Pignatelli.

✠ Ego A. tituli ss. Joannis et Pauli presb. card. Roverella.

✠ Ego J. M. tit. s. Mariae supra Minervam presb. card. de Somalia.

✠ Ego I. D. tit. s. Augustini presb. card. Caracciolo.

✠

✠ Ego M. tituli s. Mariae in Via presbyter card. de Petro.

✠ Ego C. tit. s. Susannae ad thermas presb. card. Crivelli.

✠

✠ Ego F. M. tit. s. Anastasiae presb. card. Saluzzo.

✠

✠

✠ Ego B. tit. s. Silvestri in Capite presb. card. Pacca.

✠

✠ Ego J. Ph. tit. s. Alexii presb. card. Gallerati Scotti.

✠ Ego L. tit. s. Pudentianae presb. card. Litta.

✠ Ego Ph. tituli s. Mariae Angelorum presb. card. Casoni.

✠

✠

✠ Ego H. tit. s. Petri ad Vincula presb. card. della Porta.

✠ Ego J. tit. s. Thomae in Parione presb. card. Gabrielli.

✠ Ego V. tit. s. Laurentii in Pane, et Perna presb. card. Mastrozzi.

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ Ego P. F. tit. s. Bartholomaei in Insula presb. card. Galleffi.

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ Ego A. sanctae Mariae in Via-Lata prior diaconorum cardinalis ab Auria.

✠ Ego R. s. Mariae ad Martyres diaconus card. Braschius de Honestis.

✠ Ego Ph. s. Eustachii diac. card. Carandini.

✠

✠ Ego H. sanctae Agathae ad Suburram diaconus card. Consalvi.

✠

✠

✠

✠

✠ Ego C. s. M. in Porticu diac. card. Erskine.

✠ Ego A. s. Adriani diac. card. Gazzoli.

✠

✠

✠

✠

✠

A. card. pro-Datarius R. card. Braschius de Honestis.

VISA

De curia J. Manassei.

F. Lavizzarius.

Loco ✠ plumbi.

Registrata in secreteria Brevium.

Digitized by Google

Dat. die 24 maji 1807. Anno VIII.

CCCCLXXXVIII.

Canonizatio beatae Angelae Merici fundatricis societatis sanctae Ursulae.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Æterni Patris sapientia, unigenitus Dei filius, novam legem promulgaturus, ac stultam facturus sapientiam hujus mundi, duo esse docuit mandata, in quibus universa lex pendet, et prophetae, primum, et maximum, quo Dei dilectio continetur, alterum simile huic, quo proximos sicut nosmetipsos diligere jubemur. Nec vero perfecta in proximos charitas esse potest, nisi divino illo igne accensa fuerint, quo Deus ex toto corde, et in tota anima, et in tota mente diligitur. Ex quo Paulus apostolus cum homines per charitatem servire invicem hortaretur, uno hoc sermone totam legem impleri dixit « Diliges proximum tuum sicut te ipsum ». Sane in Ecclesia Catholica, in qua una totius legis perfectio impletur, nunquam defuerunt praeclara quaedam, atque extraordinaria utriusque charitatis exempla. Deus enim non raro ad eam vitae rationem vocat famulos suos, ut hi suarum rerum omnium obliti, quae Dei sunt, tantum quaerant; proximorum necessitatibus tum spiritualibus, tum temporalibus incumbant; omniumque servos se faciant, ut omnes Christo lucrifaciant, iisque aditum faciliorem ad aeternam salutem parent. Et in viris quidem multis praeclarae hujus beneficentiae exempla jure suspicimus, et praedicamus. Mirandum vero, quod plures etiam faeminae extiterint singulari animi fortitudine praeditae, quae proximorum necessitatibus sublevandis se penitus devoverent, in primis vero piae, sanctaeque puellarum educationi se addicerent; unde tot bona in religionem, atque in societatem ipsam dimanarunt.

Ratio decernendae canonizationis. §. 2. Certe mollis et tenera aetas, quae flexibilis est in utramque partem, et facile, qua traxeris, ducitur, prudentissima directione indiget, et permagni interest, quod rectam christianae vitae semitam ingrediatur, atque ita in mundo conversari discat, ut sempiterna coeli bona terrenis quibuslibet commodis studiosissime praeferat; quippe constat, adolescentem juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedere ab ea. Neque minus puellarum, quam puerorum pia institutio laudanda est, omnique ratione expetenda, quippe quae majorem saepe, atque uberiorem utilitatem familiis afferat: ut enim monet Ecclesiasticus, gratia super gratiam mulier sancta, et pudorata; disciplina illius donum Dei est. Merito igitur celebranda est beata Angela Mericia, quam Deus ad aeternam proximorum salutem, aliaque eorum commoda multis, mirisque modis procuranda coelitus vocavit, donisque supernis ad tantum opus instruxit: in primis vero divinitus excitavit, ut ad piam, christianamque puellarum educationem promovendam, propagandamque sub sanctae Ursulae titulo, et patrocinio societatem virginum institueret: quae tamquam flos rosarum in diebus vernis Ecclesiam suavissimo virtutum odore reficit, et de puellarum institutione meretur adhuc egregie, merebiturque adjuvante Deo futuris etiam temporibus. Sanctissimam hanc Dei ancillam meritis bonorum operum cumulatissimam jam pridem coelestis sponsus ad nuptiale convivium vocavit, sanctitatemque ejus divino miraculorum testimonio luculentissime comprobavit. Quare cum jam singula, quae in hujusmodi causis ad sanctiones, pontificiaque decreta fieri debent, perquam diligenter peracta fuerint, inter praecipuas partes apostolici muneris quod infirmitati Nostrae altissimo Dei consilio commissum est, hoc etiam esse intelligimus, ut b. Angelam, quae jamdudum conspectu Dei fruitur in coelis, sanctarum virginum choro aggregatam esse declaremus, et in tabulas ecclesiasticas referamus. Igitur de consilio, et unanimi suffragio venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium, nec non patriarchae, archiepiscoporum, et episcoporum in plenario coetu congregatorum, prae omnibus Dominum Deum luminum datorem enixe deprecati, b. Angelam sanctarum virginum catalogo adscribimus, eamque veneratione, quae sanctis in aeterna tabernacula receptis debetur, colendam, invocandamque esse de Nostrae auctoritatis plenitudine statuimus, ac definimus, cujus egregias actiones, sanctaeque vitae excellentiam brevi narratione complectemur, ut fideles omnes ad ejus virtutes imitandas excitentur, ac praesertim tantae parentis digna

soboles, et alumnae eam tamquam ducem, et magistram impigre sequantur, et quo magis saeculi crescit impietas, eo uberiora suppetant praesidia, et adjumenta ad pietatem fovendam, eamque in tenera praesertim aetate confirmandam.

De vita, et moribus venerabilis ancillae Dei.

§. 3. Decentiani, Veronensis dioecesis oppido ad lacum Benacum in ditione Veneta, anno circiter millesimo quadringentesimo septuagesimo b. Angela Mericia ex piis parentibus orta, a prima aetate oblectamenta puellis communia, mundique illecebras respuens, silentio, et rerum coelestium meditationi se penitus addixit, et virginitatis lilium perpetuo servare statuit illibatum: ut divino tantum placeret sponso, muliebrem omnem perhorrescens ornatum, egregiam vultus formam, pulchramque caesariem studiose foedavit. In ipso adolescentiae flore parentibus orbata in desertum locum desiderio austerioris vitae una cum sorore aufugere tentavit; sed ab avunculo retenta domi praestitit, quod in solitudine non licuit. Non ita multo post dilecta hac quoque sorore morte praerepta, etsi Angela vehementer doluit, se in suscepto asperrimae vitae genere comite fuisse destitutam, tamen majore alacritate in suo semper proposito perstitit: corpus cilicio, et flagellis assidue macerabat; brevissimum somnum humi carpebat; carnes infirma dumtaxat valetudine, vinum nonnisi in nativitatis, et resurrectionis Dominicae solemniis degustabat; compluribus autem diebus nihil omnino cibi sumebat. Cum ferventes, continuasque ad Deum preces funderet, ut sibi manifestaret, num defunctae sororis suae anima coelesti gloria frueretur, repente conspiciendam seipsi praebuit Deipara virgo cum ejus sorore fulgentissimis circumfusa radiis, et angelicis stipata choris; quae charissimam sororem ad perfectionis viam constanter sectandam hortata est, communis hinc gloriae consortium eidem promittens.

Quibus remediis daemonis fraudes continuo deluserit exponitur.

§. 4. Ab ea die mirum quanto studio pientissima puella, quantaque solertia adlaboraverit, ut in omni virtutum genere magis magisque proficeret. Quam cum daemon, in angelum lucis se transfigurans, decipere tentasset, fraude detecta, procidit in terram, sese indignam professa, quae angelos Dei videret, atque ita vaferrimum hostem delusit. Sed ut contra ejus insidias se firmius communiret, diras carnis macerationes, et exercitia pietatis ingeminavit. Eucharisticae dapis suscipiendae jam capax per aetatem, ut tam frequenter, quam optabat, ea coelesti esca vesci posset, abdicatis paternis bonis, habitum ac regulam tertii ordinis s. Francisci amplexa est: quippe tepescente illis temporibus pietate, dolenda illa invaluerat consuetudo, ut saeculares ad sacram mensam raro admodum accederent.

De abstinentiis quibus semper operam navavit, in victu, et vestitu.

§. 5. Sanctimoniae incrementum omnes in ancilla Christi suspiciebant; illa vero in aeternorum meditatione semper defixa, corporis afflictationes mirum in modum adaugebat. Arctissima rerum delectabatur inopia; famem, sitim, durasque tempestatum inclementias libenter perpetiebatur: emendicatis victitabat escis, detractaque ex iisdem quotidiana sua tenuissima alimonia, quod supererat egenis largiebatur, aegrotis praesertim, quibus ministrare mirum in modum gaudebat. Rudi, ac simplicissimo utebatur indumento; subuculam, quam hispido cilicio superimponebat, frigida prius aqua hyemis tempore madefaciebat. Mensa ejus constabat panis buccella, paucisque fructibus, herbisque insipidis. Toto anno sextas ferias, et tres in hebdomanda dies quadragesimali tempore prorsus impasta transigebat; reliquis quadragesimae diebus trina nuce, castanea, ficu, atque porro tantummodo vescebatur, nisi quod die dominico parvum addebat panem. Saepe jejuna per hebdomadam integram permanebat, solo contenta cibo eucharistico. A morbis vero, nullo adhibito remedio, vilissimi tantum cibi illius esu, de quo jam dictum, est, feliciter convalescebat. Decentiano patria sua discessit, et plura dein peragravit loca, ut pietatis officia erga proximos praestaret. Cum vero tanta ejus esset charitas in Deum, ut saepius extra sensus raperetur, famaque sanctitatis quotidie cresceret, facile vel infensos invicem animos reconciliabat, vel perditos homines a vitiis revocabat, vel afflictas consolabatur, vel reis veniam obtinebat.

De sacris peregrinationibus ab ea susceptis.

§. 6. Alias deinde sacras peregrinationes aggressa, Mantuam profecta est, ut b. Hosannae de Andreasiis sanctimonialis ordinis de Poenitentia s. Dominici colloquio frueretur. Inde ad Palaestinam contendit, ut loca illa a Redemptore nostro consecrata inviseret: quo

Digitized by Google

in itinere illud prodigium accidit, quod cum ad Cydonias appulsa oras utriusque oculi lumine fuisset orbata, rediens eodem plane in loco coram Jesu Cruci affixi imagine subitam, absolutamque visionem recuperavit. Praeterea e tribus navibus, quae simul navigabant, tempestate magna oborta, duae quidem fluctuum impetu submersae fuerunt, tertia, qua Angela vehebatur, et imminens naufragium, et captivitatem, cum in barbaros incidisset, divinitus evasit, felicissimeque Venetias pervenit. Magna ibi praecesserat fama de ejus sanctitate, ideoque magno excepta plausu, cum ob illius jam perspectas virtutes rogaretur; ut Venetiis sedem suam figeret, renuit humillima virgo, et clam illinc discessit, Brixiamque regressa est. Paulo post, scilicet anno jubilaei MDXXV, ad hanc Nostram almam urbem se contulit desiderio accensa adipiscendi sacrarum indulgentiarum thesauros, magno cum pietatis sensu, et religionis significatione injuncta explevit opera, templa, et ss. martyrum memorias venerata est, ad colloquium etiam, et pedum osculum admissa fuit fel. rec. Clementis VII. praedecessoris Nostri, qui cum Angelae merita probe nosset, Romae eam detinere meditabatur, ut mulierum nosocomiis, et gynecaeis regendis, juvandisque praeficeret; alio vero eam divinitus vocatam esse sentiens tandem ex urbe abire concessit.

De custodia virginitatis ab ea habita, aliarumque virtutum exercitio.

§. 7. Rediens ex urbe nostrae redemptionis mysteria in quibusdam Montis Varalli aediculis graphice expressa, novo charitatis incendio flagrans venerata est. Cremonae vero longiusculam moram ducere; propter bella, et obsidiandis periculum Brixiae imminens, coacta fuit; quo quidem temporis intervallo magna hominum cujusque ordinis, et conditionis multitudo ipsam assidue, veluti oraculum, conveniebat, ut de spiritualibus negotiis eam consulerent; omnesque supernam ejusdem sapientiam, summamque vitae perfectionem maximopere mirabantur. Interea in gravissimum morbum ancilla Dei incidit, et brevi conclamata fuit ejus salus, proximusque obitus nunciatus. Tunc illa insueto gaudio gestiens, ac supra lectum in sedentis formam se componens de sempiterna beatorum felicitate ad semihorae spatium tanta dicendi vi, tantaque sancti amoris, qui ex intimo corde in faciem quoque mirabiliter irradiatam erumpebat, significatione disseruit, ut universi adstantes stupore perculsi cherubim se audire, atque intueri crederent. Sed illico Angela, penitusque convaluit; quae propterea summopere doluit, differri sibi immarcescibilis coronae possessionem, quam jam jam se adepturam laetitia exultans speraverat. Brixiam demum reversa domum ad sanctae Aphrae templum conduxit, adjunctaque sibi socia piissima faemina, et sub directione, et disciplina monachorum regularium s. Augustini ex congregatione Lateranensi, a quorum nutu pendebat, spiritualia singularis pietatis exercitia in s. Aphrae ecclesia peragere instituit. Longum esset enumerare omnia, quae ad proximos sive ab egestate levandos, sive a peccatorum sordibus emundandos assidue, studioseque praestabat, quantaque omnibus adjumenta ad aeternam salutem parabat. Virginitatem vero tanta diligentia custodivit, ut capillorum elegantiam, quam in se laudari novit: atra fuligine commixta lixivio conspurcaverit: asperrima praeterea corporis afflictatione nativam vultus formam ita corrupit, ut ingratum, squallidumque conspectum suum reddiderit intuentibus.

De fundatione instituti ab ea facta.

§. 8. Verum jam Dei famula novae virginum societati sub certa disciplina, sanctisque vivendi regulis fundandae ut manus omnino admoveret, divinitus incitabatur. Illa quidem adhuc adolescentula Decentiani degens, dum assuetae impensius orationi vacabat, vidit mysticam scalam stantem super terram, cujus cacumen coelos tangebat, per quam numerosa virginum cohors, atque angelorum chorus alterna vice descendebant, illae pretioso gemmarum serto tempora redimitae, hi musica instrumenta pulsantes. Simul vocem Domini audivit imperantis, ut Brixiae selectam virginum societatem institueret. Visionem Angela cum sui spiritus moderatore communicavit, qui aliis quoque piis, doctisque viris in consilium adscitis, ac re tota ad aequam sanctuarii lancem expensa, de veritate visionis minime dubitavit. Ast humillima virgo tanto operi perficiendo sese imparem putans, sacras peregrinationes auspicata, fundationem tamdiu remota est, dum eam Christus Dominus apparens, de hujusmodi cunctatione reprehendit, novosque stimulos trepidanti adjecit. Igitur sublimibus cum esset ornata virtutibus, supernisque coelestium charismatum donis cumulata, sapientiae potissimum, prophetiae, ac di-

scretionis spirituum, divinam gloriam cum aeterna animarum salute sibi unice proponens, praestantissimum posuit institutum, quod et periclitanti prospiceret illarum puellarum virginitati, quae tametsi christianae perfectionis cupidae, regularem tamen vitam amplecti nollent, et ejus saeculi erroribus, ac vitiis obsisteret. Deinde consilio, et approbatione gravium, sapientumque virorum colligere domi suae coepit spectatae pietatis virgines, aliasque lectissimas foeminas, quas assiduis documentis, et monitis instruebat, et ad novam capessendam sanctioris vitae rationem praeparabat. Biennii, aut triennii spatio sic illarum probatis moribus, et explorata coelesti vocatione, tandem die xxv. novembris s. Catharinae virgini et martyri sacra anno Domini MDXXXV. septem supra viginti egregias virgines, coelesti pabulo refectas, sine ulla dotis solutione secum in societatem cooptavit.

De regula servanda in societate ab ea instituta, apostolica auctoritate confirmata.

§. 9. Brevem regulam duodecim dispertita capitibus concinnavit; iisque observandam proposuit, in qua, etsi ex iis votis, quae substantialia religiosae professionis sunt, nullum societati suae injunxerit, virginitatem tamen stricte custodiendam praescripsit, ac praecipue commodavit solitudinem, obedientiam, mortificationem tum spiritualem, tum corporalem, charitatem, orationem, sacramentorum frequentiam, aliaque pietatis officia. Christianae humilitatis summopere studiosa nomen suum reticere voluit, tituloque sanctae Ursulae societatem ab se institutam insignivit; quam invictae hujusce virginum ducis patrocinio munitam, perennem quoque futuram morti proxima praedixit. Anno nondum a fundatione emenso, cum jam alumnarum numerus ad virgines octoginta, et nobiles viduas quinque excrevisset, regula ab ecclesiastica potestate Brixiae approbata est: quae deinde post pretiosam Angelae dormitionem ab apostolica Sede confirmata fuit. Mediolani autem opera s. Caroli Borromaei stabilitum est ejus institutum, tum in alia regna, provincias, ultra montes, et ultra maria rapido progressu propagatum est. Caeterum b. Angela supremo lumine praenoscens suae dissolutionis horam instare, alteram sibi societatis moderatricem subrogavit; et spirituale testamentum confecit, quo purissima virtutum sensa expressit, et saluberrima evangelicae perfectionis monita et sanctimoniae incitamenta suis alumnis reliquit. Jam vero dives meritis, aestuans charitate, ecclesiae sacramentis rite munita, candidam innocentiae stolam sponso divino reddidit in coelum avolans die xxvii. januarii anno millesimo quingentesimo quadragesimo aetatis suae anno prope septuagesimo. Ejus corpus, quod per triginta dies inhumatum perseveravit, flexibile, molle, ac vivo simillimum, in s. Aphrae templo inter alias sanctorum reliquias conditum est.

De fama ejus sanctitatis, et miraculis editis ad ejus intercessionem.

§. 10. Confestim ad gloriosum ejus sepulcrum maximus fieri caepit concursus; siquidem Deus dilectissimam ancillam suam in brachio excelso plurimis editis miraculis illustrem reddidit: quorum fama in plures regiones diffusa, Angela Decentiani, Brixiae, aliisque in locis beatae nomen adepta est, ejusque imago aris imposita: quin etiam ipse s. Carolus Borromaeus non multis post annis dignam, quae ab apostolica Sede in sanctarum virginum album referretur, Brixiae palam asseruit. Propterea constructo Brixiae processu auctoritate ordinaria super fama sanctitatis, virtutum, et miraculorum beatae Angelae, nec non super cultu ipsi delato juxta apostolica indulta, alioque deinde Romae confecto processu similiter auctoritate ordinaria ad coadjuvandas probationes, piae mem. Clemens pp. XIII. praedecessor Noster die xiii. augusti anni MDCCLVIII., commissionem introductionis causae signavit, ac post accuratum causae examen tandem die xxx. april. MDCCLXVIII. declaravit, hujusmodi casum ob peculiares circumstantias sub censura decretorum fel. rec. Urbani VIII. pariter praedecessoris Nostri posse non comprehendi, atque adeo cultum, quo ancilla Christi potita erat, solemni decreto confirmavit. His peractis sanctimoniales societatis s. Ursulae sublimiores canonizationis honores beatae suae fundatrici impetrare studuerunt. Igitur apostolica inquisitione Brixiae constructa super illius virtutibus, et miraculis in specie congregatio sacrorum Rituum re diligenter discussa, die xii. junii MDCCLXXVII. virtutum praestantiam b. Angelae in gradu heroico unanimi consensione asseruit; quod ipsum die xvi. ejusdem mensis, et anni rec. mem. Pius VI. proximus decessor Noster supremo suo oraculo pronunciavit.

De aliis miraculis editis post indultos honores beatae.

§. 11. Supererat judicium de miraculis post beatae titulum, et honores Angelae indultos editis; confectis idcirco processibus apostoli-

cis, duobus Brixiae, tertio Veronae, tres ex his actis prodigiosae sanationes propositae fuerunt, et semel, iterum, ac tertio ad severiorem trutinam revoc. die XII. jan. anni MDCCLXXXX. in comitiis generalibus ab eadem congregatione plenis calculis ceu divina opera probari meruerunt. Post fusas ad Deum preces, quibus lumen coeleste suppliciter petiit, idem praedecessor Pius VI. die XXVII. ejusdem mensis, et anni solemniter pronunciavit, constare de tribus miraculis b. Angela intercedente a Deo patratis: quorum primum fuit instantanea, perfectaque sanatio Angelae Philippiniae ab inveterato ulcere cacoethe putrido dexteram tibiam depascente in scorbutico corpore cum integra virium restitutione. Alterum subita, ac perfecta sanatio Mariae ab aqua frigida ab hemiplegia, quae apoplexiam consecuta est, seu totius dexteri lateris paralysi cum aphonia, aliisque gravissimis symptomatibus, cum absoluta virium redintegratione. Tertium repentina, ac perfecta sanatio Mariae Angelae Cominiae ab hemiplegia in parte sinistra post insultum apoplecticum, cum gravissimo pectoris morbo, viribus omnino recuperatis. Hisce tribus miraculis approbatis, idem praedecessor Noster die III. julii ejusdem anni congregationem generalem sacrorum Rituum coram se habuit, et a singulis, ex quibus ea constat exquisivit, num tuto ad solemnem beatae Angelae canonizationem procedi posset, et cum omnes in sententiam affirmativam consensissent, novamque lucem de coelo sibi affulgere postulasset, die XV. augusti ejusdem anni rite decrevit, ad canonizationem b. Angelae Mericiae procedi posse, decretumque de sanctificationis solemniis quandocumque faciendis publicari mandavit.

De aliis actis praeparatoriis ad canonizationem beatae.

§. 12. Quocirca Nos splendidissimam hanc causam ad optatum finem perducere cupientes, ex more, institutoque Nostrorum praedecessorum compendium vitae, virtutum, et miraculorum ancillae Christi ex sacrae Rituum congregationis monumentis diligenter concinnatum, typisque impressum venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus distribui jussimus, qui ita ad dicendam sententiam comparati, in consistorio secreto die XXIII. proxime elapsi mensis martii a Nobis interrogati, num censerent b. Angelam sanctarum virginum fastis adscribi posse, pleno omnes assensu, et acclamatione ejusdem sanctitatem quantocius declarandam, et Ecclesiae proponendam judicarunt. Plenius adhuc consilium adhibere volentes, quamplures archiepiscopos et episcopos ex diversis Italiae regionibus, quantum conditio temporum patitur, in urbe congregandos curavimus, ut de canonizatione b. Angelae Mericiae, nec non bb. Francisci Caracciolo, Benedicti a s. Philadelphio, Coletae Boilet, et Hyacinthae Mariscottiae liberum suum suffragium coram Nobis proferrent. Consecutum fuit publicum consistorium die XX. aprilis, in quo dilectus filius Vincentius Bartolucci consistorialis aulae Nostrae advocatus, venia a Nobis impetrata, adstante universo ecclesiasticorum ordinum, et collegiorum coetu, eximiam b. Angelae morum innocentiam, vitae sanctitatem, charismata, signa, et prodigia copiose, et ornate exposuit, et pro causae definitione peroravit. Quamobrem consistorium, quod semipublicum vocant, ad diem XIV. hujus mensis indiximus, in quo venerabiles fratres Nostri Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, nec non patriarcha, archiepiscopi, et episcopi, tum ii qui Romae jam ante aderant, tum qui in eam convenerant, omnes de causae meritis ex narratione virtutum, et miraculorum famulae Dei in compendium redacta, typisque vulgata plene instructi, cum sententiam suam dicere a Nobis essent rogati, singuli gravibus adducti rationibus ostenderunt, aequissimum esse, et ad Ecclesiae decus maxime opportunum, ut honores s. virginis Angelae decernerentur. Quorum omnium audito consensu, Deum benediximus, qui fratrum Nostrorum voluntates eo omnes collimare fecisset, ut nomen ejus in ancilla sua Angela glorificaretur. Deinde publica instrumenta a dilectis filiis apostolicae Sedis notariis confici, et suffragia singulorum manu subscripta ad Sanctae Romanae Ecclesiae tabularium deferri, in eoque custodiri praecipimus.

Preces Deo porrectae ad divinam opem consequendam.

§. 13. Reliquum erat, ut Deum propitium redderemus, ejus coelesti auxilio implorato, quo mentis Nostrae oculi illuminarentur, ut quod in conspectu illius bonum esset, plane dignosceremus. Itaque assiduis Nostris et fiduciae plenis orationibus preces quoque publicas, quae plurimum apud Deum valent, conjunximus, diesque generalis jejunii per urbem indiximus, gratiisque spiritualibus exhibitis fideles invitavimus, ut in tam sancto, ac

gravi negotio spiritum sapientiae et intellectus a divina bonitate Nobis impetrarent. Ac vere intimo cordis affectu exultavimus in Domino, quod tantam Romani hujus populi religionem ac pietatem animadverterimus, ut ardentia vota, quae pro solemni canonizatione deprompserunt, pro certo divinae voluntatis pignore accipere Nobis licuerit.

Canonizatio. §. 14. Communibus igitur omnium suffragiis, et votis obsecundantes, cum omnia et singula, quae sacrae canonum leges ex veteri, recentique disciplina praescribunt, jam absoluta essent, hac die, quo solemne festum sanctae et individuae Trinitatis recurrit, in Vaticanam principis apostolorum basilicam cum jam dictis venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. cardinalibus, patriarcha, archiepiscopis, et episcopis, caeterisque Romanae curiae praelatis, universoque clero saeculari, et regulari, et magna populi frequentia, Deo supplicantes convenimus, ubi dilectus filius Noster Innicus Didacus tituli s. Augustini S. R. E. presbyter cardinalis Caracciolo nuncupatus pro canonizatione obtinenda procurator, semel, iterum, atque iterum aliorum, suasque preces exhibuit, ut Dei ancillam Angelam Mericiam sanctarum virginum canoni adscriberemus. Tunc cantatis de more sacris orationibus, litaniis, et hymnis, et Spiritus Sancti gratia humillime implorata, ad honorem ejusdem sanctissimae Trinitatis, divini nominis gloriam, Ecclesiae catholicae exaltationem, et incrementum, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, ac beatorum apostolorum Petri et Pauli, et Nostra, matura deliberatione praemissa, ac de eorumdem venerabilium fratrum Nostrorum cardinalium, patriarchae, archiepiscoporum, et episcoporum nobiscum in plenario conventu basilicae Vaticanae praesentium, consilio, et consensu, praedictam Angelam Mericiam, cujus summa vitae innocentia, virtutes in gradu heroico, et prodigia perfecta jam omnibus erant, inter sanctas virgines referendam esse, et religiosa veneratione ab omnibus Christifidelibus honorandam, et colendam decrevimus, et definivimus prout tenore praesentium decernimus, ac definimus; statuentes, ut in ejus honorem per universam Ecclesiam templa, et arae Deo dedicari possint.

Concessio indulgentiae plenariae. §. 15. Insuper eadem auctoritate iis omnibus, qui vere poenitentes et confessi, ac sacra communione refecti Ecclesiam s. Aphrae Brixiae, in qua sacrae exuviae ipsius sanctae religiose asservantur, die vigesima septima januarii, quo ejus memoria celebratur, quotannis devote visitaverint, septem annos, et totidem quadragenas de injunctis, seu quomodolibet eis debitis poenitentiis, perpetuis futuris temporibus misericorditer in Domino relaxavimus, et relaxamus. Postremo gratiis Deo actis, quod novum hoc decus Ecclesiae suae addere voluisset, ad altare confessionis beatissimi Petri sacrosanctum missae sacrificium celebravimus cum commemoratione ipsius sanctae Angelae, nec non sanctorum Francisci Caracciolo, Benedicti a s. Philadelphio, Coletae Boilet, et Hyacinthae Mariscottiae, quos hac eadem die sanctorum fastis adscripsimus, omnibusque Christifidelibus, qui magno numero praesentes aderant, plenariam omnium peccatorum indulgentiam in forma Ecclesiae consueta concessimus.


§. 16. Decet vero, ut in tanta hac celebritate sincere gaudeamus in Domino, patre, et auctore bonorum omnium, suppliciter ab eo flagitantes, ut per intercessionem s. Angelae ostendat Nobis faciem misericordiae suae, immittatque timorem sui per gentes, quae non cognoverunt eum, ut omnes nationes in una vera fide concordes Salvatorem Dominum Jesum Christum adorent, et glorificent. Deprecatio.

§. 17. Caeterum precibus ejusdem Innici Didaci cardinalis, et procuratoris annuentes, omnia et singula praemissa de Nostrae auctoritatis plenitudine confirmamus, roboramus, atque iterum sancimus, et universae Ecclesiae denunciamus, et has apostolicas literas perpetuo valituras publicari jubemus; mandantes, ut earum transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ab omnibus habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Fides habenda transumptis.

§. 18. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti, relaxationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud s. Sanctio poenalis.

Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septimo, nono kalendas junii, pontificatus Nostri anno octavo.

✠ Ego Pius catholicae Ecclesiae episcopus.



✠

Nomina cardinalium praesentium consignationi.

✠ Ego L. episcopus Portuensis et s. Rufinae card. Antonellus major poenitentiarius.

✠ Ego A. episcopus Albanen. card. Valenti Gonzaga.

✠ Ego A. episcopus Praenestinus card. Matthaejus.

✠ Ego J. episcopus Tusculanus card. ab Auria Pamphily.

✠

✠ Ego F. S. R. E. tit. s. Laurentii in Lucina prior presb. card. Carafa.

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ Ego A. tit. s. Praxedis presb. card. Dugnani.

✠ Ego H. tit. ss. Nerei et Achillei presb. card. Vincenti.

✠

✠ Ego F. tituli s. M. Transtyberim presb. card. Pignatelli.

✠ Ego A. tituli ss. Joannis et Pauli presb. card. Roverella.

✠ Ego J. M. tit. s. Mariae supra Minervam presb. card. de Somalia.

✠ Ego I. D. tit. s. Augustini presb. card. Caracciolo.

✠

✠ Ego M. tituli s. Mariae in Via presbyter card. de Petro.

✠ Ego C. tit. s. Susannae ad thermas presb. card. Crivelli.

✠

✠ Ego F. M. tit. s. Anastasiae presb. card. Saluzzo.

✠

✠

✠ Ego B. tit. s. Silvestri in Capite presb. card. Pacca.

✠

✠ Ego J. Ph. tit. s. Alexii presb. card. Gallerati Scotti.

✠ Ego L. tit. s. Pudentianae presb. card. Litta.

✠ Ego Ph. tit. s. M. A. presb. card. Casoni.

✠

✠

✠ Ego H. tit. s. Petri ad Vincula presb. card. della Porta.

✠ Ego J. tit. s. Thomae in Parione presb. card. Gabrielli.

✠ Ego V. tit. s. Laurentii in Pane, et Perna presb. card. Mastrozzi.

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ Ego P. F. tit. s. Bartholomaei in Insula presb. card. Galeffi.

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ Ego A. sanctae Mariae in Via-Lata prior diaconorum cardinalis ab Auria.

✠ Ego R. s. Mariae ad Martyres diaconus card. Braschius de Honestis.

✠ Ego Ph. s. Eustachii diac. card. Carandini.

✠

✠ Ego H. sanctae Agathae ad Suburram diaconus card. Consalvi.

✠

✠

✠

✠

✠ Ego C. s. M. in Porticu diac. card. Erskine.

✠ Ego A. s. Adriani diac. card. Gazzoli.

✠

✠

✠

✠

✠

A. card. pro-Datarius R. card. Braschius de Honestis.

VISA

De curia J. Manassei.

F. Lavizzarius.

Loco ✠ plumbi.

Registrata in secretaria Brevium.

Dat. die 5. junii 1807. Anno VIII.

CCCCLXXXIX.

Concessio indulgentiae plenariae assequendae ab eis, qui die vigesima tertia maji, et undecima julii visitaverint ecclesias ordinis minorum sancti Francisci Cappuccinorum a primis vesperis, usque ad occasum solis.

Pius PP. VII.

Universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Datio, et tenor concessionis.

§. 1. Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti: omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis, tam fratrum ordinis minorum s. Francisci Cappuccinorum nuncupatorum, quam monialium ejusdem ordinis, ubicunque existentibus, in vigesima tertia maji, ac undecima julii mensium diebus, a primis vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem, misericorditer in Domino concedimus.

Conditiones adjectae, et fides habenda transumptis.

§ 2. Praesentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem, ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid, vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint; utque praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis dicti ordinis munitis eadem prorsus fides habeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die v. junii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 22 junii 1807 Anno VIII

CCCCXC.

Declaratio ampliationis ecclesiasticae jurisdictionis Castrensis nuncupatae in regno Hispaniarum concessae patriarchae Indiarum, et vicario generali exercituum catholici regis.

Carissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum regi catholico.

Pius PP. VII.

Carissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Exponuntur quae a praedecessoribus ordinata fuerunt circa exercituum jurisdictionis castrensis in regno Hispaniarum

§. 1. Compertum est Nobis, Carolum III. felicis recordationis regem catholicum pio flagrantem desiderio parandi militibus, aliisque ad regios exercitus pertinentibus praesidia, quibus, quum fixas sedes plerumque non habeant, frui nihilominus valeant spiritualibus utilitatibus, et adjumentis, quae caeteri Christifideles ab ecclesiasticis suis superioribus, et praelatis consequuntur, Clementem XIII. s. m. praedecessorem nostrum supplicem adiisse, ut praedictos milites, aliosque ad regios exerci-

tus pertinentes ab ordinariorum jurisdictione eximeret, subjiceretque jurisdictioni venerabilis fratris pro tempore existentis Indiarum patriarchae, ac regiorum exercituum vicarii generalis, qui facultates sibi impertitas per ecclesiasticos viros a semetipso delegandos exercere posset super praedictos ubicumque locorum ii morarentur. Annuit pro religiosissimi principis desiderio praedictus Clemens praedecessor Noster, literisque in forma brevis die decima martii anni 1762. datis, in venerabilem fratrem patriarcham Indiarum expetitas contulit facultates, quas deinde aliis similibus literis die decima quarta martii anni millesimi septingentesimi sexagesimi quarti datis confirmavit, quibus etiam ad tollendas nonnullas contentiones inter cardinalem de la Cerda nuncupatum Indiarum tunc patriarcham, et ordinarios locorum exortas declaravit, concessas facultates porrigi in omnes, qui aut pacis, aut belli tempore sub ejusdem Caroli regis vexillis, terra, marique militarent, viverentque stipendio, et aere militari, aliosque praeterea, qui ob aliquam legitimam causam illos sequerentur. Eaedem facultates prorogatae deinceps de septennio in septennium fuerunt tam ab ipso Clemente praedecessore Nostro literis in forma brevis die vigesima septima augusti anni millesimi septingentesimi sexagesimi octavi datis, quam a Pio felicis recordationis papa sexto praedecessore itidem nostro similibus literis die vigesima sexta octobris millesimo septingentesimo septuagesimo sexto, et vigesima prima januarii millesimo septingentesimo octogesimo tertio, ac secunda octobris millesimo septingentesimo nonagesimo quinto, ac a Nobis ipsis similibus pariter literis die decima sexta decembris millesimo octingentesimo tertio expeditis.

Ampliatio praedictae jurisdictionis facta a Clemente XIV.

§. 2. His et praedecessorum, et nostris apostolicis literis ordo constitutus fuit Castrensis ecclesiasticae jurisdictionis, quam quum Clemens praedecessor, limitibus, quos memoravimus, circumscripsisset, Pius tamen pariter praedecessor tuis, tuique parentis supplicationibus benigne annuens ampliavit etiam respectu personarum, erga quas exercere eam oporteret, concessa quoque vener. fratri patriarchae Indiarum facultate absque ullo scrupulo, tutaque conscientia declarandi quaenam personae gaudere praedicta Castrensi jurisdictione deberent, cujus quidem praedecessoris Nostri exemplum in superius memoratis Nostris literis Nos quoque sequuti sumus. Hujus ampliationis occasione duo in lucem prodierunt designationes hujusmodi personarum, altera a cardinali delegato die tertia februarii 1779; altera ab illius in dicto patriarchatu successore cardinali Sentmanat die decima julii 1804. editis, quibus quum propositum esset personas recensere, quas Castrensis ecclesiastica jurisdictio complecti deberet, praestitutos tamen antea fines praetergredi ultimus praesertim visus est, ita ut Hispaniarum archiepiscopi, et episcopi non leviter offenderentur, et ipse venerabilis frater archiepiscopus Toletanus cardinalis de Bourbon nuncupatus vir sane praeclarissimus, et religiosissimus conquestus ob hanc causam apud regium thronum tuum fuerit de venerabili fratre Indiarum patriarcha, quod in declarandis supradictis personis facultates ab hac apostolica Sede nostra concessas multis modis excesserit, ingenti ordinariorum potestatis dispendio.

Querelas subortas super distributione jurisdictionis composuit pontifex.

§. 3. Quas querelas etsi praedictus Indiarum patriarcha diluere conatus sit, ac ostendere, nihil in ea re a se peccatum esse, attamen, quae tua est, carissime in Christo fili Noster, pietas, et erga hanc apostolicam Sedem devotio, totam hanc controversiam, integrumque de ea judicium ad hanc Nostram apostolicam Sedem deferri jussisti, ad quam utpote antedictae jurisdictionis fontem pleno jure spectat ipsius jurisdictionis amplitudinem, certosque fines praescribere, ac declarare. Quam ob causam audita antea sententia congregationis dilectorum filiorum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, quam hanc in rem deputavimus, die decima januarii superioris anni literas apostolicas in forma brevis ad te dedimus, quibus quidquid in nuperrimo praedicti cappellani majoris edicto super aliis personarum classibus jurisdictioni suae subjiciendis, additum reperitur, super ea, quae in praecedenti defuncti cardinalis Delgado edicto, aut in literis apostolicis concessionis hujusmodi singillatim fuerat expressum, id omne contra Nostram, et hujus sanctae Sedis mentem, et concessiones factum fuisse declaravimus, atque apostolica auctoritate definivimus.

Dubitationes propositae a rege catholico.

§. 4. Hisce peractis, sperabamus omnem in posterum ambigendi occasionem fuisse sub-

latam. Sed ineunte hoc anno expositum Nobis humiliter tuo nomine fuit, haerere adhuc piissimo tuo in animo dubitationes de hac ecclesiasticae Castrensis jurisdictionis ampliatione, versarique hac de re interdum magnas inter angustias religiosissimam conscientiam tuam, quas sperares tolli radicitus posse, si Castrensis ecclesiasticae jurisdictionis ratio per Nos ad eam formam redigeretur, cujus ipse specimen, ac veluti prospectum Nobis scriptis reverenter exhiberi jussisti, additis etiam seorsim rationibus, et declarationibus, quae eorum, quae postulabas, opportunitatem demonstrarent. Nos propterea orans, ut per Nostras apostolicas literas exhibitam tuo jussu Castrensis jurisdictionis formam adprobare benigne dignaremur.

Solutio dubiorum.

§. 5. Quamobrem quum nihil Nobis sit optatius, quam controversiarum germina amputare, omnesque compescere anxietates, quae tuam, piissime rex, tuarumque subditorum conscientiam agitare possent, libenti animo postulationes tuo nomine porrectas accepimus, rogataque iterum sententiam congregationis dilectorum filiorum Nostrorum S. R. E. cardinalium, quos in re adeo gravi in consilium advocare censuimus, cuncta a te in ordinationem ecclesiasticae Castrensis jurisdictionis proposita examini subjecimus. Comperimus autem, quod quum ea non adeo ingenti intervallo ab iis finibus recedant, quos cardinalis Delgado descripserat sua in declaratione, quam Nos apostolicis Nostris postremis literis quodam modo adprobavimus, tum illud praeseferunt peculiare, ac commendatione dignissimum, quod graphice, ac veluti in tabula depictum commonstrant totius ejusdem Castrensis jurisdictionis ambitum, dumque ita ambiguitates, et controversias amovent, praecidunt que, hac utilitate pensant aliquatenus quidquid decerptum ordinariorum potestati, augent Castrensi jurisdictioni. Quae quidem eo lubentius animo observavimus, quo magis comperimus graviores Nobis suppeditare rationes, ob quas desiderium, quo jugiter flagramus, obsecundandi iis, quae tibi grata, et accepta esse noscimus, implere tutiusque alacrius valeamus. Quum enim conveniat providae apostolicae Sedis benignitati facilem se, et liberalem ostendere in gratiis, et favoribus elargiendi Christianis principibus, qui ex praeclaris majorum suorum meritis, et suarum virtutum ornamentis, pietate erga Deum, devotione, et obsequio erga sanctam Sedem in conspectu omnium splendere noscuntur, nihil Nobis optatius obtingere potest, quam quum occasionem oblatam cernimus, qua obsequi tuis votis valeamus, qui tuorum majorum exemplis, tuaque egregia animi indole excitatus omnibus hisce laudibus cumulatissime praefulges.

Regulae observandae in exercitio praedictae jurisdictionis.

§. 6. Quibus causis permoti, teque specialibus favoribus, et gratiis pro tua erga hanc Nostram apostolicam Sedem observantia prosequi volentes, tuisque piis desideriis annuere, Castrensem jurisdictionem in tuis regnis, et dominiis eo modo, quem inferius juxta propositas a te regulas, enucleabimus, constituere, et circumscribere decrevimus, prout vigore praesentium constituimus, et definimus. Ac primum quidem statuimus, ac decernimus, quod Castrensi ecclesiasticae jurisdictioni praedictae subjecti sint, et subjecti habeantur tam illi, qui foro gaudent belli, aut marinae militari, aut politico dummodo integro hoc foro gaudeant, et civili scilicet, et criminali, quam eorum etiam familiae, et omnes personae ipsorum servitiis addictae, dummodo hae pariter familiae, atque personae, toto, integroque gaudeant praedicto foro, expresse declarantes, quod quae illorum familiae, et personae hoc foro non gaudent, aut gaudent quidem, sed non integro sub Castrensi ecclesiastica jurisdictione haud comprehenduntur. Quam quidem praefiniendae ejusdem jurisdictionis priorem regulam quum amplectimur, pro certo habemus, nec majestatem tuam, nec reges tuos successores ullo umquam tempore permissuros, ut toto, et integro belli, aut marinae foro ulli alii gaudeant, praeter eos, qui pro re militari, aut politica regiis exercitibus sint addicti, quique horum familias constituant, ac in horum versentur famulatu. Quoniam vero si omnes, et quotquot praedicto gaudent foro ad ecclesiasticam Castrensem jurisdictionem pertinere deberent graves persaepe orirentur difficultates in administrandis spiritualibus praesidiis aliquibus personarum classibus, quae quum per omnia majestatis tuae regna, et dominia dispersae sint, non raro in locis degunt, in quibus nec ulli existunt castrenses parochi, nec eos constituere expedit, idcirco, ut saluti animarum,

et sacramentorum administrationi pro injuncti Nobis pastoralis muneris sollicitudine, undique consultum sit, volumus, et decernimus, quod generalis regula superius praestituta de personis ecclesiasticae jurisdictioni Castrensi in posterum subjiciendis locum non habeat in officialibus, aliisque personis iis copiis adscriptis, quae militiae in Hispaniis nuncupantur, quandocumque dicti officiales, dictaeque personae in armis non sint ob aliquod servitium majestati tuae praestandum, in quo tamen casu illae quidem personae jurisdictioni Castrensi subjectae erunt, sed non earum familiae, nec earum famuli, nisi illae, aut isti ipsas personas sequantur, et integro gaudeant foro.

Qui a regula generali habentur excepti.

§. 7. Praeterea a generali praedicta regula excipimus quemcumque militiae addictum, qui tamen a regio majestatis tuae servitio immunis sit, etiamsi aliquod a pietate tua stipendium accipiat. Excipimus insuper viduas militum, earumdemque familias, et servos; nautas, naucleros praeterea, et artifices in cathalogo descriptos, veluti servitio armamentariorum, et regiarum navium mancipatos, qui etsi integro gaudeant marinae foro, tamen tunc solum sub Castrensi jurisdictione erunt, quum ad opera, servitiaque, quibus vacant, vocati consueta stipendia percipere incipiant, in quo tamen casu familiae, servique eorum ad Castrensem jurisdictionem non pertinebunt, nisi morentur in urbe provinciae principe, aut in loco, in quem convenire jussi fuerint ad proprias uniuscujusque artes exercendas, et integro foro saepedicto gaudeant. Demum sub Castrensi ecclesiastica jurisdictione comprehendi nolumus damnatos ad opus, qui intra arces atque praesidia non continentur, quippe qui custodiae tantum causa a militari imperio pendent, haud vero pertinent ad militiam.

Declaratio specialis pro aliis comprehensis in jurisdictione Castrensi.

§. 8. Praeter hos vero, quos fori militaris causa Castrensi jurisdictioni subesse volumus, ad eamdem jurisdictionem spectabunt omnes personae, quae regios exercitus sequuntur, eisque exercitibus quocumque nomine, seu titulo, probantibus tamen ducibus, aliisve militaribus superioribus, inserviunt, etiamsi praedictae personae supradicto foro non gaudeant, idque servabitur in casu cujuscumque militaris expeditionis, tametsi copiae fuerint auxiliares, dummodo tamen spirituali earum regimini alia prospectum non sit ratione, quae a praesenti Nostra dispositione sit diversa, cui regimini, et peculiaribus ejus constitutionibus nihil detractum volumus. Ad eamdem praeterea jurisdictionem spectabunt omnes, qui in navibus majestatis tuae existunt, quamvis militiae non sint adscripti, aut ad aliud quodcumque forum, aliamve jurisdictionem pertineant: quod servari volumus in navibus mercatoriis, quae nomine aerarii regii conductae, praesidio navium majestatis tuae protectae, propter aliquam causam, sive expeditionem iter facient, etiamsi bellicae naves, quibus proteguntur auxiliares sint majestatis tuae, quo in casu eadem repetita intelligantur, quae de copiis auxiliaribus superius constituimus. Eamdem vero ob loci causam regiorum exercituum vicarius generalis jurisdictione utetur in omnes, qui in quibuscumque arcibus, fortalitiis, castellis stativis, armamentariis, nosocomiis militaribus, opificiis in usum rei militaris, et nauticae majestatis tuae institutis, collegiis militaribus commorentur, in quibus majestas tua castrenses habeat parochos, aut expedire censeat hujusmodi parochos constituere, excepto oppido Septa, praesidiisque minoribus in Africa existentibus, quibus in locis eorumdem ordinarii plena jurisdictione fruentur, qua hactenus potiti sunt, rationeque loci potiri debuerunt, eaeque tantum personae vicariatui subjectae erunt, quae comprehenduntur sub aliis regulis generalibus a Nobis constitutis.

De iis qui in arcibus, castellis et similibus detinentur.

§. 9. In aliis vero arcibus, fortalitiis, castellis stativis, armamentariis, nosocomiis, opificiis, et collegiis militaribus praefatis vicariatui suberunt etiam quotquot iis in locis in poenam detinentur, nec non damnati ad opera, infirmi, aliique, qui quamcumque ob causam iis in locis commorari debeant. Arcium autem, fortalitiorum, castellorum supradictorum nomine intelligenda esse declaramus loca illa muris instructa, et praesidiis munita quorum ambitus non pagum, non vicum, non oppidum, non civitatem, aut alia id genus complectitur.

De comprehensione ecclesiasticorum virorum.

§. 10. Demum jurisdictioni Castreni subesse volumus ecclesiasticos viros, qui legitimo, et consueto more designati aliquod obtineant munus sive pro administratione justitiae, sive pro expeditione negociorum ipsius jurisdictionis, sive pro cura animarum una cum ipsorum familiis, et reliquis personis eorumdem servitio addictis, quod ipsum ad hi-

Digitized by Google

eos quoque porrigi volumus, qui legitime, ut supra, munus aliquot exerceant in vicariatu propter easdem causas administrandae justitiae, expediendique negocia vicariatus, itemque ad ipsorum uxores, et filios non emancipatos cum parentibus cohabitantes, et ad servos. Constituta pro modo, quem hactenus enucleavimus, ecclesiasticae jurisdictionis Castrensis forma, ratioque ex quatuor manat fontibus, titulisve, propter quos dumtaxat sive omnes, sive eorum aliquem quatuor pariter personarum classes vicariatui generali subjici, et pro subjectis habendas esse auctoritate apostolica tenore praesentium statuimus, decernimus, et definimus, ita quidem, ut prior classis ratione fori complectatur personas, quae integro eodem gaudent foro militari tam civili, quam criminali, altera ratione servitii eas comprehendat, quae regios exercitus sequuntur, et eis inserviunt, tertia ratione loci ex illis constituatur, quae degunt in locis militari imperio subjectis, quarta denique ratione officii iis constet personis, quae apud ipsum vicariatum muneribus funguntur.

Reservatio declarandi dubia si ulteriora prodirent.

§. 11. Ex quibus quidem quum certi, statique fines Castrensis ecclesiasticae jurisdictionis sub oculis quodammodo sint, et illius forma, ratioque in nucleo veluti posita videatur, non immerito, carissime in Christo fili Noster, in spem ducimur, nullas deinceps ambiguitates, perplexitatesque suborituras esse, quibus religosissimae conscientiae tuae tranquillitas, cui prae omnibus consulere cupimus, angi, turbarique valeat. Quod si nihilominus aliquod adhuc oriri dubium contingat, utrum aliqua, aut aliquae personae sint, aut non sint jurisdictioni Castrensi subjectae, quoniam nostris his literis praescribitur, et declaratur, nullam aliam personam dictae jurisdictioni manere subjectam, nisi illas, quae quatuor classibus antea expositis comprehenduntur, idcirco majestatis tuae erit declarare utrum persona, aut personae super quibus dubium oritur, in praedictis quatuor classibus comprehendantur, ad hoc ut sint, aut non sint Castrensi jurisdictioni subjectae.

Confirmatio praecedentium literarum.

§. 12. Tandem moderno, et pro tempore existenti patriarchae Indiarum, cappellano majori, ac personis ab ipso delegatis, seu delegandis, ac subdelegandis in ecclesiastica dignitate constitutis, sive aliis sacerdotibus probis, et idoneis facultates omnes juxta tenorem, et formam praedictarum literarum Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum, nempe Clementis XIII. die decima martii millesimo septingentesimo sexagesimo secundo, die decimaquarta martii millesimo septingentesimo sexagesimo quarto, ac die vigesima septima augusti millesimo septingentesimo sexagesimo octavo, nec non Pii VI. die vigesima sexta octobris millesimo septingentesimo septuagesimo sexto, ac januarii millesimo septingentesimo octogesimo tertio, quam decima januarii millesimo octingentesimo sexto expeditarum, concessas, confirmatas, ampliatas, et explicatas, quarum omnium tenores pro plene, et sufficienter expressis hic haberi volumus, auctoritate apostolica tenore praesentium de novo etiam confirmamus, tribuimus, et elargimur; excepta tamen facultate in dictis literis Pii VI. praedecessoris concessa, ac in superioribus Nostris confirmata, sed in postremis pariter Nostris literis die decima januarii millesimo octingentesimo sexto explicata « declarandi scilicet, quae, et quales debeant esse personae hujusmodi exercituum, et quibus ipsae frui, ac potiri valeant privilegiis » de qua superius jam provisum est, quamque per praesentes apostolica auctoritate excipimus, abolemus, ac penitus abrogamus.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 13. Itemque easdem gratias, concessiones, privilegia, et indulta quaecumque, de quibus in praedictis apostolicis literis facta est mentio pro memoratis quatuor classibus personarum iisdem modo, et forma auctoritate et tenore praedictis ad septennium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 14. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non ordinum, quorum personae hujusmodi professae fuerint etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et

sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima secunda junii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 17. junii 1807. Anno VIII.

CCCCXCI.

Dismembratio civitatum Cassel, et Kostein cum eorum territoriis, et terris a dioecesibus, quibus suberant, eorumque incorporatio dioecesi Moguntinae.

Pius episcopus
servus servorum Dei.

Dilecto filio Nostro Joanni Baptistae tituli sancti Onuphrii Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Caprara nuncupato, Nostro et Sedis apostolicae ad charissimum in Christo filium Nostrum Napoleonem Gallorum imperatorem de latere legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§. 1. Cum nuper charissimus in Christo filius Noster Napoleo Gallorum imperator Nobis significare curaverit, quod oppidum Cassel civitas nuncupatum, ac pagus Kostein pariter nuncupatus, una cum respectivis eorum territoriis, imperiali ejus dominio subjecti ad praesens conspiciantur, et expedire sibi videatur, si populi in locis ac territoriis praedictis commorantes a spirituali jurisdictione et obedientia episcopi, cui modo subsunt, abdicati, ordinariae jurisdictioni moderni, et pro tempore existentis episcopi ecclesiae Moguntinae subjicerentur, in quem finem preces ipsius imperatoris ad Nos delatae fuerunt.

Remissio gratiae faciendae a legato a latere certis sub conditionibus.

§. 2. Pensatis itaque rerum et temporum circumstantiis, et supplicationibus hujusmodi, benignum praebentes auditum, tibi dilecte fili Noster, dummodo justis de causis ita in Domino censeas expedire, ut praevia exhibitione authentici documenti consensus venerabilis fratris moderni episcopi, et dilectorum quoque filiorum capituli et canonicorum cathedralis ecclesiae, cui populi supradictorum locorum nunc subsunt, eadem loca una cum suis respectivis territoriis modo in imperiali ditione ejusdem Napoleonis, ut asseritur, comprehensis ab enunciata dioecesi auctoritate Nostra apostolica tibi specialiter ad hoc delegata abdicare, sejungere, et separare, atque illa episcopali ecclesiae Moguntinae adjungere, unire, et incorporare, nec non habitatores, et incolas inibi degentes tam ecclesiasticos quam laicos, omnimodae superioritati, jurisdictioni, et obedientiae venerabilis fratris moderni et pro tempore existentis ecclesiae Moguntinae antistitis subjicere possis, ita quod dictae ecclesiae Moguntinae praesul per se, vel alium seu alios ejus nomine oppidi Cassel civitatis nuncupati, burgi Kostein pariter nuncupati, eorumque respective territoriorum veram realem, actualem, et corporalem possessionem, seu quasi possessionem administrationis spiritualis, ac omnimodi juris dioecesani propria auctoritate apprehendere potestatem habeat, libere ac licite possis et valeas, vigore praesentium necessariam facultatem concedimus, atque impertimur.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 3. Abdicationem vero et unionem praedictas quando per te vigore hujusce delegatae auctoritatis factae fuerint, semper et perpetuo validas fore decernimus, ac suos plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, Nostrasque praesentes literas ab omnibus ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet in futurum spectabit, inviolabiliter observari volumus, et mandamus, quibuscumque etiam speciali, expressa, et individua mentione dignis in contrarium non obstantibus, ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum quoque et inane similiter decernimus. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septimo, quintodecimo kalendas julii, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 18. junii 1807. Anno VIII.

CCCCXCII.

Deputatio superioris congregationis Missionum facienda a vicario generali.

Dilecto filio Claudio Placiard presbytero saeculari congregationis Missionis.

Digitized by Google

Pius PP. VII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. § 1. Qua semper voluntate fuimus in congregationem Missionis, quaque etiam cura illi jugiter et prospicere, et favere studuimus, sicut plura demonstrant, quae nuperis hisce temporibus pro ipsa ordinavimus, ita clarius ostendent, quae pro majori ejus emolumento nunc disponere intendimus. Siquidem tibi non latet, quod postquam bo. me. Franciscus Florentinus Brunet tuus in vicarii generalis munere antecessor ab urbe decessit, Nos per apostolicas Nostras in simili forma brevis die xxx. octobris MDCCCIV. datas literas ad illius gerendas vices in congregationis regimine deputavimus dilectum filium Carolum Dominicum Sicardi, eique etiam assistentes, et admonitorem ad id designavimus. Ac licet subinde per alias similes literas dictum Franciscum Florentinum in pristinum titulum, pristinaque jura vicarii generalis restituimus, placuit tamen Nobis simul statuere, ut ejus vicem, ejusque sub dependentia idem Carolus Dominicus in urbe hac degens pro-vicarii generalis exerceret functiones.

Memorantur aliae literae ad eum datae. § 2. Quum vero ipse Franciscus Florentinus de hac mortali vita migrasset, teque ante obitum suum vi facultatum, quas Nos ei tribueramus, in sui muneris successorem nominavisset, Nos supplicationibus tunc pro parte tua Nobis porrectis benigne inclinati, te per novas in forma pariter brevis literas Nostras in eodem vicarii generalis officio confirmavimus sub certis modo, et forma ibidem expressis, ac salva, firmaque manente quoad dictum Carolum Dominicum dispositione praecedentium literarum, et alias prout in literis Nostris die v. decembris MDCCCVI. expeditis uberius continetur.

Expositio precum. § 3. At quoniam, sicut exponi nuper fecisti Nobis congregationi tuae hujusmodi in Gallia domus satis commoda, et ampla tam ad colligendos alumnos, quam ad residentiam superioris generalis, ejusque assistentium concessa, sufficientesque etiam redditus assignati jam sint, ac spes non inanis affulgeat fore ut et majores redditus, et validiores vires possit in dies acquirere, hanc tu idcirco, quae favorabilis adest, nactus occasionem, universum congregationis gubernium pro unitate ipsius opportune firmanda, ejusque amplificatione facilius promovenda in una, eademque persona per Nos consolidari, et reponi vehementer desideras, enixisque humiliter precibus a Nobis efflagitas.

§ 4. Nos igitur re, de qua modo supplicatum est Nobis, diligenter, ac mature perpensa, ac de congregatione praedicta Domini vineae magnopere utili, et fructuosa jure, meritoque solliciti, eam non modo tueri, sed et quantum cum Domino possumus, magis magisque ad commune Ecclesiae bonum adaugere cupientes, teque specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, praevia cunctarum, quae superius memoratae sunt, literarum revocatione, prout eas omnes, et singulas auctoritate apostolica tenore praesentium revocamus expresse, penitusque abrogamus, deinde iisdem auctoritate, et tenore tibi, ac favore tui eumdem titulum, idemque munus, quo fungeris, confirmamus, et assignamus ad tempus tamen dumtaxat Nostro, et apostolicae Sedis beneplacito duraturum, tibique jura, privilegia, et facultates tum quae juxta congregationis constitutiones auctoritate apostolica confirmatas ejus vicariis generalibus competunt, tum et quae vi earumdem constitutionum solis superioribus generalibus reservatae sunt, tribuimus, et impertimur; nec non facultates easdem ad hoc quoque, ut possis assistentes, et admonitorem ad formam tamen constitutionum eligere, et aliquem insuper tua ex congregatione, caeteroquin capacem, et habilem in futurum tui vicariatus successorem nominare per schedulam, extendimus, et ampliamus; ea tamen sub lege, ut successor tuus hujusmodi officium vicariatus generalis ad sex menses dumtaxat, et cum solitis facultatibus tali officio adnexis administrare, et nominationis suae confirmationem ab hac s. Sede debeat incunctanter expetere.

§ 5. Tu vero supradictis juribus, privilegiis, et facultatibus, quas Nos tibi praeter, Conditiones adiectae.

Tenor concessionis.

Digitized by Google

et ultra quam fert munus tuum, specialis dono gratiae concedimus, uti non valeas, nisi quum in possessionem domus, quae congregationi, ut praefertur, est assignata, perveneris, eamque ingressus una cum sodalibus tuis vivendi regulam a sancto fundatore alumnis suis praescriptam, sanctaque hac Sede adprobatam in pristinum, plenumque vigorem restitueris, ita scilicet ut isthaec domus exemplo, et normae futura sit caeteris domibus congregationis.

Alias et supra. §. 6. Demum quoad praedictum Carolum Dominicum, qui pro-vicarii generalis officium laudabiliter gessit, quum ante officium hujusmodi illo fungeretur primi assistentis generalis, ne ob ingravescentem aetatem sine magno discrimine possit nunc se committere itineri, ut Galliam petat, ibique resideat, Nos eum propterea eadem auctoritate apostolica in suo pristino titulo, et gradu primi assistentis generalis reponentes, ipsi, licet congregationis statuta aliter jubeant, nihilominus et tecum non commorari, et Romae permanere, suoque assistentis munere etiam procul a te, quantumque in locorum distantia poterit, fungi permittimus, et cum eo desuper dispensamus.

Praeceptum de obediendo. §. 7. Quocirca in virtute sanctae obedientiae mandamus universis, ac singulis dictae congregationis superioribus, alumnis, aliisque ad quos spectat, ac spectabit pro tempore, ut te in vicarium generalem sic, uti praemissum est, confirmatum, et constitutum, reverenter suscipiant, tuisque jussibus pareant, nec te tuo durante munere umquam in hoc quavis auctoritate, ac quolibet sub praetextu perturbare, seu a quoquam perturbari, et molestari faciant, atque praesumant.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 8. Decernentes has praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros, effectus sortiri, et obtinere, tibique in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et sedis apostolicae nuncios sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 9. Non obstantibus literis supra recensitis, et constitutionibus, ac ordinationibus apostolicis, nec non praedictae congregationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, ac sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ea, quae per has Nostras literas nunc a Nobis disposita sunt, vigere tantum debere, quoad usque cogi, haberique possit generale capitulum, quod ut primum per temporum circumstantias licuerit, et provinciarum congregationis visitatores ita in Domino judicaverint, tu omnino debeas convocare, auctoritate praedicta tibi injungimus, tuamque super hoc conscientiam oneramus.

Fides habenda transumptis. §. 10. Volumus insuper, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die XIX. junii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

CCCCXCIII.

Dat. die 19. junii 1807. Anno VIII.

Confirmatio literarum apostolicarum editarum a Paulo V. super votis emittendis a monialibus monasterii ordinis sancti Benedicti in civitate Barchinonensi.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Pastoris aeterni vices, meritis licet imparibus, gerentes in terris, illud curandum

Digitized by Google

Nobis esse ducimus, ut, quantum cum Domino possumus, tueamur, atque servemus regulares ordines non modo virorum, sed etiam mulierum, quae et mundi, et sexus, et suimet ipsarum victrices Deo se hostias viventes, gratas, et acceptabiles obtulerunt.

Expositio precum.

§. 2. Exponi quidem Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae abbatissa, seu priorissa, et moniales monasterii ordinis sancti Benedicti ex instituto venerabilis servae Dei Joannae Lestonach civitatis Barchinonensis, quod dictum earum monasterium ex alio simili in civitate Burdegalensi vigore apostolicarum literarum felicis recordationis Pauli pp. V. praedecessoris Nostri olim erecto monasterio ortum duxit, cui ex fundationis lege, praeter consueta regularium ordinum vota additum est charitatis opus instituendi gratis puellas etiam non convictrices cum in doctrina Christiana, ac recta vivendi ratione, tum in primis legendi, scribendique rudimentis, ac etiam muliebribus pensis exolvendis, ac alias, prout ex memoratis ejusdem Pauli praedecessoris in simili forma brevis die prima aprilis millesimo sexcentesimo septimo expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus, fusius continetur. Cum autem, sicut in eadem expositione additum erat, dictum primarium Burdegalense monasterium nuperrimis temporum procellis obrutum remanserit, idcirco dictae superiorissa, et moniales, veritae, ne dubium aliquod temere suboriatur super valida sui, et aliorum similium monasteriorum alibi existentium duratione, pro majori suae, et reliquarum consororum omnium conscientiae tranquillitate dictas Pauli praedecessoris literas apostolica quoque Nostra auctoritate confirmari vehementer desiderant, quo firmius in superstitibus monasteriis hujusmodi eaedem literae subsistant, et serventur exactius. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur dictas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et singulares personas, quibus praesentes Nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, memoratas Pauli praedecessoris literas pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum pro insertis habentes, easdem literas una cum omnibus, et singulis in eis contentis, et expressis auctoritate apostolica tenore praesentium pro dicto Barchinonensi, aliisque ejusdem instituti remanentibus monasteriis confirmamus, et approbamus, eique inviolabilis, ac novae perpetuae firmitatis robur adjicimus, omnesque juris, et facti defectus, si qui desuper in eas quomodolibet obrepserint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quae memoratus Paulus praedecessor in dictis suis literis non obstare voluit, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia junii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

CCCCXCIV.

Dat. die 25. junii 1807. Anno VIII.

Suppressio beneficii ecclesiastici sub invocatione B. M. Virginis a Piedi della Menocchia nuncupati, et applicatio bonorum favore ecclesiae collegiatae sanctae Mariae in Cosmedin.

Dilecto in Christo filio vicario archiepiscopi Firmani in spiritualibus generali.

Pius PP. VII.

Dilecte fili Noster
salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Ad servandam divinarum virtutum celebrationum memoriam, illarum praesertim quae in aliquibus ecclesiis gloriosae, et Deiparae Beatae Mariae semper virgini dicatis canonice institutae reperiuntur, quaeque ob deficientiam reddituum valde dubitandum foret, ne tractu temporis pretermitti possent, non solum utile, verum etiam expediens videtur et pro salutaribus tam piarum institutionum operibus ecclesiis ipsis meliori quo fieri possit medio etiam per alicujus beneficii ecclesiastici applicationis fratrum ministerium a Nobis provideatur, ad hoc ut divinus cultus semper accrescat, et ecclesiae ipsae optata in spiritualibus, et temporalibus suscipiant incrementa.

Expositio precum. §. 2. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Aloysii Donati presbyteri, et canonici saecularis, et insignis collegiatae basilicae nuncupatae ecclesiae sanctae Mariae in Cosmedin etiam nuncupatae de urbe expositio continebat, quod cum dicta collegiata ecclesia in qua pluribus ab hinc annis annua memoria translationis almae Domus Lauretanae cum debita pompa, et honorificentia celebrari consuevit nullos habeat peculiares redditus pro hujusmodi functionis continuatione, adeo ut valde dubitandum sit ne tam pium, et salutare opus tractu temporis in desuetudinem abire possit ac omnino praetermittatur, secus vero dictus Aloysius plurimum cupiat, ut opus praedictum ad Deiparae b. Mariae Virginis laudem, et honorem mediante infrascripta suppressione, et respectiva applicatione in infrascriptum eventum ut infra facienda etiam post ipsius Aloysii obitum conservetur; ideo Nobis humiliter supplicari fecit Aloysius praedictus, quatenus pro ejus desiderio in praemissis favorabiliter annuere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur eumdem Aloysium specialis gratiae favore prosequi volentes, nec non a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae per praesentes committimus, et mandamus, quatenus vocatis qui fuerint ad id evocandi perpetuum simplex, et personalem residentiam minime requirens beneficium ecclesiasticum ad altare vel sub invocatione B. M. Virginis a Piedi della Menocchia nuncupatae oppidi Massignani Firmanae dioecesis quod dictus Aloysius, ut asseritur, ad presens obtinet, ac cujus, et illi forsan annexorum fructus, redditus, et proventus viginti ducatorum auri de camera, et juliorum decem monetae Romanae secundum communem aestimationem valorem annuum, ut etiam asseritur, non excedunt, ex nunc pro ut ex tunc, et e contra cum primum illud per cessum etiam ex causa permutationis, vel decessum, seu privationem, aut quamvis aliam dimissionem, vel ammissionem, seu religionis ingressum, et professionem in ea emissionem dicti Aloysii, aut alias etiam quovis modo etiam apud Sedem apostolicam praedictam etiam in aliquo ex mensibus Nobis, aut Romano pontifici pro tempore existenti Sedique praedictae per quascumque constitutiones apostolicas, aut cancellariae apostolicae regulas editas, vel edendas aut alias quomodolibet reservatis, seu ordinariis collatoribus, etiam per constitutiones, et regulas easdem seu literas alternativarum, aut alia privilegia, et indulta hactenus concessa, et in posterum concedenda competentibus vacare contigerit, illiusque titulum collativum, nomen, denominationem, naturam, vel essentiam beneficii collativi, ita quod illud ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativum esse desinat, et de cetero uti tale in titulum collativum quavis auctoritate conferri, vel impetrari, aut alias de illo quovis modo disponi contigerit, collationes, provisiones, impetrationes, aliaeque dispositiones de illo pro tempore quomodolibet factae hujusmodi nullae prorsus, et invalidae, nulliusque roboris, vel momenti existant, neminique suffragentur, nec cuiquam jus, vel coloratum titulum possidendi tribuant auctoritate apostolica tenore praesentium sine alicujus praejudicio perpetuo supprimas et ex-

linguas, illoque sic suppresso, et extincto omnia, et singula ejusdem beneficii sic, ut praefertur, suppressi, et extincti bona, res proprietates, fructus, redditus, et proventus, jura, obventiones, vel emolumenta quaecumque in quibusvis rebus consistentia, et undecumque provenientia ex nunc pariter prout ex tunc, et e contra, postquam tamen beneficium praedictum et persona dicti Aloysii, ut praefertur, vacaverit idem collegiatae ecclesiae ita quod liceat dilectis filiis modernis, et pro tempore existentibus capitulo et canonicis ipsius collegiatae ecclesiae postquam tamen casus vacationis hujusmodi evenerit per se, vel alium, seu alios proprio, ac ejusdem collegiatae ecclesiae nomine praedicti beneficii, ut praefertur suppressi, et extincti, illiusque bonorum rerum, proprietatum, fructuum, redditum, et proventuum, jurium, obventionum, et emolumentorum, praedictorum veram, realem, corporalem, et actualem possessionem propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam hujusmodi perpetuo retinere, dictaque bona, res, et proprietates locare, dislocare, arrendare, fructus, redditus, et proventus quoque praedictos, jura, obventiones, et emolumenta hujusmodi percipere, exigere, levare, ac supportatis tamen prius per dictos modernos, et pro tempore existentes capitulum, et canonicos dictae collegiatae ecclesiae omnibus, et singulis, siquae sint ejusdem beneficii ut praefertur suppressi, et extincti oneribus in suos ac ejusdem collegiatae ecclesiae usus et utilitatem pro supradicti tamen operis conservatione, et non alias convertere, dioecesani loci, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita pari auctoritate apostolica earumdem tenore praesentium etiam perpetuo applices, adnectas et incorpores.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 4. Nos enim si suppressionem, extinctionem, applicationem, annexionem, et incorporationem hujusmodi per te praesentium vigore fieri contingerit, ut praefertur easdem praesentes nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica et legitima, etiam pia, privilegiata ac speciali nota digna de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostrae, vel quopiam alio defectu notari impugnari, invalidari, in jus, vel controversiam vocari, aut ad viam, et terminos juris reduci, seu adversus illas quodcumque juris, vel facti, aut gratiae, vel justitiae remedium impetrari, aut quidpiam aliud in contrarium disponi ullatenus umquam posse, nec illos sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariae apostolicae regulas editas, vel edendas, comprehendi, vel confundi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per dictos modernos, et pro tempore existentes capitulum et canonicos praedictae collegiatae ecclesiae, quandocumque eligenda concessas esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque, et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac etiam Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios, judicari, et definiri debere, irritumque decernimus, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus Nostra et cancellariae praedictae regula de unionibus et applicationibus ad partes committendis, ac de exprimendo in eis vero annuo beneficiorum ecclesiasticorum valore, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati, et aliorum etiam generalium conciliorum uniones, et applicationes perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri, ac beneficia unius sive alterius dioecesis beneficiis seu ecclesiis uniri prohibentium, aliisque etiam in synodalibus, provincialibus, universalibusque conciliis editis vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importan-

tes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum omnium, et singulorum validissimum effectum latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide hac vice dumtaxat harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod dictus Aloysius beneficium per eum, ut praefertur, obtentum ac etiam, ut praefertur, suppressum et extinctum hujusmodi in praejudicium dictae applicationis tam simpliciter quam ad favorem alicujus etiam ex causa permutationis resignare, aut in manibus ordinarii loci libere dimittere, seu juri sibi in illo, vel ad illud quomodolibet competenti cedere non possit, et si Aloysius praedictum beneficium, ut praefertur suppressum, et extinctum hujusmodi resignare vel dimittere seu juri cedere contigerit, ut praefertur, resignatio, vel dimissio, seu juris cessio hujusmodi in praedictae collegiatae ecclesiae tantum, et non alterius favorem factum sit et esse censeatur eo ipso. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die XXIII. junii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

CCCCXCV.

Dat. die 23. junii 1807. Anno VIII.

Reintegratio constitutionis Pii V. vi cujus paramenta sacra adhibita ab episcopis devolvuntur post eorum obitum ad ecclesias cathedrales, quibus praefuerunt.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam

Expositio precum.

§. 1. Nuper Nobis exponi fecerunt dilecti filii capitulum et canonici cathedralis ecclesiae Tiburtinae, episcopos ecclesiae isti praepositos ab anno 1743. usque ad praesens usos gavisosque jugiter esse facultate ex indulto apostolico specialiter ipsis concessa donandi, ac relinquendi supellectiles, quae sui essent juris sacra aeque ac profanas favore mensae episcopalis, successorumque suorum: quod quidem indultum quam magno fuerit detrimento ecclesiae cathedrali, liquet nunc luculentius, quum haec gravi urgetur necessitate renovandi paramenta diuturno usu prope consumata, sed ob immanes, quas in nuperis perturbationibus publicis perpessa fuit, jacturas ad omnem prorsus novam expensam impar dignoscitur. Hinc enixis efflagitant precibus, ut per Nos abrogentur concessiones, quae a felicis recordationis tum Benedicto XIV., tum Clemente XIII. Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris impertitae ad id fuere episcopis Tiburtinis, et restituatur in pristinum constitutio sanctae memoriae Pii pp. V. etiam praedecessoris Nostri incipiens « *Romani pontificis providentia* », per quam res sacrae episcoporum, sacrisque usibus per eos addictae, post eorum obitum, cathedralibus, quaeis ipsi praefuere, cedere debeant ecclesiis.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur, audito hac in re venerabili fratre Vincentio moderno episcopo Tiburtino, praedictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac singulares ipsorum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, praevia revocatione et abrogatione cujusvis indulti, ac concessionis per episcopos Tiburtinos a mem. Benedicto et Clemente Nostris praedecessoribus ad recensitas donationes ac dispositiones faciendas quomodolibet obtentae, prout indultum et concessiones hujusmodi auctoritate apostolica tenore praesentium revocamus, penitusque abrogamus, supradictam deinde Pii V. praedecessoris constitutionem iisdem auctoritate et tenore restituimus juxta petita, ac in eodem, quo primitus erat, vigore reponimus, ita ut in posterum ea sola servetur, servarique debeat in omnibus, et per omnia pro cathedrali praedicta, perinde ac si aliter super illa dispensatum, atque dispositum nunquam fuisset.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere,

Digitized by Google

ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac dictae ecclesiae cathedrali plenissime suffragari, et a cunctis inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus indultis, et concessionibus super enunciatis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentes literas Nostrae summ non sortiantur effectum, nisi postquam praenominatus Vincentius episcopus supremum diem obierit, ac ut libri ex haereditate praecedentium episcoporum provenientes et ad usus sacros minime spectantes, commodo semper ac usui episcoporum pro tempore reservati permaneant. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia junii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

CCCCXCVI.

Dat. die 26. junii 1807. Anno VIII.

Concessio mozzetae violacei coloris, loco almutiae gestandae a mansionariis ecclesiae cathedralis Imolensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Romanorum pontificum praedec. Nostrorum vestigia prementes, sacris ministris, qui Deo in illustrioribus templis inserviunt, peculiaria indumenta gestanda concedimus, ut ipsi per externas quoque vestes continuo excitati charismata meliora magis, magisque in dies aemulentur.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque sicut Nobis dilecti filii moderni mansionarii beneficiati ecclesiae cathedralis Imolensis exponi fecerunt, divinus cultus, populique Christiani devotio in dicta ecclesia quodammodo augeretur, si ipsi nova aliqua decoratione per Nos ornentur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus mansionariis cathedralis ecclesiae praedictae Imolensis, ut ipsi loco almutiae, quam adhuc deferre consueverunt, mozzetam violacei coloris cum globulis, et asulis coloris similis pro tempore hyemali dumtaxat tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus: dictosque mansionarios desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima sexta junii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

CCCCXCVII.

Dat. die 26. junii 1807. Anno VIII.

Concessio vestis oblongae violacei coloris pro dignitatibus, et canonicis ecclesiae metropolitanae Urbinatensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit venerabilis frater Spiridio archiepiscopus Urbinatensis, quod metropolitanae illius ecclesiae capitulum et canonici tanto virtutum splendore Christiano populo praefulgent, tantamque in ipsum archiepiscopum observantiam, et obedientiam, atque in hanc sanctam Sedem devotio-

nem, et fidem praesetulerunt, adjuvante Domino, et praeseferunt, ut decorationibus iis, quas antea dictis canonicis concessimus, quidquam aliud superaddi vehementer desideret, quo iidem canonici ad aemulanda in dies charismata meliora magis magisque excitentur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dicti archiepiscopi votis quantum cum Domino possumus, benigne annuere, dictosque canonicos a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis et pro tempore in perpetuum existentibus dignitati, seu dignitatibus, et canonicis memoratae metropolitanae ecclesiae Urbinatensis, ut ipsi vestem oblongam violacei coloris ad instar canonicorum cathedralis ecclesiae Pisaurensis tam in metropolitana praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare; nec non faldistorio (non tamen praesente archiepiscopo, aut episcopo) in missis cum cantu celebrandis uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque dignitatem, seu dignitates, et canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae metropolitanae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima sexta junii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 26. junii 1807 Anno VIII.

MCCCCXCVIII.

Indultum utendi libro canonis in medio altaris, et in missa, excepta chorali, pro magistris majoris praesidentiae in cancellaria apostolica.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigia prementes, privilegiis libenter ornamus Nostrae curiae praelatos, qui fide, ac devotione in Nos, et hanc sanctam Sedem non mediocriter excellunt. Cum itaque sicut Nobis nuper dilecti filii moderni magistri majoris praesidentiae in cancellaria Nostra apostolica abbreviatores exponi fecerunt, eorum collegium multis, et praeclaris privilegiis per Romanos pontifices, ac praesertim per fel. rec. Urbanum pp. VIII. praedecessorem Nostrum decoratum reperiatur, multum ornamenti, et splendoris ad ipsos accederet, si nova aliqua praerogativa per Nos fuerint locupletati. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, ac, ut infra, indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus abbreviatoribus majoribus praesidentiae praedictis in sacro presbyteratus ordine constitutis, ut ipsi sacrum facientes tam in privatis oratoriis, quam in publicis ecclesiis etiam cum cantu librum canonis in medio altaris ad instar protonotariorum Nostrorum apostolicorum habere, illoque uti, (non tamen in illis missis choralibus quas cum cantu ratione alicujus canonicatus per ipsos obtenti celebrare tenerentur; tunc enim choralem cum aliis canonicis conformitatem servandam esse volumus) libere, ac licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, eosque desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit decernimus, et declaramus.

Digitized by Google

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus quatenus opus sit, fel. rec. Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die XXVI. junii MDCCCVII. pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 30. junii 1807. Anno VIII.

ID.

Indultum concessum canonicis ecclesiae collegiatae matricis sancti Erasmi terrae de Bassiano Setinae dioecesis utendi roccheto, et mozzeta violacei coloris, cum asulis, et globulis cremisini coloris.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

§. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigia prementes ecclesiasticis viris, qui Altissimo in sacris templis collegialiter inserviunt, divinasque laudes concinunt, peculiaria indumenta deferenda concedimus, ut ipsi per externas quoque vestes excitati charismata meliora magis magisque in dies aemulentur.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque, sicut Nobis dilecti filii archipresbyter, et canonici collegiatae, et matricis ecclesiae sub titulo sancti Erasmi terrae de Bassiano Setinae dioecesis nuper exponi fecerunt, ecclesia ipsa antiquitatis laude, sacerdotum probitate, populique Christiani frequentia, et devotione floreat, multum splendoris ad eamdem ecclesiam accederet, divinusque cultus majora incrementa ibi susciperet, si dicti archipresbyter, et canonici aliquibus decorationibus per Nos, et hanc apostolicam Sedem donentur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos exponentes praedictos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus archipresbytero, et canonicis ecclesiae praedictae, ut ipsi rocchetum, et mozzetam violaceam tela serica cremisini coloris subsutam cum asulis, et globulis ejusdem cremisini coloris tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque uti libere, et licite possint, et valeant auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque archipresbyterum, et canonicis desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non (quatenus opus sit) dictae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesima junii millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 1. junii 1807. Anno VIII.

D.

Providentiae adhibitae pro conservatione bonorum communitativorum non alienatorum, et liquidatione aeris alieni communitatum ditionis pontificiae.

Reverendissimo cardinal Girolamo della Porta prefetto della nostra congregazione de' Sgravj e Buon Governo.

Procemium.

§. 1. Seguendo gl' impulsi del Nostro paterno cuore per i maggiori vantaggi de' Nostri sudditi, non abbiamo potuto non vedere con rincrescimento, che non ostante le diverse provvidenze date col moto proprio de' 19 marzo 1801, ed altro successivo de' 14 luglio 1803, non meno che colle posteriori istruzioni di Nostro oracolo pubblicate all' interessante oggetto della dimissione de' debiti comunitativi, alla retta amministrazione de' beni delle co-

munità dello stato, e finalmente all' amministrazione di una giustizia distributiva a pro de' creditori delle medesime, pure non erasi ancora pienamente conseguito l'intento. Quindi richiamando su di ciò le Nostre cure, anche eccitati dalle giuste lagnanze de' creditori suddetti, ai quali per mancanza delle casse e per la difficoltà dell' esigenza venivano da qualche anno ritardati i frutti de' loro rinvestimenti, abbiamo creduto di dare l' ultima mano ad un affare di tanto rilievo, ed a cui così strettamente è unita la felicità dello stato, e de' sudditi medesimi.

Tenor dispositionum praemissarum ad consequendam liquidationem status activi, et passivi communitatum.

§. 2. Vedemmo quindi che a procedere con giusto sistema era necessario lo stabilire con sicurezza lo stato attivo, e passivo delle comunità dello stato riunite insieme, giacchè i calcoli di approssimazione, sempre incerti in una operazione così grande, erano tanto meno da eseguirsi ora, che per le varie disposizioni prese su questo ramo di economia pubblica, tutti a giusta ragione ci chiedeano un sistema, che soggetto non fosse più a variazione. Vedemmo nel tempo stesso, che a far questo primo passo era necessario che fosse posto un termine definitivo alla vendita dei fondi suddetti ordinata col moto proprio dei 14. luglio 1803., e commessa alla Nostra congregazione economica. Perciò v' ingiungessimo di porvi di concerto col reverendissimo cardinal Giuseppe Doria come capo dell' anzidetta congregazione, ad effetto che senza ritardo pubblicasse una notificazione, con cui dichiarasse sciolto qualunque diritto, tanto a favore de' declaratarj, come degl' impetranti i fondi suddetti, se dentro il termine non prorogabile de' 15. agosto prossimo futuro non avessero stipolato il rispettivo istromento, qualunque ne fosse stata la causa, e il motivo.

Liberatio bonorum a vinculis.

§. 3. Non dubitiamo punto, che per lo zelo sì vostro, che del nominato cardinal Doria sarà stata già pienamente adempita questa prima Nostra determinazione. In conseguenza di ciò vi comunichiamo ora le ulteriori disposizioni, mediante le quali ci lusinghiamo di ottenere il fine bramato. Dichiariamo perciò che tutt' i beni comunitativi su de' quali a tutto l'accennato giorno de' 15. agosto non sarà stato stipolato l' istromento di vendita, restino liberi da qualunque vincolo di azione, di impetra, e sottoposti alla generale amministrazione, e conseguentemente qualunque declaratario, impetratario, o possessore per qualunque titolo di certificati, non abbia più alcun diritto a chiedere l' aggiudicazione dei suddetti beni, e corra la sorte degli altri creditori delle comunità, per conseguire dalla suddetta amministrazione il pagamento dei frutti, e la restituzione delle sorti, a forma di quanto da Noi venne prescritto nel citato moto proprio de' 14. luglio 1803. in favore di quei creditori, che non avessero voluto approfittarsi della ozione alla vendita de' beni anzidetti. In conseguenza di ciò incarichiamo la Nostra congregazione del Buon Governo, a cui presiedete, di stabilire con precisione il vero reliquato dello stato passivo, tanto a capitale, che a frutto, come ancora dell' attivo, similmente a capitale, ed a frutto, e sulle basi certe dell' uno, e dell' altro presentarci un piano dentro l' anno corrente, con cui si ottenga il maggior fruttato de' beni non alienati, da ritirarsi col minor possibile dispendio; si assicuri il puntuale pagamento degli annui frutti ai creditori; si stabilisca la più sollecita estinzione delle sorti, da farsi ratatamente in ogni anno; e finalmente si determini il proporzionato sussidio da darsi dalla cassa generale alle comunità bisognose, ed in specie a quelle che innanzi l' incamerazione de' beni, o non avevano debiti, o li avevano in una somma molto inferiore alla quantità de' beni, de' quali sono rimaste spogliate.

Confirmatio legum editarum pro diremptione quaestionum super proprietate bonorum et jurium super illis quomodo competentium.

§. 4. Crediamo ancora necessario, ed anche consentaneo alle massime di giustizia di nuovamente approvare, e di ordinare insieme la più esatta esecuzione di quanto dalla Nostra congregazione del Buon Governo fin dal principio del 1803. ci fu proposto in riguardo alle questioni sulla pertinenza di alcuni beni, pascoli, e pretesi diritti, o popolari, o appartenenti a qualche particolare corporazione di cittadini. Di fatti conoscemmo fin d' allora, che se si fosse lasciato aperto l' adito a simili questioni di pertinenza, l' amministrazione generale de' beni avrebbe fluttuato sempre nell' incerto; sarebbesi compromessa la dignità dell' anzidetta congregazione nel dovere per proprio officio sostenere tanti litigj con le comunità alla di lei cura affidate; e quel ch' è più l' assicurazione da Noi data ai creditori di esser puntualmente soddisfatti de' frutti e capitale, sarebbe andata a vuoto tostochè si fossero separati non pochi beni dalla generale

amministrazione da quei medesimi comunisti, e cittadini, che pur dovevano essere bastantemente contenti di essere stati con Nostra beneficenza sovrana liberati dall' obbligo *uti singuli, et in solidum* per la soddisfazione dei creditori suddetti. Quindi a togliere affatto tutti questi inconvenienti, de' quali con Nostro dispiacere abbiamo veduto finqui i funesti effetti, vogliamo, ed espressamente ordiniamo, che tutte le questioni sulla pertinenza de' beni, siano di pascoli, o molini, o altri fondi, siano a nome delle comunità, o del popolo, o di qualsisia particolare corporazione restino sospese intieramente finchè non saranno estinti tutt' i debiti comunitativi, tanto de' frutti come del capitale, moderando a tal' effetto le citazioni speciali date dal Nostro monsignor uditore, e richiamando qualunque remissione di causa, ancorchè già introdotta, o in s. Rota, o in qualunque altro Nostro tribunale, volendo che i suddetti beni, e diritti controversi, rimangano, come tutti gli altri sottoposti alla generale amministrazione come innanzi l' anno 1798. si trovano descritti nelle tabelle di ciascuna comunità.

Quaestiones omnes ad congregationem boni regiminis avocantur.

§. 5. E perchè ci è sommamente a cuore, che in tutto si osservi un egual sistema, e l' uniformità delle massime, quindi informati Noi, che tanto sui beni venduti, quanto su quelli che rimangono sottoposti all' amministrazione, sonosi eccitate diverse questioni di pretesi diritti, e servitù, come ancora sulla spettanza di pretesi pesi inerenti ai beni medesimi, vogliamo che tutte queste questioni di qualunque natura siano benchè già rimesse, ed introdotte in altri tribunali siano richiamate da essi come colla Nostra suprema autorità richiamiamo, commettendone privativamente l' esame alla Nostra congregazione del Buon Governo, incaricando della piena esecuzione di ciò, tanto il Nostro tribunale della Segnatura, quanto il Nostro monsignor uditore, qualora dinanzi a loro si eccitasse qualunque questione di pertinenza, volendo che nei casi suddetti, come in qualunque altro, in cui o direttamente, o indirettamente possa aver luogo l' interesse dell' amministrazione, ne sia rimesso l' esame privativo alla suddetta congregazione del Buon Governo.

Declaratio inappellabilitatis resolutionum edendarum a congregatione specialiter deputata.

§. 6. Per uniformità di ragione avendo presente, che quando col moto proprio dei 19. marzo 1801. liberassimo le comunità, e i rispettivi cittadini dal peso del pagamento de' debiti legittimamente contratti, deputassimo ancora una congregazione particolare con biglietto di Nostra segreteria di stato, composta del cardinal prefetto pro tempore, di monsignor segretario, ed altri individui della suddetta congregazione, a cui conferissimo le facoltà non solo di liquidare l' avere di ciascun credito, ma anche di dichiarare quali fossero compresi nella disposizione del succennato moto proprio, e quali dovessero rimanere a carico delle comunità, o dei particolari obbligati: quindi confermando la suddetta provvidenza di cui abbiamo conosciuto i vantaggiosi effetti, vogliamo che il giudizio reso fin qui, o che si renderà in appresso dalla suddetta congregazione particolare sia definitivo, ed inappellabile anche in devolutivo, al qual effetto, anche in questo caso moderiamo qualunque citazione speciale del Nostro monsignor uditore, e qualunque remissione ai Nostri tribunali di simili vertenze, quantunque potessero essere state giudizialmente introdotte, altrimenti inutili sarebbero state le tante Nostre cure nel volere fissato con sicurezza l' attivo, ed il passivo delle comunità dello stato.

Licentia augendi canones, et pensiones pro aequanda fructuum distributione.

§. 7. Finalmente qualora nel formarsi il piano di sopra commesso alla Nostra congregazione del Buon Governo, per assicurare il maggior fruttato de' beni posti sotto l' amministrazione si conoscesse dalla medesima, che qualche enfiteusi, o affitto a lungo tempo fosse inferiore al vero fruttato de' beni medesimi, l' autorizziamo a crescerne proporzionatamente la risposta, affine non solo di livellare tutte le rendite in una stessa proporzione; ma anche coll' aumento delle medesime assicurare sempre più ai creditori l' annua percezione de' frutti, e la successiva estinzione dei capitali, che è l' unico oggetto, per cui abbiamo fin qui impiegate indefessamente le Nostre paterne cure.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 8. Volendo, e decretando, che al presente Nostro chirografo non possa mai opporsi di orrezione, o sorrezione, o di altro vizio, o difetto della Nostra volontà, ed intenzione; ma abbia, e debba aver sempre il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore con la semplice Nostra sottoscrizione, benchè non ammesso, nè registrato in camera, toglien-

do ad ogni giudice, e tribunale, anche collegiale la facoltà di diversamente giudicare, definire, ed interpretare, dichiarando fin d'adesso nullo, ed invalido quanto si giudicasse, o definisse in contrario, ancorchè non fossero stati chiamati, sentiti, o citati quelli che mai pretendessero avervi interesse.

Derogatio contrariorum. §. 9. Non ostante la bolla di Pio IV. *de registrandis*; e le regole della Nostra cancellaria *de jure quaesito non tollendo*, e non ostante li sopraccitati Nostri moti proprj de' 19. marzo 1801. e 14. luglio 1803. e qualunque altra disposizione emanata col previo Nostro oracolo dalla congregazione Economica ed ogni altra costituzione ed ordinazione apostolica, e Nostra, leggi, statuti, riforme, stili, usi, e consuetudini, e qualsivoglia altra cosa, che facesse o potesse fare in contrario, alle quali tutte, e singole, avendone qui il tenore per espresso, e di parola in parola inserito, per questa volta solà, e per l'effetto delle cose premesse ampiamente deroghiamo. Dato dal Nostro palazzo apostolico al Quirinale questo dì primo luglio 1807.

Pius PP. VII.

DI.

Dat. die 3. julii 1807. Anno VIII.

Dispensatio favore fratrum ordinis s. Francisci de observantia provinciae Catalauniae, ut exercere valeant lanificium pro textura pannorum ad usum vestimentorum suorum.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 2. Nos te specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, praevia confirmatione alterius rescripti per eamdem congregationem ex Nostra pariter audientia die septima septembris millesimo octingentesimo tertio emanati, quo scilicet super religionis tuae congregationis domibus in Nostra urbe, ac ditione existentibus peculiaris congregatio venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium deputata fuit, ac eo quidem successu, ut per eam, ejusque studio, et cura pars haec Somaschorum jam prope, ob temporum vicissitudines, interitura revixit, quemadmodum rescriptum hujusmodi auctoritate apostolica tenore praesentium in omnibus, et per omnia confirmamus, illudque a te debita cum reverentia, ac obedientia servandum, atque illi, uti et congregationi illius vi deputatae tum quoad res oeconomicas, tum quoad recursus religiosorum tuae congregationis te omnimode subjectum esse debere volumus, ac praecipimus: deinde iisdem auctoritate et tenore memoratum rescriptum favore tui editum, ac per quod praepositus generalis fuisti renunciatus, una cum omnibus, et singulis in eodem rescripto contentis, ad tempus tamen Nostro, et apostolicae Sedis beneplacito duraturum, ratum, validumque habemus, et declaramus, ac robore confirmationis Nostrae apostolicae communimus, tum omnes, et singulos sive facti, sive juris defectus, si

Digitized by Google

quos in illo quomodolibet intervenisse contigerit, sanamus, ac plenarie supplemus.

Deputatio aliorum superiorum.

§. 3. Praeterea dilectos filios Hieronymum Pongelli generali congregationis praepositura laudabiliter functum, in vicarium generalem nec non Josephum Pellegrini parochum ecclesiae s. Nicolai de urbe in procuratorem generalem, et Octavium Poltrieri, qui in collegio Clementino vices gerit rectoris, in ministrum provincialem congregationis auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium, ac per idem tempus, iisdemque sub conditionibus, quoad te supra expressis, creamus, facimus et deputamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac tibi et illis in omnibus et per omnia plenissime suffragari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae congregationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima augusti millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 7. aug. 1807. Anno VIII.

DVIII.

Communicatio privilegii concessi capitularibus sancti Erasmi terrae Bassiani dioecesis Setinae utendi roccheto, et mozzeta, favore canonicorum ecclesiae collegiatae sancti Nicolai ejusdem terrae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigia prementes, ecclesiasticis viris, qui Altissimo in sacris templis collegialiter inserviunt, ibique divinas laudes concinunt, peculiaria indumenta deferenda concedimus, ut ipsi per externas quoque vestes excitati meliora charismata magis magisque in dies aemulentur.

Expositio precum.

§. 2. Exponi quidem nuper fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici nuncupati sancti Nicolai terrae Bassiani Setinae dioecesis, quod cum ipsi unum corpus cumulative efficiant cum altero ejusdem terrae capitulo sancti Erasmi hujus quoque ecclesiae sancti titulo perfruentes, simulque processionibus, aliisque publicis functionibus cum iisdem sancti Erasmi canonicis interessentes, idcirco iisdem insignibus, quibus paulo ante ipsius ecclesiae sancti Erasmi canonici per Nos decorati sunt decorari et ipsi vehementer desiderant ad majorem Dei gloriam, sacrarumque functionum splendorem augendum. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur dictos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, ipsorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus capitularibus sancti Nicolai praedictis, ut ipsi rocchetum, et mozzetam violaceam tela serica cremisini coloris ad instar aliorum capitularium sancti Erasmi praedictorum tam in ecclesia, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque uti libere, ac licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque capitulares, seu canonicos desuper a quoquam molestari, impediri, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit ecclesiae, et capituli juramento, etiam confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima augusti millesi-

mo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 7. aug. 1807. Anno VIII.

DIX.

Translatio missae et officii proprii b. Dominici De-Val martyris, in diem 31. augusti cujuslibet anni pro dioecesi Caesaraugustana.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Pro parte venerabilis fratris patriarchae Indiarum, nec non dilectorum filiorum capituli, cleri, et magistratus Caesaraugustani, expositum Nobis fuit, ipsi pro eo, quo in b. Dominicum de-Val martyrem afficiuntur devotionis affectu, ad relationes dilecti filii magistri Hieronymi Napulionis fidei promotoris rescriptum obtinuerunt sequentis tenoris videlicet.

Tenor concessionis.

§. 2. Supplicante r. p. d. Dionysio Bardaxi et Azzara canonico metropolitanae ecclesiae Caesaraugustanae, sacrae rotae Romanae auditore, nomine reverendissimi archiepiscopi Indiarum patriarchae, capituli, cleri, et magistratus Caesaraugustani, ac referente r. p. d. Hieronymo Napulionio fidei promotore, sanctissimus dominus noster Pius VII. pont. max. inspectis iis, quae in supplici libello enarrantur, benigne indulsit, ut festum b. Dominici de Val martyris cum officio, et missa jam concessis celebrari possit quotannis imposterum ritu dupl. maj. in die proprio ejus martyrii, scilicet in die 31. augusti tam a clero civitatis, et dioecesis Caesaraugustanae, quam ab omnibus aliis, quibus alias jus datum fuit illud cum officio, et missa celebrandi: translato in primum diem non impeditum juxta rubricas, qui deinceps erit dies fixus, quocumque alio festo in dicto die 31. augusti occurrente. Die 24. julii 1807.

J. M. card. de Somalia S. R. C. praef.
J. de Carpineo S. R. C. secretarius.

Confirmatio praedicti rescripti.

§. 3. Cum autem sicut in eadem expositione additum erat, quo praeinsertum rescriptum firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae Nostrae confirmationis subsidio ipsum muniri vehementer desideretur, Nos eosdem exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, idem rescriptum, et singula in eo contenta et expressa, auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus, et adprobamus; illique inviolabilis ac perpetuae apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos cum juris, tum facti defectus, si qui desuper in eo quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima augusti millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri, anno octavo.

Dat. die 7. aug. 1807. Anno VIII.

DX.

Subrogatio commissarii jam deputati, et interim defuncti pro erectione montis ad extinctionem aeris alieni contracti in regno Sardiniae pro defensione publica.

Venerabili fratri Nicolao episcopo Iglesiensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
salutem et apostolicam benedictionem.

Memoratur praecedentes literas datae pro nominatione alterius commissarii.

§. 1. Dudum, instante charissimo in Christo filio Nostro Victorio Emmanuele Sardiniae rege illustri Nos cl. me. Didaco Gregorio Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Cadello nuncupato Calaritanae ecclesiae ex Nostra dispensatione et concessione praesuli direximus apostolicas Nostras in simili forma brevis die vigesima octava aprilis anni currentis expeditas literas, tribuentes ei sub certis modo et forma facultatem imponendi pensiones, reservandi annatas, ac quaedam alia disponendi ad tempus viginti quinque dumtaxat annorum super fructibus, redditibus, et proventibus ecclesiarum, et beneficiorum regni Sardiniae favore montis erigendi ad extinctionem alieni aeris pro defensione publica a regio aerario contracti, et alias prout eisdem in literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus uberius continetur.

Preces porrectae pro obtinendo successore in locum defuncti.

§. 2. Liceat autem idem cardinalis praesul debitae literarum Nostrarum executioni celeriter incubuerit, et multa pro optati montis erectione, etiam nominando ecclesiasticos deputatos, feliciter gesserit; nihilominus die quinta mensis julii proxime elapsi ex hac sicut accepimus, mortali vita decessit, et membra, quae praedicto monti dare operam debent, suo velut capite orbata reliquit. Hinc ejus ex obitu veritus idem Victorius Emmanuel rex, nequid deinceps emergat, cui opportune nonnisi per praesentem delegati apostolici auctoritatem possit occurri, ideo Nobis regio ipsius nomine supplicatum enixe est, ut fraternitatem tuam obventuris casibus ad dictum montem spectantibus subrogare ut infra in locum defuncti de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur hac in re regis votis libenter annuere, teque specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, recensitas literas Nostras quae ad erectionem montis praedicti die vigesima octava aprilis hujusce anni praenominato cardinali praesuli nuper, ut praefertur, defuncto per Nos directae fuere, nunc fraternitati tuae harum vigore committimus, tibique pro ulteriori illarum executione facultates omnes ac singulas, quas tunc eidem cardinali praesuli communicavimus, in omnibus et per omnia, servata tamen forma et dispositione earumdem literarum, firmisque etiam remanentibus clausulis et conditionibus universis ibidem expressis, auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus cunctis iis, quae praedictis in literis concessimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima augusti millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

DXI.

Dat. die 14. aug. 1807. Anno VIII.

Incorporatio insulae sitae in loco ad sinistram ripam fluminis Rheni dioecesi Aquisgranensi.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Dilecto filio Nostro Joanni Baptistae tituli sancti Onuphrii Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Caprara nuncupato Nostro, et Sedis apostolicae ad carissimum in Christo filium Nostrum Napoleonem Galliarum imperatorem de latere legato, salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§. 1. Cum carissimus in Christo filius Noster Napoleo Gallorum imperator Nobis significari curaverit quamdam insulam in loco ad sinistram fluminis Rheni ripam existentem, et ad antiquam suppressae per Nos metropolitanae ecclesiae Coloniensis dioecesim spectantem, fore opportunum, et ipsius insulae habitatoribus valde commodum, si a praefata dioecesi Coloniensi abdicata, eadem insula moderni et pro tempore existentis episcopi Aquisgranensis jurisdictioni subjiceretur.

Tenor concessionis.

§. 2. Temporum itaque ac rerum circumstantiis mature pensatis, ac votis hujusmodi annuere necessarium censentes, Nos tibi dum-

Digitized by Google

modo justis de causis ita in Domino agnoscas expedire, praevio quorum interest consensu insulam praefatam, in harum literarum executione distincte enunciandam, cum suis habitatoribus a praedicto antiquae Coloniensis dioecesis territorio separando, praefato episcopo Aquisgranensi apostolica Nostra ad hoc tibi specialiter delegata facultate subjicere, ejusdemque episcopi dioecesi unire, adjungere, et incorporare libere, ac licite possis et valeas, ita ut habitatores omnes tam ecclesiastici, quam laici in praedicta insula degentes, superioritati, jurisdictioni, et obedientiae venerabilis fratris Nostri moderni et pro tempore existentis episcopi Aquisgranensis subjecti in posterum esse debeant, atque censeantur, dictaeque Aquisgranensis ecclesiae praesul veram, realem, corporalem, et actualem insulae praedictae possessionem, seu quasi possessionem, administrationis spiritualis, ac omnimodi juris dioecesani libere propria auctoritate etiam apprehendere possit et valeat, potestate Nostra praedicta, tenore praesentium concedimus, atque indulgemus.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 3. Reparationem vero et unionem praefatas, quando per te vigore delegatae hujus facultatis executae fuerint, quibuscumque etiam speciali, expressa, et individua mentione dignis in contrarium non obstantibus semper, et perpetuo validas esse, suosque integros effectus sortiri, et obtinere, Nostrasque praesentes literas ab omnibus ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari volumus, atque mandamus, ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septimo, pridie idus augusti potificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 12. aug. 1807. Anno VIII.

DXII.

Confirmatio electionis sancti Rochi in patronum principalem factae a populo villae nuncupatae Callosa dioecesis Oriolensis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Tenor decreti editi a Rom. a sacra congregatione Rituum.

§. 1. Nuper a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum editum est decretum tenoris ut sequitur.

Ex parte cleri, magistratus, et populo villae vulgo nuncupatae Callosa de Segura Oriolensis dioecesis sacrorum rituum congregationi pro confirmatione electionis sancti Rochi confessoris in patronum principalem dictae villae humillime supplicatum fuit: et sacra eadem congregatio, referente eminentissimo et reverendissimo domino cardinale Matthaejo episcopo Praenestino ponente, cum hujusmodi electionem, quoad formam, rite, et juxta decretum sa. me. Urbani pp. VIII. legitime factam comperisset, benigne de ejus approbatione, et confirmatione, si caetera concurrere noverit, permisit reverendissimo episcopo Oriolensi ad ipsius arbitrium, et s. Rochi confessoris, in patronum principalem electi festivitati praerogativas omnes sanctorum protectorum principalium festis competentes ab eodem episcopo attribui, atque concedi posse indulsit. Die 11. julii 1807.

Loco ✠ Signi.

J. M. card. de Somalia S. R. C. praef.
J. de Carpineo S. R. C. secretarius.

Confirmatio apostolica.

§. 2. Quum autem clerus, magistratus, populusque villae praedictae decretum hujusmodi, sicut exponi Nobis fecerunt, speciali Nostra confirmatione roborari desiderent, humiliterque a Nobis expostulent, Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac singulares ipsorum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, praeinsertum decretum cum omnibus et singulis in eo contentis, ratum, validumque auctoritate apostolica tenore praesentium habemus ac declaramus, illique inviolabilem apostolicae confirmationis Nostrae robur adjicimus, ac omnes et singulos sive facti, sive juri defectus, si quos quomodolibet in illud irrepsisse contigerit, sanamus, ac plenarie supplemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus

sortiri, et obtinere, ac iis ad quos spectat, ac spectabit pro tempore, plenissime suffragari, atque ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, caeterisque contrariis quibuscumque. Salva in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima octava augusti millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 18. aug. 1807. Anno VIII.

DXIII.

Dismembratio ecclesiae episcopalis Cracoviensis a subjectione juris metropolitici sedis archiepiscopalis Gnesnensis, illiusque subjectio metropolitanae Leopoliensi.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Dilecto filio Nostro Antonio Theodoro Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali de Colloredo nuncupato archiepiscopo Olomucensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§. 1. Quoniam carissimus in Christo filius Noster Franciscus I. Austriae imperator, atque Hungariae et Bohemiae rex apostolicus significari Nobis curaverit, episcopalem ecclesiam Cracoviensem archiepiscopi Gnesnensis metropolitico juri usque adhuc subjectam in territorio modo comprehendi temporali dominio ipsius imperatoris ac regis obtemperanti, et difficillimum fore, si populi antedictae dioecesis in negociis spiritualibus curiam metropolitanam Gnesnensem in alterius principis territorio existentem adire cogerentur; ideoque non minus utile, quam necessarium sibi videri, ut ad consulendum suorum subditorum indigentiis eadem Cracoviensis ecclesia alterum agnoscat metropolitanum ad quem commodum habere valeat recursum, Nobis humillime supplicari fecit pro impetranda Sedis apostolicae ad hujusmodi effectum benigna indulgentia.

Tenor concessionis.

§. 2. Perpensis itaque laudati imperatoris ac regis iteratis postulationibus, aliisque rerum ac temporum gravibus circumstantiis, et expediens in Domino censentes tanti principis votis obsecundare, tibi dilecte fili Noster per praesentes committimus et mandamus, ut sive per te, sive per aliam idoneam personam in ecclesiastica dignitate constitutam et ad hunc effectum specialiter subdelegandam, habitis prius venerabilium fratrum archiepiscopi Gnesnensis, et episcopi Cracoviensis, atque aliorum quorum interest in legali forma exaratis consensibus, ad Nos deinde originaliter transmittendis, memoratam episcopalem ecclesiam Cracoviensem, una cum tota civitate ac dioecesi ab omni et quacumque archiepiscopalis ecclesiae Gnesnensis metropolitici juris subjectione perpetuo subtrahas atque eximas, illamque jurisdictioni et superioritati moderni et pro tempore existentis venerabilis fratris archiepiscopi Leopoliensis latini ritus apostolica Nostra tibi expresse delegata auctoritate perpetuo similiter subjicias atque supponas, ita ut in posterum praedictus Leopoliensis archiepiscopus, tam in Premisliensi, Kielcensi, et Lublinensi, quam in Cracoviensi respectivis ecclesiis et dioecesibus, jus omne metropoliticum juxta canonicas sanctiones exercere libere, ac licite possit et debeat: Nos enim singulas tibi ad praemissorum effectum necessarias et opportunas tribuimus facultates; et postea quam praesentes Nostrae literae fuerint exequutioni demandatae, antedictas Cracoviensem, Premisliensem, Kielcensem, et Lublinensem episcopales ecclesias, uti metropolitani Leopoliensis ritus latini suffraganeas agnoscemus, et reputabimus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes Nostras, etiam ex eo quod in praemissis interesse quomodolibet habentes, seu habere quovis modo praetendentes non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, nec causae propter quas eaedem praesentes emanarunt verificatae non fuerint, nullo umquam tempore ex quacumque causa de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio impugnari, invalidari, aut adversus illas quodcum-

que juris, aut gratiae, vel justitiae remedium impetrari umquam posse, sed eas semper et perpetuo validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit inviolabiliter observari, ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus Gnesnensis, Leopoliensis, et Cracoviensis respective ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, et consuetudinibus, aliisque quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus generalibus, universalibusque conciliis editis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis personis in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis; quibus omnibus et singulis latissime, et plenissime, ac specialiter et expresse, harum serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 5. Volumus autem quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, caractere notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae iisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septimo, quarto decimo kalendas septembris, pontificatus Nostri anno octavo.

DXIV.

Dat. die 19 aug. 1807. Anno VIII.

Suppressio, et extinctio tituli archiepiscopalis in ecclesia Labacensi, et reintegratio sedis episcopalis in eadem ecclesia sub titulo sancti Nicolai episcopi erecta.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Quaedam tenebrosa caligo humanae mentis obruens imbecillitatem, et futurorum praescientiam impediens, tales aliquando inducere solet errores, ut ea, quae a Romanis pontificibus, ex virorum principum votis, provida ratione pridem fuerint sancita, ob novas lapsu temporis exortas difficultates debeant ad salutis animarum detrimentum avertendum ab apostolica Sede moderari, et gravibus intercedentibus causis ad pristinum nonnulla restitui statum, quando pro rerum ac temporum qualitatibus expedire in Domino conspiciatur.

Memorantur providentiae ad rem susceptae a Pio Papa VI.

§. 2. Post quam igitur felicis recordationis Pius pp. VI. praedecessor Noster obsecundando precibus clarae memoriae Josephi II. imperatoris ac regis, per literas apostolicas sub plumbo expeditas octavo idus martii pontificatus sui anno quartodecimo cathedralem ecclesiam Labacensem cum illius capitulo atque integra ex tunc assignata dioecesi ad sedis archiepiscopalis dignitatem evexit, atque ipsius metropolitico juri subjecit episcopales Segnensem, ac Goritiensem, et Gradiscanam, sive Goritiensem ecclesias, nuper charissimus in Christo filius Noster Franciscus I. Austriae imperator, atque Hungariae, et Bohemiae rex apostolicus instantissime Nobis efflagitavit, quod ob varias ipsi visas gravissimas causas, opportunum illorum populorum spirituale regimen spectantes, eamdem Labacensem Ecclesiam in Carniolae ducatu existentem, quae per translationem venerabilis fratris Michaelis de Brigido ad episcopalem ecclesiam Scepusiensem, modo vacat, et ad quam nominatio personae idoneae Romano pontifici pro tempore existenti facienda ad praedictum Franciscum imperatorem, ejusque successores ex indulto seu privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum spectat et pertinet, ad antiquum statum simplicis episcopatus redigere dignaremur.

Tenor decretae suppressionis, et respectivae reintegrationis.

§. 3. Nos circumstantiis omnibus mature perpensis, et laudati Francisci imperatoris ac regis iteratis votis in praesentiarum annuendum expediens agnoscentes, apostolica Nostra auctoritate titulum, denominationem, et essentiam archiepiscopales in antedictis ecclesia et capitulo Labacensi perpetuo supprimimus et extinguimus, eamdemque ecclesiam sub invocatione sancti Nicolai episcopi cum suo capitulo, ad pristinum in quo antea erat sedis episcopalis apostolicae Sedi immediate subjectae statum denuo redigimus, ac perpetuis futuris temporibus redactam declaramus; firmo tamen in reliquis remanente ipsius ec-

clesiae capitulo ac dignitatum et canonicorum numero, ac firmis pariter dioecesis ambitu et mensae episcopalis ac singulorum capitularium redditibus in eo statu, quo respective nunc reperiuntur.

Conceditur ecclesiis suffraganeis.

§. 4. Venerabiles autem fratres modernos et pro tempore existentes episcopos Segensem, ac Modrusiensem, et Gradiscanum seu Goritiensem in suffraganeos ejusdem Labacensis ecclesiae a praedicto Pio praedecessore Nostro in dictis literis assignatos ab omni et quocumque metropolitici antedictae Labacensis ecclesiae vinculo et subjectione perpetuum eximimus et liberamus, illosque sub immediata Sedis apostolicae subjectione recipimus, usque dum alio seu aliis metropolitanis per Nos seu Romanos pontifices successores Nostros in posterum fuerint assignatae.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem praesentes Nostras literas etiam ex eo quod in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, nec causae, propter quas eaedem praesentes emanarunt, sufficienter adductae, justificatae et verificatae non fuerint, nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, et legitima, pia, privilegiata, ac speciali nota digna de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, seu quopiam alio substantiali, substantialissimo, et inexcogitato, specialem, et individuam mentionem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, in jus, vel controversiam vocari, et ad viam et terminos juris reduci, aut adversus illas quodcumque juris, vel facti aut gratiae remedium impetrari umquam posse, sed eas semper et perpetuo validas et efficaces existere, suosque integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat nunc, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari et definiri debere, irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus literis praefati Pii praedecessoris, ac Nostris, et cancellariae apostolicae regulis de jure quaesito non tollendo, ac quibusvis aliis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac supradictarum omnium ecclesiarum etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis, indultis, et literis apostolicis, quibusvis superioribus et personis in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis, et pluries innovatis, quibus omnibus et singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio habenda, aut aliqua etiam exquisita forma ad hoc servanda foret: illorumque omnium et singulorum tenores, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, latissime, plenissime, ac specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 7. Volumus autem quod praesentium Nostrarum literarum transumptis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur quae praesentibus adhiberetur, si originaliter exhibitae forent.

Sanctio poenalis.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis, restitutionis, repositionis, exemptionis, liberationis, subjectionis, declarationis, ordinationis, mandati, decreti, voluntatis, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud s. Mariam Majorem, anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septimo, quartodecimo kalendas septembris, pontificatus Nostri anno octavo.

DXV.

Dat. die 22 aug. 1807. Anno VIII

Concessio usus roccheti, et mozzetae violaceae pro canonicis ecclesiae collegiatae de Valentano dioecesis Montisflasconensis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium. §. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigia prementes illud interdum concedendum ducimus, ut ecclesiastici viri in templis magis conspicuis Altissimo famulantes, ibique coelestis veluti Sionis aemuli divinas laudes quotidie persolventes peculiaribus ornamentis utantur, quo ipsi externis hujusmodi honorificentiis excitati internarum virtutum splendore magis, magisque in dies praelucere studeant in aula Domini.

Expositio precum. §. 2. Cum itaque sicut Nobis dilecti filii archipresbyter, et canonici insignis, ut asseritur, collegiatae ecclesiae oppidi civitatis declaratae Valentani Montisflasconensis Nobis nuper exponi fecerunt, ecclesia ipsa, in qua, praeter archipresbyterum dignitatem, tredecim canonici, et sex beneficiati existunt, antiquitatis laude, sacrarum supellectilium copia, sacerdotum probitate, et doctrina, populique Christiani frequentia, et devotione non parum floreat, multum splendoris ad illam accederet, populique devotio, divinusque cultus majora ibi incrementa susciperent, si ipsius ecclesiae archipresbyter, et canonici iisdem decorationibus donentur, quibus aliarum proximarum collegiatarum canonici terrarum di Grotte, et Gradoli nuncupatarum ejusdem dioecesis decorati reperiuntur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, ac, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur exponentes ipsos specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus archipresbytero, et canonicis dictae collegiatae Valentani, ut loco almutiae, quam adhuc deferre consueverunt, rocchetum, et mozzettam violaceam, ac etiam aestivo tempore cottam supra rocchetum ad instar canonicorum duarum suprememoratarum collegiatarum, tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare illisque uti libere, et licite possint, et valeant auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque archipresbyterum, et canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane quidquid secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus, et declaramus.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus fel. record. Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae collegiatae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die xxviii. augusti MDCCCVII. pontificatus Nostri anno octavo.

DXVI.

Dat. die 1. sept. 1807. Anno VIII.

Concessio celebrationis festorum sancti Stephani protomartyris et sancti Marcelli, faciendae in mense septembri, vel octobri cujusvis anni in loco nuncupato Elzaburu dioecesis Pampilonensis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio concessionis. §. 1. Quum in locis Elso et Aleoz vocatis dioecesis Pampilonensis in patronum colatur s. Stephanus protomartyr, cujus festum die vigesima sexta mensis decembris occurrit, quumque in loco, quem nominant Elzaburu, ejusdem dioecesis pro patrono habeatur s. Marcellus papa et martyr, cujus festum celebratur in die decima sexta mensis januarii, ac tempore hyemali difficile haud parum sit ire ad loca ejusmodi, quippe quae supra magnum posita montem neque accessum, neque recessum tunc commodum parant fidelibus populis, qui pro devotione sua celebrationi festivitatis eorum-

dem sanctorum cupiant adesse; ac propterea locorum incolae ipsorum sicut nuper Nobis eorum est nomine expositum, enixis flagitant precibus per Nos sibi in praemissis providere opportune, ac ut infra indulgeri.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac singulares ipsorum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, audito hac de re dilecto filio magistro de Carpineo congregationis sacrorum rituum secretario, ut in die non impedito officio novem lectionum intra mensem septembris, aut etiam octobris, semel fixe, seu stabiliter per ordinarium destinando, festum peculiare memoratorum sanctorum patronorum cum officio et missa, ut in die proprio, sub ritu duplicis secundae classis sine octava celebrari, in tribus locis praedictis libere ac licite possit, et valeat, etiam si idem festum cum officio et missa in proprio die celebratum jam fuerit, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque etiam speciali et expressa mentione ac derogatione dignis, contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die prima septembris millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

DXVII.

Dat. die 1. sept. 1807. Anno VIII.

Reformatio tribunalium civitatis Interamnensis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii priores, seu magistratus civitatis Nostrae Interamnensis, quod ipsi ad tollendos abusus in tribunalibus illius civitatis obortos, et excretos, reformationes quasdam, adhibitis in consilium sapientissimis viris, condiderunt, tenoris sequentis, videlicet.

De forma, et praxi judiciorum.

De praxi servanda in causis non excedentibus valorem decem juliorum.

I. §. 2. Le cause, che non superano il valore di paoli dieci Romani debbano dal giusdicente locale in seguito di piccolo memoriale da presentarsi su ciò dall' attore decidersi senza forma, e strepito di giudizio, chiamato avanti di se, ed intese ambe le parti litiganti, nè possa dalla di lui decisione, e giudizio in conto alcuno reclamarsi. Ricusando poi il soccombente di ubbidire, possa il giudice suddetto *sub unica citatione* rilasciare il conveniente mandato colla condanna del renuente a tutte e singole spese giudiziali, ed estragiudiziali, che dovrà immediatamente eseguirsi, non ostante qualunque citazione, ed inibizione.

Similis in causis scutorum quinque.

II. §. 3. Nelle cause sopra il valore di paoli dieci fino alli scudi cinque dovranno prodursi negli atti li necessarj documenti, e promoversi l' istanza *Intimetur, qualiter fuerunt producta jura, ideo citetur idem ad solvendum etc.*, o á far altro, che competerà; ed emanato dal giudice il decreto, che sarà di giustizia, non possa il soccombente promovere, che l' istanza *reponi*, la quale se sarà rigettata, e quindi confermato il decreto fatto, allora non dovranno ammettersi ulteriori citazioni. Se poi sarà accordata la riposizione, e rivocato il decreto, potrà dal soccombente citarsi *praevia repositione procedi ad ulteriora in relaxatione mandati*, o altro, che competerà, e tanto nel caso del secondo decreto confermatorio del primo, quanto nell' altro del terzo decreto confermatorio del primo, e del secondo, se si addurranno testimonj, possa il giudice tenere un proservato per esaminarli avanti di se col decreto *habuit terminum proservato, et interim mandavit conduci coram se pro die etc.* con riceverne quindi la deposizione giurata da registrarsi contemporaneamente negli atti, ed in seguito decidere, come sarà di ragione.

Dopo tutto ciò non potrà aver luogo, che il solo partito *litis* decisivo, dato il quale resterà salvo soltanto al soccombente il devolutivo, in cui dovrà peraltro osservarsi la stessa forma giudiziale, salvo però, tanto riguardo a questo, che all'articolo precedente, il diritto alle parti di ricorrere alla segnatura del principe, come di ragione.

Idem in causis scutorum viginti.

III. §. 4. Trattandosi di un valore sopra li cinque scudi fino alli scudi venti dovrà in primo luogo dall'attore citarsi *contra jura*, fatta *in termino*, secondo il solito, la produzione dei documenti. In promuoversi l'istanza per il pagamento, e rilassazione del mandato, o per altro che competerà, sulla quale istanza potrà il giudice tenere anche un *proservato in camera pro die etc.* per sentir pienamente, quando faccia di bisogno, le parti litiganti, ed esaminare le loro ragioni. Emanato poi quel decreto, che sarà di giustizia, non sia permesso al soccombente di far altra citazione, che *reponi*, la quale potrà anche rinnovarsi per la seconda volta. Se saranno prodotti testimonj, potranno questi esaminarsi *sub unica, et brevi* nella forma, che verrà prescritta in appresso. Non dovranno poi ammettersi altre citazioni, che quelle *contra positiones*, *o contra partitum* prodotte però contemporaneamente negli atti le posizioni, ed il partito, *calculari* prodotte le ricevute, ed i conti, e *ad recipiendum* prodotta una speciale procura del debitore, nella quale si esibisca pronto a pagare l'intera somma, per cui può spedirsi il mandato, come resta prescritto nel decreto 20. sotto il titolo *de jurisdictionibus tribunalium civilium* della constituzione *Post diuturnas* del regnante pontefice. Le dette istanze poi promosse una volta non potranno replicarsi, ma dovrà eseguirsi il giudicato, quando la parte soccombente non abbia ottenuto dalla segnatura del principe il ricorso, in cui dovrà similmente nella stessa forma giudiziale procedersi dopo prodotto l'istromento di decreto nella citazione ad *dicendum contra istrumentum decreti*, e senz'altri termini, ed atti fissata successivamente la giurisdizione colla preventiva istanza *deputari judicem*, *et dandam listam*, *alias deputari ex officio etc.*

Idem in causis cujuscumque valoris.

IV. §. 5. Sopra il valore di scudi venti fino a qualunque somma in prima istanza nelle cause privilegiate di alimenti futuri, di mercedi, di pigioni di case, di affitti, di porzioni domenicali, di canoni e livelli dovrà osservarsi la stessa forma, ed ordine prescritto nel precedente decreto 3. Nelle altre cause poi non privilegiate per disposizione di ragione, ed in seconda istanza fino alla somma, su cui compete ai giusdicenti locali colla solita delegazione il giudicare a norma del decreto 8. sotto lo stesso titolo dell'anzidetta costituzione, se non *executivo*, dovrà premettersi l'istanza *contra jura* colla produzione *in termino* dei documenti, e successivamente promuoversi l'istanza *ad solvendum*, o altra, che competerà, in cui, se vi sarà di bisogno, e lo richiederà la quistione che involve, ed il contrasto dei litiganti, potrà il giudice rimettere l'esame della causa alla lista dell'informazione. In questo caso dovrà quindi per parte dell'attore formarsi la scrittura legale col suo annesso sommario, e presentata, che questa sarà, citarsi *ad informandum*. Sotto questa citazione dovrà comunicarsi la scrittura suddetta al difensore contrario, e tenersi dal giudice un *proservato* per l'informazione di quel giorno, che crederà, ad effetto possa rispondersi alla comunicata scrittura. Per l'informazione del giorno destinato dovrà nuovamente citarsi *ad informandum*, e tenersi l'informazione sulle scritture di ambe le parti, se vi saranno, diversamente non essendo stata portata ancora la risposta, potrà il giudice tenere un altro *proservato* per l'informazione di un'altro giorno, ed accordarsi altra ristretta dilazione, in fine della quale dovrà citarsi *aperiri terminum proservato*, *et loco aperitionis procedi ad ulteriora in relaxatione mandati pro scutis etc.*, o altro che competerà, e tenuto il *proservato* alla presenza dei testimonj secondo l'antica pratica di questa curia potrà dentro il solito termine di dieci giorni spedirsi per decreto definitivo la causa, come sarà di giustizia. Interponendosi dal soccombente l'appellazione, non dovrà sulla citazione *ad dicendum contra appellationem etc.* farsi altro decreto, che *utatur jure suo*, non convenendo al giudice, che ha pronunciato, ammetterla, o rigettarla.

De causis ordinariis, et forma in illis servanda.

V. §. 6. Nei giudizj poi sommarj, ed ordinarj, che saranno quelli, ne' quali non concorre l'obbligo camerale, e non compete la via esecutiva, dovrà premettersi il monito-

rio, ovvero libello solito secondo l'inveterato stile di questa curia, di cui dovrà eseguirsi copia, e riprodursi l'originale *infra triduum*, e successivamente citarsi *contra jura*, producendo *in termino* i necessarj documenti. Indi dovrà promuoversi dall'attore l'istanza, che competerà a norma del monitorio, o libello, e col decreto *ad listam* rimettersi l'esame di tali cause alla lista dell'informazione, come viene anche prescritto nel decreto 34. sotto il riferito titolo *de jurisdictionibus tribunalium civilium* della divisata pontificia costituzione. Dopo di ciò dovrà dall'attore portarsi al giudice la scrittura col suo sommario, lasciandone della scrittura due copie, una per il giudice, l'altra per comunicarsi alla parte contraria, e dovrà quindi citarsi *ad informandum*. Nel giorno, che cadrà la prima informazione, dovrà il notaro attuario della causa notare al di fuori di essa scrittura, e precisamente sotto il di lei soprascritto il giorno dell'informazione col solito decreto di lista *communicari jura*, e comunicare contemporaneamente alla parte contraria l'altra copia della scrittura lasciata dall'attore a quest'effetto. Per la prima informazione, che cadrà a capo, e dopo otto giorni, dovrà nuovamente citarsi *ad informandum*, e notarsi come sopra, col secondo decreto di lista *ad aliam*. Lo stesso dovrà rinnovarsi per la prima informazione a capo, o dopo altri otto giorni, e notarsi come sopra, col terzo decreto di lista *proservato*. Se la parte contraria non avrà portata la scrittura responsiva al giudice, dovrà questo per mezzo del notaro attuario far sapere al difensore contrario, che la porti, per poter mettere la causa in lista nella prima informazione, e mancando di farlo, potrà, dopo scadute le necessarie citazioni, spedire in contumacia la causa. Se poi avrà portata la risposta, dovrà mettersi la causa in lista, e citarsi nuovamente *ad informandum*, e colle scritture di ambe le parti informarsi dai rispettivi difensori del giorno dell'informazione destinato dal giudice, dal quale verrà palesato il suo sentimento con tenere il *proservato* a favore di quella parte, a cui crederà assistere la ragione. Potrà il giudice accordare alla parte, a cui sarà contrario, la facoltà di rispondere, e replicare contro i motivi del suo sentimento per tenere poi colla nuova scrittura un'altra informazione, dopo la quale dovrà dalla parte, a favore di cui avrà tenuto il proservato, citarsi *ad terminos substantiales*, e successivamente *ad sententiam*, e dentro il solito termine di dieci giorni spedirsi la causa per sentenza definitiva, come si pratica nel tribunale dell'A. C., e citandosi dal soccombente in seguito dell'interposta appellazione, debba osservarsi, quanto resta su ciò prescritto nel decreto 4.

VI. §. 7. Nelle cause di cambiali, e di pagarò per altrettanti ascendenti a qualunque somma possino *sub unica citatione* conculcarsi li termini secondo la pratica, e forma osservata nel tribunale dell'A. C. Lo stesso debba praticarsi per le apoche private, sulle quali però sia sempre proibito rilasciare, e consegnare il mandato, non citato prima il debitore, come sopra, salvò al creditore il diritto di procedere alla spedizione, ed esecuzione del mandato avanti il tribunale dell'A. C. quante volte siasi in dette apoche convenuto, che possa il debitore citarsi per contradette, e siasi da questo rinunciato a qualunque citazione. — De causis agendis pro solutione literarum collybisticarum

VII. §. 8. Sia abolito lo stile di fare le citazioni di giro per comparsa negli atti, ma debbano tutte farsi stese sempre però colla limitazione, e restrizione a quelle sole stabilite, e fissate di sopra dichiarandosi qualunque altra citazione, o comparsa nulla, e di niuna efficacia, e valore, come se fatta non fosse. — De citationum forma.

VIII. §. 9. Per regola generale le citazioni lette, e riprodotte nell'udienza una volta, non potranno mai rinnovarsi, e ripetersi sotto pena di nullità anche per l'effetto di calcolarle nella tassa delle spese, e di conseguirsene in qualunque maniera dal curiale, e dal notaro l'onorario, e l'emolumento, a riserva soltanto della citazione *reponi* ne' casi di sopra specificati, e dell'altra *ad informandum*, che non dovrà riprodursi, ed eccettuato altresì il caso, in cui per qualche speciale ragione credesse il giudice conveniente di permettere la rinnovazione col firmarla preventivamente col *poterit legi*. — De vetita renovatione citationum.

IX. §. 10. Non possino similmente farsi negli atti altre comparse, fuori che per il *nihil fieri* in principio della causa, per il giuramento di calunnia, per la produzione dei documenti, e per qualche speciale protesta, che fosse coerente all'azione promossa colla proi- — De comparitionibus permissis.

Digitized by Google

§. 61. Decernentes easdem praesentes literas validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, illisque plenissime suffragari, ac ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos; sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 62. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictae civitatis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statu- Derogatio contrariorum.

Digitized by Google

tis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quarta septembris millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 14. sept. 1807. Anno VIII.

DXVIII.

Imminutio onerum ferendorum a clero villae de Cocentaina Valentinae dioecesis.

Venerabili fratri archiepiscopo Valentino.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater,
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum et ratio concessionis.

§. 1. Nuper exponi fecerunt Nobis dilecti filii modernus parochus et clerus parochialis ecclesiae matricis villae de Cocentaina Valentinae dioecesis, constare ipsorum, ut ajunt, communitatem viginti quatuor beneficiatis residentibus, comprehenso parocho, sed singulorum beneficiorum annuum redditum ad tercentum libras tantum ascendere monetae, inclusa eleemosyna missarum, redditumque hujusmodi in solis consistere distributionibus quas ii soli percipiunt, qui horis canonicis aliisque quotidianis functionibus personaliter intersunt, ita ut absentibus sola missae, ac eam si celebrent, stipes relinquitur. Chori porro servitium toto anno assiduum esse quandoquidem onus sibi inest celebrandi quotannis sex centum sexaginta missas cum cantu, quas vulgo vocant *ammortizatas*; seu quae redditum habent stabiliter assignatum, ac praeterea recitandi octodecim matutina, centum quadraginta duas vesperas, et totidem completoria, centum quadraginta horas minores, tum cantandi duo de quinquaginta missas votivas, demum peragendi quadraginta processiones, ac tredecim exercitia nuncupata de hora. In tot itaque communium onerum satisfactione quum prope nihil ipsis supersit sive ad animi corporisque solatium, sive ad alias res, quae interdum occurrunt, eosque alio accersunt, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sicut aliquarum ecclesiarum beneficiatis, qui ista in dioecesi nimio pariter gravabantur onere chori, provisum per Nos opportune jam fuit, ita providere sibi, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac singulares ipsorum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, quatenus veris existentibus praenarratis, eisdem exponentibus licentiam et facultatem, cujus vigore ipsi, eorumque in perpetuum successores per duos tantum menses in quolibet anno a choro, ecclesiaeque servitiis praedictis vacare, nullamque interim fructuum, redditnum, proventuumque, ac etiam distributionum, quarum soli praesentes participes fiunt, ex beneficiis suis provenientium jacturam subire libere et licite possint et valeant, auctoritate Nostra apostolica pro tui arbitrio et conscientia gratis impertiaris; ita tamen, ut tres tantum beneficiati vacatione hujusmodi gaudeant vicissim per turnum, exceptis semper expresse temporibus adventus, et quadragesimae, nec non festivitatibus solemnioribus anni a primis earum vesperis usque ad totam octavam, exceptisque aliis quoque diebus, quas tu ab hoc turno, quem Nos tibi praefiniendum relinquimus, magis in Domino reservare censueris.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus nec non ecclesiae praedictae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis, firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibus-

cumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die undecima septembris millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 11. sept. 1807. Anno VIII.

DXIX.

Unio beneficii erecti in ecclesia sancti Donati terrae Celleni dioecesis Montis Falisci cum officio publici praeceptoris ejusdem loci.

Dilecto filio Nostro Joachimo Syfredo Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali de Maury nuncupato, ecclesiae Montis Falisci ex dispensatione et concessione apostolica praesuli.

Pius PP. VII.

Dilecte fili noster
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Expositum Nobis nuper tuo nomine fuit perpetuum beneficium ecclesiasticum, quod in parochiali ecclesia s. Donati terrae Celleni dioecesis Montis Falisci cum adnexo onere coadjuvandi parochum in cura animarum extat erectum, quodque a bo. me. Cajetano Floridi ultimo illius, dum viveret, possessore obtinebatur, vacasse per ejus obitum, et adhuc vacare jam a mense decembris anno millesimo octingentesimo quarto, ac licet jugiter data opera fuerit in aliquo alio inquirendo, qui ad hujusmodi beneficium defuncti loco posset substitui, omnem tamen diligentiam frustratam esse tum a penuria sacerdotum, tum potissimum a tenuitate beneficii fructuum; ita ut ii, qui istius terrae praesunt communitati agnoscentes tandem solum parochum spiritualibus populi indigentiis satis esse nequire, scholam publicam, annuumque ejus stipendium viginti circiter scutatorum beneficio, praedicto uniri deliberaverint, auctaque hoc modo beneficii praebenda dilectum filium Angelum Trinchieri dictae ejusdem dioecesis presbyterum ad illud recipiendum allexerint. Quoniam vero de memorato beneficio praevio semper synodali concursu consuevit disponi juxta formam Tridentini concilii, ejusque provisio ob tanti temporis lapsum, ex quo vacavit, et vacat, reservata nunc est apostolicae Sedi, vi constitutionis sanctae memoriae Pii pp. V. praedecessoris Nostri super modo et forma providendi de vacantibus pro tempore parochialibus ecclesiis, nequidem idcirco difficultatis duo haec in praesentiarum intersérant, tuo Nobis humiliter supplicatum est nomine, ut hoc in casu ad conclusionem ejus expeditiorem Nos providere opportune, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur te cumulatioribus gratiis in iis praesertim, quae pastorale tibi commissum munus respiciunt, prosequi volentes, supplicationibus pro parte tui Nobis porrectis inclinati, tibi dilecte fili Noster, facultates necessarias, et opportunas, quarum vigore recensitum scholae publicae officium cum suis juribus, honoribus et oneribus, fructibus, et emolumentis omnibus et singulis vacanti beneficio praedicto auctoritate Nostra apostolica tibi ad id specialiter et expresse delegata hac vice unire, et adnectere, tum idem beneficium etiam non adhibito synodali concursu, dummodo huic tamen per rigorosum examen suppleatur, servatisque aliis de jure servandis, praenominato Angelo presbytero pari auctoritate conferre, eumque providere de illo libere, et licite valeas, eadem auctoritate tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus praedicta Pii praedecessoris, et Benedicti pp. XIV. etiam praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima prima septembris millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 15. sept. 1807 Anno VIII.

DXX.

Elevatio ritus officii, et missae sancti Josephi sponsi Beatae Mariae Virginis a duplici secundae classis ad duplicem primae classis pro clero dioecesis Valentinae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Quum sicut Nobis exponi nuper fecerunt venerabilis frater archiepiscopus, et dilecti filii capitulum ecclesiae cathedralis Valentinae, Nos alias ritum festi s. Joseph Beatae Mariae Virginis sponsi peculiariter in civitate et dioecesi ista servandum transtulerimus in perpetuum a die decima nona martii ad dominicam secundam post pascha; quumque iidem archiepiscopus atque capitulum cupiant nunc, humiliterque deposcant super eodem ritu aliud a Nobis provideri opportune, ac ut infra indulgeri.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, audito dilecto filio magistro de Carpineo congregationis sacrorum rituum secretario, auctoritate apostolica tenore praesentium ritum ejusdem sancti praedicti a duplici secundae classis ad duplicem primae classis cum octava pro eadem civitate et dioecesi elevamus, atque ibidem inposterum diem ipsum XIX. martii inter feriales fore, ac esse recensendum, et tam praecepto missam eo die audiendi, quam cessandi a laboribus neminem amplius teneri declaramus, atque decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictae civitatis et dioecesis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 4. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae adhiberetur, ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quinta septembris millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 18. sept. 1807. Anno VIII.

DXXI.

Nominatio ad vitam ad titulum ex generalis, seu ex ministri generalis pro fratribus ordinis sancti Francisci de Poenitentia.

Dilecto filio Josepho Torregiani fratrum ordinis tertii s. Francisci de Poenitentia nuncupati professori in sacra theologia magistro.

Pius PP. VII.

Dilecte fili
salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio et tenor concessionis.

§. 1. Religionis zelus, literarum scientia, vitae ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, et virtutum merita, quibus te praeditum esse cognovimus, Nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Volentes itaque tibi, qui, sicut accepimus, frater expresse professus ordinis tertii sancti Francisci de Poenitentia nuncupati, in sacra theologia doctor, et magister, nec non dicti tui ordinis procurator generalis, quique sacrorum rituum congregationis consultor, Romani cleri examinator, theologus, ac examinator prosyno-

dalis Sabinae, quique demum primarius inter fratres collegii Siculorum sancti Pauli in Arenula etiam nuncupati de urbe (quod, post novissimas rerum vicissitudines, ac perturbationes, opera, ac religiosa industria tua mirifice restitutum fuit) existis, et in munere procuratoris generalis hujusmodi, quo adhuc fungeris, non solum laudabiliter te gessisti, sed etiam in negociis tibi demandatis summa cum conventuum praefati tui ordinis utilitate, eidem obsequia tua praestare non destitisti, et ad praesens non desinis, praemissorum meritorum, et laborum tuorum intuitu gratiam facere specialem, ejusdemque collegii Siculi decus augere, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus reperiris, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, tibi titulum ex-generalis, vel ex-ministri generalis praefati tui ordinis auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus, et impertimur, tibique, ut omnibus, et singulis privilegiis, praerogativis, praeeminentiis, exemptionibus, gratiis, et indultis, quibus generalis, seu ministri generalis ordinis praefati munere perfuncti tam de jure, usu, et consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere possunt, et poterunt in futurum, pari modo, absque ulla prorsus differentia uti, frui, et gaudere libere, et licite possis, et valeas in omnibus, et per omnia, perinde ac si generalis, seu ministri generalis hujusmodi munere perfunctus fuisses, auctoritate, et tenore praesentis concedimus, et indulgemus.

Mandatum de obediendo.

§. 2. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis Nostrae aliisque arbitrio Nostro infligendis poenis omnibus et singulis memorati ordinis superioribus, fratribus, et personis, caeterisque ad quos spectat, et pro tempore spectabit, ut te praesentis gratiae commodo, et effectu pacifice frui, et gaudere sinant, et faciant, nec te desuper a quoquam quavis auctoritate quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari permittant.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 3. Ac decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac tibi in omnibus, et per omnia plenissime suffragari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, ac sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die XXII. septembris millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 22 sept. 1807 Anno VIII

DXXII.

Concessio indulgentiae plenariae assequendae ab eis, qui in festo s. Benedicti a sancto Philadelphio visitaverint ecclesias ordinis minorum sancti Francisci de observantia, et reformatorum, ac monialium ejusdem ordinis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ratio, et tenor concessionis.

§. 1. Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti; omnibus, et singulis fratribus ordinis minorum s. Francisci de observantia, ac etiam reformatorum nuncupatorum, nec non monialibus ejusdem ordinis ubicumque existentibus vere poenitentibus, et confessis, ac s. communione refectis, qui, et quae propriam respective ecclesiam die festo s. Benedicti a s. Philadelphio a primis vespe-

ris, usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Conditiones adnexae, et fides habenda transumptis.

§. 2. Praesentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem, ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid, vel minimum, detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint; utque praesentium transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis dicti ordinis munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima secunda septembris millesimo octingentesimo septimo pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 22. sept. 1807. Anno VIII.

DXXIII.

Condonatio facta favore regis Sardiniae de nonnullis redditibus provenientibus a vacantibus ecclesiis, cum derogatione jurium super iisdem redditibus competentibus seminariis clericorum ejusdem regni.

Charissimo in Christo filio nostro Victorio Emmanueli Sardiniae regi illustri.

Pius PP. VII.

Charissime in Christo fili noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Expositum Nobis regio tuo nomine fuit, aegre admodum majestatem tuam illud accepisse, quod tibi nuper relatum est, nempe pecuniam, quae de bonis ecclesiarum, praesertim Oristani, Nuori, Algherii, Ampurias, Ales, et Sassaris, tempore earum vacationis provenerat, alios esse impensam in usus, quam qui per ecclesiasticos canones praescribuntur. Ac licet a regiis administris dispositum de hac pecunia fuerit in maximis necessitatibus regni, et ad repellendum hostem, qui instabat, et ad muniendam insulam s. Petri, quae cladem a piratis immanem perpessa erat, ita quidem ut nec novi praesules ecclesiarum, quae recensitae superius sunt, nec administratores seminariorum, ubi clerici in literarum, morumque disciplina pro iisdem ecclesiis educantur de sua uniuscujusque portione pecuniarum hujusmodi, quas e proventibus ecclesiarum vacantium detrahere, ac intuitionis publicae usus fundere urgens necessitas compulit, ullam umquam instantiam promoverint, aut querimoniae verbum protulerint. Nihilominus tamen tum ne tua in hoc ullatenus angatur conscientia, tum ne regio aerario ob auctas semper, crescentesque in diem angustias sat inopi facto praedictam pecuniam iis, quibus sublata est, ecclesiis reddere nimio futurum sit oneri, eo te piissima tua adduxit religio, ut committeres rem hanc ad Nos totam deferri, Nobisque enixe supplicari, ut tibi in ea providere opportune, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur, qui in cunctis, quae cum Domino possumus, tibi semper praesto esse corde et animo cupimus, specialibus gratiis, et favoribus te magis magisque prosequi et cumulare volentes, supplicationibus Nobis regio nomine tuo humiliter porrectis inclinati, praevia absolutione ab omnibus et quibusvis censuris, ac poenis ecclesiasticis, quae per eos, qui partem habuere in praemissis, incursae quomodolibet sint, aut ipsos incurrisse dici et censeri possint, prout auctoritate apostolica tenore praesentium misericorditer eos absolvimus; deinde eadem auctoritate tuo regio aerario memoratas vacantium ecclesiarum pecunias, quae praedictas ob causas ereptae, et enunciatos in usus erogatae fuere, sublato dictis praesulibus, et seminariis, caeterisque ad quos illae quomodocumque spectaverint, omni jure et facultate eas repetendi, plenarie remittimus et condonamus, relinquentes tamen quoad portiones pecuniarum hujusmodi ad seminaria spectantes majestatis tuae pietati, atque conscientiae eadem seminaria, utpote quae Domini vineam, pro qua sunt instituta, magis intersunt, juxta vires aerarii, et circumstantias temporum compensare.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac

fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac dicto regio aerario plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari et definiri debere ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, regulisque etiam cancellariae Nostrae apostolicae de jure quaesito non tollendo nec non dictarum ecclesiarum et seminariorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima secunda septembris millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 22 sept. 1807. Anno VIII.

DXXIV.

Translatio monialium monasterii Incarnationis insulae de Madeira dioecesis Funchalensis ad aliud sanctae Clarae ejusdem ordinis, et dioecesis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Quanto ornamento, quantoque spirituali praesidio universae Catholicae Ecclesiae sint Deo sacratae virgines, neminem esse arbitramur, qui ignoret. Ipsae namque (ut aureis etiam divi Chrisostomi verbis utamur) ipsae sunt coelestis philosophiae aemulatrices angelicam vitam referentes; quippe quae licet fragili carne indutae eadem tamen sibi praestanda strenue proposuerunt in terris, quae incorporeae virtutes praestant in coelis. Haec, et alia hujusmodi plura Nos prae oculis habentes, perlibenter annuimus in iis omnibus, quae sanctimonialium necessitas, aut commodum postulare videtur.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque sicut vener. frater Aloisius episcopus Funchalensis exponi Nobis nuper fecit, dilectae in Christo filiae abbatissa, seu priorissa, et moniales ordinis sancti Francisci Assisiensis monasterii sub titulo Incarnationis insulae de Madeira Funchalensis dioecesis, ob calamitosas horum temporum circumstantias, ad tantam rerum egestatem devenerint, ut diutius subsistere nequeant, ipse episcopus pro perspecta sua pastorali sollicitudine dictas moniales e suo ad aliud s. Clarae monasterium ejusdem ordinis, et loci sufficientibus redditibus instructum transferri, ibique recipi posse vehementer optat: cumque ad id vota quoque dilectissimi in Christo filii Nostri Joannis Brasiliae principis, nec non Portugalliae, et Algarbiorum regnorum regentis accedant, qui pro eo, quo et ipse fervet religionis zelo, per suum apud Nos, et hanc sanctam Sedem oratorem dilectum filium nobilem virum Josephum Emmanuelem Pinto equitem, et commendatarium ordinis militiae Domini Nostri Jesu Christi eamdem monialium translationem enixis, et repetitis precibus efflagitavit.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos necessitatibus hujusmodi, quantum cum Domino possumus, consulere, ipsasque moniales specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint; hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi Nobis humiliter porrectis inclinati, eidem Aloisio episcopo per praesentes committimus, et mandamus, quatenus, consideratis prius circumstantiis universis, constitoque de vera, et absoluta necessitate, super quo ipsius

conscientiam oneramus, dictas Incarnationis moniales e suo ad aliud memoratum s. Clarae monasterium auctoritate Nostra apostolica, pro suo arbitrio, conscientia, et prudentia in perpetuum transferat, illique uniat, et concorporet, monialibus autem sic translatis, et incorporatis, ut ipsae voce activa, et passiva in capitularibus conventibus juxta respectivam omnium simul antianitatem, ac singulis privilegiis, gratiis, et favoribus spiritualibus, et temporalibus quibus aliae monasterii receptoris moniales tam de jure, usu, et consuetudine alias quomodolibet fruuntur, potiuntur, et gaudent, aut frui, potiri, et gaudere possunt, vel poterunt in futurum, pari modo, ac sine ullo prorsus discrimine frui, potiri, et gaudere libere, et licite possint, et debeant perinde ac si in hoc monasterio regularem emisissent professionem, dicta auctoritate concedat, et indulgeat; easdemque moniales, (postquam fuerint receptae) peculiaribus deserti monasterii regulis, usibus, et consuetudinibus in genere, vel in specie minime teneri, nec amplius obligatas fore, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernat.

Communicatio bonorum

§. 4. Itemque bona, jura, actiones, et pertinentias universas tam ad derelictum monasterium, ejusque ecclesiam, quam ad religiosas translatas quomodolibet spectantia cum adnexis oneribus monasterio receptori, ibique degentibus monialibus communiter, ac in perpetuum pariter addicat, exceptis dumtaxat ipsius monasterii Incarnationis aedibus, quas idem episcopus dismembrare, illisque pro necessaria seminarii dioecesani erectione efficienda uti libere, et licite possit, et valeat, soluta (quatenus pro meliore praemissorum executione opus esse cognoverit) aliqua annua pensione ad vitam uniuscujusque translatae monialis tam duratura, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, atque statuimus. Reliqua autem in hisce Nostris literis non praescripta, eo quod Nos latent reliquae monasteriorum circumstantiae, idem episcopus, auditis monasteriorum eorumdem confessariis, vel deputatis, pro data sibi a Domino prudentia constituat, et componat. Nos enim eidem Aloisio episcopo omnes, et singulas facultates necessarias, et opportunas ad praemissa meliore, quo fieri poterit modo perficienda, auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus; nec non monasteriorum, et ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Illud vero eumdem episcopum sedulo in Domino monitum esse volumus, ut in hanc curam maxime incumbat, scilicet, ut moniales, vel saltem utriusque monasterii pleraeque non invitae, sed spontaneae praemissa exequantur. Animorum enim perturbatio divinae charitatis in vinculum aut ambumbrabit, aut profecto extenuat. Seraphicae autem perfectionis studium, excitatis dissidiis, aut prorsus abjicitur, aut saltem imminuitur. Quare diligenter cavendum, nec pro uno monasterio tuendo, ac servando, utrumque perdamus. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quinta septembris

millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 30. sept. 1807. Anno VIII.

DXXV.

Concessio juris privativi pro constructione salinae in civitate Cornetana favore Nicolai Sabatucci.

Monsignor Alessandro Lante protonotaro apostolico nostro, e della nostra camera apostolica tesoriere generale.

Pius PP. VII.

Prooemium. §. 1. Tra i molti oggetti di pubblico bene, che hanno richiamato le Nostre cure dirette sempre a promuovere la felicità dei Nostri amantissimi sudditi, ed i vantaggi del Nostro stato, distinto luogo ha avuto quello della formazione di una salina, che rimpiazzi la mancanza delle antichissime, e quasi coeve alla edificazione di Roma, saline di Ostia, rese per l' allontanamento del mare poco officiose, e dappoi per questa stessa causa da non molti anni abbandonate, sembrandoci non meno disdicevole cosa, che di questa sì essenziale produzione manchi uno stato bagnato da due mari, che perniciosa, e pericolosa la necessità, che quindi nasce di provederlo dall' estero, sia perchè ciò produce a danno della pubblica economia un ramo di commercio passivo, il quale all' opposto potrebbe, e dovrebbe essere attivo, sia perchè fa dipendere la provvista di un genere di prima necessità dalle eventualità, e dalle vicende non meno, che dagli arbitrj politici.

Memoratur alia erectio ejusdem officinae a Josepho Lipari exhibita, quae suum non potuit effectum sortire.

§. 2. Fu quindi, che presentatosi da Giuseppe Lipari pratico della costruzione, e lavorazione delle saline, il progetto di erigerne a proprie spese una nella spiaggia così detta del Carcarello fra la torre di Corneto, ed il fosso del Mignone nella tenuta denominata la Piscina del Vescovo, ossia l' abbadia di s. Giacomo posta nel territorio della suddetta città, ed appartenente all' ospizio dei padri Conventuali (sito giudicato dal medesimo adattissimo a tal uopo per la sua giacitura, per la qualità argillosa della terra, e per il concorso di tutte le altre circostanze) qualora da Noi glie se ne concedesse la facoltà, e si obbligassero anche i religiosi proprietarj del suolo necessario per la formazione, e perfezione, e di questa opera cederne in enfiteusi l' utile dominio per un giusto canone da convenirsi; Noi prese per vostro mezzo le necessarie informazioni, accogliemmo con piacere questa dimanda, e conciliate in appresso con la maggiore maturità le condizioni del contratto, che voi ci riferiste, e che Noi esaminammo, ed approvammo con Nostro chirografo del 23. giugno 1802., si procedè da voi alla stipulazione dell' istromento di concessione della facoltà di costruire una nuova salina nella indicata spiaggia di Corneto, a tutto rischio, spesa, ed interesse degl' intraprendenti Giuseppe Lipari e Francesco Antonio Franzoni, socio assunto dal medesimo, i quali dovessero per anni 23. da cominciare dal prossimo gennajo 1803. goderne, per poi in fine di tal tempo consegnarla alla camera, ritirandone a stima dei periti il valore degli utensili, fabbriche, e di ogni altro lavoro appartenente alla di lei formazione. Posero i concessionarj mano all' opera, e si erano alquanto inoltrati nella medesima con una non lieve spesa, quando insorse la popolazione, e la comunità di Corneto, e temendo, che la formazione di una salina potesse nuocere alla salubrità dell' aria della loro città, ci fecero chiedere, che ne avessimo impedita la prosecuzione. Trattandosi dell' oggetto gravissimo di sanità, Noi credemmo di dover valutare anche i popolari timori, sebbene molte volte vani, e mal fondati, onde per assicurarci pienamente, ordinammo intanto la sospensione dell' opera, e delegammo al Nostro tribunale della consulta l' esame dell' affare sanitario. Questo affare essendosi dovuto per non breve tempo protrarre, atteso le molte ispezioni, osservazioni, e ricerche, che richiedeva, ricorse il Lipari, a favore del quale aveva il Franzoni con dichiarazione di buona fede confessato di non avere in questo affare che il solo nome, ed unitamente ad altri intraprendenti, che aveva associati all' impresa, espose i danni di questa sospensione, e ne implorò il compenso. Riflettendo Noi alla ragionevolezza della petizione, ed alle conseguenze della medesima, credemmo espediente di prevenirle, e di troncarle nel loro nascere, con accettare la cessione della salina in favore della Nostra ca-

mera proposta dagl' intraprendenti, facendoli reintegrare delle spese fatte, le quali furono liquidate nella somma di scudi diecimila, e ciò in fatti fu eseguito mediante il Nostro rescritto dei 4. dicembre 1803., ed il successivo istromento da voi in esecuzione del medesimo stipolato con gl' intraprendenti il dì 31. gennajo 1804. Contemporaneamente poi a questo contratto di cessione, ossia retrocessione, prevalendovi delle facoltà accordatevi nello stesso rescritto, altro ne stipolaste con l' anzidetto Giuseppe Lipari, con cui nel preveduto caso, che il giudizio della consulta avesse assicurata la innocuità, e permessa la continuazione delle saline, in benemerenza di essere stato egli il primo inventore, e promotore di questa utilissima impresa, ed in vista della utilità, che egli poteva recare con la sua persona, e con le sue cognizioni di questo genere nel proseguimento, e perfezione della medesima, lo deputaste il direttore, ed amministratore con lo stipendio di annui scudi quattrocento cinquanta per i due anni, nei quali si obbligò a condurre a termine l' opera, e con la partecipazione del terzo degli utili purgati dalle spese occorrenti ad ottenere il prodotto per altri venti anni successivi, imputando però in questo tempo nel detto terzo degli utili la sua provisione, e rimanendo obbligato a prestare tutta la sua opera, ed assistenza tanto per i lavori, quanto per la intiera condotta dell' azienda, come si esprime dettagliatamente nell' accennato istromento di deputazione in amministratore, e di partecipazione, rogato nel sopra indicato giorno 31. gennajo 1804. Furono posteriormente proseguiti dalla camera, sotto la direzione del Lipari, i lavori, ma le circostanze dell' erario, e gl' impegni sopravvenuti non permisero di avanzarli con quella prestezza, che sarebbe stata necessaria per giungere nel divisato termine di due anni convenuto con il Lipari al compimento, cosicchè sebbene siansi formate nove tavole saliniere, il prodotto delle quali ha animato le speranze del felice esito della impresa, moltissimo però rimane per giungere al termine della medesima, che quasi può dirsi nel suo principio a proporzione di quello, che resta a fare, sebbene la Nostra camera, oltre la reintegrazione data agl' intraprendenti, assai di più vi abbia speso posteriormente. In questo stato di cose, la mancanza dei mezzi sottratti all' erario da altre imponenti necessità, facevano prevedere o un ristagno, o un corso così lento nella continuazione dei dispendiosi lavori occorrenti per andare innanzi, che appena dopo molti anni si sarebbe potuto sperare il desiderato compimento dell' opera. Pensammo quindi d' incaricarvi a rintracciare un soggetto fornito di mezzi, di attività, e di probità, che si assumesse il carico di fare tutte le spese necessarie per il sollecito perfezionamento di questa salina, sgravando la camera da questo peso, e da questa cura.

§ 3. Avendoci voi additato questo soggetto nella persona di Niccolò Sabatucci, la di cui destrezza, ed energia nel maneggio degli affari, unita alla solidità, al buon nome, ed alla specchiata onestà ci erano pienamente note per le utili operazioni da esso fatte con molta lealtà, ed impegno in servizio del principato in molte occasioni, e specialmente in quella del ritiro della abolita moneta di rame, Noi non esitammo punto ad approvare il vostro suggerimento, e vi ordinammo di entrare con il medesimo in trattativa, la quale da voi intrapresasi, conveniste con il detto Sabatucci, non come uno dei socj dei due separati appalti del sale delle provincie, e di Roma, ma nel suo particolare nome nel seguente progetto di contratto di assunzione di opera, cioè, che il Sabatucci assuma in se la intera formazione della salina di Corneto da proseguirsi, e perfezionarsi esattamente a norma della pianta, e descrizione già fattane dall' intraprendente Lipari, ad effetto di renderla compita dentro il mese di marzo 1809. e non più oltre, e siccome esistono i lavori già fatti nella detta salina a spese della camera, così ad oggetto, che il medesimo divenga redentore della intera opera, come se fosse stata fatta a sue spese dal di lei cominciamento, debba indennizzare la camera delle spese fin' ora da lei fatte, e ciò con rassegnare immediatamente seguita la stipolazione, e trasferire in di lei favore luoghi mille, e cinquecento di monti camerali, e non vacabili, senza pagamento alcuno di prezzo, essendosi a scanso di ambiguità di calcoli, e di stime, convenuta, e concordata questa quantità di luo-

Exponitur substantia novae conventionis initae cum Sabatuccio.

ghi di monti in compenso dell' intero importo delle spese già fatte. Reso il Sabatucci in simil guisa redentore della intera opera, fu combinato nello stesso piano concordato, che dovesse egli assumere parimenti in se tanto il peso delle spese tutte occorrenti per la progressiva manutenzione della medesima, e per la lavorazione, raccolta, custodia, ed esito dei sali, quanto per quello, che possa competere al Lipari per stipendio di amministrazione, e successiva partecipazione del terzo degli utili a tenore del sopra enunciato istromento dei 13. gennajo 1804. dimodochè il Sabatucci durante l' epoca infradicenda del suo contratto, s' intenda attivamente, e passivamente surrogato nel luogo, e nei diritti, ed obbligazioni della camera.

Expositio earum faciendarum a Sabatuccio in correspettivitatem concessionis.

§. 4. Per fissare poi ciò, che in correspettività di questa assunzione di opera così stabilita, e combinata, dovesse conseguire il Sabatucci, si osservò, che secondo i calcoli di approssimazione dedotti dai dati giudicati dai periti i più esatti, il prodotto della salina per diciotto anni successivi dopo la sua ultimazione da eseguirsi nel marzo dell' anno 1809., dovrebbe almeno ascendere collettivamente alla somma di cento ottantacinque mila salme di sale del peso di libbre romane mille ottocento cinquanta per salma; della quale ragguagliatamente la quantità di salme centomila fa d' uopo assegnarla alla consumazione interna di Roma, e dei luoghi compresi in questo appalto ascendente a circa seimila salme per anno, e la residua quantità di salme ottanta cinque mila al sopravanzo vendibile per l' estero. Su questa base probabile si conciliò, che per compenso dei pesi da assumere il Sabatucci oltre il poco sale, che durante il biennio prescritto alla formazione della salina, si andasse raccogliendo, il quale gli si dovesse condonare, percepisse progressivamente tutto il sale da prodursi dalla salina nel suddetto diciottennio posteriore, ad effetto di spacciarlo nella maniera seguente cioè, che tutta la quantità occorrente al consumo dell' appalto della salara di Roma lo dovesse vendere alla società attuale appaltatrice durante il tempo della di lei conduzione al prezzo, che le importerebbe l' acquisto del genere, o in Trapani o in Cagliari, a scelta della stessa società, con più il nolo ed ogni altra spesa, che dovrebbe fare; facendolo venire o dall' uno, o dall' altro luogo, giacchè così si è convenuto tra la camera, e la società suddetta nel capitolo 21. dell' istromento di detto presente appalto; terminato poi l' appalto attuale, il prezzo di detto sale d' interna consumazione da pagarsi all' intraprendente dal nuovo qualunque siasi appaltatore, debba essere fissato in scudi due, e bajocchi cinquanta per per salma, il quale prendendo una media, e conteggiando il costo, e le spese del trasporto, ed altro, è assai discreto. Rispetto poi alla quantità di sale sovrabbondante alla consumazione interna, lo potesse spacciare liberamente, fuori però di stato. Passato poi questo diciottennio dalla formazione della salina, e ventennio dalla convenzione, il Sabatucci fosse obbligato a restituire, ossia consegnare alla camera la salina perfezionata, con tutte le fabbriche, utensili, ed altro a norma della suddivisata descrizione, e delineazione del Lipari. Per provedere però all' equilibrio del contratto, e non lasciarlo nella eventualità, si conciliò ancora la convenzione, che se il prodotto del diciottennio avesse oltrepassato le dette salme cento ottantacinque mila, il Sabatucci pagar dovesse il sopravanzo di questa quantità alla camera alla ragione di bajocchi ottanta per salma, essendo questo il prezzo medio per calcolo di approssimazione assegnato al sale, che si vende per fuori; e se all' opposto il prodotto fosse stato minore delle salme cento ottantacinque mila, il Sabatucci fosse reintegrato in fine del diciottennio della mancanza, e proporzionandola al prezzo di bajocchi ottanta, o di scudi due, e bajocchi cinquanta, secondo che la deficienza fosse caduta o sulle ottantacinque mila salme da vendersi all' estero, o sulle centomila da vendersi all' appalto. Riducendosi in questa maniera il contratto ad una succezione di opera per parte del Sabatucci, e ad una vendita del sale nella garantita quantità di salme cento ottantacinque mila fattagli dalla camera durante il convenuto diciottennio posteriore al compimento dell' opera stessa, fu anche da Noi osservato, che sebbene il prezzo comulativo di questo sale potesse superare notevolmente i disborsi dell' impresario, non ostante per lui il compenso doveasi considerare come assai moderato, e ristretto,

riflettendo alla prontezza, e vastità dell' impronto, e della spesa, ed alla lentezza del rimborso. Questa fu la sostanza del contratto, a cui furono anche aggiunte diverse cautele, condizioni, e patti per la più esatta esecuzione, contenuti nei capitoli preliminari sottoscritti da voi, e dall' assentista, che ci avete posti sotto gli occhi, e che Noi abbiamo considerati.

Demonstratur utilitas conventae concessionis

§. 5. L' esame, che Noi facemmo in tutte le sue parti di questa così combinata convenzione, non potè non dimostrarcene la evidente utilità. Noi rilevammo, che per mezzo della medesima il Nostro stato, ed i Nostri sudditi conseguivano il vantaggio incalcolabile nei divisati rapporti economici, e politici, che come abbiamo premesso tanto ci erano a cuore, quello cioè di assicurare la interna produzione di un genere di prima necessità, senza essere ligj alle estere saline, e nel tempo stesso l' erario dopo lo spazio di venti, o poco più anni veniva ad acquistare un fondo, da cui poteva sperare un vasto reddito. Rilevammo di più, che questi vantaggi rendevansi tanto più considerevoli, perche si ottenevano non solo senza cura, e pericolo della Nostra camera, e senza ulteriore spesa, a cui le sue attuali forze non avrebbero potuto senza grave dissesto supplire, ma con procurarle la reintegrazione delle spese già fatte per mezzo della traslazione della cospicua quantità di mille, e cinquecento luoghi di monte, e con percepire inoltre durante l' epoca stessa del contratto un frutto annuo di scudi mille e ottocento, quanto importarebbe il risparmiato pagamento de' loro frutti, oltre la perpetua ammortizzazione di rata del debito pubblico. Convinti perciò della giustizia, e moderazione di questo contratto per la parte dell' intraprendente, e dei grandi vantaggi, senza alcun discapito, o pericolo per la parte della Nostra camera, tanto più abbiamo creduto di doverlo abbracciare, quanto siano per la passata esperienza più certi di combinarlo con una persona, che è incapace di promettere quello, che non è certa di potere eseguire, ed è incapace di non eseguire quello, che ha promesso. E volendo, che le cose anzidette combinate con tanta accuratezza, e di Nostra piena intelligenza, abbiano la loro piena, ed inalterabile esecuzione.

Tenor motus proprii.

§. 6. Quindi è, che con il presente Nostro chirografo, in cui abbiamo per inserto, e di parola in parola trascritto il tenore dell' istromento di concessione della facoltà di costruire la nuova salina nella spiaggia di Corneto dei 6. luglio 1802. dell' altro di cessione a favore della nostra camera dei 31. gennajo 1804. e di quello contemporaneo di deputazione in amministratore, e comparticipazione del terzo degli utili stipolato in favore di Giuseppe Lipari, dell' istromento di appalto della salara di Roma stipolato a favore della società, che presentemente lo ritiene, dei capitoli concordati, della descrizione, e delineazione di ciò, che deve farsi a compimento delle saline fatta da Giuseppe Lipari, e di ogni altra cosa necessaria ad esprimersi, benchè richiedesse speciale, ed individua menzione, non a preghiera, o suggerimento di alcuno, ma di Nostro motu-proprio, certa scienza, e pienezza della Nostra potestà, vi ordiniamo di procedere alla stipolazione del contratto di assunzione, ossia redenzione di opera delle saline aperte in Corneto, e respettiva cessione, e vendita del sale, che si raccoglierà nella medesima nel tempo, e forma, e con le condizioni, modi, patti, e cautele, come segue.

Tenor pactorum conventorum.

§. 7. Primieramente il Sabatucci dovrà assumere in se l' obbligo di terminare a proprie spese, e pericolo dentro il mese di marzo dell' anno 1809. e non più oltre la salina di Corneto in tutto e per tutto, a norma della pianta, e descrizione fatta da Giuseppe Lipari, che dovrà inserirsi nell' istromento, o esibirsi e ritenersi nello stesso officio, in cui seguirà la stipolazione, in guisa che nè il Sabatucci possa trascurare alcuno dei lavori, ed opere contenute in detta descrizione, e pianta, nè possa essere obbligato a fare di più di quello, che trovasi ivi delineato, e descritto. Inoltre il Sabatucci dovendosi considerare, come se avesse fin da principio formata la detta salina a tutte sue spese, dovrà in un brevissimo termine dopo seguita la stipolazione rassegnare, o far rassegnare a favore della Nostra camera luoghi mille, e cinquecento di monti camerali non vacabili, i quali si riceveranno in compenso e reintegrazione delle spese nella incominciata formazione di dette saline fino al presente, rimanendo con ciò esclusa qualunque altra liquidazione riguardante questo articolo. Per procedere con maggior precisione

dovrà ricevere in consegna la detta salina nello stato, in cui presentemente si trova con le capanne, fabbriche annesse, bestiami, utensili, e tutt' altro nel modo però, e forma, in cui ora esistono, senza poter pretendere di più di quello, che attualmente vi si trova, al quale effetto dovrà tutto descriversi, e stimarsi per restituirlo al termine del presente contratto nella medesima bontà, e valore, unitamente alla suddetta intera salina ridotta alla sua perfezione, e conservata in tale stato. Tanto poi nel tempo prescritto alla ultimazione dell' opera, quanto posteriormente alla medesima, rimarranno a carico del Sabatucci per tutto il tempo, che dovrà durare il contratto tutte le spese annuali, sia di manutenzione della salina, sia di lavorazione dei sali, sia in fine di stigli ed attiragli occorrenti, di bestiame per i trasporti, di canoni e rindennizzi dovuti ai proprietarj dei terreni, e dei pascoli, ed affitto delle fabbriche del porto Clementino, o di altri locali, che rimanessero a carico del Sabatucci, i quali canoni, rindennizzi, ed affitti dovranno a tutta cura della camera essere fissati, e determinati, ed in tal guisa descritti nell' istromenti di mercedi solite darsi ai forzati in danaro, le quali dovranno essere parimenti determinate nell' istromento, di stipendj agli agozini, alle guardie, ed in genere di ogni altra cosa riguardante la condotta della detta salina, tanto che durante il tempo del presente contratto la Nostra camera non debba soccumbere a spesa alcuna. In ultimo siccome il Sabatucci subentra in luogo della camera, così dovrà assumere l' obbligo di corrispondere a Giuseppe Lipari lo stipendio della sua amministrazione, ed il terzo degli utili netti dalle spese, che renderanno le saline, promessogli dalla camera in tutto, e per tutto a norma dell' istromento di deputazione in amministratore, e partecipazione di utili, stipolato da voi con il medesimo, rogato per gli atti del Nardi segretario di camera il dì 31. gennajo 1804. al quale dovrà aversi piena relazione, rimanendo gli altri due terzi di utili in beneficio del Sabatucci in conto della reintegrazione, come si dirà in appresso.

Concessiones factae favore ipsius Sabatucci, in correspectivitatem onerum susceptorum.

§. 8. In correspettività di tutte queste obbligazioni, che assume il Sabatucci, gli cederete primieramente senza pagamento di prezzo, e senza obbligo di restituzione tutta quella quantità di sale, che durante il tempo prescritto alla terminazione della salina, si anderà raccogliendo nella medesima, oggetto, che attesto il poco numero delle tavole saliniere finora formate, non è, che di picciola conseguenza. Cominciando poi dalla raccolta del 1809., e terminando inclusivamente a quella del 1826., cioè per un intero diciottennio, tutto il sale, che sarà prodotto dalla salina di Corneto, apparterrà al detto Sabatucci, come se fosse stato in lui trasferito a titolo di cessione, e di vendita nella infrascritta maniera però, e non altrimenti, cioè che ritraendosi dal Sabatucci nel suddetto diciottennio la quantità di salme cento ottantacinque mila in tutto, s' intenda con la medesima saldato ogni suo credito, nè possa per qualunque titolo altro pretendere dalla camera. Che se il sale raccolto in detto tempo eccederà la detta quantità di salme cento ottantacinque mila, la eccedenza la dovrà lasciare nel termine anzidetto a disposizione della camera senza alcun pagamento di prezzo, e all' opposto il prodotto non giungesse a quella quantità nel termine suddetto, allora s' intenda prorogato il contratto per tutto quello spazio di tempo, che sarà necessario per far conseguire al suddetto Sabatucci le intere salme cento ottantacinque mila, riservata però alla camera, qualora ad onta di questa eventualità voglia far cessare il contratto al fine del diciottennio, la facoltà di pagargli il prezzo del sale mancante alla ragione di baj. 80. la salma, se la mancanza non eccederà le salme ottantacinque mila destinate al commercio estero, se mai (lo che difficilmente si crede possa accadere) la eccedesse, alla ragione di paoli venticinque per la quantità mancante sulle altre salme cento mila considerate collettivamente per ciò, che può importare la necessità dell' interno consumo. Per la verificazione, e rispettiva esecuzione di questa convenzione, si destinerà da voi un ministro di rincontro; il di cui officio sarà di conoscere, e registrare la quantità del sale, che si raccoglierà annualmente, e fare quelle altre osservazioni, e rilievi che voi gli commetterete, e l' onorario di questo ministro sarà pagato dalla Nostra camera. Analogamente a tutto ciò, durante il presente appalto della salara, la società appaltatrice cantante sotto nome di Sabatucci, Morici e compagni, non potrà ricu-

spre di prendere dal Sabatucci in qualità di impresario della salina tutto il sale della consumazione, e respettivamente il detto Sabatucci lo dovrà alla medesima vendere al prezzo, che nel tempo della leva costerà in Trapani, o in Cagliari, a scelta della società, con aggiungervi tutto ciò, che per conseguire il genere importerebbero il nolo, ed altre spese, essendosi così convenuto tra la Nostra camera, e la società nei capitoli 19. 20. e 21. dell' istromento di attuale appalto stipolato per gli atti del Nardi li 30. novembre 1805., ai quali si dovrà avere plenaria relazione, onde il Sabatucci durante questo appalto dovrà stare alla sorte di un prezzo maggiore, o minore di tal sale d' interna consumazione, senza alcuna cura, e rischio della camera in di cui luogo solo s' intenderà attivamente, e passivamente subentrato rispetto alla osservanza dei detti articoli; dichiarando però, che nè il Sabatucci potrà negare alla società tutta la quantità occorrente alla consumazione, che si troverà aver raccolta dalla salina, nè la società potrà aver azione alcuna contro di lui nel caso, che non l' avesse raccolta.

Declarationes et reservationes speciales.

§. 9. Essendo il contratto da stipolarsi con il Sabatucci di semplice redenzione di opera, e contemplando Noi nel concederne la stipolazione a suo favore, la sua personale industria indipendentemente dalla qualità di consocio nell' appalto dei sali, dichiariamo, che in questo contratto non possano pretendere alcuna partecipazione i soci, e caratanti dell' appalto suddetto, non ostante qualunque patto convenuto tra loro, ancorchè proibitivo di ricorrere a noi per ottenere una concessione particolare, ed esclusiva dei consocj, al quale patto, qualunque ne sia la forma, ampiamente deroghiamo. Qualora però, terminato il presente appalto dei sali di Roma, e delle provincie annesse, occorresse alla Nostra camera di fare un nuovo appalto, e che il nuovo appaltatore volesse assumere, e riunire anche la locazione delle saline di Corneto, il Sabatucci sarà obbligato a cederle al detto nuovo appaltatore; dovrà peraltro egli essere indennizzato in danaro alla ragione di scudi venticinquemila per anno, di quanto allora rimarrà creditore per il prezzo corrispondente alle salme di sale, che non avrà potuto percepire, atteso l' arresto, e scioglimento del suo contratto, e a compimento delle salme cento ottantacinquemila, detraendo però dal suo credito l' ammontare delle spese annuali, che anderà in tal caso a risparmiare negli anni successivi. Nel caso poi, che al nuovo appalto dei sali non si unisca quello della salina, onde questa rimanga presso il Sabatucci, dovrà imporsi al nuovo appaltatore l' obbligo di prendere da lui tutto il sale d' interna consumazione al prezzo fisso di scudi due, e baj. cinquanta per salma, che presa una media si è trovato discreto, e forse minore di quello porterebbe il costo, e le spese facendolo venire di fuori, rimanendo al Sabatucci il sale soprabbondante per venderlo però solamente nell' estero. Tanto poi per la formazione della salina, quanto per gli annuali lavori durante il diciottennio, e più oltre ancora nel caso di protrazione contemplato di sopra, dovrà la Nostra camera fornirgli l' occorrente numero di forzati, ai quali però il Sabatucci dovrà, come si è detto, dare la solita mercede, e caricarsi della spesa degli aguzzini, e della guardia militare. A spese della camera si dovranno formare tre magazzini prossimi alla salina, per riporre i sali, dei quali il Sabatucci avrà l' uso durante il contratto, senza pagamento di pigione. Occorrendo altri magazzini, e comodi di abitazione vicino alla salina, potranno costruirsi del proprio dal Sabatucci, previa però la licenza in iscritto di monsig. tesoriere ad oggetto di ottenere il reintegro a stima dei periti nel fine, o nello scioglimento dell' intero contratto, e non prima. In fine farete obbligare il Sabatucci nelle più valide, ed efficaci forme all' esatto adempimento delle sue promesse, e vicendevolmente per la intiera esecuzione del presente contratto in tutto ciò, che è convenuto in di lui favore, e fino a tanto che non sia compitamente soddisfatto di tutto quello, che in vigore del medesimo gli sarà dovuto, oltre la ipoteca generale di tutti i beni, e ragioni della Nostra camera, vogliamo, che non s' intenda in questa trasferito nè il dominio, nè il possesso delle medesime saline, ma bensì e l' uno e l' altro, rimanga realmente, ed effettivamente, e non in figura di semplice riserva di dominio equivalente legalmente ad una speciale ipoteca presso detto Sabatucci, qual costruttore delle medesime nella totalità a proprie spese, ed altresì all' effetto suddetto e fino all' enunciato adempimento s' intenda

a di lui favore riservato l' utile dominio del fondo, su cui le dette saline saranno formate, benchè acquistate in nome della camera in vigore della enfiteusi fattane dai proprietarj, di modo che il detto dominio, e possesso delle saline ritenuto dal Sabatucci, e l' utile dominio del suolo ceduto al medesimo, non venga a risolversi, ed a ritornare alla Nostra camera, se non che dopo essere egli stato saldato di tutto ciò, che gli potrà appartenere.

Onus stipulandi instrumentum, cum clausulis salutaribus et irritantibus.

§. 10. In questa forma adunque, e con queste, ed altre condizioni, che vi sembrerà opportuno di aggiungere, interporrete ogni decreto necessario per la esecuzione del presente nostro chirografo, e stipolerete il corrispondente istromento, al quale effetto vi diamo tutte le più ample facoltà, essendo questa la Nostra precisa intenzione, e volontà. Volendo, e decretando, che il presente chirografo, e cedola di moto proprio, abbia il suo pieno effetto e vigore, benchè non si trovi ammessa e registrata nei libri della Nostra camera, e non siasi inteso alcun che vi avesse, o pretendesse aversi interesse, eccettuato però il commissario della Nostra camera, il quale è stato già da Noi inteso, e segnatamente benchè non siano stati intesi i coappaltatori della salara di Roma, e che a tenore del medesimo chirografo, e cedola debba giudicarsi da qualunque giudice, tribunale, congregazione cardinalizia, ed altro qualunque dicastero di qualsivoglia preeminenza, e dignità fornito, ancorchè richiedesse specifica, ed individua menzione, nè contro la medesima possa opporsi vizio di orrezione, o di surrezione, o di altro difetto della Nostra volontà, cassando, ed irritando qualunque cosa fosse pronunciata, o stabilita in contrario da qualunque autorità, giudiziaria, o economica, o governativa: non ostante la bolla della gl. me. di Pio V. *de registrandis*, la regola di cancellaria *de jure quaesito non tollendo*, le costituzioni apostoliche, e segnatamente della Nostra costituzione *Post diuturnas* circa le solennità dei contratti camerali, alle quali tutte, compresa anche la vigesima, e la sesta, quando faccia di bisogno ampiamente deroghiamo, o non ostante qualsivoglia altra costituzione, legge, statuto, riforma, uso, consuetudine, ed altra cosa potesse in qualsivoglia modo fare in contrario, alle quali cose tutte niuna eccettuata, avendone il tenore per espresso, e verbalmente inserito, deroghiamo, sebbene munite fossero di clausole derogatorie, e derogatorie delle derogatorie, o altre qualsivogliano. Dato dal Nostro palazzo apostolico del Quirinale questo di 30. settembre 1807.

Pius PP. VII.

DXXVI.

Dat. die 28. octob. 1807. Anno VIII.

Assignatio bonorum beneficii sub invocatione sanctorum Joannis et Vitalis, pro erectione parochialis ecclesiae sanctae Mariae de Fide in oppido Montis Florum dioecesis Firmanae.

Venerabili fratri archiepiscopo Firmano.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Nuper exponi fecerunt Nobis dilecti filii incolae regionum, quas vocant Guzzani, et sanctae Mariae de Fide in territorio de Monte Flore Firmanae dioecesis, ac campestria loca habitare tribus circiter milliariis dissita a suae paraeciae oppido, quo iri etiam nequit, nisi per viam asperam, et quod magis est, inter se etiam ab amne, qui crebro, ac hyemali praesertim tempore, nonnisi cum evidenti trajicitur vitae discrimine, ita ut et ob distantiam locorum, et ob difficultatem viarum haud raro contingat, ut neque missa diebus festis audiri, neque sacramenta in mortis articulo valeant administrari. Hinc aerumnosam conditionem eorum pie miseratus dilectus filius Joseph Brignole presbyter, ac possessor ecclesiastici beneficii sub titulo sanctorum Joannis atque Vitalis, cujus bona jacent pro maxima parte in una ex regionibus supradictis proposuit fundationem peculiaris parochiae, quae tot tantisque incommoditatibus eos perpetuo eriperet; scilicet consentiendo, quemadmodum et scripto consensit, posse nunc pro tunc post obitum suum fundari parochiam in ecclesia praenominatae sanctae Mariae de Fide, quae satis ad id apta est, adnexamque etiam habet pro usu parochi habitationem, et assignari in parochiae dotem bona, reddituque sui beneficii adeo nunc per

ipsum adauctos, ut substentationem parocho congruam suppeditare queant, quum usque ad scutata circiter centum libera a cunctis oneribus, etiam missarum, quotannis pertingant. Accessere autem consensu, vel suo tum modernus archipresbyter sanctae Luciae, tum prior sancti Petri de Monte Flore, quorum in Gozzani, et sanctae Mariae de Fide regiones jurisdictio parochialis extenditur, sub his tamen sequentibus conditionibus, sic vernacula per eosdem lingua conscriptis.

De finibus novae paroeciae.

I. §. 2. Che il distretto di detta parrocchia, dove possa il parroco esercitare pienamente e liberamente la sua giurisdizione, debba essere dai confini di Carassai, e di Ripa sino al fosso di Castello, o sia Pratello sino al fiume Aso dalla parte di tramontana, e dalla parte di mezzo giorno sino al fosso di Taverno sino al fiume Menocchia.

De praelatione danda archipresbytero et priori in funeribus agendis.

II. §. 3. Che nelle circostanze de' funerali in detta chiesa rurale, qualora debbano invitarsi altri sacerdoti siano sempre preferiti l' arciprete ed il priore, ed in tal caso spetti ad essi il fare tutta la funzione con la stola.

De jure celebrandi missam solemnem in festo Ascensionis Domini et nativitatis B. M. V.

III. §. 4. Che nelle funzioni dell' Ascensione del Signore, e della Natività di Maria Santissima, non abbia il parroco di detta chiesa alcun diritto di cantar la messa, ma sia del capitolo riguardo al giorno dell' Ascensione, e de' due parrochi della terra riguardo alla Natività.

De jure parochorum ingrediendi ecclesiam elata cruce.

IV. §. 5. Che in occasione, che il popolo di questa terra per qualche particolare bisogno, come ha costumato le tante volte, volesse portarsi processionalmente a visitare la detta chiesa di Santa Maria della Fede sia lecito a chiunque de' due parrochi entrarvi con la croce inalberata, e con la stola, ed ivi fare quella funzione, che si desidera.

De subjectione a parocho praebenda favore aliorum parochorum oppidi.

V. §. 6. Che nel giovedì e sabato santo, sia per sempre obbligato il parroco di detta chiesa riconoscere alternativamente le due parrocchie della terra con assistere alle funzioni vestito di cotta con gli altri sacerdoti alla messa solenne, e vesperi di santa Lucia: alla messa solenne, e processione nel giovedì santo, e nel sabato santo alla benedizione del fonte, e quindi ricevere l' acqua battesimale, gli olii santi dalle mani un' anno dall' arciprete, l' altro anno dal priore.

Approbatio praedictae conventionis.

§. 7. Quae cum sint, Nobis exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur spiritualibus exponentium indigentiis opportune consulere, eosque specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac singulares eorum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut si vera esse, quae sunt narrata compereris, vocatis iis, qui ad id fuerint vocandi, et absque ullo cujuspiam praejudicio, ex nunc pro tunc, et e contra, auctoritate Nostra apostolica specialiter, ac expresse tibi ad haec delegata, primo ad suppressionem dicti beneficii ss. Joannis, et Vitalis devenias, illudque postquam ejus vacationi ex obitu dicti Josephi presbyteri, a quo de praesenti obtinetur, datus sit locus, etiamsi collatio, seu provisio dicti beneficii ad Nos, et Sedem apostolicam pertineat, perpetuo suppressum fore, ac esse declares; deinde memoratam ecclesiam s. Mariae de Fide in parochialem ecclesiam, ei tum certos fines, ac proprium populum, tum jura, et privilegia, honores, et onera consueta attribuendo, erigas, atque instituas, ejusque in dotem tam domum ecclesiae eidem adnexam pro usu parochi quam bona, et jura omnia beneficii, ut praefertur, suppressi una cum ejus fructibus, redditibus, et proventibus pro parochi congrua adjudices, atque assignes; ita tamen, ut de ecclesiae istius in parochialem erigendae decenti cultu per te provide caveatur; parochi vero pro tempore ad eam assumendi servata semper forma a concilio Tridentino praestituta assumantur, ipsique tam satisfactioni onerum suppresso beneficio injunctorum, quam observantiae conditionum, sub quibus praenominati archipresbyter, et prior suum ad praemissa praebuere consensum, perenniter subjiciantur.

Clausulae sublatae, et decretum irritans.

§. 8. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac iis, ad quos spectat, et spectaturum fuerit, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices

ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus felicis recordationis Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, ac praesertim, quatenus opus sit, concilii Lateranensis novissime habiti applicationes beneficiorum nonnisi in certis casibus prohibentis, nec non regulis cancellariae Nostrae apostolicae tum de applicationibus hujusmodi ad partes committendis, tum de jure quaesito non tollendo, ac dicti ejusdem beneficii fundatione, aliisque etiam speciali, ac individua mentione, et derogatione dignis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda octobris millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 13. nov. 1807. Anno VIII.

DXXVII.

Concessio missae, et officii proprii sacratissimi cordis Jesu pro monialibus ordinis sancti Francisci sub-denominatione Immaculatae Conceptionis monasterii sancti Joannis de Palma civitatis Hispalensis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Cum sicut dilectae in Christo filiae abbatissa, et moniales ordinis sancti Francisci sub denominatione Immaculatae Conceptionis monasterii sancti Joannis de Palma nuncupati Hispalensis civitatis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsae ad nimiam Christi Domini patientis, et pro humani generis redemptione morientis charitatem ferventius recolendam sacratissimi cordis Jesu cultum, et venerationem in dies augeri vehementer desiderent; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur piis dictarum exponentium votis, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut in posterum per dicti monasterii moniales in festo sanctissimi Cordis Jesu officium ejusdem alias ab hac sancta Sede pro Portugalliae, et Algarbiorum regnis adprobatum, et concessum recitari, ac sacerdotes ad ipsius monasterii ecclesiam die festo hujusmodi confluentes missa similiter adprobata, et concessa ibidem celebrari possit, auctoritate apostolica, tenore praesentium indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non monasterii, et ordinis praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima tertia novembris millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 17. nov. 1807. Anno VIII.

DXXVIII.

Confirmatio concordiae initae a cappellano, seu dignitate thesaurarii, et capitulo ecclesiae cathedralis Tirasonensis super onere praestandi ceram debitam ab eodem thesaurario.

Venerabili fratri episcopo Tirasonensi.

d by Google

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Nobis nuper exponi fecit dilectus filius Benedictus Ortega Romanillas thesaurarius dignitas ecclesiae cathedralis Tirasonensis, esse dignitatis praebendam, quam ipse obtinet pervetusto obnoxiam oneri praestandi, ac tribuendi cerae quantitatem plane omnem, quae ad divina officia, caeterasque functiones usui est tam cathedrali praedictae, quam aliis ecclesiis ejusdem filialibus, sive parochiales sint, sive, ut ajunt, cappellae. At quia sub usus, et consumationis cerae hujusmodi titulo, variis temporibus, ac per varias etiam occasione, actuque visitationum interpositas provisiones, abusus irrepsere non pauci, qui enunciatum praebendae onus aequo gravius sensim adauxerant, de his exponens abusibus conquestus est apud cathedralis capitulum, suique detrimenti rationes adeo ostendit, ut ad dissentiones hac in re radicitus extirpandas inita inter utramque partem fuerit tandem concordia, qua ipse, et capitulum unanimiter convenerunt, ac publico quoque instrumento firmarunt, scilicet, ut in posterum tam exponens, quam sui pro tempore successores, pro omni, ac toto debito oneris, quod, uti praemissum est, memoratae inhaeret praebendae, nihil aliud praestarent, ac tribuerent, quam viginti novem arrobas, seu septingentas viginti quinque libras cerae, ponderis istarum partium, ac bonae qualitatis, ceramque hanc ferrent, traderentque quotannis mense julii ecclesiae cathedrali, cedendo tamen, ac renuntiando in perpetuum, prout et pro se, et suis pro successoribus renuntiavit exponens, ac cessit favore ejusdem cathedralis quodcumque jus, et quamcumque actionem thesaurario dignitati quomodolibet competentem super perceptione, quartae funeralis non modo in cathedrali, sed etiam in aliis filialibus cathedralis ecclesiis, tum et super ceteris quibusvis perceptionibus, quibus contributionis praedictae cerae ratione thesaurarii dignitates gavisi hactenus sunt, et gaudere consueverunt. His itaque sic invicem conventis, feliciterque compositis, ut instrumentum, quod pro compositione, et concordia hujusmodi stipulatum solemniter fuit die decima septima novembris anni proxime elapsi, eam, qua par est, vim sortiatur, soliditatemque plenam acquirat, illud per Nos exponens confirmari, Nostraeque auctoritatis munimento fulciri vehementer exoptat, enixisque humiliter precibus a Nobis efflagitat.

Tenor apostolicae confirmationis. §. 2. Nos igitur ipsum exponentem, ac supradictum capitulum specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, ac tum exponentis, tum capituli ipsius singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut, constito tibi de narratis, instrumentum concordiae superius recensitum cum omnibus, et singulis in eo contentis, dummodo honestis, licitisque, ac nemini praejudicialibus, auctoritate Nostra apostolica pro tui arbitrio, et conscientia gratis approbes, ratumque, ac validum facias, atque declares, illique robur perpetuum apostolicae confirmationis adjicias, ac omnes, et singulos sive facti, sive juris defectus, si quos desuper intervenisse contigerit, sanes, ac suppleas, idemque instrumentum universis ac singulis, ad quos spectat, et spectabit pro tempore plenissime suffragari, et inviolabiliter semper a cunctis observari mandes, atque decernas; Nos enim tibi facultates omnes ad id necessarias eadem auctoritate tribuimus, atque impertimur.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, etiam conciliaribus, nec non dictae cathedralis ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de ver-

bo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima septima novembris millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 17. nov. 1807. Anno VIII.

DXXIX.

Concessio indulgentiae plenariae assequendae ab iis, qui die quarta aprilis visitaverint ecclesias ordinis minorum sancti Francisci de observantia.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio, et tenor concessionis.

§. 1. Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, vere poenitentibus, et confessis, ac s. communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis ordinis minorum s. Francisci de observantia, ac etiam reformatorum nuncupatorum, ubicumque existentem die quarta mensis aprilis a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem, quam etiam animabus christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Fides habenda transumptis.

§. 2. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis ordinis hujusmodi munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima septima novembris millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 20. nov. 1807. Anno VIII.

DXXX.

Facultas concessa canonicis ecclesiae collegiatae terrae sanctae Anatoliae dioecesis Camerinensis deferendi rocchetum, et mozzetam violacei coloris, cum globulis, et asulis cremisini coloris.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. In summo apostolatus apice, meritis licet imparibus constituti, ecclesiasticis viris illis, qui coelestis veluti Sionis aemuli divinas laudes quotidie concinunt in aula Domini, peculiaria ornamenta deferenda concedimus; ut ipsi per externas quoque honorificentias excitati, internarum virtutum splendore magis magisque in dies praelucere studeant.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque, sicut dilecti filii prior, et canonici ecclesiae collegiatae terrae sanctae Anatoliae Camerinensis dioecesis Nobis nuper exponi fecerunt, ecclesia ipsa antiquitatis laude, templi structura, et amplitudine, sacerdotum probitate, et doctrina, populique Christiani frequentia, et devotione non mediocriter inter alias dictae dioecesis ecclesias floreat, cum eadem terra in tres paraecias distributa, quatuor etiam regularibus domibus munita, atque sex piis sodalitatibus decorata reperiatur, multum splendoris cum ad collegiatam, tum ad terram accederet, ac divinus cultus, fideliumque devotio majora ibi incrementa susciperet, si dicti prior, et canonici novis per Nos, et hanc apostolicam Sedem decorationibus ornentur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur dictos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus

eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus priori, et canonicis ecclesiae collegiatae praedictae, ut ipsi loco almutiarum, quas adhuc gestare consueverunt, deinceps rocchetum, et mozzetam violaceam cum globulis, et asulis cremisini coloris tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque deferre, illisque uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque priorem, dignitates, et canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, ejusdem collegiatae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima novembris millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 1. dec. 1807. Anno VIII.

DXXXI.

Erectio capituli in ecclesia sancti Nicolai oppidi Fogarasiensis.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam

Prooemium. §. 1. Apostolatus officium, quod divinae sapientiae altitudo humilitati Nostrae nullo licet meritorum Nostrorum suffragio committere dignata est, salubriter exequi satagentes illa, quae pro felici cathedralium ecclesiarum, et eorum qui in ipsis Altissimo assidue famulatum praestant regimine et gubernio, provide, prudenterque facta esse noscuntur, confirmationis apostolicae praesidio, cum id a Nobis petitur libentissime roboramus, prout temporum et locorum ratio postulat, rectoque ordini consentaneum esse in Domino arbitramur.

§. 2. Sane postquam usque, et de anno Domini millesimo septingentesimo decimo octavo congregatio Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis propagandae fidei praeposita nonnulla circa Graecam nationem tractaverit, et praecipue pro Graecorum Valachorum, Ruthenorum et Rascianorum in Transilvaniae provincia commorantium spirituali salute decreverit procedendum esse ad erectionem ecclesiae sancti Nicolai oppidi Fogarasiensis in cathedralem hujusmodi Graecorum, Ruthenorum, Valachorum, Rascianorum, aliorumque qui per provinciam praedictam Transilvaniae commorabantur, et nonnulla pro erectione hujusmodi efficienda necessaria congregationi ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium rebus consistorialibus praepositorum ad examen mandaverit, ac piae memoriae Clementi papae undecimo praedecessori Nostro agenda proposuerit, deindeque fel. recordationis Innocentius pp. XIII. praedecessor item Noster ad formam tum unius, tum alterius ex congregationibus praedictis resolutionum, per apostolicam sub plumbo expeditas literas in pontificatus sui anno primo ecclesiam praefatam s. Nicolai in cathedralem Graeci ritus Sanctae Romanae Ecclesiae uniti erexerit, ipsumque oppidum Fogarasiensem episcopalem civitatem declaraverit; cumque nonnullis de causis eodem tempore ad erectionem capituli hujus cathedralis minime devenire potuisset, ea propter in literis antedictis optime per Innocentium praedecessorem statutum fuerit, ut juxta Graeci ritus ordinationes, nonnulli monachi ordinis sancti Basilii, quorum spectabilis est coetus, atque unicus monasticus ordo apud ipsam Ruthenorum nationem, in eadem ecclesia loco capituli, et canonicorum constituerentur. Memoratur erectio ecclesiae sancti Nicolai facta in sequelam decreti congregationis de propaganda Fide.

Expositio precum. §. 3. Nuper autem venerabilis frater Joannes Babb cathedralis hujus ecclesiae modernus antistes cum optime compererit, quod monachi praedicti, tam ob instituti rationem, quam ob valde ad praesens imminutum eorum numerum officii hujusmodi partes opportune implere minime poterant, ad hoc ut ejus ecclesia ad formam aliarum cathedralium eo quo convenit decore effulgeat: atque in sua dioecesi ecclesiastica disciplina salubriter in

Digitized by Google

Domino ordinetur, pia et laudabili dispositione, ad majorem omnipotentis gloriam, et spirituale commodum gregis Dominici sibi commissi, propriis sumptibus novum capitulum erigere, et dotare curaverit, aliaque etiam pro cathedralis ecclesiae servitio, et congrua parochialium subsistentia, et recta totius dioecesis administratione disposuerit. Ac insuper idem Joannes episcopus eximia pietate, et singulari orthodoxae religionis zelo praeditus, in pastoralis ministerii munere pro spirituali salute gregis sibi commissi, cum laboribus plurimis, ac dispendiis, nominisque sui magna laude semper attendens ea omnia et singula, quae propriis sumptibus in erectione capituli praedicti, aliarumque piarum institutionum pro recto totius dioecesis regimine laudabiliter providere studuit, ad Nos per proprias literas una cum suis patentalibus datis prima die mensis febr. currentis anni transmittere curavit, suppliciter rogans, ut pro opportuna institutionum hujusmodi validitate, et exacta observantia, apostolicae approbationis et confirmationis Nostrae robur accederet.

Tenor concessionis.

§. 4. Re autem a Nobis mature perpensa; attendentes quod hujusmodi cathedralis ecclesiae capituli erectio et dotatio juxta ejus fundationis methodum pro ecclesiae servitio, ac personarum, rerum, et bonorum felici directione, universique dioecesani Graeco–catholici gregis utilitate, ad Sanctae Catholicae Ecclesiae exaltationem cedat, supplicationibus pro parte ejusdem antistitis Nobis humiliter porrectis benigne inclinati, ipsius Fogarasiensis episcopi zelum, ac pietatem plurimum commendantes praedictae cathedralis ecclesiae Fogarasiensis capituli, ad praesens in ecclesia titulo sanctissimae Trinitatis urbis Balasfalvensis existentis, erectionem, cum omnibus et singulis oneribus, redditibus, et ordinationibus in memorata fundatione, et erectione a praedicto episcopo, sicut praefertur, facta, aliaque similiter circa parochiales ecclesias in dictis patentalibus literis contentis et expressis, apostolica Nostra auctoritate tenore praesentium plenissime approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, ita ut capitulum et canonici praedictae cathedralis ecclesiae res, bona, proprietates, cum omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praeeminentiis, praerogativis, concessionibus, indultis, favoribus et gratiis, tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus aliae similes cathedrales ecclesiae in eodem regno existentes, eorumque capitula, et canonici, de jure, usu, consuetudine, privilegio, non tamen ex indulto, seu privilegio particulari, aut oneroso titulo utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt in futurum, similiter et pariformiter; dummodo tamen sint in usu et non revocato, sacrisque canonibus, et ordinationibus apostolicis non repugnent, uti, frui potiri, et gaudere libere et licite valeant, apostolica pari auctoritate, tenore praesentium concedimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes erectionem et institutionem capituli hujusmodi a memorato Fogarasiensi episcopo, ut praefertur, factas, Nostrasque praesentes, confirmationis literas, semper et perpetuo validas, atque efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpetandi facultate, et auctoritate judicari et definire debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Reservatio peculiaris.

§. 6. Praesentibus autem literis Nostris nihil innovare intendimus de iis, quae a praedecessoribus Nostris optime statuta fuerunt circa Graecos, qui Latinis immixti vivunt, et praecipue decreta ab enunciata congregatione venerabilium fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum, pluries super iisdem emanata, firma, valida, ac in eorum plenissimo effectu remanere volumus, atque mandamus.

Sanctio poenalis.

§. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae confirmationis, approbationis, concessionis, decreti, voluntatis, et mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire; siquis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud san-

Digitized by

ctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septimo, kalendis decembris, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 11. dec. 1807. Anno VIII.

DXXXII.

Confirmatio privilegiorum, et jurium alias concessorum communitati Fanensi.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Expositum Nobis nuper est nomine dilectorum filiorum gonfalonerii et priorum civitatis Nostrae Fanensis, consilium publicum seu publicos repraesentantes civitatis istius pervetusta uti, fruique possessione quorumdam jurium et privilegiorum, scilicet: primo eligendi, scribique faciendi in matricula causarum actores, qui apud curiam laicam gerere isthic cupiunt munus causidici, praevio examine duobus coram doctoribus designandis per speciale consilium: 2. excludendi a tali munere illos, qui vel examen doctorum subire, vel matriculam consilii specialis detrectant capessere; uti etiam delinquentes in officio inhabiles ad ejus exercitium declarandi atque reddendi: 3. licentiam concedendi causidicis, ut causas pertractare interim possint, donec intra tempus congrue eis praefixum matriculam reportaverint: 4. publicandi edicta, seu notificationes in civitate spectantes ad liberum jurium, privilegiorumque hujusmodi exercitium tum quoad procuratores et advocatos, tum quoad actuarios atque notarios. Licet autem exponentes jura haec et privilegia non solum patrii codicis statuarii, qui anno 1508. typis editus fuit, jugisque subsequentium saeculorum praxis fundamento, sed literis quoque apostolicis praesertim felicis recordationis Julii pp. II. praedecessoris Nostri, nec non literis congregationis praepositae consultationibus civitatum, locorum, atque terrarum status Nostri ecclesiastici, ac praeterea quam plurimis publici consilii actis, et publicorum pro tempore repraesentantium notificationibus firmiter ac patenter inniti arbitrentur; nihilominus tamen ne quidquam moliendi adversus horum jurium et privilegiorum possessionem, qua praedictum Fani consilium seu publici repraesentantes diutissime gaudet, ullum umquam turbulentis et captiosis ingeniis supersit effugium, apostolicae approbationis et confirmationis munimento specifico ea per Nos vallari vehementer exoptant, enixisque humiliter precibus a Nobis efflagitant.

Tenor apostolicae confirmationis. §. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, attenta relatione dilecti filii magistri Nicolai Riganti praememoratae congregationis secretarii, ad quem supplicem exponentium libellum remisimus, quique rem hanc, etiam sciscitando mentem venerabilis fratris moderni episcopi administratoris Fanensis, ac exquirendo votum fiscalis generalis camerae Nostrae apostolicae, mature perpendit quatuor articulos jurium et privilegiorum publici consilii Fanensis, omnes et singulos, eo modo et forma, prout superius recensiti ac expressi sunt, auctoritate apostolica tenore praesentium ejusdem consilii seu publicorum repraesentantium favore ratos, validosque habemus, ac specifice approbamus et confirmamus, illisque robur perpetuum apostolicae firmitatis adjicimus, ac siquos defectus quomodolibet in eos irrepsisse contigerit, plenarie sanamus atque supplemus.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac praedicto consilio plenissime semper suffragari, atque ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis et specialem, et expressam mentionem, ac derogationem requirentibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die undecima de-

Digitized by Google

cembris millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 15. dec. 1807. Anno VIII.

DXXXIII.

Concessio usus capparum sericarum cum pellibus albis pro canonicis ecclesiae collegiatae villae de Mora dioecesis Terulensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigia prementes peculiaria indumenta deferenda concedimus ecclesiasticis viris illis, qui in templis magis conspicuis Altissimo inserviunt, ibique coelestis veluti Sionis aemuli divinas laudes quotidie concinunt, quo ipsi per externas etiam hujusmodi decorationes, et ad eorum munus exprimendum aptissimas excitati, internarum virtutum splendore magis magisque in dies praelucere studeant in aula Domini.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque sicut dilecti filii prior, dignitates, et canonici insignis, ut asseritur, collegiatae ecclesiae villae de Mora Terulensis dioecesis Nobis nuper exponi fecerunt, collegiata ipsa antiquitatis laude, sacrarum supellectilium copia, sacerdotum probitate, et doctrina, populique Christiani frequentia, et devotione inferior minime sit nonnullis aliis illarum regionum collegiatis, imo (ut pariter asseritur) per rec. me. Callixtum pp. III. praedecessorem Nostrum peculiari aliquo privilegio sive per concessionem, sive potius per confirmationem ornata fuerit, idcirco dicti exponentes similibus indumentis choralibus, quibus decanus, et canonici alterius assertae insignis collegiatae ecclesiae villae de Rubielos ejusdem dioecesis, aliique permultarum aliarum collegiatarum in Hispaniarum regnis existentium canonici ad praesens utuntur, uti posse ad majorem Dei gloriam, eorumque sacri muneris venerationem vehementer desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur, attentis desuper relationibus venerabilis fratris Blasii Joachimi episcopi Terulensis, exponentes praedictos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus priori, dignitatibus, et canonicis memoratae collegiatae villae de Mora, ut ipsi loco capparum nigrarum pellibus armellinis cineraceis ornatarum, quas adhuc a die festo omnium sanctorum usque ad Sabbatum sanctum deferre consueverunt, in posterum easdem cappas etiam sericas, atque insuper pellibus armellinis albis ornatas ad instar in omnibus, et per omnia alterius collegiatae praedictae de Rubielos etiam quoad ornamenta capparum hujusmodi serico rubea tempore aestivo per dictos canonicos de Rubielos deferri consueta tam in eorum ecclesia quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, et uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque priorem, et canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non praememoratae collegiatae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quinta decembris millesimo octingentesimo septimo, pontificatus Nostri anno octavo.

Derogatio contrariorum.

DXXXIV.

Dat. die 6. jan. 1808. Anno VIII.

Concessio usus roccheti, et mozzetae violaceae subsutae tela serica cremisini coloris, cum globulis, et asulis sericis ejusdem cremisini coloris pro canonicis collegiatae ecclesiae de Altidona dioecesis Firmanae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigia prementes ecclesiasticis viris, qui almae veluti Sionis aemuli divinas laudes in domo Domini solemniter persolvunt peculiaria ornamenta deferenda concedimus, ut ipsi per externas quoque honorificentias excitati, internarum virtutum splendore omnibus qui in Domo sunt, praelucere magis, magisque studeant.

Expositio precum. §. 2. Cum itaque sicut dilecti filii capitulum, et canonici collegiatae ecclesiae de Altidona Firmanae dioecesis Nobis nuper exponi fecerunt collegiata ipsa antiquitatis laude, sacrarum supellectilium copia, sacerdotum probitate, populique frequentia non mediocriter floreat, multum splendoris, et ornamenti ad ipsam ecclesiam accederet, et divinus in ea cultus, populique devotio majora susciperet incrementa, si ejusdem collegiatae canonici novis praerogativis, novisque decorationibus donentur. Nobis propterea humiliter supplicare fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut supra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur dictos exponentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus canonicis dictae collegiatae, ut roccbetum, et mozzetam violaceam tela serica cremisini coloris subsutam, cum globulis, et asulis sericis ejusdem cremisini coloris tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque uti libere, ut licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae collegiatae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die octava januarii millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno octavo.

DXXXV.

Dat. die 19. jan. 1808. Anno VIII.

Declaratio, quod cardinales ab urbe per vim abstracti, gaudere debeant omnibus juribus, ac privilegiis, ac si praesentes essent in eadem urbe.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Nonus excurrit annus, ex quo redemptor Noster suo imperscrutabili judicio universalis Ecclesiae curam Nobis committere dignatus est. In hoc permolesti temporis spatio ultra gravissimas quotidie sollicitudines, illud Nobis singulariter identidem accidit, quod nonnulli ex venerabilibus fratribus Nostris S. Romanae Ecclesiae cardinalibus, ab iis qui sub Galliarum imperatore militiam exercent, quique Romanam urbem occuparunt per vim a latere Nostro avulsi, variasque ad regiones traducti, ubi moram adhuc facere coguntur, absentes nunc reperiantur ab ipsa urbe, ad quam Omnipotentis Dei beneficio speramus eos fore redituros.

Ratio concessionis. §. 2. Quoniam vero nec sacrorum canonum statutis, nec aequitati consentaneum esset, ut cardinales hujusmodi praeter voluntatem ab urbe absentes, juribus illis ac privilegiis orbarentur, quibus gauderent si in Nostra pontificia curia praesentes existerent, atque

inter haec non inferiorem locum habeat jus optandi ad ecclesias episcopales suburbicarias, quae pro titulo cardinalatus assignantur iis Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, qui in cardinalitia hierarchia, ordinem episcoporum constituunt, idcirco eorum indemnitati opportunum consulere pro Nostri supremi officii munere congruum existimamus.

Tenor concessionis.

§. 3. Cum itaque in apostolicis nonnullorum Romanorum pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus, et praecipue in literis fel. rec. Clementis pp. XII. datis die decima mensis januarii MDCCXXXI. atque incipientibus « *Pastorale officium* » caveatur expresse, quod cathedrales ecclesias suburbicarias, ii tantummodo cardinales optare valeant qui tempore ipso vacationis praesentes in curia existant, vel ab eadem curia absentes, dumtaxat ex causa publica, et ex destinatione Romani pontificis; cumque praefati etiam cardinales vi a Nobis abstracti, et contra Nostram et eorum voluntatem longe ab urbe traducti, censendi sint habiles ad fruendum iisdem juribus ac privilegiis quibus fruerentur, si personaliter adessent in urbe; Nos propterea de consilio nonnullorum dilectorum filiorum S. R. E. cardinalium, ad quamcumque super hac re tollendam ambiguitatem, ex certa scientia deque apostolicae potestatis plenitudine declaramus, volumus, atque praecipimus, quod cardinales hujusmodi tamquam praesentes in curia reputentur ad effectum gaudendi praefatis omnibus et singulis juribus ac privilegiis, ita ut cathedrales quoque episcopales ecclesias suburbicarias, praevia Nostra scientia et consensu, servatis tamen reliquis omnibus servandis per procuratorem ex eodem cardinalium collegio specialiter deputandum, in qualibet vacatione, de more optare libere ac licite possint et valeant.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Ne autem contenta in hisce Nostris declaratione et dispositione minus valida reputentur, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observentur, tam Nostrae apostolicae cancellariae, quibuslibet etiam de jure quaesito non tollendo regulis, quam quibuscumque synodalibus, provincialibus, generalibus, et universalibus quoque conciliis, nec non praedicti Clementis pp. XII. et aliorum Romanorum pontificum circa sacrum cardinalium collegium literis, aliisque editis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis et literis apostolicis in genere vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum forsan quomodolibet concessis, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes plenissime, ac specialiter, et expresse ad praemissorum validissimum effectum harum serie derogamus, ac derogatum esse censeri etiam decernimus.

Fides habenda transumptis.

§. 5. Volumus quoque ut earumdem praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae declarationis, praecepti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem, anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo octavo, quartodecimo kalendas februarii, pontificatus Nostri anno octavo.

DXXXVI.

Dat. die 16 febr. 1808. Anno VIII.

Concessio nonnullarum indulgentiarum assequendarum a fratribus, monialibus, et tertiariis ordinis Praedicatorum juxta pia opera praestanda.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Indulgentia centum dierum.

§. 1. Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, precibus quoque dilecti filii Pii Josephi Gaddi fratrum ordinis Praedicatorum generalis magistri, omnibus, et singulis fratribus, et monialibus, itemque tertiariis de militia Christi, seu de Poenitentia nuncupatis dicti Praedicatorum ordinis, ac confratribus, et consororibus confraternitatum Beatae Mariae Virginis de Rosario, et san-

Digitized by Google

ctissimi Nominis Jesu canonice erectarum, et ubilibet erigendarum, qui per horae quadrantem orationi mentali vacaverint, pro qualibet vice centum dies; qui per duos continuatos quadrantes, septem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

Alia plenaria.

§. 2. Iis vero, qui orationi hujusmodi primo, aut secundo modo singulis diebus per totum mensem operam dabunt, etiamsi fratres, et moniales praedicti ad id ex eorum regula teneantur, vere tamen poenitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, atque pro Christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione orantibus, plenariam semel pro quolibet mense ad uniuscujusque eorum libitum eligendo quolibet anno lucrifaciendam.

Similis ut supra.

§. 3. Similiter praedictorum iis, qui quatuor anniversariis, vel officiis defunctorum in dicto ordine annuatim praescriptis, unum scilicet pro fratrum, et monialium, ac tertiariorum ipsius ordinis, alterum pro suorum consanguineorum, et affinium; tertium pro familiarum, et benefactorum suorum animabus, quartum pro sepultis in eorum ecclesiis, et coemeteriis devote interfuerint, ac vere etiam poenitentes, et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, atque, ut supra oraverint, qua vice hujusmodi id egerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Qui vero ex praedictis per quadraginta dies orationibus, mortificationibus, aliisque piis operibus, et exercitiis in memoriam quadraginta dierum, quibus Dominus Noster Jesus Christus in deserto latuit, cum devotione, et silentio vacaturi, secedunt, qua vice id egerint, semel quotannis easdem indulgentias, quas Paulus pp. V. praedecessor Noster concessit regularibus per decem dies spiritualibus exercitiis incumbentibus, consequantur.

Extensio ejusdem indulgentiae ad omnes Christifideles utriusque sexus.

§. 4. Universis autem utriusque sexus Christifidelibus vere pariter poenitentibus, et confessis ac sacra communione refectis, qui hora sibi assignata rosarium Beatae Mariae Virginis devote recitaverint, atque, ut supra, oraverint, plenariam semel in anno lucrifaciendam: eisdemque Christifidelibus, qui pia erga sanctum Dominicum dicti ordinis fundatorem, ac rosarii ejusdem Beatae Mariae Virginis auctorem devotione quindecim tertiis feriis in anno confiteri, et in aliqua ipsius ordinis ecclesia, sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumere solent, atque, ut supra oraverint, quoties id egerint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus; in una vero ex dictis tertiis feriis ad eorum libitum eligenda plenariam; itidem iis Christifidelibus, qui septem feriis sextis in anno, praesertim vero immediate praecedentibus festum sancti Vincentii Ferrerii confessi, ac sacra communione refecti in honorem ejusdem sancti, ac etiam, ut supra, orantes in una ex dictis septem feriis sextis ad libitum semel in anno eligenda, plenariam, in reliquis vero septem annos, et totidem quadragenas; pariter, qui novem diebus festum Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi immediate praecedentibus aliquam ecclesiam dicti ordinis devote visitaverint, ibique piis exercitiis, et orationibus, aut sacris concionibus interfuerint, septem annos, et totidem quadragenas qualibet die prima autem, et ultima, si etiam confessi, et sacra Eucharistia refecti, atque, ut supra, oraverint, plenariam.

Alia peculiaris pro tempore missionum.

§. 5. Demum singulis fratribus ordinis praedicti, qui de ordinariorum, et superiorum licentia in diversas Christianae reipublicae provincias ad procurandam fidelium salutem mittentur, atque universis Christifidelibus, ad quos ipsi missi accesserint, vere poenitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui pro Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, principum Christianorum unione, et infidelium conversione, prout unicuique suggeret devotio, pias ad Deum preces effuderint, plenariam una vice tantum tempore uniuscujusque missionis omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino etiam concedimus: quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse in Domino indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliis-

que constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Fides habenda transumptis.

§. 7. Volumus autem, ut praesentium transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici, vel procuratoris generalis dicti ordinis subscriptis, et sigillo munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decimasexta februarii millesimo octingentesimo octavo, pontificatus nostri anno octavo.

Dat. die 17. febr. 1808. Anno VIII.

DXXXVII.

Erectio cathedralis ecclesiae Montis Albani.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pius PP. VII.

Prooemium.

§. 1. Supremo pastorali munere Christi vices fungentes Nostrum esse intelligimus fidelium omnium gerere sollicitudinem, et si qua necessitas aut universos, aut singulos constringat, eidem obviam ire, atque apostolica auctoritate providere. Portamus enim, ut cum Siricio decessore nostro loquamur, onera omnium qui gravantur; quin imo haec portat in Nobis beatus Petrus, qui Nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suae protegit, et tuetur haeredem. Hinc malis licet undique circumdati, et assiduis animi angoribus cruciati, non deserimus ministerium Nostrum, et quamquam non desint rationes, quae aliter saepe suaderent, eas ultro despicimus, atque fidelium bono unice intenti, quod Deo disponente suscepimus munus, pro viribus exequi non desistimus.

Ratio decernendae novae erectionis.

§. 2. Cum ob vastam nonnullarum dioecesum in Gallicano imperio amplitudinem, non facile sit illarum episcopis populorum spirituali administrationi adamussim incumbere, omnia et singula loca frequenter visitando, et dioecesanorum suorum necessitatibus prompte occurrendo, habitatores civitatis Montis Albani, intra limites vastae Cadurcensis dioecesis, enixas preces gubernio saeculari obtulerunt, ab eoque opportunum impetrarunt assensum, ut ipsa Montis Albani civitas, adsignato ei congruo territorio ad episcopalis cathedrae honorem restitueretur.

Consensus praesulum et metropolitici.

§. 3. Cumque Nobis hujusmodi vota exhibita fuerint una cum expresso consensu tam venerabilium fratrum Nostrorum Tolosani archiepiscopi, et Cadurcensis, ac Agennensis episcoporum, quam dilectorum filiorum metropolitanae, et cathedralium praefatarum capitulorum, a quorum respectivis dioecesibus varia erunt separanda loca pro novi episcopatus Montis Albani perficienda erectione, apostolici officii Nostri ducimus pia catholicorum desideria benigne prosequi favore, illorumque spirituali utilitati opportune consulere.

Tenor erectionis.

§. 4. Nos igitur praedictam Montis Albani civitatem, quae viginti mille circiter numerat incolas, et in qua integra adhuc extat fabrica antiquae cathedralis ecclesiae amplae et bonae structurae, sub invocatione B. Mariae Virginis, sive s. Jacobi a Cadurcensi dioecesi, ut infra separando, in civitatem Montis Albani nuncupandam, cum omnibus juribus, honoribus, praerogativis, privilegiis, non tamen titulo oneroso acquisitis, quibus aliae civitates episcopali sede insignitae in Gallia existentes, et eorum cives fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac similiter ecclesiam supradictam in cathedralem ecclesiam Montis Albani sub eadem Beatae Mariae Virginis vel sancti Jacobi invocatione nuncupandam, ac pro tempore existenti archiepiscopo Tolosano suffraganeam, eique metropolitico juri subjectam, et in ea sedem et dignitatem episcopalem pro uno deinceps episcopo Montis Albani nuncupando, qui eidem ecclesiae Montis Albani, illiusque civitati et dioecesi, ut infra assignandae praesit, et singula jura, officia, munia episcopalia habeat, et exerceat, cum suis capitulo, mensa episcopali, caeterisque cathedralibus et pontificalibus insigniis, juribus, jurisdictionibus, praeeminentiis, praerogativis, privilegiis, honoribus, favoribus, gratiis et indultis realibus, personalibus, et mixtis, quibus aliae in Gallia existentes cathedrales ecclesiae, earumque praesules, non tamen titulo oneroso utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, et in ipsa cathedrali ecclesia Montis Albani, unam seu plures dignitates et convenientem numerum canonicatuum pro te-

Digitized by Google

tidem futuris dignitate seu dignitatibus, et canonicis, qui eidem ecclesiae Montis Albani, una cum aliis presbyteris et clericis inservire teneantur: quique capitulum dictae cathedralis ecclesiae constituant, cum suis pariter choro, mensa capitulari, arca, bursa, et sigillo communibus, ac in eadem cathedrali ecclesia Montis Albani, chori servitium, et divina officia, aliasque ecclesiasticas functiones laudabiliter persolvere teneantur; ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine perpetuo erigimus, et instituimus: cum hoc tamen quod futurus episcopus Montis Albani in dicta cathedrali ecclesia per Nos, ut praefertur, erecta, theologalem, et poenitentiariam praebendas, atque in dicta Montis Albani civitate seminarium puerorum ecclesiasticum ad praescriptum concilii Tridentini respective erigere et instituere debeat, et interim inter futuros in dicta Montis Albani ecclesia, per nos, ut praefertur, erecta, primo instituendos canonicos, quos aetate, scientia, et pietate, ad theologi, et poenitentiarii respective munera obeunda idoneos judicaverit destinare curet.

Destinatio dioecesis novae.

§. 5. Et insuper, ut praefatae cathedrali ecclesiae Montis Albani, per nos, ut praefertur, erectae clerus, et populus constituatur, ultra duas parochiales, ac tredecim curatas succursales nuncupatas ecclesias in ipsa civitate, unam parochialem ecclesiam loci di Negrepelisse cum octo succursalibus, ac aliam loci de Caussade cum septemdecim succursalibus, ac aliam loci de Caylux cum sexdecim succursalibus, ac aliam loci de Montelar cum undecim succursalibus, ac aliam loci de la Francaise cum octo succursalibus, ac aliam loci de Montpezat cum quatuordecim succursalibus, ac aliam loci de Molieres cum tredecim succursalibus, ac aliam loci de Moissac cum septemdecim succursalibus, ac aliam loci de Lauzerte cum novendecim succursalibus, ac reliquam loci de le Bourg de Viza cum duodecim succursalibus, nec non etiam alteram sancti Antonin cum sexdecim succursalibus, parochiales respective ecclesias in Cadurcensi, nec non aliam loci de Montaigu cum tredecim succursalibus, et aliam loci de Auvillard cum novem succursalibus, et aliam loci de Valence cum decem succursalibus, atque aliam loci de Lavit cum suis decem succursalibus, parochiales pariter respective ecclesias in Agenuensi; et demum unam loci de Castel Sarrazin cum quinque succursalibus, ac aliam loci de Beaumont cum duodecim succursalibus, ac aliam loci de Proisolles cum octo succursalibus, ac aliam loci de Montech cum octo succursalibus, ac aliam loci de saint Nicolas cum octo succursalibus, ac aliam loci de Verdun cum novem succursalibus, ac reliquam demum loci de Villebrunier cum quinque succursalibus, parochiales pariter ecclesias in Tolosana respective dioecesibus existentia, cum eorum territoriis, confinibus, jurisdictionibus, aliisque juribus ad Cadurcensem, Agennensem et Tolosanam respective ecclesias, illarumque mensas archiepiscopalem, et episcopales competentibus cujuscumque generis apostolica auctoritate praesentium tenore perpetuo dismembramus, sejungimus, et separamus, ac clerum et populum, una cum omnibus et singulis respective ecclesiis, cappellis, ac aliis ecclesiasticis, et piis locis, si quae sint, nec non incolis, habitatoribus, caeterisque ecclesiasticis, ac saecularibus personis in supradictorum locorum territoriis existentibus, ac respectiva Cadurcensis et Agennensis, nec non Tolosani archiepiscopi, et episcoporum ordinaria spirituali jurisdictione, superioritate, et subjectione, visitatione, ac correctione prorsus eximimus et liberamus.

Declaratio novae jurisdictionis.

§. 6. Nec non eamdem civitatem Montis Albani, omniaque et singula superius expressa loca, ut praefertur, dismembrata, et separata, omnesque et singulas personas, habitatores, et incolas hujusmodi, novae cathedrali ecclesiae Montis Albani, per Nos, ut praefertur, erectae, ejusque futuro praesuli pro suis clero et populo, civitate, territorio, et dioecesi, in qua ipse semper residere debebit, eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo concedimus, et assignamus, ac ordinariae futuri, et pro tempore existentis episcopi Montis Albani jurisdictioni, potestati, et superioritati, perpetuo subjicimus atque supponimus.

Dotatio mensae.

§. 7. Mensae autem episcopali Montis Albani, sic ut praefertur, erectae pro ejus dote, et ad hoc ut futurus et pro tempore existens episcopus Montis Albani, praesulis dignitatem decenter tueri valeat, idem annuus redditus erit assignandus, qui aliis Gallicani imperii episcopis fuit jam constitutus.

Assignatio domus pro habitatione episcopi.

§. 8. Ipsique futuro et pro tempore exitenti episcopo Montis Albani pro sui decenti ha-

bitatione domum congruam ac sufficienter constructam in praefata civitate Montis Albani haud longe sitam ab ipsa cathedrali ecclesia, infrascriptus exequutor Nostrarum literarum quam primum tribui curet.

De dotatione praebendarum erigendarum.

§. 9. Idem praeterea Nostrarum praesentium literarum exequutor, diligenter studebit, dignitates, atque canonicatus et praebendas in praedicta Montis Albani cathedrali ecclesia erigendas, de congrua dotatione provideri, ut illos et illas pro tempore respective obtinentes onera eis respective incumbentia valeant supportare.

De communicatione privilegiorum.

§. 10. Et insuper eisdem futuris et pro tempore existentibus dignitatibus, et canonicis dictae cathedralis ecclesiae Montis Albani, per Nos, ut praefertur, erectae, ut ipsi in omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, praeeminentiis, praerogativis, antelationibus, concessionibus, indultis, favoribus, et gratiis, tam spiritualibus quam temporalibus, quibus aliae in Gallia existentes cathedrales ecclesiae, eorumque capitula, canonici, ac dignitates, de jure, usu, consuetudine, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, similiter, et pariformiter, et absque ulla prorsus differentia, dummodo tamen sacris canonibus, et concilii Tridentini decretis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis non repugnent, uti, frui, potiri et gaudere possint et valeant, eadem apostolica auctoritate itidem perpetuo concedimus, et impertimur.

Jus condendi statuta concessum capitulo.

§. 11. Ac futuris dignitatibus et canonicis praefatis, ut ipsi capitulariter congregati pro dictae cathedralis ecclesiae Montis Albani, ut praefertur erectae, illiusque dignitatum, et singulorum canonicorum mensae capitularis, sacrarii, illarumque omnium rerum tam spiritualium quam temporalium prospero et felici regimine, gubernio, et directione, onerumque illis respective incumbentium supportatione, divinorum officiorum, processionum, funeralium, anniversariorum, aliorumque suffragiorum celebratione, distributionum quotidianarum, et aliorum emolumentorum quorumcumque exactione, perceptione, divisione poenarum per absentes, et divinis officiis non interessentes, seu onera, et munia eis et eorum cuilibet incumbentia subire negligentes incurrendarum incursu, singulorum praesentiis, et absentiis notandis, caeremoniis et ritibus in dicta cathedrali ecclesia Montis Albani, illiusque choro, capitulo, processionibus, et aliis actibus servandis officialibus, et ministris dictae cathedralis ecclesiae Montis Albani necessariis deputandis et amovendis, servitiis et ministeriis per ipsos obeundis, ac eis salariis et stipendiis assignandis, et quibusvis aliis rebus in praemissis et circa ea quomodolibet necessariis et opportunis, quaecumque statuta, ordinationes, capitula, et decreta licita tamen et honesta, sacrisque canonibus, et concilii Tridentini praefati decretis, ac praefatis constitutionibus apostolicis minime contraria, ac per futurum episcopum Montis Albani prius examinanda et approbanda edere, et edita praevia approbatione praefati futuri episcopi Montis Albani declarare, et interpretare, atque ad meliorem formam redigere, ac reformare, seu alia de novo ex integro eisdem tamen sacris canonibus et concilii hujusmodi decretis, et constitutionibus apostolicis minime adversantia, ac, ut praefertur, examinanda et approbanda, nec non ab eis ad quos pro tempore spectabit, sub poenis in contravenientes statuendis observanda et adimplenda condere, et postquam condita fuerint toties quoties pro rerum et temporum conditione et qualitate, vel alias expediens videbitur, illa in toto vel parte corrigere, alterare, immutare, et in melius reformare, de simili ejusdem futuri ac pro tempore existentis episcopi Montis Albani approbatione condere libere et licite possint et valeant, eadem apostolica auctoritate licentiam et facultatem concedimus, et impertimur.

Reservatio electionis episcopi Sedi apostolicae facta.

§. 12. Ad cathedralem vero ecclesiam praedictam Montis Albani per Nos, ut praefertur, erectam, et a primaeva illius erectione hujusmodi vacantem in episcopum per Nos et Romanum pontificem pro tempore existentem praeficiendam, tam hac prima vice, quam in futuris illius vacationibus, personam dignam et idoneam eadem prorsus methodo, qua pro aliis Galliae episcopis statutum fuit, nunc et in posterum praefici, apostolica auctoritate praefata volumus atque decernimus.

Clausulae salutares pro plena literarum executione.

§. 13. Praesentes autem literas nullo umquam tempore, de subreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, vel alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, seu in

jus, vel contraversiam revocari, aut adversus illas quodcumque juris, vel facti, aut gratiae remedium impetrari posse, nec alias sub quibusvis derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi, sed tamquam ad divini cultus incrementum, et populi spirituale regimen in salutem animarum editas, semper ab illis excipi, validasque et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, sicque ab omnibus censeri: ita quoque per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

Deputatio exequutoris apostolici.

§. 14. Quocirca venerabili fratri nostro Arnaldo Ferdinando episcopo Carcassonensi, quem in exequutorem praesentium Nostrarum literarum apostolicarum deputamus, ad hoc ut ipse per se, vel alium, seu alios ab ipso specialiter subdelegandum, aut subdelegandos, pro nova cathedralis ecclesiae Montis Albani, illiusque capituli erectione, nec non mensarum episcopalis et capitularis dotatione ac domus episcopalis assignatione, et seminarii puerorum ecclesiastici institutione, ac pariter dotatione, sacrarii omnium sacrarum supellectilium etiam ad pontificalia exercenda instructione, nec non totius dioecesani territorii constitutione, de quibus omnibus ad praesentium literarum plenariam exequutionem ab eo peractis, idem episcopus authenticum, exemplar ad Sedem apostolicam transmittere teneatur; omnes et singulas ad hujusmodi effectum necessarias et opportunas facultates tribuimus, atque impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 15. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii pp. VIII. praedecessoris Nostri, ac quibusvis aliis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non Nostris, et cancellariae apostolicae regulis de exprimendo vero annuo valore, ac de dismembrationibus committendis ad partes vocatis quorum interest, nec non Lateranensis concilii ultimo loco celebrati, et quatenus opus sit Tolosanae, Cadurcensis, et Agennensis respective ecclesiarum etiam juramento, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, et literis apostolicis, quibusvis superioribus, et personis in genere vel in specie sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque decretis; quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio facienda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum omnium et singulorum validissimum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 16. Volumus autem, quod praefata ecclesia Montis Albani per Nos, ut praefertur, erecta, ex gratia speciali, ad instar aliarum Gallicani imperii ecclesiarum episcopalium, ad tercentum et septuaginta florenos auri de more taxari, et hujusmodi taxa in libris camerae apostolicae describi debeat.

Onus inscribendi fructus mensae in libris camerae apostolicae.

§. 17. Volumus autem, quod praesentium literarum transumptis, sive exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac personae in ecclesiastica dignitate constitutae sigillo obsignatis, eadem prorsus fides ubique locorum adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si originaliter essent exhibitae, vel ostensae.

Fides habenda transumptis.

§. 18. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae dismembrationis, erectionis, institutionis, concessionis, assignationis, subjectionis, indulti, constitutionis, commissionis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Do-

Sanctio poenalis.

minicae millesimo octingentesimo octavo, tertio decimo kalendas martii, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die 8. martii 1808. Anno VIII.

DXXXVIII.

Concessio novorum insignium vestium pro canonicis, et sub-canonicis ecclesiae patriarchalis Venetiarum.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigia prementes ecclesiasticis viris illis, qui coelestis veluti Sionis aemuli divinas laudes in magnificentioribus templis quotidie concinunt, peculiaria indumenta, atque ad eorum munus exprimendum aptissima deferenda concedimus, ut hi per externas quoque vestes excitati, internarum virtutum splendore magis magisque in dies lucere studeant in aula Domini.

Ratio concessionis. §. 2. Quoniam igitur ecclesia patriarchalis Venetiarum antiquitatis laude, templi amplitudine, sacrarum suppellectilium copia, sacerdotum probitate, doctrina et numero, populique Christiani frequentia, et devotione ita floruit, et floret, ut una ex celebrioribus Italiae ecclesiis jure quidem optimo habeatur: et quoniam universa civitas praedicta singularem in Nos, et hanc s. Sedem prae se tulit indesinenter fidem, et observantiam eo praesertim tempore, quo ibi (meritis licet imparibus) ad summum pontificatus apicem fuimus evecti, ac tandem illud etiam rati, fore, ut divinus cultus, populique devotio majora ibi incrementa suscipiat, si ejusdem ecclesiae canonici, et mansionarii, seu sub-canonici nuncupati novis decorationibus per Nos, et Sedem praedictam ornentur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos eosdem canonicos, et alios praedictos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, motu proprio, ex certa scientia, et matura Nostra deliberatione, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus canonicis ipsius patriarchalis ecclesiae, ut loco mozzetae violaceae, et aliorum insignium, quae illis per Nostras in simili forma brevis die VI. septembris MDCCC. respective deferenda concessimus, posthac cappam magnam violaceam hyemali tempore cum pellibus armellinis albis supra rocchetum, aestivo vero tempore cottam supra ipsum rocchetum, mansionariis autem, seu sub-canonicis rocchetum pariter in hyeme, et cappam magnam similem cum pellibus armellinis cineracei tamen coloris, aestate vero cottam dumtaxat sine cappa hujusmodi, et roccheto tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque respective uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus; dictosque canonicos, et mansionarios, seu sub canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae patriarchalis ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die octava martii millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno octavo. Derogatio contrariorum.

ANNO NONO

Dat. die 16. martii 1808. Anno IX.

DXXXIX.

Allocutio habita in consistorio die 16. martii 1808.

Pius PP. VII.

Venerabiles fratres.

§. 1. Illuxisse demum, venerabiles fratres, miserum illum vidimus diem, quem perpetuo triennii cursu nunquam intermissae tot Gallorum imperatoris, ac Italiae regis Napoleonis minae Nobis praenunciarant, si principiis, et confictis juribus tum ab illo ipso, tum ab ipsius ministris illius nomine Nobis patefactis adversati essemus, neque ejusdem petitionibus assensi fuissemus. Posteaquam tota fere regio temporali Nostrae subjecta dominationi occupata fuerat, oculis ipsis Nostris violatam vidimus Nostram hanc Sedem catholicae Ecclesiae caput. Confertam aspeximus armis, atque militibus hanc ipsam urbem Nostram; oppressam, usurpatam, captam s. Angeli arcem, disposita per vias, per fora, per plateas praesidia, ne hac quidem palatii Quirinalis excepta, in qua nostrum est mansuetudinis, pacis, tranquillitatis domicilium. Vos ipsi, venerabiles fratres, quum postridie kalendas februarii huc convenistis solemni ritu Nobiscum celebraturi ejus diei memoriam, qui primum beatissima virgo Dei Nostri mater post partum ingressa est Dei templum, transire per arma, per armatos, per bellica tormenta debuistis, quae incensis, ad explodenda scintillis, fores ipsas palatii Nostri appetebant. Quis moeror, qui gemitus, quae lacrymae, quis tacitus stupor bonorum omnium fuerit vidistis.

Sed Nos in spiritu lenitatis, atque in animo contrito, propositoque ante oculos divini praeceptoris exemplo, qui tot, tantaque a suis perpessus est, et si omnia contra meritus esset, adoravimus imperscrutabilia Dei judicia, qui acerbissima ista fieri permisisset. Nostri etiam esse muneris duximus, dare operam, ut dilectissimus populus Noster eodem Nobiscum animo, eademque sententia esset; hortatique illum ad omnia toleranda sumus; atque adeo justissimus, nullam ne levissimam quidem Gallis injuriam inferri, quin imo justum, ac debitum honorem tribui unicuique homini ejus nationis, a qua nos in nostro in Gallias itinere, ac ducta in iisdem mora, tot, tantaque praeclara observantiae, amoris, pietatis argumenta habuisse magna semper cum voluptate, ac jucunditate meminimus.

Iisdem perpetuo immanentes lenitatis, ac moderationis viis, proferre noluimus in vulgus causas, e quibus calamitates orirentur, quibus opprimeremur; satisque habuimus illud dumtaxat indicasse, quod silentio praeteriri non poterat, ne quis arbitraretur, Nos mala haec gravissima, quae cervicibus Nostris imminere jampridem videramus, sine justissimis causis in Nos, Nostrosque subditos convertere voluisse. Quamobrem declaravimus sacri Nostri muneris, et officii vim, ipsiusque Nostrae conscientiae dictata, et leges, unas et solas fuisse causas, propter quas oblatas Nobis petitiones probare, quo protendebantur, nullo modo potuimus.

Dum ea, quae jam evenerant, in luctu atque moerore tollerabamus, jamque reliqua expectabamus, quae Nobis recusantibus, minae pollicitae fuerant, qualis, quantaque fuit,

Digitized by Google

venerabiles fratres, admiratio Nostra, quantusque dolor, quum crimini Nobis intelleximus tribui illud ipsum, quod gratum, acceptumque futurum jure meritoque arbitrabamur! Missum enim pridie nonas februarii ad ministrum Nostrum ab imperatoris, et regis oratore scriptum vidimus plenum quaerelarum propter eam declarationem, quam in ipso Gallicarum copiarum ingressu typis edidimus, qua, ut optime nostis, ea tantum paucis continebantur quae paulo ante commemoravimus.

Illo scripto eo usque perventum est, ut injuriae in ipsum imperatorem accusati fuerimus, quod illius nomen tacuissemus, mentionemque fecissemus gubernii Gallicani; quam quidem loquendi rationem Nobis suaserat, atque adeo postulaverat debitus imperatoris majestati honos, cujus in re moestissima, de qua Nobis conquerendum erat, tacebamus nomen. Objectum est praeterea, Nos loquendi rationem adhibuisse imitatione ductos eorum, qui eum nominare imperatorem neque volunt neque talem agnoscunt, quasi cuiquam venire in mentem possit tam absona de Nobis dubitatio atque suspicio, qui non modo Napoleonem Gallorum imperatorem, Italiaeque regem agnovimus, verum etiam quod certe omnes norunt, imperatoriae coronae ipsius capiti imponendae causa Roma Lutetiam Parisiorum gravi Nostra aetate, graviori etiam anni tempore profecti sumus. Accusati quoque eodem scripto sumus, Nos ipsa illa a Nobis edita declaratione perturbare publicam tranquillitatem voluisse, quum contra Nostris et jussis et hortatibus per eam patefactis ac promulgatis, mirifice quies et tranquillitas, seu privata, seu publica servata fuerit; quod et ipsi vidistis, et omnes qui hanc incolunt urbem mirati et gratulati sunt. Acerbe, graviterque arguimur, et reprehendimur, res quasdem Nostra illa declaratione protulisse, quodam nescio quo religionis velo obtectas: quod velum brevi fore discissum, resque ipsas admodum cito atque perfacile falsitatis redarguendas esse, Nobis illo scripto denunciabatur.

His ita se habentibus, tum ipsi intelligimus, tum omnes cognoscent, ac sentient, debere Nos et Nobismetipsis, et catholicae Ecclesiae, et universo terrarum orbi, ipsique veritati, honori, ac dignitati Nostrae ejusmodi declarationem, quae veras, et sanctas actionum, et consiliorum Nostrorum rationes aperiat, iisdemque Nos tueatur, Nobisque consulat. Nam quum publicam quoque in nos armari, et inflammari velle opinionem videamus, summum profecto crimen silentium Nostrum esset, ut jam illud servare diutius minime liceat.

Quamobrem, venerabiles fratres, in hunc vos locum, et in conspectum nostrum convenire voluimus, ex quo cognosceretis, quid factum postea sit, acciderítque ab eo tempore, quo item hic postremo fuistis, ut vobis amaritudinem explicaremus animae Nostrae supra omnem modum dolore perculsae, ob acerbam illam, et omnibus partibus injustam, ac falsam accusationem, qua traducimur, Nos longe aliis causis adductos fuisse, ut petitiones ab imperatore propositas, ita ut erant, respueremus, quam iis, quae a sacri muneris et officì Nostri vi atque a religione, ac conscientia Nostra oriri potuissent.

Quae sint ea, quae commemoravimus principia, confictaque jura, et quae petitiones oblatae Nobis fuerint ab iis et principiis et juribus ductae vobis, venerabiles fratres, perspectum est. Nam in partem vocati sollicitudinum Nostrarum, rogatique sententias et consilia vestra, more, institutoque majorum ab hac apostolica Sede servato semper et culto, jamdudum optime nostis imperatorem ac regem Napoleonem toto hoc triennio, et suis ad Nos literis, et per ministros tum ipsius, tum Nostros, haec disertis et conceptis verbis significavisse, ac declarasse » Si Nos Romae » dominatu potimur, attamen ipsum Romae » imperatorem esse: ditiones et provincias » Nostras ad imperium Gallorum pertinere, » ac partes illius imperii esse: earumdem di» tionum, et provinciarum supremum domi» nium ipsius esse, quippe qui Caroli magni » jurium haeres sit: quomodo ipse Nobis in re » spirituali subjectus est, eodem Nos illi in » temporali oportere esse subjectos: ab im» perio suo jus ipsi esse compellendi, atque » cogendi eum qui Romae dominetur, ad cau» sam cum ipso suisque successoribus com» muniter suscipiendam in omnibus bellis, » quae vel nunc gerantur, vel in posterum » gerenda fuerint. Hanc omnium bellorum so» cietatem a Nobis respui non posse, quippe » quae ad Caroli Magni, atque ad ipsius im» perium pertineamus: ex eo sequi, ut hostes » ipsius, Nostros etiam esse hostes judicare,

» atque ut tales agnoscere debeamus. Nos » ipsi foedere jungi oportere Nobis et nunc, » et in posterum una cum ipso et inferenda esse, et gerenda bella: denique omnino oportere, ut in politicum ipsius systema Nos » transferamus; cui quidem illius voluntati nisi paruerimus, ipsum cui facultas sit donationem abrogandi Caroli Magni, discerpturum ditiones Nostras, et cuicumque ipsi libuerit concessurum; secreturum in Nobis a » spirituali primatu imperium temporale; atque illud effecturum etiam, ut Romani dumtaxat episcopi locum teneamus, constituto » in urbe viro, qui nomine ipsius praesit, dominetur » Haec effata, pronunciata, dictata, disertis et conceptis verbis expressa sunt, tam in scriptis per ministros illius exhibitis, quam in ipsius imperatoris literis; et pluries etiam ab eodem ministris Nostris oretenus, ut scitis, repetita.

Quam falsa sint re ipsa conficta illa Caroli Magni in ditiones Nostras jura, nihil opus est oratione Nostra ut constet: satis est eam rem vel leviter indicasse, quo unicuique exploratum sit, mole ipsa, et vastitate sua concidere. Illud et certum, et notum, et quoquo versus pervagatum est Carolum Magnum a pontifice Romano creatum imperatorem fuisse; Carolum Magnum munifica, piaque liberalitate sua Sedis apostolicae dominia, quorum ipsa potiebatur, auxisse; Carolum Magnum erepta a Longobardis regibus Sedis apostolicae dominia, eidem armis recuperata restituisse. Illud in hac re animadvertere satis sit, etiamsi daretur falsa non esse conficta illa Caroli Magni jura, tamen a Napoleone imperatore compertam non fuisse Sedem apostolicam, atque ad Nos ipsos, qui eam divinitus habemus, in eo rerum statu, in quo praedecessores Nostri a Carolo Magno comperti fuerunt, Apostolicam Sedem libero, et nemini obnoxio continuis decem saeculis summo in ditiones suas imperio potientem ac fruentem Napoleon imperator comperit: nec cruentae ab illo de aliis gentibus reportatae victoriae, ullum ipsi in ditiones Nostras jus, qui pacem cum illo semper habuimus, tribuere potuerunt.

Sed ad graviora veniamus, eaque ipsa, quae impedimento sunt ne aut principia probemus, aut consectaria, quae a confictis illis juribus ducit imperator, ac petitionum suarum vult esse basim ipsam, atque fundamentum, Nos primo illo tempore quo imperatoris nomine significata fuerunt ea, quae diximus, statim intelleximus insuperabilia Nobis obstacula ob ipsa vi, atque natura sacri Nostri muneris, officii, dignitatis oriri, quibus obstaculis omnino impediremur, ne quam vellet imperator iniri a Nobis actionum et consiliorum rationem, amplecti possemus, Nosque illi supremi ejus dominii subjectione submittere, quam postulare.

Summi pontificis, universalis pastoris, communis omnium patris, ministri pacis, catholicae religionis capitis tituli, seu potius gravissima, et omnium maxime formidanda onera, quae Nostri tantum propria sunt, neque in alium ullum confluunt principem, quorum nemo duplici est, ut ipsi sumus onerati pondere divinitus, Nos vetant omnino ea facere, quae aliis interdum principibus tantum temporalibus facere licet.

Hoc Nostro, Nobis a Deo dato, temporalis principis munere nihil aggredi possumus, quod officiis apostolici ministerii, Nobis item a Deo praecipueque commissi adversetur.

Itaque pro discrimine, quod inter Nos, aliosque interest principes, qui non iisdem obligantur vinculis, quibus ipsi obligati sumus, Nobis non semper licet in ratione politicarum rerum iisdem, atque illis principiis uti. Confirmatam perpetuo foedere societatem, quae Nos aut in bello, aut in belli statu continenter esse compellat, inire nullo modo possumus; ne hostes quidem Nostros judicare, aut habere omnes illos, qui quacumque de causa alieni hostes sint; nec Nobis generatim licet hostiles agere partes in bellis, quae hic aut ille princeps gerat, gesturusve sit. Quarum rerum si unam aliquam, ita ut proponuntur aggrediemur, Nos ipsi profecto impedimento esse judicaremur tum communicationi, quae intercedat necesse est inter caput, ac membra catholici gregis, qui per diversas terras longe lateque sparsus ac effusus est; tum usui expedito, et libero spiritualis primatus, cujus potestatem exercere vetaremur in eas nationes, contra quas perpetuum foedus ictum cum aliquo fuisset, atque actum agendumve alienam ob causam bellum.

Quod si interdum summos pontifices, peculiaribus quibusdam de causis, quas justas putarunt, iniisse foedera cum aliquibus principibus, gestarum rerum memoriae testantur;

at certe nullum est in tota ecclesiastica historia exemplum perpetui cujusdam foederis, quod a summis pontificibus initum fuerit: multoque minus invenire est aliquem principem, qui eos recusantes, atque invitos cogere conatus sit, et minis, et terrore, et obtentu decantati illius, planeque conficti supremi dominii in temporales Romanae Ecclesiae ditiones, quod Gallorum imperator sine ulla justa causa sibi vult asserere.

Jam quum summi pontificis catholicum gregem et pascere, et regere, illud quidem frequentissimum etiam in regionibus eorum principum, qui etsi nullo Nobiscum catholicae communionis vinculo conjuncti sint, tamen non impediunt quominus supremus catholicorum pastor libere apostolici sui ministerii munere fungatur; ille ipse pastor, nisi officio, munerique suo deesse, ac tot fidelium religionem, totque animarum salutem in extremum abducere discrimine velit, nullo modo declarare potest se se hostem eorum principum esse, atque hac de causa hostem, quia ipsi alterius principis hostes sint, eaque declaratione et eorumdem principum, et subditorum illis hominum querelas, inimicitias, odia in se, catholicosque convertere. Quae quidem inimicitiarum, atque odii causa summum illud gravissimumque periculum afferrent interdicendae, scindendae, tollendae communicationis inter Ecclesiae caput, ejusdemque membra; qua communicatione sublata, tollitur ratio tum spiritualibus populorum necessitatibus occurrendi, tum facultates, et concessiones emittendi, quae a sola Romani pontificis auctoritate proficisci possunt.

Quae cum ita sint, eademque demonstrent quantam in ecclesiam Dei labem, atque perniciem allatura esset illa Nobis proposita perpetui foederis societas; illud omnes facile intelligent Romanum pontificem ab ea ratione non posse discedere, qua semper est neutrarum partium; neque licere ipsi perpetuis hostilibus vinculis cum una gente adversus alias aliasque, ut sese tempora dabunt, ullo modo conjunctum esse; imo illius quam maxime esse libertatem summi sui temporalis imperii tueri, quod non minus a Deo est, quam ab eodem sint imperia caeterorum principum: quodque tam arcte cum liberiore, expeditiore, promptiore usu supremi sui spiritualis primatus, ideoque cum summis ipsius religionis rationibus, utilitatibus, commodis, conjunctum, et colligatum est.

In hac tanta temporalium principum multitudine, ac varietate, ut ne quis eorum in propriis ditionibus impedimento esset, quominus summus Ecclesiae pastor summa sua uteretur potestate, illa de causa, quia subjectus alicui temporali principi esset; divino consilio, providentiaque factum est, ut suo libero, neminique prorsus obnoxio temporali principatu potiretur. Id quam vere dicatur, praeterquam quod certissimum est, unum esse Deum, *per quem reges regnant, et legum conditores justa decernunt: per quem principes imperant, et potentes decernunt justitiam* (1); testis esse potest locuples praeclarum illud ecclesiae Gallicanae lumen Bossuetus Meldensis episcopus egregiis illis sententiis, quas in sermone de unitate Ecclesiae literis consignavit. *Voluit*, inquit, *Deus ut haec Ecclesia* (Romana) *communis regnorum omnium mater, progrediente tempore nulli esset temporalibus in rebus regno subjecta, utque sedes illa, in qua universi Christi fideles servare deberent unitatem, eo tandem statu, locoque esset, ut super omnia partium studia eminerent, quae contrariae, sibique appositas utilitates, sollicitaeque, ac suspiciosae imperii curae aliquando gignere potuissent* (2). Itemque pergens, *Ecclesia*, inquit, *in suo capite ab omnibus temporalibus potestatibus libera videt se in eo statu esse, in quo possit pro bono publico, ac sub communi christianorum regum patrocinio liberius caelestem hanc regendarum animarum potestatem exercere; eademque aequarum manu libram sustinens tot inter imperia sibi invicem saepe inimica unitatem in universo corpore tuetur, modo decretis flecti nesciis, modo rationibus prudenter accomodatis.*

Explicari nec luculentius poterat, nec gravius, haec qua Sedes apostolica tenetur necessitas tuendi, atque omni ope servandi suam hanc rationem, qua neutrarum est cum omnibus partium, suamque summi imperii sui libertatem juxta ordinem, quem cernimus esse divina providentia constitutum. Vim huic summo Sedis apostolicae imperio afferre temporalem ipsius potestatem a spirituali discerpere, pastoris et principis munia dissociare,

(1) Prov. VIII. 5.

(2) Ser. sur l'unité de l'eglise p. 489. ed. Leod. 1766.

Digitized by Google

divellere, excindere nihil aliud est, nisi opus Dei pessum dare, ac perdere velle, nihil nisi dare operam, ut religio maximum detrimentum capiat, nihil, nisi eam efficacissimo spoliare praesidio, ne summus ipsius rector, pastor, Deique vicarius, in catholicos quoquo terrarum sparsos atque inde auxilium, et opem flagitantes, conferre subsidia possit, quae a spirituali ipsius, per neminem impedienda, petuntur potestate.

Hisce de causis, sine dubio summis, atque gravissimis necesse omnino fuit imperatoris et regis Napoleonis principiis, ac petitionibus obsistere. Sed immotum illum in iis, ac firmum, nulla precandi ratio, nulla hortandi constantia, nulla ad suadendum insinuatio, nulla ad ostendendam principiorum absurditatem ac falsitatem argumentatio, ita commovere, aut valere potuit, ut ab illis aliquando discederet.

Compertum est vobis, venerabiles fratres, quae, quantaque semper illius fuerit in suis petitionibus hoc toto triennio varietas, et inconstantia. Sed omnes ab uno semper, eodemque principio, ac fundamento conficti sui supremi, eminentisque in totam Italiam, in pontificias provincias, in ipsam urbem Romam imperii; omnesque etiam terrore, minis, vi, communiter proponebantur, et urgebantur. Eas minas exitum suum habuisse, occupatis primum Anconae, tum Centumcellis, deinde tota utriusque maris superi et inferi ora, denique tota Beneventi, ac Pontis Curvi regione, pro qua promissa quidem, sed nunquam praestita est compensatio; universa Europa vidit, mirata est, obstupuit. Gallorum exercitui per nostras provincias transeunti, et bellum Neapolim inferenti omnem praebere commeatum Nostris sumptibus coacti fuimus. Aerarium Nostrum immanibus impensis ad alendas, et omni alia re cumulandas imperatoris copias tribus ab hinc annis in provinciis Nostris positas, et immorantes, aliasque quotidie per ipsas provincias transeuntes, oneratum, exhaustum, expilatum est. Jus summi imperii Nostri violatum est, proculcata reliqua omnia supremi principatus jura, expilati subditi, contempta ratio, despecta justitia. Sperabatur fore, ut his tot tantisque calamitatibus affecti, vexati, excruciati, aliquando tandem imperatoris petitionibus assentiremur! Quod si Nostra constantia illud efficere visa est, ut una et item altera earum petitionum incertum maneat, num post hac ab imperatore urgenda esset; tamen certum plane est, nunquam ab iis principiis, sententiisque discessum esse, quae sunt omnium illarum petitionum fundamenta. Ex quo factum est, ut nullo unquam tempore, petitiones ipsas videre potuerimus in eum locum adductas, ita ut iis, prout proponebantur assentiri possemus. Illud enim erat per facile cognitum, si petitionibus assensi essemus, judicatum iri Nos assensos etiam esse principiis, e quibus necessaria consecutione ducuntur. Ita Noster cuidam petitionum parti assensus omnino coegisset, ut omnibus assentiremur; quippe quae ab iisdem peterentur principiis, eidemque fundamento inniterentur. Ipsa illa imperatoris inconstantia modo hanc, modo illam rem flagitantis (quae quidem inconstantia toto hoc tam diuturno tempore, quo de his rebus hic illic est actum, plane a Nobis perspecta est) perspicue declarabat fore, ut postquam alicui petitionum parti annuissemus, aliae atque aliae proponerentur, sibique succederent. Nunquam enim Nobis est dictum, nunquam annunciatum, numquam pactione aliqua constitutum et confirmatum, hoc aut illud imperatorem cupere, praeterea nihil. Neque vero id Nobis aut dici, aut annunciari, aut aliqua ratione constitui, confirmarive poterat. Nam quos secum foederatos, esse volebat eo foedere quo in servitutem ipsius redigeremur, iis nec libertatem respuendi petitiones, nec viam excutiendae servitutis relinquere poterat.

Horrescit animus, venerabiles fratres, ac luctu et moerore conficitur, quoties recordatur, Nos in eam foederis societatem ab imperatore fuisse vocatos, qua judicare hostes Nostros hostes ipsius, ac bellum indicere omnibus, quibus et ille et illius successores indixerint, aut indicturi sint debeamus! Hoc quid aliud est nisi armare velle patrem in filios, filios in patrem; et Ecclesiam Dei, sanctissimum illud charitatis, pacis, mansuetudinis, virtutum omnium domicilium infinitis miscere quaestionibus (1)? Quid nisi velle, ut summus Ecclesiae pontifex jam non a Deo vocatus sit tanquam Aaron, sed alter Ismael sit,

(1) Eccle. VII. 30.

ferus homo: manus ejus contra omnes, et manus omnium contra eum; et e regione universorum fratrum suorum figat tabernacula (1)? Ita ne coletur in Ecclesia Dei pax illa, quam Jesus Christus Dei *filius* qui *datus est Nobis et factus est principatus super humerum ejus, et vocatum est nomen ejus, admirabilis, consiliarius, Deus, fortis pater futuri* in quo sumus saeculi *princeps pacis* (2) sese apostolis suis, Nobisque illorum successoribus monuit reliquisse? *pacem*, inquit, *relinquo vobis: pacem meam do vobis; non quomodo mundus dat, ego do vobis* (3). Hanc pacem quaerat imperator, quae pax sapientum est, quae *melior est, quam arma bellica* (4). Sapientum, quorum multitudo sanitas est orbis terrarum; sapientia qua rex sapiens stabilimentum est populi sui (5). Quam si quaerere ipse nolit, saltem relinquat Nobis haereditatem Nostram pacem, quam Jesus imperator Noster, et rex regum, et Dominus dominantium dedit; et non *quomodo mundus dat* dedit. *Quomodo mundus dat?* nimirum si cum Gallorum imperatore foedere conjuncti perpetuum omnibus gentibus bellum inferamus, perpetuum omnium gentium bellum in Nos ipsos concitemus, et voce ipsa Nostra incendamus, atque conflemus! Haeccine pax est? tum ne cruentis perpetuo bello manibus et jam plus milites, quam sacerdotes ad aras Dei accedemus, et preces, et oblationes, et illam ipsam sacrosanctam pacis victimam offeremus, pacem a Deo flagitaturi, quam Nos ipsi perenni foedere ruperimus, perpetuoque a Nobis jusserimus exulare? Quonam ore, quo vultu, quo animo verba haec in sacris templis quotidie fere coram Deo proferre poterimus, *dissipa gentes, quae bella volunt* (6)? Deum ne exoraturi, ut ante omnes dissipet Nos ipsos ab eo transfugas, perpetuoque conjunctos cum imperatore bellorum foedere, et societate?

Nimis multa de hac re, venerabiles fratres, dicenda essent, aut potius comploranda, sed quae jamdudum et videtis, et comploratis. Sed Nostro vestroque dolori parcemus. Itaque ne quid intentatum relinqueremus eorum quae spem aliquam facerent arcendi ab Ecclesia Dei tantam hanc, et tam lamentabilem calamitatem, finiendique dissidia et utrique tam religiosae, quam politicae reipublicae nostrae consulendi, atque ut imperator multo etiam magis intelligeret, quantopere cordi Nobis esset justam et sanctam in omnibus cum illo inire concordiam, extraordinarium legatum Parisios Roma mittere decrevimus, qui coram et ore tenus imperatori ea nunciaret, quae ex ore ipso Nostro audivisset; eique persuaderet, Nos non hominum Gallis infensorum consiliis, neque ullis politicis rationibus impulsos, sed unis et inviolabilibus apostolici muneris Nostri omnino debitis et necessariis officiis, oneribusque fuisse praepeditos, ne principia illius, et nova ab ipso proposita jura probare, omnibusque ejusdem votis tam late, quam expetebantur assentiri possemus. Legatum hisce de rebus elegimus et misimus dilectum filium cardinalem de Bayane, quem unum sese accepturum imperator certiores fieri Nos jusserat.

Magna sane spes Nobis erat, hanc ipsam promptissimam voluntatem, qua eum virum misimus, quem ille maxime postulasset, et quem propter egregia merita plurimi faceremus, non parum momenti ad res conciliandas, et tandem componendas habituram esse, quae summa omnium desideriorum, consiliorum, sollicitudinum Nostrarum erat, quibus permoti fuimus, ut omnem illam legato extraordinario potestatem, quam munera et officia Nostra sinerent, permitteremus. Sed curae sollicitudinesque illius optatum tamdiu exitum habere non potuerunt.

Jam se se in viam cardinalis legatus dederat, jam Augustam Taurinorum pervenerat, quum a principe pro-rege Italiae retrogredi, ac Mediolanum redire jussus est. Ibi literas accepit a ministro exterarum relationum, pridie kalendas octobris cardinali legato, qui Parisis erat, dederat. Luctuosissimum hoc scriptum, venerabiles fratres, oculis vestris subjectum fuit; itemque aliud ab oratore imperatoris apud Nos ad Nostrum secretarium status datum; nec quid utrumque contineat, commemorare apud vos necesse est. Sed Nos iis, quas initio ingressi eramus, insistente viis, semperque ducti spe, fore ut Noster extraordinarius legatus, qui esset Parisiis acceptissi-

(1) Gen. xvi. 12.
(2) Is. ix. 6.
(3) Jo. xvi. 27.
(4) Eccl. ix. 18.
(5) Sap. vi. 26.
(6) Psal. lxvii. 31.

mus, flectere animus imperatoris posset, atque illum ad aequiores, ac temperatiores petitiones adducere, cardinalem Romam repetere noluimus; imo illi potestatem tribuimus ampliorem, quae tamen et officio, et dignitati, et constantiae Nostrae, et religionis, reique publicae utilitati conveniret, ut institutum Parisios iter facere pergeret. Sed quum ille adhuc in itinere esset, facile intelligi potuit ex iis quae acciderunt, qualis futurus esset exitus rerum, de quibus agendum ab ipso erat, et quarum causa profectus fuerat. Nam interea temporis Anconam Parisiis militum dux Lemarois missus fuit, qui brevi postea palam edixit, se se provinciarum Anconae, Urbini, Maceratae, Firmi, Camerini generalem esse gubernatorem; gubernatoris potestatem, et jura sibi asseruit, iisque usus est: imperiale stemma in Anconae porta collocari cum inscriptione *Porte de France* jussit; magistratibus eorum oppidorum, et locorum mandata dedit; eo denique progressus est, ipsum totius provinciae Maceratensis a Nobis constitutum praesidem, et ea auctoritate, Nostroque nomine regentem praesulem Rivarolam caperet, ubi etiamnum est, detineret. Ita imperatoris minae suum consequutae sunt exitum antequam ab extraordinario legato quidquam de conciliandis rebus dici, agive potuerit, bona fide frustra postulante, ne quid innovetur, dum de conciliandis rebus hinc inde agitur. Nihilominus legatus agere cum exterarum relationum ministro instituit, a quo specimen habuit tractatus nonnullos articulos continentis; sed ea lege, atque cautione ne inesse censerentur omnes petitiones, quae fieri fortasse possent; augeri enim earum numerum posse. Non defuit officio suo legatus, Nobisque specimen statim perferendum curavit. Respuere coacti fuimus, etsi tristes nunciati essent exitus, qui consequuturi erant, si respuissemus. Legato autem scripsimus, ut, quando muneris, atque officii Nostri lege tractatum probare vetabamur, ubi ipse intelligeret, imperatorem, in iisdem persistere petitionibus, quandoquidem nihil utilitatis a diuturniore ipsius Parisiis mora tunc profecturum esset, Romam reverteretur eo magis, quod ordinarius legatus Noster illic erat.

Notum vobis est, venerabiles fratres, ab imperatore post haec jussum fuisse adesse coram legatum Nostrum cardinalem Caprara, illique nunciatum, quod paulò ante relationum exterarum minister item nunciaverat, ubi Nos ratos non habuissemus intra quinque dies articulos sex, qui exhibiti eidem fuerunt, imperatorem Nobis provincias ad oram Adriatici maris, a suis jam occupatam militibus omnino erepturum, reliquam ditionem Nostram occupaturum; quorum gratia imperasse, jam ut milites proficiscerentur: ad haec adjecisse; praeterea sese, nisi morem ei gessissemus, jam in mandatis oratori suo dedisse, ut Roma cum universa ipsius legatione discederet.

Exhibitas illis sex articulis petitiones vobiscum una perpendimus, propositaque ante oculos discriminis, atque periculi magnitudine, quo compulsi et adducti eramus, simulque judicantes a Nobis faciendum esse quid quid fieri omnino posset, ut gravissimo periculo liberaremur, nunciare decrevimus iis, quae muneris Nostri officio, Nostraeque conscientiae dictatis, et legibus non adversarentur, assensum Nostrum praebituros, quae vero adversarentur, fieri a Nobis nullo modo posse. Ad diem dictam Nostrum hoc responsum imperatoris oratori datum fuit; sed quo ipso tempore responsum Lutetiam Parisiorum afferebatur, quo ipso tempore legatus Noster ibi suo legati fungebatur munere, quo ipso tempore imperatoris orator par apud Nos legati munus obire pergebat, urbem occupatam et captam, Nosque ipsos Gallis militibus circumdatos, clausos, obsessos, obstupescentibus omnibus, conspicere debuimus.

Verum quidem est, quum ab imperatore probare jubemur, intra quinque dies postremas illas petitiones suas, id Nobis significatum, indictumque fuisse his verbis, aut omnia, aut nihil. Quae quidem denunciatio, et si cohibere Nos poterat, ab iis manifestandis, quae a Nobis ex parte probarentur, tamen ingenuitatis, sinceritatis, candorisque Nostri esse duximus declarare, quid facere possemus, quid non possemus.

Illud etiam sperabamus esse futurum, ut imperator cognito rationum pondere, cognitisque novis concessionibus, quae usque ad ultimos ipsos fines potestatis Nostrae porrigebantur, iis vellet esse contentus; caetera desereret. Sed hae Nos spes tunc quoque fefellerunt!

Constrictis sacri ministerii Nostri vinculis sex articulis propositis, tres ut respueremus,

necesse omnino fuit, etsine universe quidem, neque ex omni parte respuimus. Indictum Nobis fuit, *quod attinet ad Anglos res ita componendas esse, ut pluribus ministrorum scriptis postulatum fuerat*.

In quo considerando illud animadvertimus, nempe pro eo, in quo nunc res sunt loco, si Anglos portubus Nostris prohibuissemus hoc ipso satisfactum iri proposito imperatoris, prohibendo portubus Anglos, bellum iis a Nobis neque indici, neque ullo modo inferri; sed eos dumtaxat orbatum iri commercii Nostri utilitatibus, et commodis; quas jacturas ab una hac causa profectas, ut subditos Nostros, ac Nosmetipsos denunciatis, et jam impendentibus extremis malis liberaremur, aequo animo laturos esse Anglos spes esse debebat, quibus hae commercii cum subditis Nostris jacturae, nec tanti erant, nec cum ultimo suarum rerum discrimine conjunctae. Itaque, quod attinet ad primum articulum respondimus, paratos esse Nos, hoc bello durante, Anglos portubus Nostris prohibere, ut jam a cardinale de Bayane nunciari imperatoris ministris jusseramus: ulterius progredi, Nobis nec per apostolici muneris debita officia, nec per conscientiae Nostrae dictata ullo modo licere. Ea sane denunciatio, quod attinet ad Anglos, res ita esse componendas, ut pluribus ministrorum scriptis postulatum fuerat, nimis lata, nimis ampla, nimis generalis erat, Nosque probare, amplectique illa principia, et sententias coegisset, quibus imperator struere nitebatur jus supremi sui in ditiones Nostras imperii, eademque Nos de Nostro neutrarum partium statu dejiciebat, libertatem Nostram evertebat, Nosque ad illam foederis societatem adjungebat, ad quam adjungi non posse, gravissimis illis, planeque invictis rationibus; quas paullo ante commemoravimus, demonstratum est. Permagno interesse imperatoris non poterat, ut Anglos portubus prohiberemus; erant enim in Nostris portubus illius praesidia, eademque per magnis Nostris sumptibus alere cogebamur. Nimirum multo plura, multo graviora, multo majora volebat: volebat ut Anglis bellum indiceremus, volebat ut bellum cum illis gereremus, volebat ut hostes Nostros judicaremus, qui sunt hostes ipsius; et haec omnia pro suo supremi in Italiam imperii jure volebat. Vitam ducunt tranquillam, pacificam, securam in magnae Britanniae regnis decies, vicies, tricies, eoque pluries multa centena catholicorum millia, iidemque regiminis gratia libertate fruuntur. Complura item millium centena sunt, et in Canadensis provincia, et in aliis Anglorum in utraque India provinciis, et omnibus illis in locis catholicam religionem libere colunt, et nemine contendente, aut probibente, Nobiscum, utpote supremo Ecclesiae catholicae capite, consociantur, et libera ex omni parte, neminique obnoxia, quandocumque, aut Nobis, aut illis opus est religiosarum, et ecclesiasticarum rerum omnium communione, et communicatione fruuntur. Nos si Britannicum regimen, iratum quod nec lacessiti, nec provocati bellum illi injuste indixissemus, affligere, atque infectari caepisset, aut omni Nobiscum communicatio interdixisset, quas labes, quos animi cruciatus conscientia Nostra Nobis non objecisset, qui tot homines Nobiscum in corde puro, et fide non ficta conjunctos in ultimum discrimen adduxissemus tum fortunarum suarum tum ipsius sanctissimae religionis? Et quum Dominus Noster Jesus Christus, cujus vices, et personam gerimus, apostolis suis, quorum principi Nos succedimus, praecesserit, *Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae* (1); ipsum autem apostolorum principem ter interrogaverit, *Simon Joannis, diligis me plus his?* et ille sese diligere ter responderit; ter denique Dominus illi jusserit, *Pasce agnos meos, pasce oves meas* (2); quonam modo Nos et muneri praedicandi evangelium omni creaturae, et diligendi Dominum plus venerabilibus fratribus Nostris praecepto, et pascendi agnos, et oves officio, et debito tam severe, et amanter Nobis commendato satisfecisse, tum a Nobis ipsis, tum ab omnibus omnino hominibus judicaremur, si inito perpetuo belli foedere, belloque statim indicto, tot illos agnos Nostros carissimos, tot oves Nostras venerabiles et dilectissimas, Nostrique amantissimas, adeo ingenti damno, ut supra innuimus, afficeremus? Quemquamne esse posse, qui non intelligat quantum ista pugnent, nec videat Nos, iisdem et erepturos pabulum doctrinae caelestis, quam ab episcopis arripiunt per Nos con-

(1) Marc. XVI. 15.

(2) Jo. XXI. 15. 16. 17.

stitutis, et sublaturos totam illam quam inter Nos, et illos habemus communicationis facultatem, ac libertatem; eaque ratione a capite innumerabilia membra, a grege, et centro unitatis gregis tot pastores discerpturos, et disgregaturos?

Illud praeterea Nos fugere non potuit, ipsa hujus petitionis amplitudine cum modis comparata, quibus in pluribus ministrorum scriptis postulatum fuerat, illam foederis societatem non in solos Anglos, solosve infideles, ut ferebatur fuisse ineundam; verum etiam in ipsos catholicos principes porrigendam, et protendendam. Et pluries, et saepe nunciatum Nobis fuerat, oportere, ut Gallorum hostes Nostri hostes essent, idque non tam propter quoddam foedus, quod sponte, communique voluntate initum fuisset, quam quia supremo illi dominio subjecti essemus, quod Gallorum imperator in Ecclesiae ditiones haberet. Haec severis, minacibusque verbis repetita Nobis fuerunt postremo et recentissimo ministri relationum exterarum scripto XI. kalendas octobris dato. Quid inde consequatur necesse est? Nimirum quum nihil fieri facilius possit, quam ut princeps aliquis catholicus Gallorum hostis evadat, alius vero princeps heterodoxus Gallorum amicus, summus catholicae Ecclesiae pontifex, initi foederis vi, lege, necessitate, oportebit, ut catholicorum, et heterodoxorum aut hostis, aut amicus sit, imperatoris nutu, arbitrio, voluntate.

Atque id esse re ipsa quod imperator a Nobis sibi concedi vellet, alia ipsius luculente petitio demonstrat; qua postulatum est, ut consul Ferdinandi regis IV; et ceteri quique in dignitate constituti viri eidem regi obnoxii, urbe Roma, ejiciantur, et arceantur. Cui petioni libere a Nobis, ingenueque responsum est: Bellum Nobis cum eo rege non esse; illum integro etiamnum potiri Siciliae regno; denique principem esse catholicum: quamobrem nec debere, nec posse, neque ullo modo licere, pellendo urbe Roma consulem, virosque in dignitate constitutos illi obnoxios hostiliter in ipsum agere. Quae quidem petitio quum oriri non possit nisi a proposita Nobis foederis societate, atque ab illis ipsis principiis, quae commemoravimus; illud necessario efficitur, et per manifestum est, nec societatem foederis, nec principia ipsa illis coerceri limitibus, quibus in unos Anglos, et infideles hostili esse animo cogeremur, verum eo usque protendi, ut eodem animo in principes quoque catholicos esse deberemus. Exterarum relationum minister Champagny legato Nostro extraordinario professus erat, ab imperatoris majestate catholicos principes in hac sua petitione nolle concludi: sed ejusdem ministri recusatio, qua fidem ejus rei scripto dare nullo modo voluit, quam ut daret a legato flagitabatur, et articulus ipse plane contrarium evincunt; atque ab universa totius rei consideratione, a principiis et sententiis, quibus innixa est, planissime constat, eam omnino esse voluntatem, ut haec sancta Sedes bellum omni tempore cum Gallorum hostibus, quicumque sint gerat. Hisce de causis gravissimis certe, atque justissimis, illisque praeterea, quae declaratae antea sunt, ne huic quidem petitioni assentiri potuimus.

Quod si Nostrae Nos obligationes, Nostraque debita et officia curandi, ne summi Nostri imperii libertas aliquid detrimenti caperet efficere debuerunt, ut principia, petitionesque respueremus, quibus everteretur, ac perderetur; majora etiam atque graviora fuerant ea, quibus effectum est ne imperatori petenti, ut sibi jus sit tot designandi cardinales Gallos, quot tertiam conflent sacri collegii partem, potuerimus assentiri. Quis eam probare petitionem potuisset, quae libertatem Ecclesiae funditus everteret, radicitusque tolleret, ejusdemque cum constitutione directis frontibus pugnaret, eique adversaretur? Quotus-quisque nescit praecipuam et praestantissimam Romani cleri partem cardinales esse illorum munus, pontifici adesse consiliis suis, juvare opera praesto esse sollicitudine, cura, labore? At cujus est, et esse debet delectus virorum, qui pares sint huic dignitati, iidemque tot, tantisque sustinendis oneribus idonei, nisi ejus, qui eorum consiliis uti, opera juvari, labore, cura, sollicitudine roborari, et communiri velit ipsius supremi Ecclesiae hierarchiae? Habent principes seculares consiliarios suos et consiliorum, et laborum, et sollicitudinum adjutores. Unquamne auditum est, ereptam alicui principi ab alio principe fuisse libertatem, ac potestatem eligendi sibi consiliarios et quos vellet, et quot vellet? Unquamne qui alicui principi aut praefinire consiliariorum suorum numerum voluerit, aut ejus praefiniendi jus sibi esse dixerit, aut vo-

fuerit, aut ullo umquam tempore cogitaverit? Sacra est haec cujusque principis, atque reipublicae, et omnium gentium, et temporum consensione, et sententia confirmata libertas; quae, si omnibus imperatoribus, regibus, principibus sine ulla dubitatione, aut controversia conceditur, cur uni communi regnorum omnium matri Ecclesiae Romanae (1) eripienda erit? Et quum unicuique et in republica, et in privata sua liceat habere consiliorum auctores quos velit; unus erit pontifex Romanus, qui in re publica longe omnium maxima, et maximarum sollicitudinum plenissima, consiliarios suos ab aliis expectare debeat, nec sibi quos, et quot velit, possit adsciscere?

Sed cardinales non modo praecipua sunt et praestantissima Romani cleri pars, non modo sunt pontifici a consiliis, verum ipsius etiam sunt pontificis electores. Eligendi pontificis jus inde a primo Ecclesiae saeculo proprium cleri Romani fuit, quod postea uni sacro collegio tributum, seu relictum potius probatum, ac confirmatum fuit, et in concilio generali Lateranensi sub Alexandro III. et in Lugdunensi sub Gregorio X. et in Constantiensi, et denique in Tridentino. Tum his conciliis, tum quamplurimis pontificum constitutionibus, quod maxime, quod studiosissime, quod flagrantissime omnium est commendatum, illud est, ut quam liberrima sit summi pontificis electio. Sed quae potest esse eligendi libertas, ubi a saeculari principe tam ingens electorum numerus designatus fuerit? Quocumque se laici modo ecclesiasticis immisceant electionibus, quocumque partium studio, cura patrocinio dent operam, ut earum libertas violata sit, electio nulla et irrita est. Haec constans, et perpetua est sacrorum Ecclesiae canonum doctrina, et disciplina. Tam vero satis facile cognita est, quae, quantaque oritura essent partium studia, quantoque patrocinii pondere undique communirentur, uti tot essent ab uno, eoque potentissimo principe designati summi pontificis electores. Quid? Nonne caeteri etiam principes jus sibi dandum esse contenderent designandi hunc eumve cardinalium numerum pro modo imperii sui? Quod si fieret (nec fieri certe non posset) quis non videt pontificatum Romanum, supremam Ecclesiae catholicae dignitatem, ac potestatem, et Domini Nostri Jesu Christi in terris vicariatum, brevi in jure, ac potestate principum terrae fore, ac eorumdem juspatronatum? Quae res quantum abhorreat a divina illius institutione, non est apud vos venerabiles fratres commemorandum. Nam et hoc maxime intelligitis, et praeterea videtis quae turbae, quae scandala, quae schismata in Ecclesiam Dei essent expectanda, quarum quidem rerum adeo dolenda exempla ecclesiastica historia suppeditat.

Neque vero minus ab omni Ecclesiae regula abhorret illa nunquam hactenus audita tertiae sacri collegii partis praefinitio, quae Nobis indicebatur; cujus universa ratio a numero catholicorum petitur, qui Gallorum imperio, adjectisque illi provinciis immorantur. Nam haec praefinitio et evertit funditus ipsam ecclesiastici regiminis naturam, quod plane liberum est, obnoxiumque nemini, et prodit quam falso de natura ipsius regiminis existimatum sit, quod quum certis, minimeque dubiis legibus, a divino illius conditore fuerit constitutum, tamen ea praefinitione leges ei tribuuntur illius systematis repraesentativi quod superioribus annis magno a rerum novarum cupidis exceptum plausu, terrarum orbem aerumnis, caede, luctuque cumulavit.

Fundamentum, et basis regiminis Ecclesiae nequaquam est systema illud repraesentativum; sed integra illa est, et numeris omnibus absoluta Jesu Christi vicarii potestas: et quum sacrum collegium sit coetus, et consociatio virorum, qui eidem Jesu Christi vicario sunt a consiliis adtributam ipsi divinitus potestatem in Ecclesiae aedificationem, et utilitates dirigendam, et proferendam, omnino contrarium est sacri collegii officio, institutioni, naturae, si principes nimium in eo posse, summoque pontifici cum cardinalium numerum praefinere vellint, qui ipsis arriserit.

Mos etiam est, consuetudoque pontificum ex omnibus christianitatis nationibus, quantum commode fieri potest, et prout idoneos reperiunt, cardinales assumere (2). Qua quidem consuetudine laudanda, confirmanda, adjuvanda sacrosanta synodus Tridentina tot gravissimis Ecclesiae incommodis commota non potuit non commemorare, nihil magis

(1) Bossuet loc. cit.

(2) Concil. trid. sess. XXIV. cap. 1.

Ecclesiae Dei esse necessarium, quam ut Romanus pontifex, quam sollicitudinem universae Ecclesiae, ex muneris sui officio debet, eam hic potissimum impendat, ut lectissimos tantum sibi cardinales adsciscat (1). Sed quae causae pontifices moverunt eae non inde profectae sunt, quod quis hujus, illiusve nationis esset. Egregia praeclarorum virorum in Ecclesiam merita, eorumdemque pietas, doctrina, praecipueque cognitum militandi Deo studium (2) pontifices moverunt, ut cardinales ex omnibus christianitatis nationibus assumerent. Quae quidem assumendi potestas spiritualis tota est, totaque ab illa sollicitudine oritur quam pontifex ex muneris sui officio debet universae Ecclesiae. Ab ea potestate nequis umquam suspicaretur, quidquam aliquando detrahi posse, Ecclesia ipsa in Tridentino congregata concilio, quum intelligeret, quam necessarium esset, ut pontifex Romanus sollicitudinem suam, eo potissimum conferat, ut lectissimos tantum sibi cardinales adsciscat, eam necessitatem adeo modeste, adeo reverenter attigit, ut non propterea quidquam contra pontificis potestatem jusserit, sed se se non posse non commemorare dixerat. Hanc universae Ecclesiae modestiam et reverentiam, venerabiles fratres, cum hac, quam imperator Nobis imponere vellet lege comparate, qua spiritualem Nostram assumendi cardinales potestatem pro tertia parte sacri collegii Nobis eripere, sibi arrogare vellet, ac arrogare perpetui foederis lege, vi, necessitate, videbitisque, quod sine dubio Nobis etiam non monentibus pervidetis, Nos sine summa ab officio muneris Nostri praevaricatione assentiri imperatoris petitioni non posse.

Nec vero existimandum est, Nos Gallicano clero injuriam facere, respuendo imperatoris petitionem. Falso enim, atque immerito hanc in Nos conflari invidiam tentatum est. Nam ut omnibus constet, quanti clerum Gallicanum faciamus, quantaque Nostra erga illum sit benevolentia, quae tot aliis etiam modis ipsi a Nobis significata est, parati sumus doctum aliquem, piumque ex illo clero virum, eumque imperatoris majestati gratum, et acceptum, in vestrum, venerabiles fratres, collegium adsciscere; quod etiam imperatori nomine Nostro jam nunciatum fuit. Quae res imperatori satisfacere debuisset, praesertim hoc tempore, atque hoc statu, in quo vestrum est collegium, cui Galli cardinales sunt sex, Januenses bini, Alexandrinus unus.

Ad reliquas imperatoris petitiones respondimus, paratos esse facere quae postulantur, quatenus muneris Nostri officiis non prohibemur.

Sed haec data imperatoris responsa, et si eum haberent indulgentiae modum, quo major omnino esse non poterat, efficere non potuerunt, ut ab his, quae minatus fuerat abstineret. Dolere, angi, cruciari miserrime debuimus, quum intelligeremus, nihil apud eum momenta rationum, nihil rogantis humilitatem, nihil suadentis lenitatem, nihil hortantis auctoritatem quo toto genere hoc tam diuturno tempore usi accuratissime sumus, valuisse.

Doloribus, angustiis, cruciatibus Nostris relinquere aditum debuimus longe ampliorem, et miseriorem, quum videremus, ne in caeteris quidem ecclesiasticis rebus, de quibus tanto antea tempore actum erat, ac etiam agebatur, et quarum conciliatio, emendatioque (quod vos non latet, venerabiles fratres) ut magna sollicitudinum, et querelarum Nostrarum, ita etiam fuit extraordinarii legati mittendi causa; nihil quidquam profectum esse. Compertum est vobis quot, quantaque et scripto, et ore tenus conati sumus, ut leges, decreta, ordinationes abrogarentur, quibus utrumque tum Gallicum, tum Italicum concordatum plane eversum est.

Horum alterum videre debuimus organicis legibus vulneratum (de quibus testis est Nobis Deus quantopere laboraverimus, quo imperatori persuaderemus, ut earum alias abrogaret, alias temperaret) alterum violatum, et adulteratum principio quidem Meltii decreto, deinde ordinationibus, quae Meltii decretum sunt consequutae. Compertum est vobis et quoties, et quam graviter conquesti simus tum de legibus matrimoniorum atque divortii, tum de compluribus aliis, et ab evangelio abhorrentibus, et contra ecclesiasticas constitutiones, piaque instituta latis, incredibili, et religionis, et ecclesiasticae disciplinae, et auctoritatis hujus sanctae Sedis, ac episcoporum detrimento contemptu. Quod si Nostrae ac ministrorum Nostrorum tot, tantaeque sol-

(1) Ibid.

(2) 2. Tim. II. 4.

licitudines, curae, labores, si preces, si monita, si hortationes, si querelae, si tentatae omnes viae nihil omnino efficere potuerunt; nihil erit certe in ea re Nobis crimini tribuendum; adoranda potius erunt inscrutabilia Dei judicia, cui maestissimo acerbissimi pontificatus Nostri tempore minime visum fuerit dulcissima Nos consolatione recreare, qua pacem et securitatem Ecclesiae, reique Nostrae publicae aliquando restitutam fuisse videremus. Conscientia recte factorum erigimur, certaque fide, nihil a Nobis neglectum, nihil omissum, nihil non avide arreptum, quo ad optatum inter tot fluctus portum pervenire possemus; atque inter agendum defunctos esse omnibus apostolici ministerii Nostri officiis et partibus in spiritu mansuetudinis, et charitatis; qui maxima omnium a Deo, dominoque Nostro Jesu Christo commendatus est. Hoc ipso spiritu haec omnia, quae commemorare maestissime apud vos, venerabiles fratres, debuimus, quae contra religionem, contra sanctam Dei Ecclesiam, contra sanctam hanc Sedem, contra venerabiles fratres Nostros episcopos, contra principatus a Deo nobis dati jura sunt gesta reprobamus; et testes invocamus hodie coelum et terram (1), reprobata esse a Nobis, et reprobari; ne quis nunc, in posterumve fallatur, et, occasione hujus ipsius mansuetudinis, et lenitatis spiritus, quo ducti hactenus, Deo largiente, sumus, putet eorum quidquam a nobis fuisse comprobatum.

Ac ea quidem, quae hucusque, venerabiles fratres, commemorata sunt, eam habent acerbitatem, ut addi quidquam posse vix videretur. Sed tamen in dies auctam vim, cumulatos ausibus ausus, proculcata sanctissima quaevis jura, conculcatam Nostram tum dignitatem, tum auctoritatem, et vidistis et ingemuistis. Occupatos a Gallis militibus veredos, ereptumque in eos summum jus principis Nostrum. Occupata diribitoria literarum, et metu, an pudore, ne literis per Italiam, ac reliquam Europam perferantur, quae Romae vi contra jus, fasque geruntur, constitutos, qui literas resignent, et perscrutentur; fide publica, et gentium jure nequidquam conquerentibus, et vetantibus. Nostros omnes milites astu primum frustra sollicitatos, deinde multitudine irretitos, ac captos, imperatoris copiis per vim adjectos, ejusdemque ducibus obxoxios. Nostrorum militum supremum ducem, honestissimum, et fidissimum virum, quia fidem Nobis sacramento datam praestare splendidissime voluit, in vincula conjectum dein Roma pulsum; eodemque modo habitos, et pulsos caeteros militaris ordinis viros, qui parem praestare fidem voluerunt. Typographis vigiles, et custodes impositos milites Gallos, ne quid Nobis typis edere ullo modo liceret, ne subditos, ne Ecclesiam alloqui ac faciliori ratione possemus: Ut qui liber typorum usus religionem irridere, aut oppugnare valenti negatur nemini, is Nobis unis, qui religionem tueri, et fovere debemus, ereptus sit. Hanc ipsam allocutionem Nostram, ut vulgare possemus opportuit scribentum opera, non typographorum uti: ac ne suspecte apud quemquam fidei esset, subscriptione ipsa Nostra, et Nostro sigillo fidem facere ipsius exemplaribus necesse fuit! Deficeret dies, si singula commemorare vellemus, quibus jus, fasque omne in Nos violatum est! Sed quae animum Nostrum, vestroque, venerabiles fratres, crudelissime vulnerarunt, et dilacerarunt, silentio praeterire quis possit? Eo usque ventum est, ut horribili sacrilegio, in oculis ipsis Nostris, inspectante, et complorante urbe, in venerabiles fratres Nostros, collegas vestros, Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales Neapolitanos manus injectae sint. Similique modo etiam in praelatos hujus Sanctae Ecclesiae in regno Neapolitano ortos insurrectum est, et plerique eorum armata manu Neapolim versus deducti sunt.

De reliquo, venerabiles fratres, paratos esse oportet. Nam quem Deus misericors Noster rebus sit daturus finem, videre non possumus, gravioribus in dies aerumnis affligi videmus. Literis extraordinarii legati Nostri pridem acceptis XIV. kalendis martii datis, nunciatum est sibi ab exterarum relationum ministro imperatoris nomine significatum esse, Nobis, nisi statim societatem Italici foederis inierimus, illico perpetuoque temporale dominium eremptum iri, mandatumque ipsi fuisse, ut per cursorem extraordinarium hac de re certiores Nos faceret. Eodem tempore imperatoris orator urbe discessit: quamquam hic quidem absentiae temporariae specie, relicto

(1) Deuter. IV. 26.

a secretis viro, ea fortasse de causa ut quid decreturi simus expectet.

Quae Nos omnino impediant, quominus eam foederis societatem inire possimus, jam ante, venerabiles fratres, vobis explicata sunt: itaque reliquum erat, ut, rebus hoc modo se habentibus, cogitandum esset, quid de legatis Nostris, qui Parisiis sunt, capiendum consilii esset. Nam si lenitatis hic spiritus, qui ducti constanter sumus, cohibere Nos potuit, ne illos in urbem redire juberemus postridie illius diei, quo urbs occupata fuit, propter spem, quam animo conceperamus, fore ut responsum imperatori datum v. kalendas februarii eidem gratum esset: si is ipse lenitatis spiritus cohibere praeterea Nos potuit, ne alia faceremus, quae convenire iis quae patimur, possent, ferre tamen nec possumus, nec debemus, ut quo tempore Nos Romae contra jus fasque omne gravissima servitute opprimimur, captivique sumus, eo legati Nostri Parisiis sint, et praesentiaque mora ibidem sua illam injiciant omnibus gentibus opinionem, qua quidquid tum Romae tum in reliqua ditione Nostra contra Nos geritur, illud ipsum Nobis, si non probantibus, at certe non admodum moerentibus fieri existimetur. Quamobrem mandare legatis coacti fuimus, ut imperatori significent, ipsos si quidem ille in sententia permanserit, jussos a Nobis esse Parisiis discedere, ac in urbem redire; fortuna, et sorte Nobiscum, et cum reliquis ipsorum fratribus usuros quae a Deo patrata fuerit.

Hanc sortem, venerabiles fratres et expectamus et quaecumque futura sit, promptissimo animo, propter amorem ejus, qui pro Nobis mori dignatus est ferre parati sumus. Atque interea temporis, quum officiis muneris Nostri deesse nulla in re velimus, cujus intelligimus severissimam esse partem sarta tecta tueri, atque ad successores Nostros transmittere saltem jura hujus apostolicae Sedis; coram vobis repetimus protestationes, atque declarationes, quas dum Gallicae copiae urbem invadebant, typis edi ac promulgari nomine Nostro per Nostrum ministrum jussimus, et quibus patefecimus, iterumque nunc patefacimus, et declaramus esse mentem, propositum, voluntatem Nostram omnia hujus sanctae Sedis dominia, eorumdemque jura integra, et inviolata ad successores nostros transmittere; ac quamcumque eorum occupationem, sive jam factam, sive adhuc faciendam, injustam, violentam, nullam, irritam esse declaramus; eademque dominia Nobis, Nostrisque successoribus debere restitui. Quod item dilectissimum populum Nostrum hortati tunc sumus ad omnia tolleranda, praecepimusque, ut non modo ab omni etiam levissima injuria in Gallos homines abstinerent, sed etiam unumquemque illorum justo, debitoque honore pro cujusque statu, ac dignitate prosequerentur; id ut constanter, diligenterque fiat, maxime optamus et volumus. Sola enim, quae in his maximis angustiis Nostris superest recreatio, haec est meminisse quot, quantaque erga Nos amoris, observantiae, pietatis argumenta, quum in Galliis essemus, a dilectis filiis Nostris Gallis hominibus habuerimus; quibus gratum animum Nostrum ostendere, saltem hac ratione vehementissime cupimus.

Ipsum vero imperatorem, ac regem Napoleonem *per viscera misericordiae Dei Nostri in quibus visitavit Nos oriens ex alto*: etiam atque etiam hortamur, precamur, obsecramus, ut de via deflectat, quam ingressus est, induatque denuo animum, quem regni sui initio patefecerat. Meminerit Deum regem esse ipso multo majorem. Non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam, horrende, et cito apparebit; quoniam judicium durissimum his, qui praesunt fiet (1). Nos quidem magna nunc vexari persecutione intelligimus; sed Deo donante parati sumus ad hanc, ac quamcumque aliam persecutionem pro justitia substinendam, illis divini praeceptoris verbis erecti: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (2).

Interea vero Nostra pro parte nunquam intermittemus una vobiscum venerabiles fratres precibus, gemitusque continuis precari, et petere, ut Deus, et Dominus, in cujus manibus corda sunt regum, imperatoris cor ad alia vertere consilia dignetur, jamque desinat a Nobis velle, quae muneris Nostri officia prohibent ne concedamus; licet alias paratissimi simus ipsius causa omnia facere, quae per Nos fieri possunt. Denique coram Deo prostrati, et suspicientes in excelsum clamamus, *Domine vim patior, responde pro me* (3) ac cau-

(1) Sap. vi. 6. seg. (2) Matth. v. 10. (3) Is. xxxviii. 14

sam Nostram in manibus ipsius ponimus, sanctaque armati fiducia, omnipotentis, et aeterni decreta expectamus.

Pius PP. VII.

[Dat. die 25. martii 1808. Anno IX.]

DXL.

Unio capitulorum ecclesiarum collegiatarum sancti Erasmi et sancti Nicolai, terrae de Bassiano dioecesis Terracinensis, et confirmatio conventionis occasione hujus unionis inter eosdem canonicos initae.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

[Expositio precum.] §. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt moderni individui ecclesiarum capitulorum collegiatarum sancti Erasmi et Nicolai, terrae de Bassiano Terracinensis dioecesis, quod ipsi ad tollendas inter capitula hujusmodi subortas discordias, juxta provida venerabilis fratris Francisci Antonii consilia, atque etiam communia illius terrae vota sese invicem in unum conjungere constituerunt cum sequentibus legibus, et conditionibus, videlicet.

[Tenor conventionum. Et primo de officiis explendis in collegiata s. Erasmi.] I. §. 2. L'arciprete, e canonici di s. Erasmo, ed i canonici di san Nicola siano tenuti tutti ad officiare nella collegiata insigne di sant'Erasmo in tutte le feste di precetto, e nelle altre feste ultimamente dispensate dalla santa memoria papa Pio sesto, oltre le officiature solite che vi erano nell'una e nell'altra chiesa.

[De distributione capitulorum in choro.] II. §. 3. Nella parte destra del coro vi sia il capitolo di sant'Erasmo, e nella parte sinistra il capitolo di san Nicola, e questo si osservi anche nelle processioni secondo il praticato per l'addietro.

[De officio hebdomadarii.] III. §. 4. L'officio di eddomadario lo faccia prima l'arciprete, poi il canonico decano di sant'Erasmo, in terzo luogo il canonico decano di san Nicola, e poi alternativamente si prosiegua fra i canonici di sant'Erasmo, e san Nicola finchè sia fornito il turno, il quale deve farsi sempre nella stessa maniera.

[De muneribus minoribus in missis solemnibus.] IV. §. 5. Nelle messe solenni debba fare l'officio di diacono l'ultimo canonico di sant'Erasmo, e di suddiacono l'ultimo canonico di san Nicola, e lo stesso si osservi in tutte le altre funzioni sacre.

[De assistentia episcopo celebranti praebenda.] V. §. 6. Nell'occasione che monsignore vescovo celebrerà pontificalmente, o assisterà, due de' più anziani del capitolo di sant'Erasmo facciano l'officio di prete assistente, e di decano, ed il più anziano del capitolo di san Nicola faccia l'officio di suddiacono.

[De ordine in processionibus servando.] VI. §. 7. In tutte le feste, e processioni più solenni, ed altre funzioni che competono al primo del capitolo in mancanza dell'arciprete, subentri il canonico decano di sant'Erasmo, e mancando l'uno e l'altro, tali funzioni sacre debbano farsi dall'eddomadario se sarà di sant'Erasmo, o di altro canonico di detto capitolo.

[De missis in qualibet ecclesia diebus festis celebrandis.] VII. §. 8. Nelli giorni festivi due canonici di san Nicola sieno tenuti di celebrare la santa messa in detta chiesa dove ancora sia tenuto uno di essi di amministrare il sacramento della penitenza ai fedeli, e però se non potrà questi intervenire all'officiatura della mattina, non sarà puntato, restando fermo a tutti i canonici di san Nicola l'obbligo di soddisfare le messe, che cadranno nei giorni festivi per adempire ai legati.

[De expositione ss. Sacramenti Eucharistiae] VIII. §. 9. Nella esposizione delle santissime quarant'ore nella chiesa di san Nicola nei giorni dell'ottava della Beatissima Vergine Assunta in cielo, ne' quali resta esposta a pubblica venerazione l'immagine del Santissimo Salvatore, e ogni qualvolta occorra di esporre detta immagine per i pubblici bisogni nella Chiesa di san Nicola, in tutti questi casi, i due ultimi canonici di san Nicola siano obbligati ad assistere l'abbate curato in queste sacre funzioni.

[De festo sancti Nicolai.] IX. §. 10. Nella festa di san Nicola siano tenuti ambedue i capitoli ad assistere ai primi e secondi vesperi e messa solenne, nella chiesa di san Nicola, e la funzione da farsi dall'abbate curato, o da uno del capitolo di san Nicola, e gli ultimi di ambedue i capitoli debbano fare l'officio di diacono e suddiacono; come si è detto di sopra al n. 4.

[De festo ss. Corporis Christi.] X. §. 11. Nella domenica dentro l'ottava del santissimo Corpo di Cristo, finita l'officiatura della mattina nella chiesa di sant'Erasmo debbano tutti processionalmente portarsi nella chiesa di san Nicola, ed ivi assistere alla messa solenne e solita processione, facendo l'officio di diacono e suddiacono gli ultimi due sopradetti; e l'abbate curato, o uno del capitolo di san Nicola faccia la sacra funzione.

De festo assumptionis B. M. V.

XI. §. 12. Nella solennità della Beatissima Vergine Assunta in cielo finita l'officiatura della mattina, nella medesima chiesa di sant'Erasmo debbano tutti processionalmente portarsi nella chiesa di santa Maria, dove assisteranno alla s. messa solenne da cantarsi dall'abbate curato, o da uno dei sopradetti canonici di san Nicola, facendo l'officio di diacono e suddiacono gli ultimi due sopradetti, e poi processionalmente restituirsi nella chiesa di sant'Erasmo, e debbano ancora intervenire alla solita processione nella festa di san Nicola.

De aliis diebus festivis.

XII. §. 13. In tutte le feste di precetto, e dispensate come sopra vi sia l'ultima messa nella chiesa di sant'Erasmo, qual peso debba portarsi dai canonici di detta chiesa alternativamente.

De dignitate abbatis curati.

XIII. §. 14. L'abbate curato si consideri come primo del capitolo di san Nicola, e come tale debba sempre ritenere il segno come gli altri di rocchetto e mozzetta, e sia in sua libertà d'intervenire all'officiatura nella chiesa di sant'Erasmo, e nelle occasioni che dovrà associarsi qualche morto della parrocchia di sant'Erasmo sia parimenti avvisato; il che debba da lui osservarsi verso il procuratore, ossia camerlengo della chiesa di sant'Erasmo rispetto ai morti di san Nicola.

De iure abbatis curati.

XIV. §. 15. Lo stesso abbate abbia il diritto di portare la stola in tutte le processioni ed associazioni di morti, come ancora nel sabato e vigilia di Pentecoste alla sola benedizione del fonte battesimale, sempre però a mano sinistra dell'arciprete, o di chi farà le veci anche con la stola, il quale sia sempre il canonico più anziano di sant'Erasmo.

Idem ut supra.

XV. §. 16. L'abbate curato abbia il diritto d'intervenire nelle risoluzioni capitolari, non solo riguardo a quelle del capitolo di san Nicola, ma anche alle altre che sono di diritto comune nel capitolo di sant'Erasmo.

De conservatione sacrorum reliquiarum, aliarumque supellectilium.

XVI. §. 17. Tutte le sacre reliquie, suppellettili, ed altro spettanti alla chiesa di san Nicola, debbano ivi rimanere, e per l'avvenire debba provvedersi delle necessarie suppellettili, ed altro secondo il passato costume colle rendite della sagrestia di san Nicola, quali sopravanzando debbano dividersi secondo il solito fra l'abbate curato e canonici di san Nicola, i quali siano tenuti di dare allo stesso abbate la solita annuale prebenda, e si osservi il solito riguardo alla decima in ambedue le chiese.

De lampadibus asservandis in ecclesia sancti Nicolai.

XVII. §. 18. L'abbate curato, e canonici di san Nicola siano tenuti al mantenimento delle lampade del santissimo Sacramento nella chiesa di san Nicola, ed alla cera per le messe pro populo, e per la festa della Purificazione della Beatissima Vergine, sempre però per la detta chiesa di san Nicola.

De aedituo sancti Nicolai, et de emolumentis eidem debitis.

XVIII. §. 19. Il sagrestano di san Nicola debba percepire solo gallate otto di grano, e soliti incerti della chiesa di sant'Erasmo, e le altre quattro gallate debbano somministrarsi ad affetto di mettere un'altro inserviente nella sagrestia, e chiesa di sant'Erasmo; qual grano forma in tutto la quantità di rubbia uno e mezzo, debba ogni anno somministrarsi come sopra dall'abbate curato, e canonici di san Nicola.

De cera suppeditanda ab ecclesia sancti Erasmi.

XIX. §. 20. Le solite torcie di cera, che si mettono intorno il cadavere, e che si pretendevano da ambedue i capitoli debbano queste cedere a favore della chiesa di sant'Erasmo, la quale secondo il solito, porterà il peso della cera occorrente per le sacre funzioni, e per la festa della Purificazione della Beatissima Vergine, ed il peso ancora degli utensili, e suppellettili.

De missa iuxta solitum in utraque ecclesia celebranda.

XX. §. 21. Resti ferma la messa nello stesso modo, che gode al presente ciascun'individuo di ciascuna chiesa, senza che possa perturbarsi mai anche dai successori.

De camerario utriusque capituli.

XXI. §. 22. Ciascun capitolo debba eleggere il suo procuratore, ossia camerlengo, il quale eserciti il suo impiego rispettivo, ed il puntatore ora eletto da ambedue i capitoli, il quale punterà tutti indistintamente; le puntature poi siano divise comunemente fra tutti due i capitoli, escluso l'abbate curato.

De alternativa servanda inter camerarios super administratione eleemosynarum.

XXII. §. 23. Fra l'uno e l'altro procuratore, o camerlengo vi sia l'alternativa rispetto all'amministrazione di tutte le elemosine, che si raccoglieranno per le anime del purgatorio tanto nella quaresima, quanto anche nella commemorazione de' fedeli defonti, e ne disponga secondo il solito costume, e li capitolari di san Nicola siano partecipi anche nell'esigere, e distribuire gl'incerti dovuti per l'associazione de' morti.

De praelatione canonicis sancti Nicolai concedenda in

XXIII. §. 24. Vacando qualche canonicato di sant'Erasmo, un canonico di san Nicola debba a questo presentarsi dall'eccellentissi-

Digitized by Google

vocationibus canonicatuum sancti Erasmi.

mo duca Gaetani, a chi per esso, per il quale effetto vi sia il necessario consenso.

De reservatione jurium utriusque capituli, et parochiarum

XXIV. §. 25. Finalmente tanto i diritti di ambedue le parrocchie, quanto anche dell' uno e dell' altro capitolo, fuori delle suespresse convenzioni sieno nel di loro pieno vigore, e forza senza che per qualsivoglia pretesto, titolo, o ricercato colore possano essere perturbate, non solo riguardo ai suddetti, ma anche rispetto agl' interessati di ambedue le parrocchie, e capitoli. E così intendo ciò di aver convenuto non solo ec. ma ec. e non altrimenti ec.

Confirmatio apostolica.

§. 26. Cum autem sicuti in eadem expositione additum erat, ut unio praedicta, ac praeinsertae conventiones firmiter subsistant, et exacte observentur apostolicae nostrae confirmationis subsidio omnia muniri vehementer desiderent: Nos ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati unionem capitulorum praedictam, ac singulas praeinsertas conditiones, et leges auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis, ac perpetuae firmitatis robur adjicimus, et omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in eis quomodolibet irrepserint supplemus, et sanamus, sine tamen ullo jurium patronatuum alicujus canonicatus, vel beneficii dictarum ecclesiarum praejudicio, quae jura patronatus sarcta, illaesa, et integra remanere volumus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 27. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere debere: sicque, et non alias in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 28. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictorum capitulorum, et ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, irritantibus, et aliis decretis in genere vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quinta martii millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno nono.

DXLI.

Dat. die 29. martii 1808. Anno IX.

Confirmatio nonnullarum modificationum habitarum super regimine seminarii sancti Severini concrediti curae patrum congregationis Clericorum Regularium sancti Pauli Decollati Barnabitarum ejusdem civitatis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Memorantur praecedentes literae sub datum diei 24. maji 1800, et di-

§. 1. Postquam per apostolicas Nostras in simili forma brevis die 24. maji 1800. datas literas, quarum tenorem hic totum volumus pro inserto ac sufficienter expresso, approbatio-

nis atque confirmationis Nostrae munimine fulcita fuit quaedam conventio, quam venerabilis frater Angelus Antonius s. Severini modernus episcopus, et tunc existens praepositus generalis congregationis clericorum regularium s. Pauli Decollati Barnabitarum nuncupatorum insimul inierant super seminario ad illius civitatis et dioecesis clericorum saecularium commodum, ad instructionem erecto, et certis sub pactis, ac conditionibus cedendo in administrationem, ac regimen clericis Barnabitis, enatae subinde sunt, prout nuper Nobis exponi fecit dil. fr. Franciscus Fontana modernus congregationis praedictae praepositus generalis, nonnullae quoad eamdem conventionem discussiones atque modificationes forma et tenore, ut sequitur, scilicet.

Tenor modificationum. §. 2. Consideratisi dal vescovo di s. Severino gli articoli convenuti tra esso, ed i pp. Barnabiti, convenuti in occasione, che a questi fu affidata la cura, ed amministrazione del seminario diocesano; osservatosi inoltre il breve pontificio « *Clericorum seminaria* » dato il 14. maggio 1800, con cui confermati furono; fattasi finalmente riflessione su quanto vien dedotto dalli stessi padri ad effetto di espungere l'articolo VIII, che assegna ai maestri una congrua annua ricognizione in compenso del grave loro incomodo di accesso al luogo della scuola, e di recesso da quello; e presosi in vista quanto si dice per l'espunzione dell' articolo IX. nel quale si danno annualmente ai maestri scudi 20. per la cioccolata; acconsente il nominato vescovo che i prelodati pp. ottengano da Nostro signore l'espunzione di questi due articoli.

Passando alle annotazioni, che si fanno dai pp. Barnabiti su l'articolo IV, in cui si stabilisce la dozzina degli alunni in scudi 28. da scemarsi in qualche parte negli anni migliori, è da sapersi che questa dozzina fu convenuta nell'anno 1800. anno di penosissima carestia. Si deve anche ponderare, che quando il seminario non era affidato ai pp. Barnabiti, e non aveva la metà delle odierne sue rendite, manteneva una quantità maggiore di alunni, che ora è fissata al solo numero di dodici, ed un rettore, un maestro di grammatica, e rettorica, un prefetto, un cuoco, ed un guattero, e si pagava dagli alunni la dozzina di scudi 24. andando i studenti di filosofia e teologia alla scuola di un lettore Barnabita nel collegio degli stessi padri. L'odierno vescovo per ridurre il seminario in stato migliore lo tenne chiuso per alcuni anni, e pose a moltiplico le sue rendite; ottenne dalla s. memoria di papa Pio VI. l'unione di alcuni semplici non residenziali beneficj, che danno un pingue annuo frutto, ristrinse il numero degli alunni a soli dodici, ed in tal guisa accrebbe moltissimo l'entrata, diminuì le spese del seminario, e lo affidò ai pp. Barnabiti, lasciando ad essi la libertà di riceververvi i convittori, pagando quella dozzina, che fosse ad essi piaciuta. Si separino pertanto le spese necessarie per li convittori dalle pure spese occorrenti per dodici alunni, e si vedrà, che la dozzina la quale si paga da questi, unita ai redditi del seminario è più che sufficiente per il mantenimento loro, e delle persone necessarie ad un numero cotanto ristretto.

La difficoltà che si propone sull' articolo 11. suppone un vescovo cotanto dimentico del proprio officio, che voglia ritenere nel seminario i gravemente contumaci, o i rei di grande e pubblico delitto, a dispetto del rettore, ed in qualche caso con pregiudizio essenziale della di lui autorità, del buon ordine, e della disciplina. Se ciò si vuol supporre di un vescovo, potrebbe molto più supporsi di un semplice rettore, che volesse ritenere in seminario chi merita di esserne espulso, o che volesse espellere chi non lo merita. Ma lasciando le supposizioni, si consideri che l'autorità del rettore è dipendente da quella del vescovo, e si faccia pure dichiarare da nostro signore, che i gravemente contumaci, o i rei di delitto grande e pubblico, possano subito espellersi dal rettore coll' autorità, che gli si concede dal vescovo, a cui dovrà giustificare il suo operato.

Si faccia parimente dichiarare da nostro signore, che in caso qualunque, anche inopinato di rescissione di tal contratto, di cui si parla nell' articolo VII. debbano i beni del seminario restare piuttosto migliorati, che deteriorati, cioè se non migliorati almen non deteriorati, e si aggiunga nella dichiarazione, che se i pp. Barnabiti avranno fatto co' propri danari, e col consenso del vescovo pro tempore, qualche spesa notabile per migliorare detti beni, debba ad essi restituirsi il quid impensum.

Sull' articolo XIII. finalmente è da notarsi, che come è possibile che il capriccio, o l'im-

pegno di qualche vescovo, o pro, o contro qualche religioso, impedisca al p. generale di disporre a suo piacimento, così è possibile che qualche p. generale destini in lettore, maestro, rettore ec. qualche soggetto insufficiente, e di non totalmente buoni costumi. È anche possibile che il p. generale a corso cominciato di scuola, o dopo il primo anno scolastico mutasse uno de' maestri. Il primo caso rovinerebbe la gioventù nello scientifico, e nel morale, il secondo nello scientifico, non essendo facile, che il nuovo maestro, il quale succede all' altro a mezzo corso tenga lo stesso metodo, abbia la stessa comunicativa, si adatti nella stessa maniera alla capacità dei scuolari ec. A scanso d' ogni possibile inconveniente, si potrebbe far dichiarare da Nostro signore che i lettori ed i maestri una volta istallati, non possano rimuoversi pria che abbiano terminato il loro corso, quante volte non nasca cosa in contrario sulla loro insufficienza alla scuola che fanno, o sulla loro morale condotta, nel qual caso il vescovo ne faccia inteso segretamente il p. generale, e questi rimuova al fine dell' anno il soggetto. Quanto poi alla destinazione de' nuovi soggetti, che il p. generale se la intenda col vescovo, cioè che faccia inteso il vescovo dei soggetti, i quali vorrebbe destinare, e non opponendosi dal vescovo giusta ragione di esclusiva resti il p. generale in libertà di destinarli.

Se piacciono al p. generale questi temperamenti, potrà farli confermare per modo di dichiarazione del prelodato breve pontificio da Nostro signore, così contentandosi, per quel che a lui spetta, il vescovo di s. Severino suo devotissimo obbligatissimo servitore.

Così è. Angelo vescovo di s. Severino.

Confirmatio praedictarum modificationum

§. 3. Ad plenam autem modificationum hujusmodi firmitatem, ac observantiam idem praepositus generalis eas pariter approbari a Nobis vehementer desiderat, enixisque precibus humiliter flagitat. Nos igitur ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ejusque, ac omnium aliorum in hoc interesse habentium singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati praeinsertas modificationes cum omnibus et singulis, quae in eis continentur, auctoritate apostolica tenore praesentium ratas, validasque habemus et declaramus, illisque apostolicae approbationis et confirmationis robur adjicimus, ac cunctos et singulos sive farti sive juris defectus, si quos desuper intervenisse contigerit, plenarie sanamus atque supplemus, firma tamen in reliquis manente forma et dispositione praedictarum literarum Nostrarum.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has Nostras praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et quandocumque spectabit pro tempore plenissime suffragari, atque ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus omnibus et singulis iis, quae in eisdem supradictis literis Nostris concessa sunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima nona martii millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno nono.

DXLII.

Dat. die 5. aprilis 1808. Anno IX.

Concessio indulgentiae plenariae assequendae ab eis, qui in festo beatorum Sadoc et quadraginta octo sociorum martyrum visitaverint ecclesias ordinis Praedicatorum.

Pius PP. VII.

Universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio et tenor concessionis.

§. 1. Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, supplicationibus quoque dilecti filii Pii Josephi Gaddi magistri generalis ordinis praedicatorum nobis super hoc

humiliter porrectis inclinati; omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac s. communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis tam fratrum, quam monialium ordinis hujusmodi ubicumque existentibus die, in qua ab unaquaque ex praefatis ecclesiis festum bb. Sadoc et quadraginta octo sociorum martyrum pro prima vice celebrabitur, a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus pro unica vice tantum valituris.

Conditiones adjectae, et fides habenda transumptis. §. 2. Volumus autem, ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint, quodque praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis dicti ordinis hujusmodi munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quinta aprilis millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno nono.

DXLIII.

Dat. die 5 aprilis 1808. Anno IX.

Facultas vicissim gestandi cappam magnam et mozzetam violacei coloris cum globulis, et asulis cremisini coloris pro canonicis ecclesiae cathedralis Bergomensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Quantum venerationis vel ipsa indumenta oculis, animisque Christifidelium ingerere valeant optime tenens Apostolica Mater Ecclesia cum varias pro varietate festorum sacerdotibus suis sacra facientibus praescripsit vestes, tum etiam iis, qui in templis magis conspicuis coelestis veluti Sionis aemuli divinas laudes quotidie concinunt, particularia, et ad eorum dignitatem exprimendam aptissima insignia deferenda concessit, ut ipsi per externas quoque vestes excitati internarum virtutum splendore magis magisque in dies praelucere conentur in aula Domini.

Expositio precum. §. 2. Cum itaque sicut dilecti filii capitulum, et canonici cathedralis ecclesiae Bergomensis Nobis nuper exponi fecerunt, ad parcendum expensis, quibus ob quotidianum cappae magnae usum obnoxii reperiuntur, eam interdum immutare posse vehementer desiderent.

Tenor concessionis. §. 3. Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus dignitati, seu dignitatibus, et canonicis dictae cathedralis ecclesiae Bergomensis, ut loco cappae magnae, qua adhuc singulis diebus uti consueverunt mozzetam violaceam tela serica cremisini coloris subsutam, cum globulis, et ocellis ejusdem cremisini coloris vicissim gestare, hancque tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus et actibus publicis quibuscumque pro iis temporibus, et diebus, quibus id per ipsos canonicos capitulariter congregatos, praestitum fuerit, ac servata uniformitate, deferre libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae cathedralis ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo pisca-

toris die quinta aprilis millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno nono.

Dat. die 8. aprilis 1808. Anno IX.

DXLIV.

Erectio ecclesiae Baltimorensis, in archiepiscopalem, et metropolitanam.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Pontificii muneris Nobis licet immerentibus ex alto concrediti paterna Nos cura sollicitat, ut cathedrales ecclesias, quas vigil praesulum studium, gratia opitulante divina, florentiores effecit, eo elatius erigamus, quo utilius praeminens illarum decus ad Omnipotentis Dei gloriam, Christique fidelium devotionem augendam conferre posse conspicimus atque confidimus.

Ratio concessionis. §. 2. Quum itaque religio catholica in Marilandiam, quae una est ex Americae foederatae provinciis, primum invecta, eas de rore coeli accepisset benedictiones, ut inde per operarios animarum zelo flagrantes in reliquas imperii ejusmodi regiones propagata altas ubique radices ageret; recolendae memoriae Pius pp. VI. praedecessor Noster quo magis fidei incrementis, et fidelium commodis opportune istic consuleret, ea in civitate, cui nomen Baltimor, quaeque in Marilandia sita est, et in qua major degebat catholicorum pars, commercioque cum caeteris provinciis aptior videbatur, sedem episcopalem erexit, ibique venerabilem fratrem Joannem Carroll in episcopum, et pastorem constituit, et alias prout in ipsius praedecessoris apostolicis literis in simili forma brevis die 6. novembris 1789. expeditis fusius continetur. Quumque Domini Salvatoris Nostri benignitate cultores vineae suae mirifice foecundante factum subinde sit, ut orthodoxa ejus fides in omnes modo Americae foederatae provincias longe, lateque diffusa novos praesules, qui multiplicatis fidelibus, seorsim tamen immanique saepe a Baltimore distantia hic illic morantibus proprius assistant, videatur expetere.

Tenor concessionis. §. 3. Nos illud potissimum attendentes, quod sicut civitas Baltimoris loci sui opportunitate magnam praebeat cunctis foederatae Americae partibus commercium cum ea habendi commoditatem, ita facile, commodumque erit catholicis partium earumdem tam ecclesiasticis, quam secularibus pro suis justitiae causis ad eam recurrere, idcirco de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium congregationi de Propaganda Fide praepositorum consilio praedictam sedem episcopalem Baltimorensis civitatis in archiepiscopalem, et metropolitanam sedem, et caput aliarum sedium totius Americae foederatae auctoritate apostolica, tenore praesentium declaramus, facimus, atque instituimus.

Ratio concessionis. §. 4. Eique omnia, et singula jura, privilegia et praerogativas ab illis sedibus archiepiscopalibus, et metropolitanis haberi, et gauderi solitas et consuetas plenarie attribuimus et assignamus; deinde venerabili fratri Joanni praenominato, qui adhuc episcopalem praedictam obtinet sedem pro singularibus suis in religionem catholicam, et Sedem apostolicam meritis archiepiscopi titulum, ita ut posthac archiepiscopus Baltimorensis sit nuncupandus, una cum delatione pallii et crucis, aliisque insigniis, et honoribus, juribus, et privilegiis, gratiis quoque, et indultis, quibus caeteri archiepiscopi de jure, usu, et consuetudine potiuntur, fruuntur, et gaudent, eodem plane modo et absque ullo prorsus discrimine tam ipsi, quam ipsius futuris in Baltimorensi archiepiscopatu successoribus auctoritate, et tenore praedictis concedimus, atque conferimus.

Assignatio novarum ecclesiarum suffraganearum. §. 5. Praeterea eidem archiepiscopali, et metropolitanae sedi Baltimorensi quatuor novas episcopales ecclesias nempe Neo-Eboraci, Philadelphiae, Bostoniae, et Bards-Goun per Nos hodie erectas, aliasque in eisdem foederatae Americae partibus per apostolicam Sedem in posterum erigendas, de eorumdem cardinalium consilio, ac eadem auctoritate tamquam provinciales adscribimus, ac earum episcopos pro tempore existentes in Baltimorensis archiepiscopi suffraganeos, qui veluti membra capiti juri ejus archiepiscopali, et metropolitico subsint, accensemus; ac hujusmodi ecclesiarum clerum, populumque universum, quorum causae ad dictum archiepiscopum juxta sacrorum canonum statuta referantur, ipsi archiepiscopo quoad archiepiscopalia, et metropolitica jura subjicimus. Demum pro dioecesi quae archiepiscopalis eccle-

siae Baltimorensis sit deinceps peculiaris, et propria statuimus ei atque praefigimus tam Marilandiam, quam reliquas regiones, quas habet a meridie ad Georgiam usque inclusive, donec tamen provisum aliter fuerit ab hac sancta Sede, cujus auctoritatem sartam tectamque volumus in praemissis sicut et memoratae congregationis cardinalium.

Mandatum de obediendo.

§. 6. Mandantes propterea eidem archiepiscopo nunc, et pro tempore existenti in virtute sanctae obedientiae, ut eidem congregationi obsequenter pareat, ejusque jussa fideliter adimpleat, acta visitationis suae archiepiscopalis ecclesiae debitis temporibus ad eam transmittat, eamque de omnibus faciat certiorem, quae spirituali bono gregis sibi commissi, et ecclesiarum suffraganearum amplitudini magis in Domino noverit profutura.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 7. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et in futurum spectabit, plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque etiam speciali ac expressa mentione, et derogatione dignis contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die octava aprilis millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno nono.

Dat. die 8. aprilis 1808. Anno IX.

DXLV.

Erectio quatuor sedium episcopalium in foederatis provinciis Americae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Ex debito pastoralis officii superna Dei providentia humeris Nostris impositi onus ferentes totius gregis Dominici, illis praecipue ovibus quae regiones a Sede hac apostolica, ubi catholicae centrum est unitatis longe dissitas incolunt, majori consulendum sedulitate censemus, ut in adventu pastoris aeterni intra verum ovile per apostolicam curam repertae, ad coelestia valeant pascua vocari, feliciterque perduci.

Ratio decernendae novae erectionis.

§. 2. Magna siquidem cum laetitia accepimus catholicam religionem in Americae foederatis provinciis quotidie magis virere, ac efflorescere, numerumque fidelium, qui suavi ejus jugo colla submittunt frequentiorem favente Deo undique cerni, et copiosiorem. Quum itaque unus, qui in civitate Baltimorensi episcopus constitutus est, et pastor existit, tanto tantumque inter se disjunctis locis succrescenti gregi pascendo satis esse non possit, Nos quo magis agnos Christi novellos pastorali custodia, et auxilio indigere cognoscimus, eo celerius ad novos pastores, per quos et locorum distantiae minuantur, et spiritualia pabula multiplicentur, augendos properamus.

Tenor novarum erectionum.

§. 3. Hinc re mature perpensa cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus congregationi de Propaganda Fide praepositis, de fratrum eorumdem consilio, quatuor novas episcopales sedes in recensitis provinciis pro quatuor respective episcopis nunc, et in posterum quandocumque hujusmodi sedes vacare contigerit, per Nos, et apostolicam Sedem eligendis, atque constituendis auctoritate apostolica tenore praesentium erigimus, atque constituimus: scilicet primam Neo-Eboraci, quae totam hujus nominis provinciam, et partem orientalem provinciae Neo-Caesareae priori finitimam habeat pro dioecesi: secundam Philadelphiae, cujus dioecesis complectatur duas integras provincias Pensilvaniae, et Delavare, ac praeterea partem occidentalem et meridionalem provinciae Neo-Caesareae; tertiam Bostoniae cum dioecesi, intra quam istas includimus provincias, nempe novam Stantoniam Massachatensem, insulam Rhodi, Connecticut, et Vermont; quartam Bardj-Goun, idest in oppido, seu civitate Bardensi, eique in dioecesim statuimus provincias tam Hentuchiensem quam Tenassensem, ac illas quoque donec a Sede hac apostolica aliter provideatur regiones, quae a ripa occidentali fluminis Ohio inter occidentem, et septemptrionem excurrunt

Digitized by Google

ad ingentes lacus, qui eas inter et Canadensem dioecesim interjacent, hasque legendo pertigunt ad fines Pensilvaniae.

Concessio privilegiorum, et honorificentiarum.

§. 4. Has porro episcopales sedes ita a Nobis, ut praefertur, erectas, et constitutas episcopalibus juribus, privilegiis, honorificentiis, praerogativis, immunitatibus, caeterisque gratiis, et indultis per alias sedes episcopales haberi, et gauderi solitis, et consuetis omnes et singulas de benignitate apostolica condecoramus, ac insignimus. Episcopis vero hujusmodi sedium episcopalem jurisdictionem suis in ecclesiis, civitatibus, et dioecesibus libere exercendi, omniaque, et singula, quae sunt ordinis, et jurisdictionis, seu alterius cujuslibet muneris episcopalis, quaeque alibicumque constituti episcopi tam de jure, et consuetudine, quam alias quomodolibet intra dioeceses, civitates et ecclesias proprias gerere, ac facere solent, et possunt similiter gerendi, et faciendi facultatem plenam, et amplam concedimus, atque tribuimus. Denique praememoratas ecclesias, ac unamquamque earum in provinciales et suffraganeas ecclesiae Baltimorensis, quam hodie in archiepiscopalem et metropolitanam ereximus, de consilio et auctoritate praedictis damus et assignamus, nec non ut illarum episcopi pro tempore existentes juri metropolitico archiepiscopi Baltimorensis. Clerus autem et populus suis respective episcopis quoad episcopalem, dicto tamen archiepiscopo quoad archiepiscopalem, et metropoliticam jurisdictionem et superioritatem debeant semper subjacere mandamus, atque praescribimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem praesentes literas firmas, semper, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac iis ad quos spectat, et in futurum spectabit plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores judicari et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque etiam speciali et expressa mentione, seu derogatione dignis, contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die octava aprilis millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno nono.

DXLVI.

Dat. die 18. maji 1808. Anno IX.

Confirmatio duorum rescriptorum favore monialium s. Clarae civitatis Dublinensis cum communicatione indulgentiarum, et regularis professionis formulae immutatione.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Illud Nos memoria repetentes, quod sanctus Joannes Chrisostomus monuit, Deo nempe, sacratas virgines coelestis esse philosophiae aemulas, quippe quae vel fragili carne indutae angelicam illam vivendi rationem repraesentant in terris, quam incorporeae potestates ducunt in coelis, libenter in Domino concedimus quidquid ad religiosam earum perfectionem augendam conferre arbitramur.

Expositio precum.

§. 2. Cum igitur dictae in Christo filiae abbatissa, et moniales ordinis sancti Francisci sanctaeque Clarae Dublinensis civitatis non modo Magdalenam ad Christi Domini pedes contemplantem, sed Martham etiam eidem Domino ministrantem referre cupientes, munus sibi adjunxerint erudiendi inopes puellas in catholica fide, bonisque moribus imbuendi, hortante ad id venerabili fratre Joanne Thoma ejusdem archiepiscopo, qui verbo, et exemplo nihil reliqui umquam fecit, ut catholica religio majora sibi incrementa susciperet. Nos quo seduliorem operam dictae moniales in hujusmodi novo gravique officio exemplo navare possent per rescriptum bo. me. Dominici Coppola, dum vixit archiepiscopi Myrensis et congregat. Propagandae Fidei secretarii ex audientia Nostra die x. junii MDCCCIV. recitationem divini officii, horarum scilicet canonicarum, quas ante illud tempus ipsae moniales persolvere consueverunt, in officii parvi B. M. Virginis recitationem commutavimus. Postea vero per aliud simile rescriptum ex eadem Nostra audientia die 18. decembris anni proxime elapsi cum iisdem monialibus super obligatione observandi jejunia, et ab-

Digitized by Google

stinentias in regularibus suis statutis praescriptas dispensavimus, firmis dumtaxat remanentibus jejuniis, et abstinentiis ab ecclesia generatim praeceptis; simulque ad sedandas ipsarum monialium conscientias declaravimus nihil sub gravi, vel levi culpa obligatoriam in earum regula et constitutionibus extare praeter tria consueta paupertatis, castitatis, et obedientiae vota, et aliud quartum puellas inopes instruendi, ac alias prout ex memoratis rescriptis, quorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, fusius continetur. Quoniam autem institutio hujusmodi ibi suscepta adeo crescit in dies, benedicente Domino, et floret, ut in praesens tempus septuaginta circiter puellae a dictis monialibus bene jam recteque erudiantur, idcirco ipsemet archiepiscopus, dictaeque moniales quo firmius memorata rescripta subsistant, meliusque serventur, utrumque per Nos, et hanc sanctam sedem confirmari, monialesque specialibus gratiis, quae pro aliis regularibus ordinibus ad juvenum institutionem addictis concessae sunt, locupletari, ac demum earum profitendi formulam apte immutari posse desiderant; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur ipsas moniales specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, referente dilecto filio magistro Joanne Baptista Quarantotti dictae congregationis Propagandae fidei secretario ambo rescripta praedicta praesentibus pro insertis habentes cum omnibus, et singulis in eis contentis et expressis, eadem omnia auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis ac perpetuae apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes cum juris tum facti defectus siqui desuper in eis quomodolibet irrepserint supplemus, et sanamus.

Concessio indulgentiarum. §. 4 Praeterea auctoritate Nobis a Domino tradita, deque omnipotentis Dei auctoritate confisi omnibus et singulis modernis et pro tempore in perpetuum existentibus monialibus praedictis indulgentias, tam plenarias quam partiales, aliasque spirituales gratias regularibus familiis, illarumque individuis ex regulari suo instituto juvenes doctrinam christianam, christianosque mores edocentibus ab hac apostolica Sede alias impertitas dummodo injuncta pro illis consequendis rite expleverint auctoritate et tenore praedictis perpetuo communicamus, tribuimus et elargimur. Non obstantibus Nostra et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar.

Formula novae professionis. §. 5. Professionem denique regularem per moniales hujusmodi in posterum emittendam hisce verbis fore volumus scilicet » Ego . . . .
» Omnipotenti Deo, gloriosissimae Virgini Ma-
» riae orphanorum matri, ac nostro sancto
» patri Francisco, sanctaeque matri nostrae
» Clarae, et omnibus sanctis, tibique reve-
» renda mater abbatissa, et reliquis tibi in
» officio successuris, vel vices tuas gestu-
» ris vota facio observandi per omne vitae
» tempus regulam, vitaeque rationem soro-
» rum pauperum sanctae Clarae ab eodem s.
» Francisco sibi traditam, atque a summo
» pontifice Innocentio IV. confirmatam; suc-
» cessive autem a Benedicto XIV. et sanctis-
» simo patre Nostro Pio VII. moderatam, at-
» que ita vivendi scilicet sine ulla rerum tem-
» poralium proprietate, et obedientia, et ca-
» stitate, meque praecipue dedico curandis;
» et instruendis pauperibus puellis orphanis;
» ibidemque observandi clausuram prout tem-
» poris et circumstantiae postulaverint.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 6. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et Sedis apostolicae nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpetandi facultate, et auctoritate judicari et definire debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 7. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non monia-

lium et ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro pleno, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima tertia maji millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno nono.

Dat. die 13. maji 1808. Anno IX.

DXLVII.

Concessio facultatis alternatim absendi per duos menses a choro ecclesiae collegiatae civitatis sancti Philippi dioecesis Valentinae pro officialibus cantoribus ejusdem ecclesiae.

Venerabili fratri archiepiscopo Valentino.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni officiales, cantoresque ecclesiastici collegiatae ecclesiae oppidi civitatis nuncupati sancti Philippi Valentinae dioecesis numero tredecim, duo scilicet, subcantores, duo « domeros », organistae duo, duoque evangelistarii, unus epistolaris, unus cappellae magister, tresque auxiliatores, quod ipsi ad levandum assiduum laborem, viresque servandas per duos annuatim menses ab eadem ecclesia abesse posse plurimum desiderant. Cum autem sicut in eadem expositione additum erat, assensum ad id jam obtinuerint a dilectis filiis capitulo, et canonicis dictae collegiatae, hisce tamen legibus, et conditionibus, videlicet. I. Tres tantum ex ipsis exponentibus, et ex eorum successoribus abesse valeant eodem tempore, minime vero plures idque sub omnimoda dependentia a capitulo. II. Si per triduum tantum abfuturi erunt, a rationali capituli, eorumque praesidente, si vero ultra triduum ab eodem capitulo licentiam prius obtinere debeant. III. Nemini umquam liceat abesse adventus, et quadragesimae temporibus, neque paschatis, aliisque solemnioribus festis diebus, et octavis Corporis Christi, ac Beatae Virginis vulgo « de la Seo » nuncupatae. IV. Non simul absint duo subcantores, vel (hisce aegrotantibus, aut emeritis, seu alia quacumque de causa absentibus) eorum vices-gerentes, ita ut eorum unus semper remaneat pro necessaria chori moderatione. Atque haec eadem prorsus regula servetur quoad organistas etiam, evangelistarios, et « domeros »; Nobis propterea dicti officiales, et cantores humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus, prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, quatenus constito tibi prius de narratorum veritate, assensum, et resolutionem capitularem praedictam cum praeinsertis conditionibus auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio, et prudentia confirmes, illisque perpetuae et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicias, ac omnes, et singulos cum juris tum facti defectus, si qui desuper in eis quomodolibet irrepserint, suppleas, et sanes: eisdemque modernis, et pro tempore existentibus officialibus, et cantoribus ecclesiae praedictae, ut ab ipsa ecclesia juxta praemissa abesse libere, et licite possint, et valeant, auctoritate, et arbitrio praedictis concedas, et indulgeas.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 3. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; et ab eis respective, inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus nec non quatenus opus sit, memoratae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima tertia maji millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno nono.

Dat. die 21. junii 1808. Anno IX.

DXLVIII.

Erectio novi abbatialis monasterii sub denominatione B. M. V. de Æternitate, et reformationis sanctae Vallis pro monachis ordinis Cisterciensis in Westphalia.

Dilecto filio magistro Aloysio Ciamberlano sacrarum missionum in Hollandia pro-moderatori apostolica auctoritate deputato.

Pius PP. VII.

Dilecte fili salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. In summo apostolatus apice meritis licet imparibus, constituti illorum praesertim virorum preces libenter excipimus, qui ab omnibus mundi illecebris segregati, se hostias Deo viventes, gratas, et acceptas obtulerunt, et quotidie offerunt, exemplo magis quam verbis docentes, carnem esse crucifigendam cum vitiis, et concupiscentiis suis.

§. 2. Iam vero inter hos praeclaros mundi, Laudes monachorum Cisterciensium. ac suimetipsorum contemptores praecipuum locum tenere videntur monachi ordinis Cisterciensis primaevae observantiae vulgo de Trappa nuncupati. Ipsi namque per austeram illam, quam profitentur, vivendi rationem, adeo sibi divinam opem conciliarunt, ut in summa humanarum, divinarumque rerum perturbatione, ac propemodum eversione ex eorum dioecesis Sagiensis monasterio expulsi, locum dumtaxat, non autem propositum sanctum immutaverint. Imo spiritu robustiores effecti, vix in Helveticum aliud tunc desertum monasterium Vallis sanctae Lausannensis dioecesis se receperant, sancti institutoris regulam in pristinum restituerunt: atque crescente in dies cum devotionis fervore coenobitarum numero, multae coloniae ad multas vel remotissimas orbis plagas inde feliciter profectae sunt, regulari observantia, atque severiore disciplina ubique florentes.

§. 3. Cum itaque, (sicut accepimus) illinc Ratio concessionis. a dilecto filio Augustino dicti monasterii Vallis Sanctae apostolica auctoritate erecti abbate in Westphaliam missus esset dilectus itidem filius Eugenius monachus expresse professus hic, dirigente Domino gressus suos, aedes pro novi monasterii erectione sufficientes Darfeldiae Monasteriensis dioecesis obtinuit, et ampliavit ex pia praesertim liberalitate dilectorum filiorum cum liberi baronis de Droste Vischering, qui et praedium satis amplum in perpetuum donavit, tum etiam liberi baronis de Frustemberg, Monasteriensis vacantis ecclesiae tunc vicarii capitularis: auctoque ibi monachorum numero, ipse Eugenius totius regularis familiae superior ab ipsis monachis est electus. Rebus igitur ita comparatis, ut dicta Darfeldiana domus in legitimum, et abbatiale monasterium ejusdem ordinis, et reformationis Vallis Sanctae sub titulo Beatae Mariae Virginis de Æternitate erigi possit, dilecti filii prior, et monachi ibi degentes Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Digitized by Google

Tenor concessionis.

§. 4. Nos igitur ad majorem dei gloriam, et spiritualem proximorum utilitatem ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et singulares personas, quibus praesentes Nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus Nobis eorum nomine humiliter porrectis inclinati, referente venerabili fratre Joseph archiepiscopo Thebarum, et congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium praepositorum secretario, qui relationem tuam, ac dicti vicarii capitularis desuper ad eamdem congregationem transmissam attendit, discretioni tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut, veris existentibus narratis, constitoque tibi, quod incolarum Darfeldiae ad elargiendas eleemosynas propensio, ac praedii donati redditus pro alendis saltem duodecim monachis sufficere possint, et caetera omnia ad praescriptum constitutionum apostolicarum requisita concurrant, ad petitam novi abbatialis monasterii Beatae Mariae Virginis de Æternitate dicti ordinis, et reformationis Vallis Sanctae erectionem, dummodo ipsius aedes cum ecclesia, aut publico oratorio, campana, choro, sacristia, claustris, dormitorio, refectorio, et aliis officinis, hortis et spatiis fuerint absolutae, et suppellectili cum sacra, tum prophana sufficienter instructae, auctoritate nostra apostolica, pro tuo arbitrio, et conscientia procedas, atque hujusmodi novi monasterii abbati et monachis, ut omnibus, et singulis privilegiis, gratiis, et indultis spiritualibus, et temporalibus, quibus aliorum monasteriorum hujusmodi abbates, et monachi fruuntur, et gaudent, pari modo frui, et gaudere libere, et licite possint, indulgeas: nec non memoratam dicti Eugenii in superiorem, et abbatem electionem die vi. junii MDCCCVI. peractam eadem Nostra auctoritate confirmes, ac singulos cum juris, tum facti defectus, si qui desuper in ea quomodolibet irrepserint etiam in substantialibus suppleas, et sanes, eidemque Eugenio abbati electo facultatem tribuas benedictionem a quocumque catholico antistite gratiam, et communionem cum hac s. Sede habente recipiendi. Circa vero controversias inter novi hujusmodi monasterii monachos, et dilectum filium Augustinum dicti monasterii Vallis Sanctae abbatem tam super exercitio, quoad praeteritum, praetensae jurisdictionis ejusdem Augustini in novum hoc monasterium, quam super praetenso jure eam in posterum exercendi, causam hujusmodi remanere volumus in statu, et terminis, donec, auditis sine ullo strepitu judiciali partibus, memorata cardinalium congregatio sententiam proferat, ac de subjiciendo Darfeldiense monasterio sub immediata hujus s. Sedis protectione decernatur, firmis interim remanentibus tam suspensione jurisdictionis ipsius Augustini abbatis in monasterium Darfeldiense, quam delegatione a Nobis facta vicarii capitularis Monasteriensis ad exercendam provisorie in novum hoc monasterium spiritualem jurisdictionem.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et s. Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et reformationis hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, indultis, et consuetudinibus etiam speciali mentione, et expressione dignis, caeterisque contrariis quibuscumque. Ceterum per praesentes non intendimus institutum ordinis, et congregationis, seu reformationis praedictorum approbare. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima prima junii millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno nono.

Dat. die 22. junii 1808. Anno IX.

DIL.

Confirmatio facultatis concessae clericis congregationis clericorum saecularium doctrinae Christianae consequendi ordinationem a quocumque episcopo.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Memoratur privilegium a praedecessoribus concessum.

§. 1. Nuper nobis exponi fecit dilectus filius Joannes Alberti procurator generalis congregationis clericorum saecularium doctrinae Christianae, quod fel. rec. Alexander pp. VII. praedecessor Noster per apostolicas suas in simili forma brevis die XXVI. sept. MDCLIX. expeditas literas ipsi indulsit congregationi, ut alumni ejus clerici, qui post nuncupata vota, et praestitutum juramentum perpetuo in eadem manendi, ad sacros etiam presbyteratus ordines promoveri intenderent, possent de praepositorum pro tempore generalis, vel provincialis licentia ordinari ad titulum ejusdem congregationis. Quodque deinceps rec. me. Benedictus pp. XIII. praedecessor itidem Noster per rescriptum suum die XXIV. novembris MDCCXXVIII. editum congregationi eidem benigne concessit, ut ejus clerici professi cum literis dimissorialibus praepositi provincialis, et testimonialibus superioris localis, qui eos spiritualia exercitia sacrae ordinationi praemittenda jam peregisse affirmaret, sacros praedictos ordines valerent suscipere a quocumque catholico antistite communionem, et gratiam s. Sedis habente, quando episcopus dioecesis, ubi in familia domus congregationis actu degerent dicti clerici, non haberet ordinationem; de quo tamen testimonium curiae ipsius episcopi ordinationem non habentis apud curiam illius, a quo ordinandi forent, exhibere deberent, et alias prout in memoratis literis, et praedicto rescripto, quorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis haberi volumus, fusius dicitur contineri. Ne autem ulla umquam causa, et ratione literarum, et rescripti hujusmodi memoria labi contingat, sed iis semper congregatio aeque facile, atque feliciter uti, fruique valeat, ideo exponens, quae per Nostros praedecessores congregationi indulta desuper sunt, nunc renovari per Nos, et confirmari vehementer desiderat: Nobis propterea, etiam nomine dilectorum filiorum moderni vicarii generalis, et definitorii congregationis suae praedictae humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur ipsum exponentem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, attenta relatione venerabilis fratris archiepiscopi Thebarum congregationis episcoporum, et regularium negotiis praepositae secretarii, recensita indulta tam Alexandri VII. quam Benedicti XIII. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum favore congregationis praedictae iisdem modo, et forma, iisdemque sub clausulis, et conditionibus superius expressis, auctoritate apostolica tenore praesentium renovamus, confirmamus, atque perpetuamus, roburque indultis hujusmodi inviolabilis firmitatis apostolicae adjicimus; ac omnes, et singulos sive facti, sive juris defectus si quos desuper quomodolibet intervenisse contigerit, plenarie sanamus, atque supplemus; declarantes tamen expresse, quod clericis memoratae congregationis professis, et ordinatis, seu ordinandis ad titulum congregationis ipsius, ut praemittitur, hujusmodi titulus suffragetur dumtaxat, donec illi in eadem congregatione fuerint permansuri. Confirmatio apostolica.

§. 3. Decernentes insuper easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac congregationi praedictae, aliisque ad quos spectat, spectabitque pro tempore plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sedis apostolicae nuntios, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausula sublata et decretum irritans.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, et quatenus opus sit, ejusdem congregationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 5. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis dictae congregationis munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima octava junii millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno nono.

Dat. die 11. julii 1808 Anno IX.

DL.

Allocutio habita in consistorio secreto die 11. julii 1808.

Venerabiles fratres.

Nova vulnera, venerabiles fratres, semperque graviora, quae apostolicae auctoritati, quae Ecclesiae juribus, quae sanctitati religionis, quae Nobis ipsis et inflicta sunt, et quotidie infliguntur, commemorare apud vos maestissimo animo, et condolere compellimur. Nam quae a postridie idus martii in posterum acciderunt, quo die collacrymantes ex hoc Nos postremum allocuti sumus, nullum relinquunt ambigendi locum, illos demum dies illuxisse miserrimos Nobis, luctuosos bonis, Romanae huic Sedi exitiosos, quos diuturnae imperatoris Galliarum minae pronunciaverant, atque impiissima sceleratorum vota tantopere praestolabantur. Multa ad eam diem passi eramus, venerabiles fratres; calamitates, quibus obruebamur protulimus, Nostrorumque consiliorum vos participes effecimus. Ast multo graviora, et acerbiora post illud tempus videre debuimus, quae palam perpetrata in oculos omnium incurrerunt; injeceruntque opinionem omnibus auctoritatem Nostram, et ipsius sacrosanctae Ecclesiae Dei plene contemni.

Quinque tunc dumtaxat e Neapolitano regno cardinales a Nostro sinu abstractos condolebamus, decem nunc alios e sacrosancto senatu numeramus, atque inter eos binos suburbicarios antistites, et Nostrum in hac urbe vicarium in spiritualibus generalem, pro-camerarium S. R. E. et lateri Nostro adhaerentem negotiorum omnium administrum, jussu imperatoris militari vi ab urbe ejectos, quin eorum dignitas, munera, ac peculiares cujusque rationes eos potuerint ab imposita lege liberare. Horruere profecto boni omnes conspicientes hoc pacto in viros agi gravitate morum, gradu, dignitate, genere conspicuos, qui plurimis ab hinc annis Romam secesserant, suam in sanctae Sedis servitium praeclaram operam navaturi. Ab hac urbe, quae per sacram b. Petri cathedram religionis Sedes, caput, et mater est (1), Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales coguntur exulare. Illi e pontificio Nostro latere per vim a militibus circumsepti divelluntur, qui vel ab ipsis Ecclesiae primordiis uti seniores populi a Moyse adsciti, coadjutores collaterales, consiliarii, administri papae adsistere, ut eorum adjumento uteretur, exercendo a Christo sibi traditam potestatem, *pascendo, regendo, gubernando universalem Ecclesiam*, quos idcirco partes sui corporis pontifices praedecessores Nostri appellare consueverunt (2).

Quid ab illis peccatum est? quae causa esse potuit, cur in eos tam acerbe, et graviter ageretur? Nulla sane prolata est, neque proferri potuit. Nullum crimen, nulla illis culpa tributa est, ne ulla quidem criminis, aut culpae suspicionis audita est querela. Illud igitur restat, ut in hoc inaudito facinore non solum vos, venerabiles fratres, ordinis vestri contem-

(1) S. Leo serm. de ss. apost. Petr. et Paul. num. 3.

(2) Eugenius IV. constit. Non mediocri §. 4. 5. et 6. concil. Florent. in definit. fidei.

ptum, et contumeliam aegerrime feratis, se si quisquam alias convertat oculos, penitusque introspiciat, quis fuerit scopus, quae mens in separando s. cardinalium collegio, et membris a capite disgregandis, probe intelliget, contra Romanam Ecclesiam intendi arcum ejus libertatem oppugnari, injici vincula pro electione Romani pontificis, ac demum Nobis ipsis bellum indici, atque Nostri apostolici officii exercitium miserrime impediri. Noverant quippe filii hujus saeculi, qui prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt praeclaram, quam apostolicae Sedi, quam Nobis cardinales praestant operam, noverant labores, curas, sollicitudines, quibus quidquid vel auctoritate valent, vel industria, vel viribus, id omne in hujus apostolicae Sedis praesidium in universalis Ecclesiae militantem, in religionis, ac fidei propagationem impendunt. Si a navi remiges, si ab exercitu primipili dimittantur, et gravissimis navim conflictari fluctibus necesse est, et innumeris exercitum obnoxium esse periculis. Nos quibus licet imperitis, Petri navim Dominus gubernandam commisit, et Ecclesiae castra, quasi ordinatam aciem, tuenda, ac defendenda imperavit, in immensum demergimur malorum cumulum, luctuosissima hac fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium ejectione, in quorum opera, labore, ac doctrina plurimum confidebamus. Quamvis enim nec navicula Petri, irruentibus undique procellis submergi, nec adversus Ecclesiae castra portae inferi praevalere umquam possint, illius tamen regimen, quod adjuvantibus S. R. E. cardinalibus, impigre tenebamus, impiorum nunc conatibus lacessitur, qui ubique conclamant: dirumpamus vincula eorum (1), ea videlicet vincula, quae nexu sanctae religionis interposito, patrem cum filiis, membra cum capite, primarium sacerdotum coetum cum supremo universalis Ecclesiae pontificiae consociant.

Quae autem causa eos a Nobis divellendi praetexitur? Nempe eorumdem originaria subditorum conditio; quae causa, quis est, qui non videt, quot quantisque nominibus omni prorsus careat fundamento? Nam praeter eam, quam omnia jura cuique permittunt, libertatem vivendi ubicumque libuerit gentium, praeter novam illam subditi rationem, quam omnes leges (ne ulla quidem excepta ejus codicis, quo tantopere delectatur imperator, de quo codice tam justas, et graves conquerendi, et moerendi, causas habemus) praeter eam igitur subditi rationem, quam omnes leges agnoscunt, probant, confitentur acquiri domicilio certi annorum temporis in aliena regione atque ditione, illud exploratum est, planeque certum, originariam subditi conditionem praevalere, nec sacris obligationibus posse, quibus cardinales erga Ecclesiam Dei sese onerant, atque obstringunt, nec sacramentis, quae dicunt, quum purpura donantur (quae sacramenta minime certe ignota sunt illis principibus, quorum ob officia, et commendationes nonnulli cardinales creantur), nec oneri consiliariorum summi pontificis in spiritualibus negotiis perpendendis, nec denique muneri, dignitatique electorum ipsius, quandocumque de successore eligendo conveniendum est. Haec usque adeo certa, et explorata sunt, ut maxime propter ista illud potissimum sacri vestri ordinis proprium, et peculiare sit, ut statim atque unius sanctae Sedis servitio juramenti religione interjecta mancipati, et in sacrum collegium cooptati sitis, quo Romae vitam agere debeatis, neque urbe discedere sine venia pontificis possitis, quemadmodum praedecess. Nostrorum constitutionibus, ac praesertim Innocentii X. cautum est (2). Quae nisi immota, planeque firma essent, actum esset de vestri collegii libertate, quae tota a laica potestate penderet, ex quo innumera, eaque acerbissima incommoda in totius ecclesiastici regiminis perniciem, praesertim ad exitum illius omni ope tuendae ac conservandae libertatis Romani pontificis eligendi, consequerentur: illud scilicet monstruosum sane, et indignum consequeretur, ut non solum Romanus pontifex consiliariis, et adjutoribus suis in ecclesiastico, et civili regimine destitueretur, verum etiam qua latius pateret unius principis dominatio, tanto etiam magis ex ejus arbitrio penderet cardinalium in urbe mansio, quod quidem quantum esset spirituali Ecclesiae regimini noxium, unusquisque facile intelligit; immo etiam ipsamet Romani pontificis electio, quae ex pervetusto Ecclesiae more, et instituto, constitutionibus apostolicis, et sanctionibus

(1) Psal. 11. 3.

(2) Innocent. X. constit. Cum juxta sacrorum.

Digitized by Google

generalium conciliorum confirmata, solis cardinalibus est reservata, in voluntate unius principis posita est; prohibere enim posset cardinalibus subditis suis, ne ad eligendum supremum Ecclesiae caput, et magistrum ad exteras regiones se conferrent, atque idcirco quum in hac vicissitudine temporum multa major cardinalium pars ab imperatoris Galliarum, et regis Italiae Napoleonis dominatione originem trahat, ipse post obitum Nostrum electionis novi pontificis dominator, et arbiter; quod quisque videt quantum abhorreat a divinis, et ecclesiasticis ordinationibus.

Ac Nos quidem ne in tanta re desides fuisse videremur, de ea datis ad dilectum filium Nostrum cardinalem in Galliis legatum literis graviter conquesti sumus; jura quae perfringebantur, protulimus, et collegarum vestrorum reditum vehementer efflagitavimus, vobisque, et principum oratoribus ea scripta mitti curavimus. Praeterea ubi primum miserrima ea res innotuit, Nostrarum partium esse duximus in memoriam revocare ipsis dilectis filiis Nostris cardinalibus, quibus profectio imperabatur, se et jurejurando, quod dixerant, Nostro dumtaxat, ac sanctae Sedis servitio addictos esse, neque ab urbe proficisci posse juxta pontificias constitutiones, licet a principibus viris in patriam evocarentur, ac proinde eos prohibuimus mandato obtemperare, nisi militari vi compellerentur. Ast militaris haec vis non defuit, ea enim est hujus Nostrae urbis captivitas, ac servitus, ut quidquid sponte facere nolumus, vi, et armis miserrime extorqueatur. Ereptos igitur Nobis, et Ecclesiae praeclarissimos viros, ministros sanctissimos, vestros collegas optimos deflemus; qua in re cum nihil Nobis ad dolorem acerbius accidere potuerit, summa tamen, qua pollent, probitas, religio singularis, invicta animi magnitudo, aliqua tristitiam Nostram leniunt consolatione, eosque non ambigimus, in multis, quas propter justitiam patiuntur, tribulationibus, luculentiora in dies virtutum exempla praebituros fore, quibus ne dum glorificetur Deus in ipsis, Ecclesia laetificetur, ac sacerdotale honorificetur ministerium, sed et totius collegii vestri praeclara quae late percrebuit, opinio cumulatissime augeatur.

Sed haec qualiscumque fuerit in hac ornatissimorum virorum constantia consolatio Nostra parum duravit; nam novis vulneribus impositis, et priora recruduerunt, et dolori dolor superaccessit; audistis venerabiles fratres, quid de Picentium provincia, atque Urbinatium, et Camertium ducatibus actum sit: audistis praeclarissimas urbes, Anconam, Maceratam, Firmum, Senogalliam, Camerinum, aliasque plures, quae florenti commercio, agrorum faecunditate, solutione vectigalium vis erant, et robur totius, quae reliqua Nobis erat, ecclesiasticae ditionis, solemni decreto diei 2. praeteriti aprilis ab imperatore Napoleone obsignato, et ad diem undecimam mensis maji solemniter Anconae promulgato, irrevocabili, ac perpetua reunione (ita horrendum spolium vocitant) Italico regno adjectos esse. Piget quidem edicti tenorem percensere, quo veritas, fides, pontificia dignitas, ac sanctiora publici, civilis, et sacri juris monimenta perfringuntur. Causa tanti facinoris praeteritur, tum quod Brittannis bellum inferre decertaverimus, ac foedus inire ad Italiae tuitionem cum Italico et Neapolitano regno, tum quod summopere duo illa regna intersit, ita sibi cohaerere, ut nulla intercedat adversaria potestas, tum quod Caroli Magni donatio in rei christianae commodum facta sit, non vero in hostium religionis utilitatem cadere debeat, tum demum quod discedendi facultas Parisiis a Nostro legato quaesita sit.

Quid de offensivo, ac defensivo foedere sentiamus, quod minae Nobis propositum est, atque obnixe die 3. aprilis (postridie quam imperatoris decretum obsignatum erat) suis ad legatum Nostrum literis imperatoris administer de Champagny omnino contendebat ineundum, jam probe nostis, venerabiles fratres, a responso, quod oratori gerendis Gallorum negotiis, qui Romae tunc temporis erat, dedimus, cujus responsi participes vos fecimus. Itaque non est cur longiori oratione ea iterum proferamus quibus et a religione, et a conscientia ab eo feriendo foedere detinebamur. Illius amantissimi servatoris vices gerimus, qui princeps pacis nuncupatus est, qui pacem venit mittere in terram, qui pacem Nos vult habere inter nos. Loco positi sumus patris omnium Dei, omnesque patrio debemus affectu complecti uti filiolos dilectos, quos Christus redemit sanguine suo; Nostrarum est partium oves, quae perierant, errantes quaerere, iisque etiam lumen evangelii praebere

qui in tenebris sedent, et in umbra mortis. Quae quidem ss. Nostri muneris officia haud est, qui non videt, nullo plane modo cum eo foedere consociari posse, ex quo in principes quoslibet (etiam catholicos) pro Galliarum imperatoris arbitrio prout nimirum cum Gallico, aut Italico imperio offensionis causa obtruderetur, bellum parare cogeremur. Quae si a Nobis fierent, et vi, ac lege perpetui foederis fieri omnino deberent, quonam modo sperare possemus, quod propter Dei gloriam, et animarum salutem a Nobis non solum optandum, sed etiam omni ope curandum est, ut quae gentes sunt extra catholicae Ecclesiae sinum, ad eam veniant, et Romanum pontificem ut illius caput et pontificem venerentur, quem cum ipsorum hostibus foederatum, ad caedes et ferrum, ad vastitatem ipsis adferendam paratum esse viderent? Sed et alia ratione Nostra ex hoc ipso loco, venerabiles fratres, causas prosecuti sumus, quibus vetaremur bellum Brittannis inferre, vobisque declaravimus rationes consiliorum Nostrorum, cum participes effecerimus ejus responsi, quod nomine Nostro nunciari a cardinali de Bayane ministris imperatoris jussimus, illud responsum, quod a Nobis in summum rerum omnium Nostrarum discrimen adductis vis ipsa, et necessitas postulavit; quale fuerit, meministis. Deinde propositis, explicatisque compluribus rationibus, ostendimus, hoc toto imperatoris consilio, quo Nos nullis injuriis lacessitos ad bellum in Brittannos gerendum compellere nitebatur, nihil aliud quaesitum esse, nisi ut probaremus, et amplecteremur illius principia, et sententias, quibus statuere volebat, illud quod non habet, jus supremi in ditiones Nostras imperii, et quicumque demum gerendi a Nobis adversus Brittannos belli color per eum induceretur, hanc semper rei summam esse, bellum illis inferri a Nobis oportere, quia hostes ipsius sunt. Quae quidem consiliorum imperatoris summa postremo specie offensivi, et defensivi foederis quaesita est, a quo foedere hac ratione proposito, et iis principiis innixo, quae diximus, abstinere Nos debuisse eminus perspicuum est.

At illud in decreto obtenditur, satis consultum non esse Italicis, et Neapolitanis exercitibus, si intercipiantur aliena inimici alicujus imperatoris dominationes. Multi imperabant olim in Italia reges, ac principes, saepe etiam inter se bella gerebant, sed nemo unus ausus est intermedios principes cogere, ut arma sumerent, et pro uno, aut pro altero dimicarent. Superioribus annis exarsit bellum inter Austriacum imperatorem, et Anglos ex una, et reges Hispaniae et Neapolis, ex altera: totum bellum in Italia gestum est: exercitus utriusque partis undique Romanam ditionem peragrabant, et modo Mediolanensem provinciam, modo Neapolitanum regnum aggrediebantur. Benedictus XIV. immortalis memoriae pontifex praedecessor Noster eamdem tenuit, quam Nos sequimur, agendi rationem, et nullius principis foederatus, aut hostis, utriusque sibi conciliavit benevolentiam, neque ab alterutro ad arma sumenda contra aemulum compulsus est. Sed in alia Nos incidimus tempora: creatur Nobis invidia, quod sectemur potius vexillum pacis, quam militari cingulo induamur, et acerbissimo animi Nostri dolore tamquam Galliae imperatoris, et Italiae regis hostes traducimur, sicut imperiali illo edicto innui videtur: sed ad tantam propulsandam calumniam in Nos maxima consolatio sustentat, quod nullum a Nobis amoris, nullum studii, nullum benevolentiae officium defuit, testes ipsius milites, testes legionum duces compellamus, quibus paratissimae ubique in ditione Nostra stationes patuere, atque uberrimi commeatus tributi sunt, licet inops fisci aerarium, et exhaustum, hisce tot, tantisque non esset oneribus ferendis, quae proinde dilectissimis subditis Nostris imponere compulsi sumus. Testem etiam appellamus ipsum Napoleonem, qui semper in iis, quae potuimus, faciles Nos, atque indulgentiores nactus est, qui in charitate, in patientia, et in longanimitate sustinuimus utriusque potestatis nostrae spiritualis, et temporalis jura ab illo fuisse violata; qui statim declaravit imperii insignibus decorari, et sacro chrismate per Nos inungi se maxime optare, haud excusatione provectae aetatis, aut parum firmae valetudinis, aut rigidissimi hyemalis temporis usi sumus, sed omnibus posthabitis ejus desiderio obsecundavimus. At quosnam fructus ex hac profectione Nostra reportavimus, vel et melius reportaverimus, vos scitis, venerabiles fratres, et totus terrarum orbis intuetur. Quae quidem Nostra in ipsum merita haud a Ne-

bis commemorata idcirco fuisse quis putet, ut Nobis gratiam referri velimus. Cum etenim eo Nos animo comparatos esse gloriemur in Domino, ut nec eorum, quae gessimus, Nos poeniteat, in quibus praesentem Deum ipsum, et Ecclesiae utilitatem prae oculis habuimus, nec injurias injuriis ulcisci velimus, id unum contendimus, ut acerbissimam, atque falsissimam, quae Nobis inuritur, hostis notam removeamus.

Quae vero in eodem edicto de Caroli Magni donatione dicuntur, refutatione non egent. Magnae certe omnibus admirationi est, illo edicto facta Caroli Magni commemorari, ac tanti imperatoris in Ecclesiam merita, et voluntatem ita obscurari, atque converti, ut quae illum gessisse constant pro suo eximio in religionem studio, pro sua singulari in apostolorum principem pietate, pro sua in apostolicam Sedem observantia, ea nunc in contraria omnia, et in ejusdem Sedis perniciem, atque ruinam traducantur.

Res loquimur, venerabiles fratres, notissimas, omniumque historicorum consentione firmatas, nec non vetustissimis, et coaevis etiam monumentis testas. Quum siquidem octavo saeculo grassaretur ex Leonis Isaurici perfidia Iconomachorum haeresis, quum Longobardicis armis squallerent omnia, quin miserrimis Italiae rebus ullum ab imperatoribus praesidium expectari posset, mirum profecto est, quo studio, qua cura, qua sollicitudine Romani pontifices populorum incolumitati consulerent. Id tum Gregorius II. tum Gregorius III. tum Zacharias viri ss. feliciter praestitere, ponentes se in murum aeneum pro populo suo. Monuerunt primum orientis imperatores, ut a saeva contra catholicos persecutione pro dilatanda Iconoclastorum haeresi desisterent. Rogarunt praeterea, ut Italiae populis sua sarta esset religio, ut exarchorum saevitia cohiberetur, ut temporalibus subsidiis, ac felici gubernatione a barbarorum ac praesertim Longobardorum regum excursibus liberaretur. Istiusmodi aequissimae pontificum quaerimoniae ad orientis imperatores delatae nihil impetrarunt. Nam in catholicos durius saevitum est, et miserrimi Italiae populi culpabili indolentia Longobardorum tyrannidi derelicti. Hinc sedulam operam navarunt Romani pontifices pro Italiae tranquillitate; ex quo factum est, ut potior esset Romae et apud Italiae populos pontificis auctoritas, quam orientalium imperatorum, qui sedem imperii, et provincias hostibus diripiendas dimiserant. Itaque primum Romani, tum plures Italiae civitates spontanea deditione Romanae Ecclesiae potestati se subjecerunt, cujus praeterea auctoritas mirum in modum amplificata est ex suavi, et leni summorum pontificum imperio, qui sui officii partes esse putabant, pacis foedera sancire, bella avertere, urbes tueri, amissas recuperare, hostes propulsare, atque ita nedum nomine, sed re ipsa principatus juribus fruebantur, et sapientis Dei providentia, qui suam sponsam suo sanguine redemit, suo spiritu dotavit, donis coelestibus exornavit, ditavit nihilominus et terrenis (1). Ast graviora semper a principibus Longobardorum pontificiae dominationi maxime infestis Italiae impendebant mala, quibus avertendis Stephanus III. adiit Pipinum Caroli Magni patrem, ut Aistulphi insolentiam totam pene Italiam depopulantis compesceret, eumque ad reddendas eas urbes, ac provincias adstringeret (2), quas uti ad Romanum jam pontificem spectantes pontifex repetebat: verba sunt Thomassini (3) qui patrem illis se et patronum spiritualem, temporalemque exhibebat jamdiu, qui jamdiu regebat, et tuebatur, qui earum saluti thesauros suos toties impenderat, vitam impendere toties praesto fuerat, qui Longobardorum tyrannicae dominationi toties eas subduxerat, qui unus gubernacula tractaverat, ex quo imperatores his se Italicae curis penitus exuissent. Pipinus, qui fidei, religioni, ac Romanae Ecclesiae juribus vindicandis se devoverat, id unum contendens, ut suam princeps apostolorum susciperet justitiam (4), Italiam ingressus ab Aistulpho occupatas provincias recuperavit, recuperatas restituit b. Petro, amplissimaque donatione auxit, confirmavit, et numquam ablaturum promisit. Atque ita effectum est, ut Ravennam cum exarchatu, Ariminum, Pisaurum, Senogalliam, Auximum, Anconam, Fanum, Æsium, Montem Feretri, Urbinum,

(1) Bernardus epist. 244.
(2) Anast. biblioth. de vit. pont. sect. 235. n. 43.
(3) Thom. 3. part. de benef. lib. 1. cap. 29. n. 8.
(4) Ita Hincmarus Rhemensis opusc. 9. ad Hadrianum papam.

Callium, Eugubium, aliasque continentes urbes, et loca, quorum nonnulla ea aetate sub (1) Pentapolis nomine comprehendebantur, libero, absoluto, atque indipendenti dominatu Ecclesia Romana assecuta est. Quumque orientis imperator illustri ad Pipinum legatione missa eas urbes, ac provincias uti ad Romanum imperium spectantes reposceret, ita respondit: Nulla penitus ratione easdem civitates a potestate b. Petri, et jure Ecclesiae Romanae, vel pontificiae apostolicae Sedis quoquo modo alienari pati (2) adfirmans etiam sub juramento, quod per nullius hominis favorem sese certamini saepius dedisset nisi pro amore b. Petri, et venia delictorum, adserens et hoc, quod nulla ei thesauri copia suadere valeret, quod semel b. Petro obtulit, auferre (3). Pipini patris pietatem Carolus filius imitatus est, ejusque donationem confirmavit, ac suis ipse manibus super corpus b. Petri eam ponens sub terribili sacramento promisit, se omnia conservaturum, quae a Longobardorum gente vindicarat, et eidem apostolo tribuerat, cujus ex jure dignoscebantur, uti Hadrianus papa scribit in epist. ad Constantinum imperatorem, quae in septima oecumenica synodo recitata est (4). Multa quoque alia proferri possent monumenta quae liberalitatem Pipini regis, et Caroli Magni imperatoris utroque titulo restitutionis, et donationis appellarunt (5), et jure optimo: quaedam enim loca restituere, quaedam donare professi sunt. Sed longiori oratione opus non est in re apud auctores etiam etherodoxos comperta et comprobata: praeteriri tamen silentio nequit, tanta Carolum Magnum Romanam Ecclesiam pietate, et devotione prosecutum esse, ut in ea carta, seu testamento, quod pro divisione regni sui inter suos filios in villa Theodonis condidit, nihil de imperio, aut de regionibus b. Petro donatis statuerit, eo quod et imperatorem eligi juris erat solius Romani pontificis, et regiones b. Petro oblatas eidem auferre immane scelus putaverit. Quapropter in eodem instrumento sic filios est alloquutus « Super omnia » autem jubemus, ut ipsi tres fratres curam, et defensionem sancti Petri simul suscipiant, sicut quondam ab avo nostro Carolo, et beatae memoriae genitore Pipino rege, et a nobis postea suscepta est, ut eum cum omni adjutorio ab hostibus defendere nitantur, et justitiam suam quantum ad ipsos pertinet, habere faciant (6). Suo et Lodovicus Pius diplomate donationem hujusmodi ratam habuit, nullamque in iis locis sibi, ac successoribus partem, aut potestatem disponendi, aut judicandi, subtrahendique, aut minorandi reservavit. Curam dumtaxat, et defensionem s. Petri, iis plane verbis, quibus suo testamento Carolus Magnus usus fuerat, suis filiis et ipse commendavit.

Inficiari nemo potest, quin pro tantis a Carolingiae stirpis principibus Ecclesiae Romanae collatis beneficiis, maximae iis habendae sint gratiae, eorum enim ope et restituta, et aucta, et perenni donatione Romanorum pontificum temporalis est confirmata potestas, et principatus jura, quae obtinent. Sed nec umquam hi nullo defuere officio erga illos, imo etiam maximis favoribus cumularunt. Pipinus primus Francorum rex appellatus fuit a Zaccharia pontifice, et titulo christianissimi (7) decoratus, ejus filius Carolus Magnus primus imperatorum occidentis a Leone III. solemni ritu inauguratus est, et ejus exemplo Ludovicus Pius a Stephano IV. Lotharius a Paschali I. Ludovicus II. a Leone IV. et alii multi, itaut non diffiterentur Francorum reges eos dumtaxat appellari, et dici posse imperatores, quos Romanus pontifex oleo sancto linisset. Ita scripsit Ludovicus II. Basilio Macedoni orientis imperatori (8).

Sed illud, quod maximi ponderis est, ad tuendum Romanae Ecclesiae in suis ditionibus principatum a longaeva decem et ultra saeculorum pacifica possessione repetere praesertim oportet, quam neque unus ex regibus,

(1) Nomina Pentapoleos sunt Italicae urbes Ariminum, Pisaurum, Fanum, Auximum et Ancona.

(2) Anast. de vit. pont. sect. 251. Pagius ad an. 755. n. 2.

(3) Tomass. 3. part. de benef. lib. 1. cap. 29. num. 6. et 7. p. Daniel. Hist. Gall.

(4) Anast. biblioth. loc. cit.

(5) Vid. Cennius praef. ad Hocton n. 21. et seq.

(6) Baron. ad ann. 806. n. XXIV.

(7) Gregorius III. Carolum Martellum Christianissimum appellavit Baron. ad an. 740. §. 20. et Labbeus Jo. 6. Coral. pag. 1472. (1) (1) Gregorius III. electus XV. kal. april. an. 715. papa post s. Petrum 92. Zaccharias kal. decem. ann. 741. inauguratus papa post s. Petrum 93.

(8) Refertur epist. a Baronio ad an. 871. §. 59.

aliisque potentatibus saeculi proferre potest. Imo si quis cujuscumque familiam tam longevae possessionis jure munitam a privato fundo exturbare auderet, neque a judice audiretur, et nonnisi per vim et calumniam id fieri posse unusquisque censeret, quanto magis Ecclesiae, et praesertim Romanae cui tanta privilegia concessa sunt, et contra quam nec longissimi temporis valet praesumptio, sua temporalis possessio salva, et integra servanda est, qua nullum sanctius manere, nulla potior causa, ac detentio haberi potest, sicuti etiam apud ipsos parum Nobis faventes scriptores mirifice in confesso est (1).

Haec tamen, quae, sanctissima apud omnes gentes, et populos longissimae possessionis haberetur ratio, novissime despecta est, et quod uberem lacrymarum fontem elicit, *filii matris meae pugnaverunt contra me. Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique* (2). Sed haec perpeti debere a potentissimo principe, qui se Caroli Magni esse successorem putat, et quem multis, justisque de causis ab ipso Nobis oblatis sperabamus in tuenda Ecclesia Dei, si non superiorem, ut certe parem Carolo Magno futurum, tantam habet profecto doloris magnitudinem, et acerbitatem, quantam nemo non intelligere poterit, qui quidem videat nunc Caroli Magni religiosissimi principis praeclara pietatis documenta radicitus everti, beneficia retractari, donationem, et a donatione profecta jura sanctissima, et antiquissima perfringi, et conculcari, bellum intentari, atque adeo indici, Ecclesiam denique Romanam, quam ille tam vehementer amaverat, coluerat, defenderat, auxerat, luctuosissimis vexationibus quotidie affligi, totamque compilari! Quae si omnibus acerbissima essent, illisque etiam, qui justo bello superati hostes aliquando fuissent, et in victoris venissent potestatem, quid de Ecclesia matre, ac Nobis ipsis existimandum est, qui parentis loco a Deo constituti, non hostis odium, sed amantissimi patris benevolentiam, charitatem, indulgentiam Gallorum imperatori, atque Italiae regi omni semper tempore verbis, factisque patefecimus?

Sed quasi parum fuisset tot provinciarum nostrarum ereptione, aliisque factis lacessisse, additum etiam maledictum, et contumelia: in eodem edicto diei 2. aprilis, de quo agimus, insimulare Nos videtur, quod donatione Caroli Magni abutamur, quae cum in sanctae Nostrae catholicae religionis utilitatem facta fuerit, per Nos in ipsius hostium compendium convertatur. *Loquimini justitiam qui judicatis terram*. Eumdem Napoleonem compellamus, et ut supra affligimus; ipse fateatur, utrumne tota fere Nostra temporalis ditio suis militibus obruatur, utrumne apertum aerarium nostrum parandis sumptibus, et commeatu, utrumne ulli parcitum sit expensae cum tanta subditorum Nostrorum vexatione, ut nihil fere deesset suis copiis non tantum ad sustentationem, sed etiam ad delectationem. Hostibus haec sunt impensa beneficia? Ita potius dicendum videretur, quoniam pro beneficiis injurias, probra, et contumelias recepimus, ac bellum demum indictum est, et quasi ab hostibus urbs haec Nostra est in captivitatem redacta, provinciae ereptae, et tota Nostra temporalis potestas sub jugo posita, et lacerata. Sed illatarum Nobis injuriarum ex intimo cordis sensu obliviscimur libentissime, non conquerimur pro amaritudine animae nostrae, qua operti, oppressique sumus: nostris haec debentur culpis, quarum Deus judex est: vehementer dolemus, et gravius angimur contumelias istiusmodi ipsam b. Petri sedem afficere. Non enim nobis a Gallorum imperatore sunt ereptae provinciae, et urbes Picentium, Urbinatium et Camertium, sed Ecclesiae Romanae, cujus sunt patrimonium, et dos ex ipsius etiam Caroli Magni confessione, atque sententia. Nos earumdem sumus administratores, et depositarii: si aliqua adfuisset culpa, in Nos, et non in Ecclesiam refundenda esset: at contra innocens Romana Ecclesia mulctatur, atque in perpetuum absque ulla spe restitutionis suo patrimonio spoliatur, quod ut palam omnibus innotescat, et quibuscumque Romanis pontificibus successoribus Nostris omnis spes recuperandi ablatas provincias adimatur, expressis verbis irrevocabiliter, et in perpetuum regno Italico eae provinciae adjiciuntur. Quod igitur de providentia, et piorum principum liberalitate factum fuerat, quod decem saeculorum et amplius spatio erat confirmatum, quod consentione omnium principum, ut sacrum et inviolatum habebatur, ut nimirum

(1) Muratori.

(2) Cant. Cantic. 1. psal. liv. 13.

Romana Ecclesia temporalis etiam dominationis praerogativa fulgeret, nunc unius voluntate disjectum, disruptum, ac dissolutum est cum maximo Christianae reipublicae detrimento. Etenim nemo ignorat, quot, et quam ingentia in universam Ecclesiam dimanaverint bona ex conjuncta temporali cum spirituali Romani pontificis potestate: id quod alias nostra oratione complexi sumus, et supervacaneum existimamus illa repetere, quae adversarii nostri quoque vi veritatis impellente fateri coacti sunt. Haec si quispiam aequa lance pensabit, videbit profecto importatae calumniae acerbitatem quod nos pia Caroli Magni liberalitate in perniciem sanctae religionis abutamur. Quod quidem injuriosum, et calumniosum commentum hoc acerbius est, quo magis sine causa excogitatum, et objectum est ab eo, qui magnam partem provinciarum ditionis nostrae sibi usurpat, non certe cum aliquo religionis emolumento, aut incremento. Saepe enim dolere debuimus ab eo in quibusque sui dominatus regionibus haereticos cum catholicis tolerari, eaque tolerantia, quae utrosque et cultu, quem sequi malint, libere uti permittat, et paribus complectatur privilegiis: quod nunc quoque in provincias induci Nobis ereptas dolendum erit. Augebuntque dolorem nostrum et organicae leges Parisiis conditae, et concordatum nobiscum initum, sed jam pridem eversum, et aliae quoque pactiones pro reipublicae tunc Cisalpinae provinciis tantum ad alias quascumque Italiae provincias bello deinde acquisitas contra jus fasque omne ampliatae et prorogatae, quae omnia nunc cum magna religionis pernicie in provincias etiam Ecclesiae Romanae direptas inferri videre debuimus. Ad haec et regulares ordines in iis etiam extingui, et eorum bona fisco applicari, et religiosos utriusque sexus dispergi, cogique emendicata pensione miserabilem vitam ducere, tum episcoporum auctoritatem civili potestati subjici, immunitates Ecclesiae tolli, planeque deleri, postremo codicem promulgari, urgerique, in quo ut multa, sed leges praesertim, quae de impedimentis matrimonii, divortiisque disponunt, divinis et ecclesiasticis institutis contrarias complorare cogimur. Has leges fere toti Italiae impositas et hanc late vagantem perniciem, ut ab ea et ab Ecclesia Dei amoveremus, nihil non egimus, quam nunc ne a Nostris quidem provinciis arcere poterimus quibus a Nobis ereptis imperator uti se melius ait in religionis Nostrae decus, et commodum, dum in eas haec tam lamentabilia, et religioni exitiosa inducit.

Tantis Ecclesiae calamitatibus, quantum per Nos licuit, remedium afferre non praetermisimus, preces, supplicationes, aequas etiam, ac honestas conditiones imperatori obtulimus, ut ab incoeptis abstineret, patientia, longanimitate, charitate eum flecti posse sperabamus, itineris Nostri in Galliam fructum, et multarum rerum emendationem, nobis ab ipso imperatore promissam expectabamus, sustinuimus adhuc, et per patientiam, et consolationem scripturarum bonum esse existimavimus *praestolari cum silentio salutare Dei* (1). Verumtamen recogitantes quoque sapientis consilium *tempus tacendi, tempus loquendi* (2), satis silentio indultum esse Nobis visum est, et clades jurium Ecclesiae, quae non animis tantum, sed prope omnium oculis adversantur, ne dum conscientiae stimulus pro exequendo Nostri pastoralis officii debito Nos admovent, ut vobiscum de tantis injuriis iterum hac Nostra oratione conqueremur. Prioribus pejora accesserunt, plagae plagis impositae, Roma apostolorum principis Sedes, religionis centrum, orbis magistra, in servitutem posita, nosque ipsi Petri successores captivi, patrimonium Ecclesiae direptum, quae quidem utpote temporalia detrimenta tollerabiliora viderentur iis ausibus, quibus spiritualem Nostram auctoritatem, et Ecclesiae et religionis jura imperator aggressus est. At cum nuperrima ista satis declarent, velle illum et spiritualem et temporalem Ecclesiae potestatem delere, utrique consulimus damnando eos ausus, quos ad perniciem utriusque patravit. Quid enim? urbe capta, Nostro pascendi, atque docendi Dominicum gregem muneri impedimenta objecta sunt. Typographis sub capitali poena imperatum est, ne quidquam in vulgus ederetur, nisi venia impetrata a militari duce: multi sacerdotes vi ex urbe expulsi: literarum commercium violatum: pontificiae Nostrae domus despecta sanctitas: nobilissima excubiarum Nostrarum cohors dissoluta; et quia Nobis obligatam fidem frangere

(1) Jerem. lament. 3. n. 6.

(2) Eccl. III. 7.

noluerunt, nulla alia sane culpa conquisiti, capti, et in arcem detrusi, urbis portae, carceres, viae, fora, stationes, deductis Nostris militibus contra fidem sacramenti ad imperatoris stipendia Gallis redundant, et Nos spreta omni apostolicae dignitatis majestate, absque duce, absque ullo militari praesidio derelicti, nec nostrae, nec subditorum nostrorum saluti, et incolumitati consulere possemus; ne quid deesset contumeliae in tanto dignitatis Nostrae contemptu, et nequissimi homines majori intumescerent audacia, die 17. martii proxime praeteriti publicatum fuit, ac typis editum in hac urbe, ac imperatoris nomine programma, in quo milites Nostri perduellionis rei plurimum laudati sunt, quoniam sicut dedecet milites mulierum imperio subjacere, eodem modo ridiculum esset subjacere sacerdotibus. Quid plura? Optimus et integerrimae probitatis vir, et hujus Sanctae Ecclesiae praelatus Franciscus Cavalchinus hujus urbis gubernator, brevi horarum spatio interjecto, expulsus ab urbe est, in arctam custodiam detrudendus.

Haec labente eodem mense martio in urbe patrata sunt. Edito autem, ac promulgato saepe memorato edicto die 2. aprilis, alia innumera id genus facinora ad augendum dolorem nostrum in usurpatis provinciis commissa sunt, quae omnia prosequi nimis longum foret: sat proinde sit referre, quod in primis imperatum est, ut leges omnes, quae in praefato codice Napoleonis continentur, vim habeant, prout in quibuscumque aliis Gallici imperii, et Italici regni provinciis cautum est. *Conculcantur*, ut s. Bernardi verbis utamur (1) *conculcantur ubique sancta, et Ecclesiae turpiter ancillatur*. Iterum praeterea gravissimum illatum Nobis vulnus recruduit, de quo supra meminimus, cum cardinales ab urbe avulsos deflevimus, alii quatuor ex ordine vestro compelluntur ab urbe discedere, quibus quamvis natis in iis provinciis, quae nuper Nobis ereptae sunt, optio datur vel redeundi intra Italicum regnum (quasi Nostrae illae provinciae pars umquam fuissent ipsius regni, aut jure aliquo sub regis Italiae imperio transire potuissent) vel amittendi bona, quae possident, fisco addicenda. Haec autem jussio non pro solis cardinalibus data est, sed ad quoscumque alios Romae degentes indicta, qui servitio Nostro alicujus muneris perfunctione mancipati sunt. Quid tam contrarium legibus, juribusque cujuscumque expolitae nationis, quid tam injuriosum Nobis, et Romanae Ecclesiae fingi poterat, quam si non vi et armis, sed poena publicationis bonorum avertere ab illius servitio viros optimos, qui longa experientia, probata fide suam operam in spirituali orbis universi procuratione praebebant, vel siqui alii Nobis, aut huic urbi suos labores, ac curas impendebant, quasi alicujus criminis reos, aut compellere ab urbe discedere, vel gravi poena mulctare? Neque talia mandantes *excusent excusationes suas in peccatis*, dicantque, non haec juberi ministris Ecclesiae, sed solum iis, qui in Romani pontificis, tamquam temporalis principis obsequio sunt mancipati. Quae est ista defensio? *Defecerunt scrutantes scrutationes consilia mala*. Nimirum studiose affectarunt in illo edicto uti verbis, quibus temporalem Romani pontificis dominatum a sua spirituali potestate distinguant, ut hoc modo allatas utrique injurias ad solum principem, non ad pontificem referri debere contendant. Oh infelix astutia! Numne licet umquam principem quemquam pacificum, moderatum, et justum, bonis spoliare, ministros timore poenae ab officio deserendo tentare, injuriis, maledictis lacessere? Quod si idem princeps sublimi alia dignitate refulgeat, ac praesertim pontificali, nonne duplicis criminis fit reus, qui et principem et pontificem tam graviter offendit? Neque enim laedi princeps potest, quin laedatur pontifex, cum una sit Romani tum pontificis, tum principis persona, eo plane modo, quo nemo injuriam facere regi Italiae posset, quin eamdem Gallorum imperatori faceret, quum unus vir nunc sit et rex et imperator. Videte, venerabiles fratres, quam verum sit, quod supra memoravimus, intendi arcum, non minus in temporalia Ecclesiae Romanae bona, sed, ipsam in Ecclesiam, in sanctam religionem ipsam, sed celari venenata tela, *ut sagittent in obscuro rectos corde*, et inimicorum consilia adjuvent, qui percusso in utroque temporali, et spirituali suo munere supremo Ecclesiae pastore, gregem universum dispergi posse sibi suadent. Miseri! non reminiscentes adesse

(1) Epis. 224.

pastorum principem Jesum Christum Dominum Nostrum, qui suo nutu restaurat universa.

Multa alia essent commemoranda, venerabiles fratres, in tanta horum temporum calamitate, quae quia longiora viderentur, si dicerentur, ex hoc loco, satius est illa praeterire, et plus lacrymis prosequi, quam fusiori sermone. Nullo tamen modo praetermittendum est, non videri Nobis, istis, quibus affligimur, tribulationibus finem aliquem cito adfuturum. Convertimus oculos ad Galliae imperium, et leges organicas, quas improbavimus, nec improbare umquam cessabimus, supra leges Ecclesiae dominari conspicimus. Deplorare etiam quotidie debemus episcoporum auctoritatem eo plus imminui, quanto magis administro laico cujuscumque cultus praefecto subjicitur. Universitatem nuper Parisiis erectam a qua caeterae in Galliarum imperio regulam sumere debent pro instruendis adolescentibus, quamvis in seminariis enutritis, et ecclesiasticae militiae adscribendis, neglecta episcoporum vigilantia, et inspectione omnem sibi pro delectu studiorum in sacris etiam disciplinis vindicasse auctoritatem: caetera omnia in perniciem jurium Ecclesiae jamdiu sancita, non modo non revocari, sed validius in dies confirmari: in Hetruria cernimus transferri, et executioni mandari leges, quae pro Italico regno constitutae sunt: in provinciis Picentium, Urbinatium et Camertium, vos ipsi pernoscitis, venerabiles fratres, quid statutum sit, quid timendum.

Quid plura? In hac ipsa urbe Nostra, captivis Nobis audientibus, et vi, ne tanto malo mederi possimus, oppressis, celebrantur omni pudore deposito, conventicula, et aggregatione hominum tenebrosissimorum, qui *liberi muratores* nominari volunt, quas societates, et aggregationes duo summi pontifices praedecessores Nostri felic. recordationis Clemens XII. et Benedictus XIV. binis editis constitutionibus gravissime, ac severissime prohibuerunt (1). Eas Nos constitutiones etsi nullius egeant confirmationis, tamen in omnibus confirmamus, et approbamus, earumque robur et obligandi vim, ipsasque in illis constitutas, et sancitas poenas ex hoc loco, quantum maxime possumus, in memoriam omnium revocamus.

Aliud etiam facinus, venerabiles fratres, commemorandum, et complorandum est, omninoque illud, cujus memoriam nulla umquam quam delebit oblivio, quod quicumque audierit, tinnient ambae aures ejus (2) quod nemo credet cum narrabitur (3). Quinto decimo kalendas julii, tribus circiter a meridie horis, in has ipsas Quirinalis aedes, quas incolimus, in ipsa penetralia dilecti filii Nostri Julii cardinalis Gabrielli, qui ministri Nostri munere ad omnia publica tam civilia Nostra, quam spiritualia totius orbis negotia fungebatur; venire jussi sunt taxiarchi milites duo, qui cardinalem convenientes sigilla ipsius scrinio apposuerunt, posito ibi gregali milite, qui sigilla tueretur, et cardinalem bidui spatio Roma discedere, et Senogalliam ad episcopatum suum proficisci jusserunt.

In hoc uno facinore, venerabiles fratres, tam multa insunt, ut omnia enumerare difficile sit. Opprimitur, et urbe ejicitur ab illis, qui nullum hujusmodi jus habent, vir Romae summo loco natus, et innocentissimus, idemque episcopus, et cardinalis, et primariis administer Noster et opprimitur in ipsa aede Nostra, et prope Nos ipsos: in eum autem saevitur hoc modo nullam aliam ob causam, nisi quia Nobis parere debuerit, qui ei praeceperimus, ut quaedam mandata Nostra ad dirigendas conscientias hominum illis, quorum intererat, nota faceret. Violantur omnia jura, et illa ipsa, quorum sanctitas aeque apud omnes gentes, feras etiam, et barbaras, omni semper tempore agnita et custodita est. Sanctum est apud omnes exterorum ministrorum domicilium, sancta eorumdem scrinia. Hoc saeculo tantum, atque his moribus violari sine pudore videre debemus non privatum alicujus ministri exteri domicilium, non ejusdem scrinia, sed publicum pacifici principis palatium, et summi Catholicae Ecclesiae pontificis aedem, in qua primus ipse et principis et pontificis administer, quem omnia jura et mores tuerentur, si in alio quocumque terrarum loco esset, tutus esse ac sibi habere scripta muneris sui non potest! Eum milites conveniunt, ipsius scripta perquirunt, expellitur, ejicitur, exulare per vim jubetur!

Quantam habeant haec facta, venerabiles

(1) Clemens XII. In eminenti edita anno 1738. Benedictus XIV. Providus Romanorum 1751.

(2) 1. Reg. III. 2.

(3) Hab. 1. 5.

fratres, in Nos ipsos injuriae, violentiae, et contumeliae molem probe videtis. Et tamen dum haec contra Nos, nostrorumque primatum fiunt, fucus apud incautos, et consilii inopes praeclaris verbis ostenditur, quibus amplissimae significationes honoris, et reverentiae erga primatum, et spiritualem potestatem Nostram exagerantur. Quas non sinceras esse vel ipsis caecis haec tam luculenta, et in oculis omnium gentium tot, et tanta, et toties repetita facinora contra omnia divina humanaque jura demonstrant. Contra haec facinora, contra hos ausus, quorum nihil simile invenire est, ex quo gentes esse coeperunt, coram Deo protestati sumus, et nunc coram omnibus hominibus protestamur. Gaudio quidem afficimur, quum videmus dilectos filios Nostros insigni fide, patientia, constantia tolerare calamitates, in quas violentae aliorum manus ipsos sine ulla justa causa conjiciunt, et parem ab omnibus virtutem atque constantiam Nobis polliceremur, quibus sors similis parata sit. Non enim, ut apparet, violentus hic calamitatum, et miseriarum torrens tam cito defervescet, nec malorum finis nunc futurus esse videtur. Verum non concidamus animo, venerabiles fratres, coelis etiam, et terra transeuntibus, divina promissionis verba non transibunt. Christus supra petram aedificavit Ecclesiam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.

Nos interim, qui ex commissi Nobis pastoralis muneris debito religionis vindices, Ecclesiae adservatores positi sumus in terris, ne in tanta bonorum omnium afflictione, in jurium sacrorum contemptu, in immani temporalis nostrae ditionis direptione, uno verbo, in summa totius Ecclesiae tantis jam agitatae procellis perturbatione ex turpi desidia siluisse videamur, ac desertae causae Dei ex diuturno silentio rei efficiamur, praeter literas ad curatorem negotiis Italici regni administrandis datas, earumdemque exemplaria oratoribus principum tradita, quod unum, sublata Nobis typographia libertate, ad Nostra consilia proferenda habemus commodum, atque perfugium, vos etiam alloqui voluimus, ut amplissimum voluntatis Nostrae testimonium exhibeatis.

Nostro itaque cum primis successorum Nostrorum, et Sanctae Romanae Ecclesiae nomine, solemniori quo possumus modo, vim conquerimur, quam patimur, et quam in futurum passuros fortasse Nos ipsi veremur. Sarta tecta atque integra jura esse conclamamus Ecclesiae, atque illesa successoribus Nos relinquere protestamur: quin ex injustissimà eorum oppugnatione, et pro iis, quae huc usque gesta sunt, et pro caeteris, quae forsitan gerentur in posterum, nulla ratio, jus ullum iis gignantur, per quos haec mala venerunt super Nos: nullam vero, ne remotissimam quidem, causam, occasionem Nos praebuisse asserimus (testis est Nobis Deus, testes angeli, et homines) cur tot, tamque acerba Ecclesiae vulnera infligentur, imo nihil omnino a Nobis praetermissum, ut tantam a sancta Sede perniciem depelleremus, paratis vel animam ponere pro populo Nostro, quem in osculo sancto amplectimur. Omnia probe calletis, ven. fratres, quorum studio, opera, consiliis tantum Nobis in summo rerum discrimine praesidium, ac solatium collatum est. Ii vero, qui ad res Ecclesiae ejusque jura convellenda, et ad ecclesiasticas personas divexandas mandata, manum, opera, consilia, favoremque praebuere, aut alia quavis ratione in tanta malorum colluvie partem habuere, consulant conscientiae suae, et illius iram revereantur, qui testatus est, in eos se insurrecturum, qui polluerunt templum sanctum suum.

Ipsum autem Napoleonem imperatorem obsecramus in Domino, ut auferat demum malum de domo Israel, sua Ecclesiae jura, debitumque splendorem restituat, neque iis se abduci patiatur malorum hominum consiliis, qui amplificandae regalis majestatis specie aeternam illis perniciem, atque gravissima religioni detrimenta parare conantur. Laeta Nobis proinde, laeta Ecclesiae, laeta bonis omnibus, sibique ipsi decora, et salutaria consilia complectatur. Deum vero omnipotentem, qui rex regum est, et Dominus dominantium, Deum Sabaoth, qui aufert spiritum principum, Nostrae, seu potius suae causae vindicem invocamus, ut assertorem respiciat, quaesumus, de caelo, perficiat, et custodiat vineam, quam plantavit. Adsit praesenti auxilio nobis, adsit Ecclesiae, adsit causae suae. Id assidua prece venerabiles fratres, quod unum habemus refugium, id in jejunio, et lacrymis a patre totius consolationis efflagitemus. Levemus oculos Nostros in montem excelsum, unde veniet auxilium Nobis, atque a

pastorum principe imploremus, ut imperet ventis, et fiat tranquillitas magna in mari. *Dominus in circuitu est populi sui ex hoc nunc, et usque in saeculum* (1).

Pius PP. VII.

Dat. die 20. julii 1808. Anno IX.

DLI.

Concessio nonnullarum indulgentiarum pro congregationibus, et confraternitatibus utriusque sexus vel aggregatis, seu in posterum aggregandis cuicumque ecclesiae hospitali, et oratorio sancti Joannis Dei, in quibus habetur devotio nuncupata Bonae Mortis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ratio concessionis.

§. 1. Pias Christifidelium confraternitates ad pietatis, et charitatis opera exercenda provide institutas spiritualibus favoribus et gratiis, libenter prosequimur, prout in Domino salubriter expedire conspicimus. Cum itaque, sicut accepimus, in nonnullis ecclesiis, seu cappellis, aut oratoriis hospitalium fratrum ordinis sancti Joannis Dei pia ac devota utriusque sexus Christifidelium confraternitas, seu congregatio de Bona Morte nuncupata, non tamen pro hominibus unius specialis artis, canonice, ut asseritur, erecta, seu erigenda sit, cujus confratres, et consorores quamplurima pietatis, et charitatis opera exercere consueverunt, seu intendunt.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos ut confraternitates, seu congregationes in ecclesiis, vel capitulis, aut oratoriis hujusmodi ubicumque existentibus tam ad praesens canonice, ut praefertur, erectae, ac in posterum etiam canonice erigendae majora in dies suscipiant incrementa, supplicationibus quoque dilecti filii moderni superioris generalis ejusdem ordinis sancti Joannis Dei Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi; omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui aliquam ex dictis confraternitatibus, seu congregationibus in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes, et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam; ac tam descriptis, quam pro tempore describendis in dictis confraternitatibus, seu congregationibus confratribus, et consororibus in cujuslibet eorum mortis articulo si vere pariter poenitentes, et confessi, ac sacra communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen Jesu ore si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, etiam plenariam.

Designatio dierum in quibus indulgentiae consequi poterunt.

§. 3. Nec non eisdem nunc, et pro tempore existentibus dictarum confraternitatum, seu congregationum confratribus, et consororibus etiam vere poenitentibus, et confessis, qui semel quolibet mense in una ex feriis sextis, seu in una ex dominicis per eos ad sui libitum eligenda prout expositio sanctissimi Eucharistiae sacramenti in singulis anni feriis sextis, vel Dominicis fiet, nec non in Nativitatis, Resurrectionis et Ascensionis Domini Nostri Jesu Christi, Pentecostes, ss. Trinitatis, ac solemnitatis ss. Corporis Christi, et in Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis B. Mariae Virginis immaculatae, nec non nativitatis sancti Joannis Baptistae, et ss. apostolorum Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Philippi et Jacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis, ac Judae et Mathiae, nec non sancti Josephi, et celebritatis omnium sanctorum festis diebus supradictas respective ecclesias, vel capellas, aut oratoria devote visitaverint, ibique ss. Eucharistiae sacramentum sumpserint, ac pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, haereticorum, et infidelium conversione, Sanctae Romanae Ecclesiae exaltatione, ac Nostra, et Romani pontificis pro tempore existentis prosperitate pias ad Deum preces effuderint, quo die praedicatorum id egerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Quoties vero expositioni ejusdem ss. Eucharistiae sacramenti in reliquis feriis sextis, seu dominicis ut supra faciendae interfuerint, ac praemissa peregerint, aut corpus suum flagellaverint, toties septem annos, et totidem quadragenas. Praeterea si corpora defunctorum tam confratrum, et consororum hujusmodi, quam aliorum ad sepulturam associaverint.

(1) Psal. CXXXV. 2.

Digitized by

Peculiares concessiones pro fratribus, et sororibus aegrotantibus, vel alio impedimento detentis.

§. 4. Infirmi autem, vel alio legitimo impedimento detenti, audito campanae signo, genuflexi si potuerint, orationem Dominicam, et salutationem angelicam pro animae defunctorum requie, vel corporis infirmi salute recitaverint, quique congregationibus tam publicis, quam privatis, ac divinis officiis, spiritualibusque colloquiis, exhortationibus et aliis piis operibus, ac diebus ferialis missae sacrificio interfuerint, aut vespere antequam cubent, conscientiam suam diligenter examinaverint, seu pauperes infirmos tam confratres, et consorores, quam alios in privatis domibus, vel publicis hospitalibus, nec non in carceribus detentos visitaverint, quoties id egerint, annum unum de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Insuper confratribus, et consororibus praedictis etiam vere poenitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui singulis quadragesimae, et aliis anni diebus in missali Romano descriptis propriam ecclesiam, vel cappellam, aut oratorium ut supra visitaverint, et ibi septies orationem Dominicam, et salutationem angelicam recitaverint, quoties id egerint, ut eas omnes, et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur, si iisdem diebus ecclesias almae urbis Nostrae pro consequendis indulgentiis stationum designatas personaliter, et devote visitarent apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus, et impertimur.

Idem pro absentibus.

§. 5. Denique ne confratres, et consorores praefati, si aliquando eos distare, ac alibi morari contingat, spiritualium gratiarum donis hujusmodi priventur, ut parochialem, seu majorem ecclesiam loci, in quo ipsi pro tempore moram trahunt, visitando, aliaque praemissa adimplendo, ut eas omnes, et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes consequi possint, et valeant, auctoritate, et tenore paribus, tribuimus, et elargimur. Quas omnes, et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicari posse in Domino indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut si alias dictis confratribus, et consororibus praemissa peragentibus aliqua alia indulgentia perpetuo, vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, illa revocata sit prout per praesentes apostolica auctoritate revocamus, utque si dictae confraternitates, seu congregationes alicui archiconfraternitati aggregatae jam sint, vel in posterum aggregentur, aut quavis alia ratione uniantur, vel etiam quomodolibet instituantur, priores, et quaevis aliae literae apostolicae illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso nullae sint.

Fides habenda transumptis.

§. 7. Ac ut earumdem praesentium transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis dicti ordinis munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesimanona julii millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno nono.

DLII.

Dat. die 29. julii 1808. Anno IX.

Concessio indulgentiae plenariae assequendae ab eis, qui in festo beatae Catharinae a Raconixio visitaverint ecclesias ordinis Praedicatorum.

Pius PP. VII.

Universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio, et tenor concessionis.

§. 1. Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, supplicationibus quoque dilecti filii Pii Josephi Gaddi magistri generalis ordinis Praedicatorum Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati; omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis tam fratrum, quam monialium ordinis hujusmodi, nec

non aliis ecclesiis, quibus extensum est privilegium celebrandi festum, et officium beatae Catharinae a Raconixio ubicumque existentibus, die, in qua ab unaquaque ex praefatis ecclesiis festum ejusdem b. Catharinae a Raconixio pro prima vice celebrabitur a primis vesperis, usque ac occasum solis diei hujusmodi devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus pro unica vice tantum valituris.

Conditiones adjectae et fides habenda transumptis.

§. 2. Volumus autem, ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint; utque praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis dicti ordinis munitis eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima nona julii millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno nono.

DLIII.

Dat. die 2. dec. 1808. Anno IX.

Concessio novorum indumentorum magis insignium pro dignitatibus, et canonicis basilicae de Foggia dioecesis Trojanae.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, ecclesiasticis viris, qui coelestis Sionis aemuli divinas choraliter laudes in sacris templis quotidie concinunt, peculiaria indumenta deferenda interdum concedimus, ut ipsi per externas quoque vestes excitati internarum virtutum splendore magis magisque in dies praelucere studeant in domo Domini.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii ecclesiae s. Mariae de Icono-vetere a nobis per Nostras in simili forma brevis in basilicam minorem erectae oppidi civitatis nuncupati de Foggia Trojanae dioecesis, divinus cultus, populique devotio majora ibi incrementa susciperet, si ipsi novis insignibus per Nos, et hanc s. Sedem decorentur; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus dictae ecclesiae s. Mariae canonicis, ut ipsi mantelletam, et vestem oblongam violaceas cum ocellis, et globulis coloris similis tam in ecclesia praedicta, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare; illisque uti libere, et licite possint, et valeant, firmis remanentibus caeteris privilegiis et praerogativis, quibus aliae basilicae minores hujusmodi utuntur, gaudent, vel uti et gaudere solent, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus; dictosque canonicos desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda decembris millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno nono.

DLIV.

Dat. die 20. dec. 1808. Anno IX.

Facultas aggregandi, et conferendi indulgentias, et gratias aliis confraternitatibus ejusdem instituti pro officialibus, et confratri-

Digitized by Google

bus piae unionis sacri Cordis B. M. Virginis erectae in ecclesia parochiali sancti Eustachii urbis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni officiales, et confratres confraternitatis, seu piae unionis sub titulo sacri Cordis Mariae in ecclesia collegiata, et parochiali sancti Eustachii hujus almae urbis Nostrae prima sub hujus titulo canonice, ut asseritur, erectae, quae etiamsi confraternitas praedicta in archiconfraternitatem erecta non reperiatur, alias tamen confraternitates erectas, vel erigendas sibi adgregari posse plurimum desiderant.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ipsius confraternitatis officialibus, et congregatis praesentibus et futuris, ut ipsi ad majorem Dei, et B. V. Mariae gloriam, et spiritualem Christifidelium utilitatem alias quascumque confraternitates ejusdem instituti extra urbem ubique locorum erectas eidem suae confraternitati, servata tamen forma recolendae memoriae Clementis pp. VIII. praedecessoris Nostri edita adgregare, illisque omnes, et singulas indulgentias, et peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes ipsi confraternitati concessas communicare libere et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, supradictae confraternitatis, aliisque etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima decembris millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno nono.

DLV.

Dat. die 20, dec. 1808. Anno IX.

Derogatio literarum apostolicarum a Clemente XI. super facultate creandi census cum privatis personis pro fratribus ordinis B. M. V. de monte Carmelo.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Ex parte dilecti filii moderni prioris provincialis provinciae Romanae fratrum ordinis Beatae Mariae Virginis de monte Carmelo discalceatorum nuncupatorum expositum Nobis nuper fuit, quod dudum unus ex ejus praedecessoribus, atque ipsius provinciae definitores a felicis recordationis Clemente pp. XI. praedecessore Nostro per suas in simili forma brevis die XXVI. septembris anno MDCCX. expeditas literas confirmationem obtinuerunt cujusdam decreti in comitiis provincialibus jam antea editi, cujus decreti vigore statutum fuerat, ne deinceps

quidquid ad ipsius provinciae conventus in numerata pecunia quomodolibet deveniret, privatis familiis foenori dari non amplius liceret, sed census cum locis piis, et terrarum communitatibus dumtaxat instituere, aut montium loca emere, ac alias, prout ex memoratis Clementis praedecessoris literis, et decreto hujusmodi, quorum tenores praesentibus, pro plene, et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, fusius continetur. Quoniam vero, sicut in eadem expositione additum erat, ob notissimas horum temporum circumstantias, quod tunc pro majore rei familiaris securitate sancitum fuerat, nunc majus periculum creat, Nobis propterea dictus provincialis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur, comperta narratorum veritate, auditisque desuper relationibus ministri generalis dicti ordinis, et provinciae, ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et singulares personas quibus praesentes Nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, tam memoratum comitiorum provincialium decretum, quam supradictas Clementis praedecessoris confirmatorias literas auctoritate apostolica, tenore praesentium abrogamus, abolemus, et revocamus, eisdemque congregationis, et ordinis hujusmodi fratribus, ut etiam cum privatis personis census activos (servatis alias servandis) creare, ac alios similes foeneratitios contractus, caeteroquin licitos, quomodolibet nuncupatos ad praescriptum tempus, aut in perpetuum inire libere, licite, et valide possint facultatem, et licentiam, ut supra ablatam, auctoritate, et tenore praedictis restituimus, et impertimur.

Clausulae sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac dictis fratribus in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus memoratis Clementis praedecessoris literis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, congregationis, et ordinis hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima decembris millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno octavo.

DLVI.

Dat. die 23. dec. 1808. Anno IX.

Unio, et incorporatio nonnullarum commendarum hospitalis s. Joannis Hierosolymitani ad tempus decretae, ac ad nutum sanctae Sedis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Nobis expositum est nomine dilectorum filiorum fratrum militum hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani, qui assembleam, prioratus de urbe ejusdem hospitalis componunt, se in novissimis publicarum rerum perturbationibus, queis obnoxiae fuere Piceni, aliaeque ei adnexae provinciae jacturam fecisse commendarum non modo majorum, sed etiam meliorum, quas ibi ipsi obtinebant, immo et amisisse nonnulla praedia ibidem sane existentia, sed ad binas spectantia commen-

das in territorio Perusino fundatas. Verum quia prioratus Pisarum ipsius hospitalis, qui ob easdem perturbationes iisdem subjecit commendarum in universa Hetruria manentium detrimentis, quatuor intra limites prioratus urbis habet commendas, quarum primam nominant s. Joannis de Cornueto, alteram s. Joannis de Urbe Veteri, tertiam s. Mariae Gratiarum de Castro Araldo, et quartam s. Petri de Marta; ideo exponentes ut aliquam tot de jacturis nanciscantur compensationem, Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut Nos sibi in praemissis providere opportune, ac uti infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac ipsorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, supradictas quatuor commendas, seu praeceptorias de memorato prioratu Pisarum ad urbis prioratum per tempus Nostro, et apostolicae Sedis beneplacito tantum duraturum auctoritate apostolica tenore praesentium transferimus, eique accensemus, ac incorporamus; quumque easdem commendas, seu praeceptorias per obitum illorum fratrum militum dicti hospitalis qui eas nunc legitime possident, quosque in pacifica earum possessione omnino intendimus quoad vixerint permanere, subinde vacare contigerit, tunc ut singulae ex quatuor praeceptoriis, seu commendis hujusmodi in praedicta assemblea prioratus urbis, favore fratrum militum antianorum, seu fratrum cappellanorum conventualium, seu aliorum quibus de jure vel consuetudine, ad hanc assembleam, et prioratum hunc pertinentium, ac enarrata praesertim damna passorum per eum seu eos, ad quem seu quos jure spectabit pro tempore, servatisque alias servandis, conferri libere et licite possint, et valeant, auctoritate, et tenore praedictis concedimus, atque disponimus; declarantes tamen expresse ut si, et quando praedictum prioratum Pisarum ad primaevum suum redire statum eveniat, recensitae quatuor commendae eidem Pisarum prioratui cum omnibus et singulis juribus suis, ac pertinentiis debeant prorsus reverti, sed post earum vacationem dumtaxat, idest postquam fratres milites de assemblea et prioratu urbis, qui sic, ut praefertur, eas assequentur, supremum diem obierint.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia decembris millesimo octingentesimo octavo, pontificatus Nostri anno nono.

DLXVII.

Dat. die 21. febr. 1809. Anno IX.

Indultum benedicendi rosaria cum concessione indulgentiarum favore rectoris ecclesiae sancti Jacobi oppidi Perpiniani dioecesis Carcassonensis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Memoria saepe Nos repetentes innumera beneficia in catholicam Ecclesiam indesinenter collata a B. V. Maria, quae cunctas haereses sola interemit in universo mundo, devotionem erga tantam, tamque beneficam, et amantissimam omnium fidelium patronam confirmari, atque in dies augeri vehementer optamus, et studemus.

Expositio precum.

§. 2. Quoniam vero, sicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius modernus rector ecclesiae sancti Jacobi oppidi Perpiniani Carcassonensis dioecesis, eversis illic templis, et conventibus fratrum ordinis Praedicatorum, qui devotionem sanctissimi Deiparae Rosarii ex eorum instituto promovebant; altare ejusdem Rosarii in dictam s. Jacobi ecclesiam translatum reperitur, eoque utriusque sexus Christifideles confluunt cum ad rosarium devote recitandum, tum ad alia pia exercitia explenda, quae antea in dictorum fratrum ecclesiis peragi consueverant, idem rector pro spirituali Christifidelium eo confluentium emolumento coronas precatorias vulgo rosaria, ac etiam sacra numismata cum appellatione indulgentiarum benedicere posse plurimum desiderat.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos ipsum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, eidem mo-

Digitized by Google

derno, et pro tempore in perpetuum existenti memoratae ecclesiae s. Jacobi rectori, dummodo sit in sacro presbyteratus ordine constitutus, facultatem benedicendi pro dicti oppidi incolis dumtaxat coronas precatorias, quemadmodum a fratribus ordinis Praedicatorum antea fieri solebat, itemque tot sacra numismata, quot satis erant ad distribuendum oppidi hujusmodi pro tempore existentibus utriusque sexus incolis cum applicatione indulgentiae plenariae in articulo mortis, et indulgentiarum s. Birgittae nuncupatarum ab unoquoque eorum, quibus corona, vel numisma hujusmodi fuerint per dictum rectorem distributa, lucrandarum in forma consueta, et ab hac s. Sede praescripta auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima prima februarii millesimo octingentesimo nono, pontificatus Nostri anno nono.

Dat. die 7. martii 1809. Anno IX.

DLVIII.

Consulitur erectioni, et perfectioni orphanotrophii puellarum periclitantium in civitate Nucerina.

Venerabili fratri
Francisco Aloisio episcopo Nucerino.

Venerabilis frater
salutem et apostolicam benedictionem.

Indigitantur providentiae ad rem captae a defuncto episcopo Nucerino, qui opus perficere non potuit.

§. 1. Fraternitatis tuae nomine expositum Nobis nuper fuit, quod dudum felicis recordationis Pius pp. VI. praedecessor Noster, bonae memoriae Francisco-Laurentio tunc episcopo Nucerino quam plures gratias, et facultates concessit, quibus idem episcopus suffultus orphanotrophium puellarum periclitantium erigeret cum peculiaribus quibusdam conditionibus, prout ex ejusdem Pii praedecessoris, in simili forma brevis die xxx. martii MDCCLXXXVII. expeditis literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus, fusius continetur. Quoniam autem (sicut in eadem expositione additum erat) orphanotrophii hujusmodi aedificium a defuncto episcopo a fundamentis susceptum muris adhuc parum erectis remanet, neque juxta peritorum sententiam, confici poterit, nisi immodica scutatorum quadraginta millium adhibita summa, quae ne per longum quidem tempus colligi posse speratur ex pertenui haereditate ab ipso episcopo pro tanto aedificio explendo relicta; idcirco, ut tandem aliquando ad pii operis institutionem deveniatur, nonnulla ex iis, quae a memorato pio praedecessore desuper fuerant constituta pro rerum opportunitate, et immutatione per Nos, et hanc s. Sedem immutari vehementer desideras. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur pastorali tuo, quo ferves, zelo opem, quantum cum Domino possumus, afferre, volentes, teque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis, modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, eidem fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut solum antea ad istam episcopalem mensam spectans, ubi non novae orphanotrophii aedes aliquantulum erectae reperiuntur, eidem mensae adtribuas in perpetuum cum iisdem aedibus, aliisque adnexis, ut sunt: itemque ut aliquam dictae haereditatis defuncti episcopi partem arbitrio tuo praeligendam in emptionem et coedificationem cujusdam domus sitae prope istam cathedralem ecclesiam impendas, eoque residentiam, seu domicilium episcopale transferas; reliquam vero ejusdem haereditatis partem emendis bonis stabilibus fructiferis, aut censibus pro loco pio hujusmodi instituendis insumas, nec non episcopales aedes, in quibus nunc degis, quippe quae sumptu haud magno ad sufficientem orphanotrophii localitatem redigi, et aptari possunt, pio huic operi in perpetuum similiter auctoritate Nostra apostolica addicas, exceptis tamen iis promptuariorum, et horreorum membris, quae eidem orphanotrophio minime necessaria esse duxeris, ac demum quoniam in hisce omnibus conficiendis, praeter curam, et laborem, nummos quoque te pro tua charitate privatim im- Tenor concessionis.

pensurum esse facile arbitramur, annuam taxam, seu pensionem bisceutorum viginti quinque scutatorum monetae Romanae super fructibus, et redditibus istius mensae episcopalis ab eodem Pio praedecessore, favore ipsius orphanotrophii perpetuo impositam auctoritate apostolica, tenore praesentium ad decennium proximum tantum suspendimus, teque interim ab hujusmodi solutione facienda liberamus, servata in reliquis omnibus ipsius Pii praedecessoris, literarum forma, et dispositione.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quae idem praedecessor in memoratis literis non obstare voluit, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima martii millesimo octingentesimo nono, pontificatus Nostri anno nono.

Dat. die 7. martii 1809. Anno VIII.

DLIX.

Concessio roccheti, loco cottae sub mozzeta deferendi a canonicis ecclesiae collegiatae civitatis sancti Erasmi dioecesis Barensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigia prementes, ecclesiasticos viros, qui coelestis veluti Sionis aemuli divinas laudes in templis quotidie concinunt, peculiaria indumenta deferenda concedimus, ut ipsi per externas quoque vestes excitati internarum virtutum splendore magis magisque in dies elucere studeant in aula Domini.

Expositio precum. §. 2. Cum itaque sicut dilecti filii moderni capitulares parochialis ecclesiae oppidi civitatis nuncupati s. Erasmi Barensis dioecesis Nobis nuper exponi fecerunt, ecclesia ipsa (in qua praeter archipresbyterum, duo simplices primiceratus, et cantoratus, scilicet, dignitates, atque octo supra viginti presbyteri participantes nuncupati choro quotidie interesentes divina officia explent, dictus autem unus archipresbyter privilegio gestandi rocchetum per Nos decoratus reperiatur) sacrarum supellectilium copia, sacerdotum probitate, populique frequentia, ac devotione valde floreat multum splendoris ad ipsam accederet, divinusque cultus majora ibi incrementa susciperet si reliqui memorati capitulares eodem privilegio per Nos, et hanc sanctam Sedem ornarentur, quo dictus archipresbyter ornatus est; cumque ad id accesserint commendationes venerabilis fratris Baldaxaris archiepiscopi Barensis, qui per suas literas eorumdem capitularium docilitatem, et obedientiam apud Nos commendavit; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus dignitatibus, et participantibus ecclesiae praedictae, ut loco cottae, quam adhuc sub mozzeta violacea deferre consueverunt, rocchetum ad instar ipsius archipresbyteri ejusdem ecclesiae tam in eadem ecclesia, quam extra eam in quibusvis processionibus, aliisque functionibus publicis quibuscumque gestare, illoque uti libere, et licite possint, et valeant, prohibitis tamen, et revocatis interim remanentibus aliis praelatitiis insignibus, si qua inibi, praeter mozzetam, et rocchetum hujusmodi quomodolibet concessa reperiantur, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque capitulares, et participantes desuper a quoquam impediri, molestari, et perturbari nullatenus posse, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae parochialis, et capituli etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima martii millesimo octingentesimo nono, pontificatus Nostri anno nono.

ANNO DECIMO

Dat. die [illegible] martii 1809. Anno X.

DLX.

Civitati Cornetanae fidelissimae nuncupatae in provincia Patrimonii conceditur gubernium apostolicorum brevium sub immediata dependentia congregationis Consultationis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Apostolatus officio, meritis licet imparibus, fungentes, illud quoque curandum Nobis esse ducimus, ut Nostris, et S. R. E. civitatibus consulamus, quemadmodum earum vota, et merita postulare videntur.

Ratio concessionis. §. 2. Jam vero civitas Nostra Cornetana, sicut accepimus, antiquitatis laude, virtutum splendore, civium numero, ac etiam opum amplitudine ita floruit, et floret, ut optimo quidem jure inter primas illius provinciae Patrimonii habeatur; tantam autem in hanc s. Sedem praesetulit devotionem, et fidem, ut vel a remotis temporibus « Fidelissima » fuerit nuncupata. Huc accedit, quod duo beati, quatuor S. R. E. cardinales, sex episcopi, aliique virtute, et scientia praestantes viri ex illius gremio prodierunt, ac etiam dilectum filium magistrum Joannem Franciscum Falzacappa congregationis venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium Bono Regimini civitatum, et universitatum status Nostri pontificii praepositae secretarium ipsa protulit. Cum igitur dictae civitatis communitas, et homines Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut ipsius civitatis gubernium in gubernium apostolicorum brevium erigeretur.

§. 3. Nos eamdem communitatem, et homines specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, de peculiaris congregationis nonnullorum ejusdem S. R. E. cardinalium, et praelatorum super hujusmodi guberniis deputatae consilio, ac referente memorato magistro Joanne Francisco, ipsius civitatis Cornetanae gubernium, quod adhuc per simplices patentales literas provideri consuevit, in gubernium apostolicorum brevium sub immediata dependentia congregationis venerabilium fratrum Nostrorum ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium super consultationibus auctoritate apostolica tenore praesentium erigimus, constituimus, et declaramus, cum expressa tamen conditione, et onere eidem communitati supplendi, quibuscumque novis et extraordinariis expensis, quae pro hac erectione, itemque pro justitia administranda faciendae erunt: ideoque ejusdem civitatis pro tempore existenti gubernatori sic, ut praefertur, per literas apostolicas electo, et deputato, seu eligendo, ac deputando, ut ipse omnibus, et singulis auctoritate, juribus, privilegiis, honoribus, et oneribus, quibus alii gubernatores hujusmodi de jure, usu, et consuetudine, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, vel gaudere poterunt in futurum, pari modo, ac sine ullo prorsus discrimine uti, frui, et gaudere libere, et licite possit, et Tenor concessionis.

Digitized by Google

debeat, auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et mandamus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non stylo, usibus, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis gubernatori, seu pro gubernatori Centumcellarum, aliisque personis, et judicibus sub quavis forma concessis, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima octava martii millesimo octingentesimo nono, pontificatus Nostri anno decimo.

Dat. die 30. maji 1809. Anno X.

DLXI.

Erectio piae domus, seu conservatorii Conceptionis B. M. V. civitatis Montis Regalis in monasterium sub immediata jurisdictione episcopi, et sub instituto, et habitu sancti Cajetani.

Dilecto filio moderno vicario capitulari ecclesiae Montis Regalis Siciliae, ejus archiepiscopali sede vacante legitime deputato.

Pius PP. VII.

Dilecte fili
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Expositum Nobis nuper est nomine dilectarum in Christo filiarum praepositae, atque sororum piae domus, seu conservatorii Conceptionis Beatae Mariae Virginis erecti in civitate Montis Regalis Siciliae, quod a fundationis anno, qui fuit 1687., ad haec usque tempora quotquot in istud conservatorium admissae sunt virgines, vitam ibi degerunt semper religioso sub habitu s. Cajetani, pioque sub instituto ven. servae Dei Ursulae Benincasa, ac spirituali sub directione clericorum regularium Theatinorum nuncupatorum, nulla quidem umquam interveniente approbatione apostolica, sed simplicis tantum vigore rescripti olim inito ab ordinario loci interpositi. At novissime factum est, ut clerici regulares praenominati magna sensim laborantes sacerdotum inopia in cunctis suis Siciliae domibus, ac praesertim Panormi, unde spirituales isthuc directores transmittebantur, facto tandem ac etiam scripto directioni conservatorii penitus valedixerint, atque renuntiaverint. Quamobrem exponentes de spiritualibus animarum subsidiis, haud parva in parte aliquo ab hinc tempore jam sibi ex directorum defectu imminutis, magnopere sollicitae iniere consilium committendi sese immediate jurisdictioni, ac plenariae subjectioni ordinarii, regularemque amplectendi monialium statum, retentis dumtaxat titulo, habituque s. Cajetani, quem gestant, ac instituto praedicto eo vel magis nihil quod omnino videtur in praesentiarum obesse, quominus in verum monasterium erigi possit ipsarum conservatorium jam satis redditibus, officinis, rebusque omnibus ad claustralis vitae rationem requisitis instructum, multoque etiam magis instruendum prope diem, ac decorandum, quum ad finem perducta fuerit fabrica juxta mentem bonae memoriae Antoniae Landolinae locupletis ac nobilis viduae, quae certis sub legibus memoratum conservatorium de bonis suis universis testamento fecit haeredem. Hinc Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, earumque particulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, audito hac in re venerabili fratre J. archiepiscopo Thebarum, congregationis episcoporum et regularium secretario, attentisque simul tam relatione tua,

quam voto ven. fratris Nostri Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis Matthaei ponentis, tibi ex eo quod nunc vacat archiepiscopalis sedes praedictae ecclesiae, per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus praenarratis, ac postquam tibi constiterit praedictum conservatorium, cum ecclesia, campanili, sacristia, choro, refectorio, hortis, spatiis, numerisque omnibus esse absolutum, et suppellectili tam sacra quam profana sufficienter instructum, ad formalem illius erectionem in monasterium perfectae clausurae juxta petita auctoritate Nostra apostolica specialiter ad id delegata pro tuo arbitrio et conscientia procedas, exindeque numerum monialium juxta vires redditutum praescribas, dotem pro monacandis in posterum intra numerum persolvendam designes, virgines in conservatorio existentes, peracto probationis anno, ad professionem servatis servandis admittas, ac in reliquis omnia pro novorum creationibus monasteriorum praescripta religiose servari decernas et facias: in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesima maji millesimo octingentesimo nono, pontificatus Nostri anno decimo.

MONITUM

Post ultimam, quam supra dedimus *Constitutionem*, cujusvis generis aliae per QUINQUENNIUM desiderantur omnino. Interea siquidem temporis SUMMUS PONTIFEX, iniqua exterarum copiarum divexatus oppressione, ac e sancta Sede nefarie dejectus, in longinguas regiones durissima coercitus custodia, nullam vel *temporalem*, vel *spiritualem* exercere potuit jurisdictionem.

Digitized by Google

ANNO DECIMOQUINTO

Dat. die 4. maji 1814. Anno XV.

DLXII.

Gratiarum actio Deo omnipotenti facta pro felici reditu ad s. Sedem post immeritam, indignamque diu perpassam captivitatem, et creatio commissionis status temporarie praepositae regimini status Ecclesiastici.

Pius PP. VII.

A' suoi amatissimi sudditi.

Gratiarum actio.

§. 1. Il trionfo della misericordia divina è omai compiuto sopra di Noi. Strappati con violenza inaudita dalla Nostra sede pacifica, dal seno de' Nostri amatissimi sudditi, e strascinati di una in altra contrada, siamo stati condannati a gemere tra le forze, quasi cinque anni. Noi abbiamo versato nella Nostra prigionia lacrime di dolore primieramente per la Chiesa alla Nostra cura commessa, perchè ne conoscevamo i bisogni, senza poterle apprestare un soccorso, poi per i popoli a Noi soggetti, perchè il grido delle loro tribolazioni giungeva perfino a Noi, senza che fosse in Nostro potere di arrecargli un conforto. Temperava però l' affanno acerbissimo del Nostro cuore la viva fiducia, che placato finalmente il pietosissimo Iddio giustamente irritato dai Nostri peccati alzerebbe l' Onnipotente sua destra per infrangere l' arco nemico, e spezzar le catene, che cingevano il vicario suo sulla terra. La Nostra fiducia non è stata delusa. L' umana alterigia, che stoltamente pretese di uguagliarsi all' Altissimo, è stata umiliata, e la Nostra liberazione, cui anche miravano gli sforzi generosi dell' augusta alleanza, è per prodigio inaspettatamente seguita. Debitori a quella mano onnipotente, che stringe le sorti dell' uomo, non ci stancheremo giammai di benedirla, e di cantar le sue glorie.

Creatio commissionis.

§. 2. Noi non abbiamo lasciato di consacrar le primizie della Nostra libertà al bene della Chiesa, la quale, costando al suo divin fondatore il prezzo di tutto il suo sangue, deve esser l' oggetto primario delle Nostre apostoliche sollecitudini. Avremmo a tal oggetto desiderato di accelerare il Nostro ritorno alla capitale, e come Sede del Romano pontefice, per ivi occuparci dei molti e gravi interessi della cattolica religione, e come residenza della Nostra sovranità per ivi soddisfare più presto all' ardente brama, che abbiamo di migliorare il destino dei buoni sudditi Nostri; ma plausibili ragioni ce lo hanno fin' ora impedito. Ci disponiamo peraltro di già ad eseguirlo ansiosi di stringerli al seno, come un tenero padre stringe con trasporto i suoi figli amorosi dopo un lungo, ed amaro pellegrinaggio. Intanto facciamo precedere un Nostro delegato, il quale in virtù di Nostro speciale chirografo riprenderà per Noi e respettivamente per la s. Sede apostolica tanto in Roma, quanto nelle provincie, col mezzo di altri subalterni delegati da Noi già prescelti, l' esercizio della Nostra sovranità temporale legata con vincoli tanto essenziali colla Nostra spirituale indipendente supremazia. Egli procederà di concerto con una commissione di stato da Noi nominata alla formazione di un governo interino, e darà tutte quelle disposizioni, le quali potranno condurre, per quanto le circostanze il permettono, alla felicità de' Nostri fedelissimi sudditi.

Digitized by Google

Protestatio pro provinciis nondum recuperatis.

§. 3. Che se per un risultato de' militari concerti non possiamo tornar nel momento all' esercizio della sovranità anche in tutte le altre antichissime possidenze della Chiesa, non dubitiamo di tornarvi al più presto, affidati non meno alla inviolabilità de' Nostri sacri diritti (alli quali non intendiamo di recar con questo atto il minimo pregiudizio) che alla luminosa giustizia degl' invitti monarchi alleati, per parte dei quali abbiamo eziandio ricevuto particolari consolanti assicurazioni.

Praeceptum de servanda tranquillitate.

§. 4. Per debito del Nostro ministero di pace esortiamo tutti i sudditi Nostri a conservar gelosamente la tranquillità, la quale è d' altronde puranche il voto prezioso del Nostro cuore. Se taluno ardisse turbarla sotto qualunque pretesto sarà irremissibilmente punito con tutto il rigore delle leggi. Noi dichiariamo a' Nostri popoli, che se vi sarà fra loro chi siasi reso colpevole di qualche traviamento, alla sola Nostra sovrana autorità si appartiene l' esaminar, se sussiste il reato, giudicare della qualità del medesimo, e proporzionargli la pena. Siano essi dunque, come esser debbano, i figli ubbidienti, niuno de' quali osa arrogarsi sull' altro la patria potestà, ma sono tutti subordinati alle leggi, e al volere del comun genitore. Nella fiducia, che li buoni sudditi Nostri saranno per uniformarsi esattamente a queste sovrane paterne intenzioni, diamo loro con tutto l' affetto l' apostolica benedizione. Dato in Cesena questo dì 4. maggio 1814., del Nostro pontificato l' anno quindicesimo.

Pius PP. VII.

Dat. die 8. julii 1814. Anno XV.

DLXIII.

Subjectio capituli parochialis ecclesiae collegiatae s. Mariae Vinearum Januensis jurisdictioni parochi ipsius collegiatae.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii capitulum, et canonici parochialis, et insignis (ut asseritur) collegiatae ecclesiae s. Mariae Vinearum Januensis, quod, cum ipsi inter se unum corpus efficiant, uni quoque spirituali pastori, parocho, immediate subjici cupiunt.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur (attentis desuper relationibus venerabilis fratris archiepiscopi Januensis asserentis, collegiatam praedictam reliquis etiam collegiatis ecclesiis Januensibus, quae hoc privilegio gaudent, antiquiorem esse) ipsos exponentes, caeterosque eidem collegiatae inservientes viros specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati praevia infrascriptorum exemptione a quacumque respectiva parochorum suorum naturalium jurisdictione, eosdem canonicos, beneficiatos, et reliquos cum ecclesiasticos, tum laicos viros nunc, et pro tempore in perpetuum eidem ecclesiae collegiatae s. Mariae Vinearum actu inservientes, atque in aliarum paroeciarum districtibus habitantes ad parochialem jurisdictionem parochi ipsius collegiatae nunc, et pro tempore existentis cum honoribus, et oneribus auctoritate apostolica, tenore praesentium transferimus, et subjicimus, eidemque parocho, ut ipsos canonicos, et reliquos praedictos actu inservientes in suam jurisdictionem recipere, vivos tueri ac mortuos sepelire libere, et licite possit et valeat, perinde ac si in districtu suae paroeciae degerent, auctoritate et tenore praedictis concedimus, et indulgemus. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, aliisque spiritualibus arbitrio Nostro infligendis poenis omnibus, et singulis dictis filiis respectivis dictorum inservientium parochis, caeterisque ad quos spectat, vel spectabit quomodolibet in futurum, ut dictos canonicos, et singulos praedictos inservientes collegiatae de praesentis gratiae commodo, et effectu pacifice frui, et gaudere sinant, et faciant, nec eos desuper a quoquam molestari, aut turbari permittant.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac dictis collegiatae inservientibus in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque, judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii Nostri apostolici audito-

res judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non quatenus opus sit, dictarum parochialium ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Declaratio specialis.

§. 5. Caeterum declaramus, consanguineos simul cum dictis inservientibus cohabitantes, hoc privilegio minime frui posse. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die octava julii millesimo octingentesimo decimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

DLXIV.

Dat. die 2. aug. 1814. Anno XV.

Applicatio bonorum beneficii sanctae Venerandae, et alterius sancti Georgii, pro monialibus oblatis sancti Francisci Salesii terrae sancti Elpidii dioecesis Firmanae.

Venerabili fratri archiepiscopo Firmano.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae sorores oblatae sub regula s. Francisci Salesii terrae s. Elpidii istius Firmanae dioecesis, quod ipsae, numero novem in totum, multis carent ad vitam necessariis, nec satis manuum labore suis indigentiis possunt supplere, quippe quae in puellis oppidi tum ad pietatem formandis, tum ad foemineas artes instruendis ulla sine intermissione versantur. Hinc quum usum fructum cujusdam ecclesiastici beneficii simplicis, licet non plus quam scutata duodecim monetae Romanae, detractis oneribus eidem beneficio impositis, in annuum fructum afferentis, quod in terra praedicta, ubi sub invocatione s. Venerandae, fundatum extabat, certo modo vacare contigerat, nec non canonem scutatorum quinquaginta monetae hujusmodi a communi dictae terrae solvendum, jam a Nobis alias obtinuerint, alterius nunc similis beneficii sub invocatione sancti Georgii eadem in terra erecti, actuque per obitum episcopi Ripani vacantis, fructus ad suae sustentationis augumentum sibi ipsius per Nos itidem tribui, et applicari, nec non missarum onera secundo huic beneficio adnexa in earum ecclesiam transferri, ibique pro majori sua devotione adimpleri posse vehementer desiderant, enixisque precibus humiliter flagitant.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsas exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, easque, ac singulares earum personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes supplicationibus quoque earum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut constito tibi de praenarrata exponentium inopia, et quatenus id magis in Domino expedire censueris, memorati beneficii, dummodo illud tamen de laicale patronatu non fuerit provisione suspensa manente, omnes, et singulos illius fructus, redditus, et proventus in subsidium substentationis earumdem exponentium assignare, seu etiam ejusdem beneficii onera ad ipsarum ecclesiam transferre, ita ut missae, quas ibi ipsae juxta debitum celebrari fecerint, perinde valeant, ac si in ecclesia fundationis beneficii celebratae fuissent auctoritate Nostra apostolica pro tui arbitrio, et conscientia possis, et valeas facultates omnes necessarias, et opportunas

eadem auctoritate tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis constitutionibus, nec non fundatione dicti beneficii, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia quomodolibet roborata: quibus omnibus, et singulis illorum tenores pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die tertia augusti millesimo octingentesimo decimo quarto, pontificatus Nostri anno decimoquinto.

Dat. die 4. aug. 1814. Anno XV.

DLXV.

Concessio juris privativi colligendi scruta in universa pontificia ditione favore Francisci Lazzarini.

Reverendissimo cardinal Bartolommeo Pacca camerlengo di santa Chiesa.

Ratio concessionis.

§. 1. Essendoci stato da voi rappresentato nella udienza del giorno 26. luglio prossimo passato, che il defonto Luigi Lazzarini eletto sopraintendente generale delle cartiere, e della raccolta privativa dei stracci in tutto lo stato pontificio in conformità de' chirografi della sa. me. Pio VI. Nostro predecessore del dì 13. dicembre 1791. e 21. novembre 1795. implorasse da Noi fin dal mese di maggio 1808. che tale sopraintendenza coi medesimi requisiti si rendesse progressiva al di lui figlio maggiore per nome Francesco, e che essendosi da Noi aderito alla supplica, e firmato rescritto di Nostro proprio pugno ne' seguenti termini « *Al cardinale pro-camerlengo pro gratia, et pro estensione chirografi* » fu in seguito sospesa l'estensione del chirografo medesimo per le vicende accadute ne' passati anni nei Nostri pontificj dominj, quantunque fin dall'epoca del suddetto Nostro rescritto il detto Francesco ne entrasse in possesso; quindi ci avete rappresentato che ripristinato il Nostro governo ricorse supplichevole Francesco Lazzarini, in cui favore era stata dal di lui genitore Luigi, in mezzo alle suddette vicende passato all'altra vita, implorata la progressività della suddetta sopraintendenza, perchè ci degnassimo confermare la grazia in di lui favore già fatta, ed ordinare la disposizione del chirografo in di lui persona, quale di lui supplica essendosi stata da voi riferita nella udienza dei 26. luglio prossimo passato, ne fu quindi da voi segnato rescritto così concepito « *Ex audientia Sanctissimi diei 26. julii 1814.* « *Sanctissimus confirmavit gratiam superiori rescripto jam concessam, et rursus mandavit expediri chirographum ad mentem* » *Bartholomaeus cardinalis Pacca camerarius*.

Tenor concessionis.

§. 2. Quindi in adempimento del Nostro sovrano rescritto essendovi voi fatto un dovere di far stendere il nuovo presente chirografo, Noi avendo qui per inserti, ed estesi li due chirografi della sa. me. di Pio pp. VI. Nostro predecessore, l'uno dei 10. dicembre 1791. l'altro dei 21. novembre 1795. quali in tutte le parti, che non si oppongono alle presenti Nostre concessioni, dichiarazioni, o provvidenze pienamente confermiamo, il rescritto Nostro sovrano del mese di maggio 1808. e l'altro da voi esteso in seguito della relazione fattacene nella udienza del 26. luglio prossimo passato, non solo approviamo, ma pienamente ed espressamente ratifichiamo, e confermiamo: perciò analogamente, ed in conformità in tutto e per tutto dei sopradetti chirografi, con li stessi pesi, obblighi, jussi, e privilegi, quali s'intendano come parola per parola ripetuti, e replicati, conoscendo l'esimia integrità, e le qualità, e doti che concorrono in Francesco Lazzarini, ed in vista, e riguardo della buona condotta tenuta in tal sopraintendenza tanto da esso che dal defonto Luigi Lazzarini di lui genitore, lo destiniamo, e confermiamo vita sua naturale durante sopraintendente generale delle cartiere di tutto il Nostro stato, volendo, che a detto Francesco Lazzarini esclusivamente sia permesso di far estrarre dal Nostro stato quella quantità di stracci, che sopravanzasse, proviste le cartiere di Roma, e dello stato Ecclesiastico, e segnatamente quella di Bracciano, e quelle di Fuligno, e volendo che al medesimo come sopraintendente siano annesse tutte le facoltà, che sono menzionate nelli due accennati chirografi, e conforme si eser-

citava tale sopraintendenza dal defonto Luigi Lazzarini.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Vogliamo però, che per un anno da oggi prossimo, il sopraintendente non possa estrarre, o far estrarre, straccio di niuna qualità senza il vostro permesso, quale accorderete se vi sembrerà giusto; dopo di che ne sarà il sopraintendente in facoltà di fare l'estrazione senza alcun permesso, dopo però provvedute le cartiere come si è detto di sopra, e ritenendo nei magazzini una giusta quantità per provvederne alli bisogni futuri. Volendo inoltre che il detto sopraintendente sia responsabile sotto pena di multa a vostro arbitrio della qualità dello straccio bianco da consumarsi nelle cartiere, qualora non sia della qualità assortita, e mercantile; quali due condizioni sono la spiegazione della Nostra mente di cui vi facemmo far menzione nel vostro rescritto dietro la relazione fattacene li 26. luglio prossimo passato. Tale essendo il Nostro comando, e la Nostra volontà espressa.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Volendo, e decretando che il presente Nostro chirografo, benchè non ammesso, nè registrato in camera, e ne' suoi libri a tenore della bolla di Pio IV. « *de registrandis* » e nella Nostra costituzione *Post diuturnas* vaglia, e debba aver sempre il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore con la semplice Nostra sottoscrizione, benchè non sia stato inteso, e citato monsignor commissario della Nostra camera, e qualunque altra persona, che vi avesse, o pretendesse avervi alcun interesse, e per comprenderle facesse bisogno di speciale, ed individua menzione, supplendo Noi con la pienezza della Nostra potestà pontificia ad ogni vizio, e difetto qualunque sostanziale, e formale che vi potesse intervenire per questa sola volta, e per la piena, e totale esecuzione di quanto si contiene nel presente Nostro chirografo amplamente ed espressamente deroghiamo. Dato dal Nostro palazzo apostolico Quirinale questo dì 4. agosto 1814.

Pius PP. VII.

Dat. die 4. aug. 1814. Anno XIV.

DLXVI.

Reintegratio facultatis eligendi per secreta suffragia capitaneum portus in quolibet anno pro communitate Pisauri.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ratio concessionis.

§. 1. Praeclara fidei, pietatis, ac devotionis in Nos, sanctamque apostolicam Sedem, publicaeque etiam laetitiae argumenta, quibus isthaec civitas Nostra Pisaurensis Nos, Fratresque Nostros Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, ac reliquum comitatum Nostrum Venetiis Romam proficiscentes primum excepit, ac alia quoque de Galliis nuper revertentes communi omnium ordinum aemulatione quadam obtulit signa, Nos grata adhuc memoria retinemus, ac perlibenter propterea inducimur, ut aliquo grati animi Nostri, ac peculiaris Nostrae benevolentiae monumento eamdem civitatem rependamus.

Expositio precum.

§. 2. Quum itaque, sicut per dilectos filios gonfalonerium, priores, et consiliarios Pisaurenses expositum Nobis est, jus, et consuetudo ab antiquitus fuerit, ut per singulos annos de consilii gremio aliquis eligeretur in capitaneum portus Pisauri, qui integro anni cursu ejusdem portus regimen sumeret, ac jurisdictionem tum civilem, tum criminalem ac mixtam ad formam statutorum per eum annum, inibi exerceret, sed progressu temporis capitaneus hujusmodi electus in munere suo tota ejus durante vita aliquando perstiterit, quod quidem multarum dissensionum fons, et causa fuit, idcirco, ne quid simile fiat in posterum, sed quod statuario ordine incepit, diuque in morem invaluit, semper retineatur, observetur, et absque publicae detrimento quietis semper permaneat (in quam rem explorata Nobis est etiam voluntas praedecessoris Nostri Pii felicis recordationis pp. VI. licet ejus executioni temporum calamitatibus locus factus non sit).

Tenor concessionis.

§. 3. Nos memoratos Pisaurensis civitatis repraesentantes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eosque, et singulares eorum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut de caetero perpetuis futuris temporibus capitaneus portus civitatis praedictae

Digitized by Google

ad annum dumtaxat duraturus eligi, ac electio capitanei hujusmodi quotannis per consiliaria comitia, ac secreta suffragia, et omnino libere celebrari, nec non capitaneus sic, ut praefertur, electus cunctis, et singulis juribus, privilegiis, praerogativis, honoribus, et oneribus tali suo muneri adnexis, ac per alios capitaneos juxta usus, atque consuetudines ad formam statutorum, legumque municipalium legitime inductas, adhucque vigentes haberi, et gauderi solitis, et consuetis, pariformiter uti, frui, et gaudere libere, et licite possit, ac debeat auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, atque mandamus, et si quid in contrarium peractum hactenus fuerit, vel in posterum peragi quomodocumque contigerit penitus abrogamus, et nullius roboris, et valoris censeri debere declaramus, atque statuimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has praesentes literas Nostras firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, praedictisque repraesentantibus in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Declarationes speciales.

§. 5. Volumus tamen, ac loco, et vigore legis adamussim observandae praecipimus, ut capitaneus dicti portus modo, et forma superius designata eligendus, si doctorali laurea publicae alicujus universitatis insignitus non fuerit, ipse doctorem idoneum sibi in assessorem adsciscere, et per eum sui muneris jurisdictionales actus gerere, et exercere teneatur, et debeat.

Derogatio contrariorum.

§. 6. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quarta augusti millesimo octingentesimo decimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo quinto.

Dat. die 7. aug. 1814. Anno XV.

DLXVII.

Reintegratio Societatis Jesu in pristinum statum in universo orbe catholico.

Pius episcopus
Servus servorum Dei.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Sollicitudo omnium ecclesiarum humilitati Nostrae, meritis licet et viribus impari, Deo sic disponente concredita, Nos cogit omnia illa subsidia adhibere, quae in Nostra sunt potestate, quaeque a divina providentia Nobis misericorditer subministrantur, ut spiritualibus christiani orbis necessitatibus, quantum quidem diversae, multiplicesque temporum, locorumque vicissitudines ferunt, nullo populorum nationum habito discrimine, opportune subveniamus.

Memoratur reintegratio facta societatis in regno Russiaco ad preces imperatoris Pauli primi.

§. 2. Hujus Nostri pastoralis officii oneri satisfacere cupientes statim ac tunc in vivis agens Franciscus Kareu, et alii saeculares presbyteri a pluribus annis in amplissimo Russiaco imperio existentes, et olim addicti Societati Jesu a felicis recordationis Clemente XIV. praedecessore Nostro suppressae, preces Nobis obtulerunt, quibus facultatem sibi fieri supplicabant, ut auctoritate Nostra in unum corpus coalescerent, quo facilius juventuti fidei rudimentis erudiendae, et bonis moribus imbuendae ex proprii instituti ratione operam darent, munus praedicationis obirent, confessionibus excipiendis incumberent, et alia sacramenta administrarent: eorum precibus eo libentius annuendum Nobis esse duximus, quod imperator Paulus primus tunc temporis regnans eosdem presbyteros impense Nobis commendavisset humanissimis literis suis die undecima augusti anni Domini millesimi octingentesimi ad Nos datis, quibus singularem suam erga ipsos benevolentiam significans, gratum sibi fore declarabat, si catholicorum imperii sui bono Societas Jesu auctoritate Nostra ibidem constitueretur.

Laudes ecclesiasticorum virorum, unde continuo societas floruit magna cum utilitate populorum.

§. 3. Quapropter Nos attento animo perpendentes quam ingentes utilitates in amplissimas illas regiones, evangelicis operariis propemodum destitutas, essent proventurae, quantumque incrementum ejusmodi ecclesiastici viri, quorum probati mores tantis laudum praeconiis commendabantur, assiduo labore, intenso salutis animarum procurandae studio, et indefessa verbi divini praedicatione catholicae religioni essent allaturi: tanti, tamque benefici principis votis obsecundare rationi

Digitized by Google

consentaneum existimavimus, Nostris itaque in forma brevis literis datis die septima martii anni Domini millesimi octingentesimi primi praedicto Francisco Kareu, aliisque ejus sodalibus in Russiaco imperio degentibus, aut qui aliunde illuc se conferre possent, facultatem concessimus, ut in unum corpus, seu congregationem Societatis Jesu conjungi, unirique liberum ipsis esset, in una vel pluribus domibus arbitrio superioris, intra fines duntaxat imperii Russiaci designandis; atque ejus congregationis praepositum generalem eumdem presbyterum Franciscum Kareu ad Nostrum et Sedis apostolicae beneplacitum deputavimus cum facultatibus necessariis et opportunis, in sancti Ignatii de Loyola regulam a felicis recordationis Paulo tertio praedecessore Nostro apostolicis suis constitutionibus approbatam, et confirmatam retinerent et sequerentur; atque ut hoc pacto socii in uno religioso coetu congregati juventuti religioni, ac bonis artibus imbuendae operam dare, seminaria et collegia regere; et probantibus ac consentientibus locorum ordinariis confessiones excipere, verbum Dei annunciare, et sacramenta administrare libere possent; et congregationem Societatis Jesu sub Nostra et apostolicae Sedis immediata tutela et subjectione recepimus, et quae ad illam firmandam et communiendam, atque ab abusibus et corruptelis, quae forte irrepsissent, repurgandam visum fuisset in Domino expedire, Nobis ac successoribus Nostris praescribenda et sancienda reservavimus: atque ad hunc effectum constitutionibus apostolicis, statutis, consuetudinibus, privilegiis, et indultis quomodolibet in contrarium praemissorum concessis et confirmatis, praesertim literis apostolicis memorati Clementis XIV. praedecessoris Nostri incipientibus « *Dominus ac redemptor Noster* » expresse derogavimus in iis tantum quae contraria essent dictis Nostris in forma brevis literis, quarum initium « *Catholicae* » et duntaxat pro Russiaco imperio elargitis.

Memoratur aeque reintegratio ejusdem Societatis facta in regno Siciliarum ad preces Ferdinandi regis.

§. 4. Consilia, quae pro imperio Russiaco capienda decrevimus, ad utriusque Siciliae regnum non ita multo post extendenda censuimus, ad preces charissimi in Christo filii Nostri Ferdinandi regis, qui a Nobis postulavit, ut Societas Jesu eo modo quo in praefato imperio stabilita a Nobis fuerat, in sua quoque ditione, ac statibus stabiliretur; quoniam luctuosissimis illis temporibus ad juvenes christiana pietate ac timore Domini, qui est initium sapientiae informandos, doctrinaque, et scientiis instituendos praecipue in collegiis, scholisque publicis clericorum regularium Societatis Jesu opera uti in primis opportunum sibi arbitrabatur. Nos ex muneris Nostri pastoralis debito piis tam illustris principis desideriis, quae ad majorem Dei gloriam, animarumque salutem unice spectabant, morem gerere exoptantes Nostras literas pro Russiaco imperio datas ad utriusque Siciliae regnum extendimus novis in simili forma brevis literis incipientibus « *Per alias* » expeditis die trigesima julii anni Domini millesimi octingentesimi quarti.

Preces quaqua versus porrectae pro instauratione ejusdem Societatis.

§. 5. Pro ejusdem Societatis Jesu restitutione unanimi fere totius christiani orbis consensu instantes, urgentesque petitiones a venerabilibus fratribus archiepiscopis, et episcopis, atque ab omnium insignium personarum ordine et coetu quotidie ad Nos deferuntur; praesertim postquam fama ubique vulgata est uberrimorum fructuum, quos haec Societas in memoratis regionibus protulerat; quaeque prolis in dies crescentis faecunda, Dominicum agrum latissime ornatura et dilatura putabatur.

Ratio decernendae reintegrationis.

§. 6. Dispersio ipsa lapidum sanctuarii ob recentes calamitates et vicissitudines, quas deflere potius juvat, quam in memoriam revocare; fatiscens disciplina regularium ordinum (religionis et Ecclesiae Catholicae splendor et columen) quibus nunc reparandis cogitationes, curaeque Nostrae diriguntur, efflagitant, ut tam aequis et communibus votis assensum Nostrum praebeamus. Gravissimi enim criminis in conspectu Dei reos Nos esse crederemus, si in tantis reipublicae necessitatibus ea salutaria auxilia adhibere negligeremus, quae singulari providentia Deus Nobis suppeditat, et si Nos in Petri navicula assiduis turbinibus agitata, et concussa collocati expertos et validos, qui sese Nobis offerunt, remiges ad frangendos pelagi naufragium Nobis et exitium quovis momento minitantis fluctus respueremus.

Tenor decretae reintegrationis.

§. 7. Tot, ac tantis rationum momentis, tamque gravibus causis animum Nostrum moventibus id exequi tandem statuimus, quod in ipso pontificatus Nostri exordio vehementer optabamus. Postquam igitur divinum auxi-

lium ferventibus precibus imploravimus, suffragiis et consiliis plurium venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium auditis, ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine ordinare et statuere decrevimus, uti revera hac Nostra perpetuo valitura constitutione ordinamus et statuimus, ut omnes concessiones et facultates a Nobis pro Russiaco imperio, et utriusque Siciliae regno unice datae, nunc extensae intelligantur, et pro extensis habeantur, sicut vere eas extendimus, ad totum Nostrum statum ecclesiasticum, aeque ac ad omnes alios status et ditiones.

Licentia superioribus concessa admittendi, et cooptandi tirones qui regularem ordinem in Societate exercere cupiunt

§. 8. Quare concedimus et indulgemus dilecto filio presbytero Thaddaeo Borzozowski moderno praeposito generali Societatis Jesu, aliisque ab eo legitime deputatis omnes necessarias et opportunas facultates ad Nostrum et Sedis apostolicae beneplacitum, ut in cunctis praefatis statibus, et ditionibus omnes illos, qui in regularem ordinem Societatis Jesu admitti et cooptari petent, admittere et cooptare libere ac licite valeant, qui in una vel pluribus domibus, in uno, vel pluribus collegiis, in una vel pluribus provinciis sub praepositi generalis pro tempore existentis obedientia conjuncti, et, prout res feret, distributi, ad praescriptum regulae sancti Ignatii de Loyola apostolicis Pauli III. constitutionibus approbatae et confirmatae suam accomodent vivendi rationem: concedimus etiam, et declaramus, quod pariter juventuti catholicae religionis rudimentis erudiendae, ac probis moribus instituendae operam dare, nec non seminaria et collegia regere, et consentientibus atque adprobantibus ordinariis locorum in quibus eos degere contigerit, confessiones audire, verbum Dei praedicare et sacramenta administrare libere et licite valeant: omnia vero collegia, domus, provincias, sociosque sic conjunctos, et quos in posterum conjungi et aggregari contigerit, jam nunc sub immediata Nostra, et hujus apostolicae Sedis tutela, praesidio, et obedientia recipimus; Nobis et Romanis pontificibus successoribus Nostris reservantes ea statuere ac praescribere, quae ad eamdem Societatem magis magisque constabiliendam et communiendam, et ab abusibus, si forte (quod Deus avertat) irrepserint, repurgandam, statuere ac praescribere visum fuerit expedire.

Monitum ad superiores, socios, et alumnos.

§. 9. Omnes vero et singulos superiores, praepositos, rectores, socios, et alumnos qualescumque hujus restitutae Societatis quantum in Domino possumus commonefacimus, et exhortamur, ut in omni loco ac tempore sese fideles asseclas et imitatores tanti sui parentis, et institutoris exhibeant, regulam ab ipso conditam et praescriptam accurate observent, et utilia monita ac consilia quae filiis suis tradidit summo studio exequi conentur.

Simile ad principes, ordinarios, aliosque in dignitatibus constitutos.

§. 10. Denique dilectis in Christo filiis illustribus et nobilibus viris, principibus, ac dominis temporalibus, nec non venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, aliisque in quavis dignitate constitutis saepedictam Societatem Jesu, et singulos illius socios plurimum in Domino commendamus, eosque exhortamur, ac rogamus non solum ne eos inquietari a quocumque permittant, ac patiantur, sed ut benigne illos, ut decet, et cum charitate suscipiant.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 11. Decernentes praesentes literas, et in eis contenta quaecumque semper ac perpetuo firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari debere; sicque et non aliter per quoscumque judices quavis potestate fungentes judicari et definiri pariter debere; ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 12. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac praesertim supramemoratis literis in forma brevis felicis recordationis Clementis decimiquarti incipientibus « *Dominus ac Redemptor Noster* » sub annulo piscatoris expeditis die vigesimaprima julii anni Domini millesimi septingentesimi septuagesimi tertii, quibus ad praemissorum effectum expresse ac specialim intendimus derogare: caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 13. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, sive exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Digitized by Google

Sanctio poenalis. §. 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae ordinationis, statuti, extensionis, concessionis, indulti, declarationis, facultatis, receptionis, reservationis, moniti, exhortationis, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo quartodecimo, septimo idus augusti, pontificatus Nostri anno quintodecimo.

Dat. die 9. aug. 1814. Anno XV.

DLXVIII.

Applicatio bonorum beneficii simplicis sub titulo sanctae Marthae de Petra Minuta favore capituli ecclesiae metropolitanae Januensis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium. §. 1. Romanorum pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes interdum ecclesiasticorum beneficiorum redditus ad alias ecclesias, et personas, prout melius in Domino expedire videtur, transferimus, et adsignamus.

Expositio precum. §. 2. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii capitulum et canonici parochialis, et metropolitanae ecclesiae Januensis, quod, cum beneficium simplex, praepositura nuncupatum sub titulo s. Marthae de Petra Minuta Januensis dioecesis erectum jam ab anno MDCCCVIII. vacaverit, et adhuc vacet, cumque post biennium a sequuta vacatione beneficii hujusmodi administratio dictis capitulo, et canonicis interinaliter ex apostolica Nostra delegata facultate tributa fuerit, iidem canonici, quorum redditus ob notissimas temporum vicissitudines enormiter sunt imminuti, mensae eorum capitulari beneficium hujusmodi, in perpetuum uniatur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur attentis desuper relationibus venerabilis fratris archiepiscopi Januensis, ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, beneficium praedictum s. Marthae cum omnibus, et singulis suis redditibus, juribus, et pertinentiis universis mensae capitulari dictae metropolitanae ecclesiae Januensis auctoritate apostolica tenore praesentium in perpetuum tribuimus, et incorporamus; ita tamen, ut onera quaecumque, si eidem beneficio ex lege fundationis adnexa fuerint, per ipsum capitulum in perpetuum pariter expleri debeant.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 4. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus felicis recordationis Benedicti XIV. prædecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die nona augusti millesimo octingentesimo decimo quarto, pontificatus Nostri anno decimoquinto.

Dat. die 7. sept. 1814. Anno XV.

DLXIX.

Damnatio pseudo electionis archiepiscopi Ultrajectensis factae a Gisberto de Jong Daventriensi in personam Willibrordi Van Os.

Dilectis filiis universis catholicis in Belgio Batavo commorantibus.

Pius PP. VII.

Dilecti filii
salutem et apostolicam benedictionem.

Exponitur facinus narratum ab ipso electo.

§. 1. Inter maximas, quae undique ad Nos mittuntur pro felici, faustoque Nostro ad Sedem apostolicam reditu gratulationes: dum solemnes ubique gratiae Deo O. M. aguntur, quod saevissimam illam, quae non Ecclesiam modo, sed totam prorsus Europam obrutura videbatur, tempestatem sedaverit: in mediis catholicorum episcoporum officiis, quibus obsequium, et obedientiam Nobis suam certatim testantur: ecce ingratissimae Willibrordi Van Os literae Nobis redduntur, quibus se in archiepiscopum Ultrajectensem electum die 10. februarii hujus anni, et, quod longe gravius est, die 24. aprilis a Gisberto de Jong Daventriensi inter suos nuncupato episcopo consecratum fuisse, Nobis impudentissime significare ausus est. Luctuosus hujusmodi nuncius acerbissimam Ultrajectini schismatis memoriam refricavit, et infelicem tot laborum exitum, quibus illud extinguere summi pontifices decessores Nostri, Nosque ipsi una vice conati sumus, in mentem intimo ea re dolore perculsam reduxit. Quod autem Willibrordi facinus nullo pacto per se ferendum vehementissime auget, est callidus ille, fucatusque scribendi modus, quo veteratorum sui similium consuetas artes imitatus, aut fallere Nos, aut saltem demulcere aggressus est. Suum enim erga sanctam hanc Sedem obsequium, suamque in Nos venerationem officiosis, conceptisque verbis profitetur, ad Nostros denique pedes provolutus apostolicam a Nobis benedictionem efflagitat. Inter has autem inanium verborum blanditias apostolicae Sedis jura factis conculcat, sacrarum legum sanctiones aperte violat, venerandam Ecclesiae disciplinam nefarie corrumpit, et irrogatas toties sui similibus eamdem ob causam poenas procacissime aspernatur.

Declaratur illicita, nulla, et irrita electio, quae damnatur cum omnimoda suspensione a quavis jurisdictione sub poena excommunicationis.

§. 2. Quae cum ita sint, apostolico, quo immerentes fungimur, muneri nimis deesse merito videremur, si Willibrordi scelus, illorum, qui suppetias in eo patrando illi tulerunt, sceleribus cumulatum sileremus, inultum abire pateremur. Ex hac igitur apostolicae Sedis specula vocem juxta illud *Clama ne cesses* attollimus, vobisque, dilecti filii, in quorum conspectu haec tam indigne facta, non sine vestra procul dubio execratione contigerunt, universaeque simul Ecclesiae, auctoritate divinitus Nobis demandata declaramus, atque decernimus tam electionem ejusdem Willibrordi Van Os in archiepiscopum Ultrajectensem, illicitam, irritam, ac nullam, quam ejus consecrationem esse illegitimam ac sacrilegam, contraque sacrarum legum sanctionem factam: memoratumque Gisbertum de Jong consecratorem, et ipsum Willibrordum Van Os electum, consecratumque, omnesque eos, qui partem in nefaria electione habuerunt; quique tam electioni, quam consecrationi opem, operam, consensum, consiliumque quomodolibet praestiterunt, excommunicamus, anathematizamus, atque ab Ecclesiae communione segregatos, et prorsus schismaticos habendos et vitandos esse pronunciamus, constituimus et mandamus: praeterea dictum Van Os declaramus ab omni exercitio eorum, quae jurisdictionis sunt, et quae ordinis esse suspensum, eidemque idcirco interdicimus sub poena excommunicationis ipso facto sine ulla declaratione incurrendae, ne ullo pacto chrisma conficere, sacramentum confirmationis conferre, clericos ordinare, aut alia quaecumque sunt episcopalis ordinis, exercere valeat, decernentes insuper vacuos, inanes, nulliusque roboris prorsus, ac momenti omnes, et singulos alios actus, quos attentare praesumpserit. Qui vero ab ipso ecclesiasticis ordinibus initiati fuerint, noverint suspensionis vinculo se obstrictos esse, atque irregularitati propterea obnoxios, si susceptos ordines exercuerint.

Vota ad Deum, ut refractariorum hominum mentes illustret, atque ad poenitentiam adducat.

§. 3. Inviolabilis Ecclesiae Catholicae unitas, indubitata Sedis apostolicae jurisdictio, sacrarum legum, disciplinaeque ecclesiasticae a novatorum ausibus vindicandae studium ad hanc in Willibrordum Van Os, ejusque socios animadversionem Nos adegerunt. Quanto libentius eos si facti sui poenitentes inconsutilem Christi vestem lacerare desinerent, apostolicis gratiis cumularemus! Quod esset Nostrum gaudium si devias ab ovili oves reducere, et exitiosos, quibus misere laborant morbos sanare Nobis contingeret! Hoc a coelesti pastorum principe assidue petimus, hoc ipsum, dilecti filii, ab eodem petitote, ut scilicet refractariorum hominum mentes illustret, obstinatam voluntatem flectat, induratum cor

Google

molliat, atque ad catholicam veritatem denique amplectendam inclinet. Interim, dilecti filii, eos diligenter cavete, ipsorumque societatem respuite. Id vos pro vestra erga Nos, et sanctam hanc Sedem fide, ac reverentia sedulo facturos rati, apostolicam vobis ipsis benedictionem paramanter impertimur. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima septembris millesimo octingentesimo decimoquarto, pontificatus nostri anno decimoquinto.

Dat. die 7. sept. 1814. Anno XV.

DLXX.

Facultas regi catholico concessa disponendi extra capitulum de officiis ordinis, seu societatis aurei velleris.

Carissimo in Christo filio nostro Ferdinando Hispaniarum regi catholico.

Pius PP. VII.

Carissime in Christo fili noster salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Quum sicut Nobis expositum nuper majestatis tuae nomine fuit, pro dispositione locorum, seu officiorum ordinis seu societatis aurei velleris, vulgo nuncupati del Toisone, capitulum ipsius ordinis, seu societatis, pro ut illius statuta seu stabilimenta disponunt, convocari oporteret. Tu vero de locis, seu officiis hujusmodi extra praedictum capitulum partim jam disposueris, sub spe scilicet non defuturam tibi apostolicam ad id necessariam facultatem, ac de reliquis etiam in futurum posse disponere, quemadmodum per alios plures Hispaniarum reges apostolica auctoritate suffultos dispositum fuit, plurimum cupias.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos majestatis tuae votis, quantum cum Domino possumus, obsecundare, teque amplioribus gratiis, et favoribus prosequi volentes, supplicationibus Nobis humiliter super hoc pro te porrectis inclinati, eidem majestati tuae, de omnibus locis atque officiis dicti ordinis seu societatis tam ad praesens vacantibus, quam in posterum vacaturis, ad tuum beneplacitum, etiam extra capitulum generale praedictum auctoritate Nostra apostolica libere, ac licite disponendi, et providendi plenam et amplam facultatem eadem auctoritate tenore praesentium concedimus, et impertimur, et quoad loca seu officia jam per te, ut praefertur, provisa, atque disposita eorumdem provisionem, atque dispositionem ratam, validamque habemus, ac declaramus, omnemque, et quemcumque defectum plenarie sanamus atque supplemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dicti ordinis, seu societatis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, stabilimentis, usibus, et naturis, etiam si in illis caveatur expresse, quod illa loca, seu officia extra dictum capitulum generale conferri nequeant, ac aliter factae illorum collationes, et provisiones nullae sint; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, ac sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia septembris millesimo octingentesimo decimoquarto, pontificatus Nostri anno decimoquinto.

Dat. die 26. sept. 1814. Anno XV.

DLXXI.

Allocutio habita in consistorio secreto diei 26. septembris 1814.

Pius PP. VII.

Venerabiles fratres.

De reditu ad urbem, et passae captivitatis memoria.

§. 1. Optatissimus tandem aliquando dies illuxit in quo conspectu, frequentiaque vestra iterum frui datum Nobis est. Sacram hanc, in quam invitatu nostro convenistis aulam, ut primum intravimus, tam acri paterni amoris, laetitiaeque sensu correpti sumus, ut vix lacrymas continere potuerimus. Acerbissima ergo nostrarum calamitatum tempora praeterierunt: Nos post gravissima rerum discrimina ad Sedem apostolicam reduces, Ecclesiae gubernacula cum securitate, ac dignitate tractanda denuo suscepimus: vos hac illac jactati, et

dura omnia passi, lateri tandem Nostro rursus adhaeretis, opera Nos, consilioque vestro reparandis Ecclesiae ruinis intentos libere, et impavide juvaturi. Omnis igitur malorum, quibus obnoxii fuimus memoria deleatur: quamquam gravissimarum Ecclesiae, in quam tenebrarum princeps omnem suam per hosce annos evomuisse rabiem visus est, calamitatum recordatio fieri non potest, ut nostris umquam ex animis elabatur. Quae ex inferis emissa longe lateque dominabatur impietas, omnia christianarum virtutum germina extirpare contendebat: irritos tamen fuisse nefarios ejusdem conatus, testes Nos ipsi locupletissimi extitimus. Tanta enim, ac talia solidae pietatis exempla propriis oculis vidimus, tam effusa impensi amoris, devotissimi obsequii, largissimaeque liberalitatis, dum per varias Italiae, Galliaeque provincias traheremur, officia experti sumus, ut de illis antiquissima etiam Ecclesiae tempora gloriari merito potuisse videantur. Vellemus quidem singulis non solum urbibus, atque oppidis, sed unicuique hominum nominatim debitam pro suis erga Nos meritis laudem impertiri, si id orationis hujus Nostrae brevitas aliquo modo pateretur. Silentio tamen praeterire non possumus Genuenses, Mediolanenses, Taurinenses, qui palam, cum facultas dabatur, clam, cum negaretur, Savonam accurrebant, ut Nos inviserent, et omni pietatis, amoris, liberalitatis genere venerabundi prosequerentur. Savonensium vero erga Nos studium tanto est commendabilius, quanto diuturniorem gravioremque apud ipsos captivitatem sustinuimus. Æque a Nobis celebranda Gallia est, quae se praestantissimo regi suo denique restitutam tantopere Nobiscum laetatur, et in qua religiosos adeo sensus ubique deprehendimus, totque amantissimi obsequi, ac splendidissimae munificentiae testimoniis a nobilissimis praesertim matronis honestati sumus, ut captivitatis Nostrae quodam modo obliti, gratias Deo saepe ageremus, quod tantarum virtutum spectatores, ac testes Nos esse voluisset. Scilicet ea est sanctissimi, quod profitemur, instituti indoles, et quo magis impugnatur, vires suas intensius exerat, quo validius deprimitur, altius attollatur.

Omnia ad religionis sanctitatem demonstrandam conferre declarat.

§. 2. Haec ipsa christianae religionis proprietas ipsam de coelo in terras delapsam luculentissime ostendit. Neque enim naturae humanae infirmitas acerbissimis calamitatibus pro justitia sustinendis, mortique ipsi fortiter, alacriterque oppetendae satis esse posset, nisi divina plane virtute confirmaretur. Unde illam animi tranquillitatem, imo et jucunditatem, qua furente in Nos persecutione, in mediis inopiae, exilii, carcerumque angustiis perfundebamur, profectam existimatis, nisi a coelesti misericordiarum patre, qui erigebat, et consolabatur Nos in omni tribulatione nostra? Quis generosos Hispanorum animos excitavit, ut captis inopinato armis, hostem eorum urbes atque arces jam occupantem intrepide aggrederentur, et cruentissimis praeliis fractum ab Hispaniae finibus propulsarent? Quis initum a potentissimis principibus foedus; quis optatos atrocissimorum bellorum exitus; extremam postremo elatissimi hominis ruinam, nisi Deus exercitum fovit, adduxit, acceleravit? Quoniam igitur conversis Deo sic jubente rebus, e teterrimo illo, in quo postremis hisce annis misere jacebamus statu feliciter emersimus, quid superest, venerabiles fratres, nisi ut assiduas, et immortales Deo gratias agamus, maximique beneficii, quo in Sedem apostolicam inter festivos, et incredibiles omnium populorum, urbis praesertim Nostrae, plausus reducti sumus, nunquam obliviscamur?

Gratiarum actio ad Deiparam virginem, apostolos Petrum et Paulum, martyresque Silverium, et Martinum.

§. 3. Te nunc Deipara virgo, cujus efficacissimo patrocinio salutem Nostram acceptam referimus, vosque o rutilantia Ecclesiae lumina Petre et Paule, quorum opera, et sanguine christiana religio Romae sata, irrigataque est, quique praesentissima Nobis ope adfuistis precamur, ut quas toto vobis animo grates persolvimus, benignis auribus excipere, urbemque hanc tutelae vestrae commissam a perditorum hominum insidiis, incursibusque perpetuo tueri velitis. Vobis etiam, fortissimi martyres Silveri et Martine, gratos animi Nostri sensus expromimus, qui nos aerumnarum vestrarum participes, et in apostolico munere successores, exemplo, praesidioque vestro ad subeunda quaeque pro sanctissimis legibus discrimina excitavistis.

Similis ad principes quorum consiliis, armis, ac opibus orbi universo pax reddita est.

§. 4. Nostris autem erga Deum, augustissimam ipsius matrem, coelitesque hujus urbis patronos officiis perfuncti, ad vos convertimur gloriosissimi principes, quorum consiliis, opibus, armis pax afflictae Ecclesiae, orbique universo reddita est. Res praeclarissime, ac

saluberrime a vobis gestas nulla umquam aetas reticebit. Nos quidem egregia vestrae in Nos voluntatis argumenta memori semper, gratoque animo recolemus, illique, per quem reges regnant, toto animi fervore supplicabimus, ut vos diutissime incolumes servet, et vera, solida, perennique felicitate florentes. Nec vos pontificio meritarum laudum praeconio fraudabimus, eximii quotquot estis viri, lectissimaeque mulieres, a quibus in Italia, ejusque insulis, atque in Gallia universa praestantior episcoporum, clerique Romani pars suis e sedibus ejecta, bonis omnibus multata, crudelissime uno verbo habita, quod suae erga Nos, et apostolicam Sedem fidei deesse noluisset, benignissimo hospitio excepta est, et omni studiosae, amplissimaeque liberalitatis genere sublevata. O vos beatos, qui thesauros vestros coelo intulistis, ubi nec aerugo ipsos corrumpit, nec tinea demolitur. Nomen vestrum Romanae Ecclesiae annalibus inscriptum pietatem, largitatemque vestram ad remotissimos usque posteros propagabit.

Memorantur quae disposita fuerunt ad subversas ecclesiae res in integrum restituendas.

§. 5. Quoniam vero qua ratione crescunt dona, crescunt etiam rationes donorum: tanto ad serviendum Deo, atque ad obeunda munera cuique Nostrum demandata promptiores Nos esse oportet, quanto uberioribus ab eo beneficiis affecti sumus. Nostra igitur in Deum pietas ferventior; odor Nostrarum virtutum fragrantior; Nostrae pro Dominico grege custodiendo excubiae nunquam interruptae, et quam antea perspicaciores esse debent. Nos profecto simul ac, contrito impiae captivitatis, qua detinebamur, laqueo, ad propria reversi sumus, assiduam, uti vobis notum est, cognoscendis, curandisque Ecclesiae malis operam navare non intermisimus. Occultos impiorum hominum coetus religioni aeque, ac solio principum infestissimos in pontificia ditione disjecimus. Societatem Jesu promovendo Dei cultui, aeternaeque animarum saluti procurandae aptissimam suis e cineribus excitavimus: religiosorum virorum, in quos persecutoris furor singularem in modum exarserat coenobia iterum aperuimus: sacras virgines e mediis saeculi periculis ereptas in sua monasteria, unde maximo piaculo exturbatae fuerant, denuo congregandas curavimus.

Obsecratio ad eminentissimos viros.

§. 6. His tamen, aliisque pluribus, quae hucusque fecimus, majora profecto sunt quae facienda supersunt. Vos igitur, venerabiles, fratres, qua majore possumus animi contentione obtestamur, ut Nos in vinea Domini, quam singularis ferus depastus est, restauranda occupatos ardentiori zelo, studiisque in dies acrioribus adjuvetis. Dies interim, noctesque coelestem pastorum principem obsecremus, ut eas Nobis vices, eam apud omnes principes gratiam, et auctoritatem, eum denique laboribus Nostris fructum concedat, ut Ecclesiae suae bona promovere, ipsamque ad pristinam dignitatem, et amplitudinem revocare feliciter valeamus.

DLXXII.

Dat. die 20. sept. 1814. Anno XV.

Assignatio fructuum ex multiplico colligendorum in subsidium cappellae sub titulo Praesepis erectae in basilica sanctae Mariae Majoris de urbe sub jurepatronatu excellentissimae familiae ducis Sforza Cesarini.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Nobis expositum nuper est nomine dilecti filii Francisci nobilis viri Romani, ac ducis Sforza Cesarini nuncupati, quod insignis cappella sub titulo Praesepis Dominici in basilica s. Mariae Majoris Nostrae almae urbis erecta, quum binis abbatiis ei in dotem a felicis recordationis Sixto papa V. praedecessore Nostro assignatis infeliciter expoliata fuisset, recolendae memoriae Pius pp. VI. praedecessor itidem Noster ad preces ipsius Francisci ducis, se ejusdem cappellae asserente patrono, et de ejus decora conservatione pie sollicito, per apostolicas suas die nona junii millesimo septingentesimo nonagesimo quinto sub plumbo expeditas literas prioratus s. Pauli Albanensis monasterii, qui tunc per obitum ultimi illius possessoris commendatarii vacabat, quique pariter ad ipsiusmet Francisci ducis patronatum spectare affirmabatur, novam denominationem, provisionem, aliamque quamcumque dispositionem ad annos triginta suspendit, et de illius fructibus, redditibus, atque proventibus valoris circiter 700. ducatorum auri de camera ita disposuit, ut quotannis ab administratore specialiter, et quibus-

dam sub conditionibus ad id deputato ponerentur in auctionem, seu ut vulgo dicitur a multiplico scutata 500., erogarentur vero in praedictae cappellae, ejusque ministrorum beneficium scutata 400., ac demum, quod, detractis expensis omnibus, superfuisset, daretur in subsidium Francisci ducis Bovadille ipsius ducis Cesarini patruelis, eo ob suarum rerum vicissitudines tempore indigentis, et alias prout eisdem in literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso et inserto haberi volumus amplius contineri perhibetur. Quumque post haec illud simul contigerit, ut sacra aedes, quae scalarum sanctarum fert nomen, redditibus suis partim primum imminuta, ac in totum subinde in nuperis reipublicae perturbationibus orbata fuerit, ipse Franciscus dux Cesarinus, qui de hujus sacrae aedis patronatu gloriatur, et de ea sarta, tecta tuenda nihil se habere antiquius profitetur, subsidiorum portionem Francisco duci Bovadille, ex praedicti prioratus fructibus ob indicatas indigentiae causas assignatam, nunc iis prorsus cessatis, in subventionem sacrae aedis praedictae per Nos transferri atque constitui, nec non firma remanente praelaudati Pii praedecessoris Nostri dispositione quoad supradictam auctionem, seu multiplicum scutatorum 500., et quoad erogationem quoque scutatorum 400. singulis annis a deputato administratore juxta praemissa perficiendas, fructus tamen pecuniae ad lucrum locatae, eos nempe, qui ex rinvestimentis, ut ajunt, tam factis, quam faciendis proveniunt, per eumdem administratorem applicari, tribuique posse pro rata collegio cappellae dicti Praesepis, idest praeposito, cappellanis, et clericis, qui illius sunt addicti servitio, vehementer desiderat, enixisque humiliter precibus a Nobis expostulat.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur, quibus pro pastorali munere nostro maxime est cordis locis, atque personis Deo dicatis, quantum cum Domino possumus, opportune prodesse, exponentem Franciscum ducem, modernum memorati prioratus administratorem, ac moderna tum cappellae, tum sacrae aedis praedictorum collegia, eorumque singulares personas specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus memorati ducis Cesarini Nobis humiliter porrectis inclinati, supradicti prioratus vacantis administratori pro tempore legitime deputato licentiam, et facultatem, cujus vigore illud omne, quod antea, juxta literas Pii praedecessoris, duci Bovadille erogabatur ex fructibus praememoratis, ipse deinceps favore sacrae aedis scalarum sanctarum impendere, fructusque praeterea ex narratis investimentis tam praeteritis, quam futuris collectos, et colligendos praeposito, cappellanis, clericisque cappellae dicti Praesepis elargiri pro rata, ac distribuere libere, ac licite possit, et valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et impertimur; relicto tamen eidem administratori onere reddendi de his quoque, sicut de reliquis, debitas rationes juxta formam, atque dispositionem literarum Pii praedecessoris, quas in suo semper vigore manere volumus, ac praesentes literas Nostras non ultra annos ab eodem Pio praedecessore Nostro ut supra praefixos valituras declaramus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesima septembris millesimo octingentesimo decimoquarto, pontificatus Nostri anno decimoquinto.

DLXXIII.

Dat. die 30 sept 1814. Anno XV.

Suppressio praepositurae in terra Altidonae Firmanae dioecesis cum applicatione bonorum ad pias causas.

Dilecto filio Nostro Caesari S. R. E. presbytero cardinali Brancodoro nuncupato metropolitanae ecclesiae Firmanae ex concessione, et dispensatione apostolica praesuli.

Pius PP. VII.

Dilecte fili noster
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum porrectarum pro consequenda suppressione

§. 1. Expositum Nobis nuper tuo nomine fuit, quod bonae memoriae Andreas, quum archiepiscopalem Firmanae ecclesiae sedem teneret, ut domum congregationis missionis

Digitized by Google

praepositurae, et applicatione bonorum ad illam pertinentium.

Firmi aedificatam propeque a scelestis hominibus tempore reipublicae eversam reparare, aliisque piis dioecesis suae necessitatibus posset occurrere, capta occasione vacationis praepositurae, quae sub invocatione sancti Michaelis Archangeli in castro Altidonae istius dioecesis extabat fundata, quamque bonae memoriae presbyter cognomine Alexandrinus ultimo loco, dum viveret obtinebat, ipse petiit, obtinuitque a Nobis suspensionem novae provisionis ejus praepositurae ad decennium, et forsan etiam ad quindennium duraturam ita quidem, ut interim praepositurae populus cujus vix centum numerabantur animae curarentur a parocho plebaniae s. Mariae, et s. Cyriaci eodem in castro existentis, fructusque, redditus, et proventus praepositurae ad praedictae domus reparationem, praedictarumque necessitatum emolumentum erogarentur, et alias prout in apostolicis literis Nostris sub certo modo, et forma tunc expeditis, quarum tenorem praesentibus pro pleno, et sufficienter expresso haberi volumus fusius perhibetur contineri. Verum dum haec feliciter incoepta felicius quoque ad aptatum finem proveherentur, impio superveniente usurpationis Demanio, omnia luctuosa facta sunt, statim pejora prioribus. Demanium enim bona praepositurae a manu administratoris erepta occupavit, instauratam missionis domum nova eversione projecit, et plebaniae ecclesiam in promptuaria, cellasque conversam sacrilego ausu profanavit, atque pessum dedit. Recogitanti itaque tibi, quo tandem remedio tot, tantisque malis possit nunc in restituta ecclesiae ac reipublicae pace obviam iri, nihil visum est aptius, atque commodius, quam ad vacantis adhuc praepositurae praedictae suppressionem perpetuam procedi, ejus tamen ecclesiam satis amplam, et firmam, ac ab ipso plebano pro parochialibus muniis per apposite adhibitam, dum a propria exularet ecclesia, quae jam pridem alias fatiscens, modo ob graviora ei illata a Demanio damna nimios, ac fere impossibiles pro debita refectione sumptus exigeret in parochialem Altidonae, praevia utriusque populi tum plebaniae, tum praepositurae unione, et incorporatione destinari, atque constitui. Cuncta vero, et singula praepositurae bona seminario dioecesano jam in deterius collabenti propter censum oneribus sustinendis imparem applicari, atque attribui.

Tenor pactorum exhibitorum in correspectivitatem bonorum assignandorum.

§. 2. Primo: De vicario curato in auxilium parochi plebani pro tempore cum stipendio scutatorum octuaginta monetae Romanae numquam minori assignando providere, qui vicarius praevio semper examine, ab ordinario eligendus, praeterquam quod in omnibus ad animarum curam pertinentibus auxiliari parocho debeat. Teneatur quoque in cunctis diebus festis non exceptis diebus, explanare populo verba evangelii in missa, sive eam celebret antea, sive postquam parochus celebraverit, a quo etc. in missa sua erit explicandum evangelium adeo ut binas semper in quolibet festo evangelii explicationes audire populus valeat; alteram pro praepositura, alteram pro plebaniae parochia. Secundo: Onus itidem ferendum a seminario sit suppeditare quotannis parocho in subsidium pauperum praesertim praepositurae duo rubra frumenti unum ex tritico, et unum ex eo quod vulgus nuncupatur granturco. Tertio: Teneatur seminarium recipere, gratisque alere duos adolescentes de Altidona praesentandos a parocho cum approbatione vicarii foranei de quinquennio in quinquennium per quaternam, ex qua archiepiscopus duos magis sibi bene visos eliget, atque etiam rejiciet, si rejiciendi causam inveniet, aliosque substituat. Praefigatur autem tempus quinquennium, ut locus detur aliis de eodem castro successive educandis. Quod si in quinquennio absoluto deficiant omnino Altidonae juvenculi denuo praesentandi eorum loco, qui praefixum educationis exegere curriculum, tunc facultas sit archiepiscopo longioris educationis spatium juvenibus in seminario manentibus pro suo lubitu indulgendi ac prorogandi. Quarto: In casu autem si forte contingat nullum quandoque adesse juvenem Altidonae in seminario educandum, toto tunc eo durante tempore solvet seminarium unam vel duas dotes in anno scutatorum viginti quinque pro qualibet dote tribuendam, seu tribuendas uni, vel duabus puellis virginibus Altidonae ortis, ac incolis, quas parochus orphanas semper praeferendo non orphanis seliget pro sui prudentia et conscientia, et cum attestatione vicarii foranei super earum paupertate, ac honestate in numero quatuor, vel sex proponat archiepiscopo, ut earum nomina maturiori ipsius probata, vel improbata judicio mittantur in urnam publice inde per sortem extraenda. Quinto demum: Postquam seminarium omnium et

singulorum bonorum, redditaum, atque proventuum cujusvis qualitatis atque naturae ad praeposituram spectantium formalem ceperit possessionem curam simul, obligationemque suscipiat sumptibus suis parochialem domum, ecclesiamque praepositurae perficiendi juxta quod per ordinarium pro tempore censeatur expediens, ac ordinetur. Quae cum sint Nobis humiliter supplicari fecisti, ut Nos in supra enarratis tibi opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor decretae suppressionis.

§. 3. Nos igitur, qui pastorum curam et studium in suarum ecclesiarum promovendis bonis, quantum cum Domino possumus adjuvare maximopere cupimus, te amplioribus faveribus et gratiis prosequi volentes, supplicationibus tuis Nobis humiliter porrectis inclinati, tibi plenam, et amplam facultatem cujus vigore, evocatis prius de jure ad id evocandis recensitam praeposituram perpetuo supprimere, eamque cum plebania praedicta absque ullius tamen praejudicio una simul unire, ac sacra aede s. Mariae ac s. Cyriaci ubi fundata est plebania, ob ejus vetustatem, et cladem ei super illatam prorsus relicta parochialem Altidonae in ecclesia s. Michaelis Archangeli instituere, eique plebanum s. Mariae et Cyriaci in utriusque praepositurae, et plebaniae, populi parochum una cum juribus, honoribus, et oneribus solitis, et consuetis praeficere; bona vero, jura, redditus, et proventus quosque praepositurae seminario istius dioecesis sub cunctis, et singulis, tum quoad vicarium curatum parocho assignandum, tum quoad educationem adolescentum, dotationem puellarum, et subministrationem frumenti pro pauperibus; tum denique quoad necessarias refectiones, assiduamque manutentionem parochialis ecclesiae praedictae, conditionibus, modo et forma superius expressis applicare in perpetuum; applicataque decernere libere, ac licite auctoritate Nostra apostolica possis, et valeas, eadem auctoritate tenore praesentium tribuimus, ac impertimur. Volumus autem quod ecclesiam parochialem, et vicarium curatum sic, ut praemittitur, Altidonae instituendum, si et quando mensibus apostolicae Sedi reservatis eas quomodolibet vacare contigerit, tunc jura ejusdem Sedis pro nova illarum provisione omnino salva, et illaesa subsistat.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae regula de unionibus ad partes committendis, ac de exprimendo in eo annue beneficiorum ecclesiasticorum valore, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas nonnisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, et fel. rec. Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesima septembris millesimo octingentesimo decimoquarto, pontificatus Nostri anno decimoquinto.

DLXXIV.

Dat. die 4. octob. 1814. Anno XV.

Facultas gestandi collare violaceum, et numisma cum flocculo serico ante pectus pendens pro canonicis ecclesiae cathedral. Collensis.

Pius pp. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

§. 1. In summo apostolatus apice, meritis licet imparibus, constituti non modo ad statum ecclesiarum omnium, quarum ab alto Nobis commissa est sollicitudo, animum intendimus, sed interdum externae etiam virorum ecclesiasticorum in illustrioribus templis Altissimo famulantium decorationi, atque honorificentiae consulimus, prout in Domino convenire arbitramur.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque, sicut dilecti filii moderni dignitates, et canonici ecclesiae cathedralis Collensis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsa ecclesia a felicis recordationis Clemente pp. VIII. praedecess. Nostro in cathedralem erecta, ac per alios Romanos pontifices aliis peculiaribus privilegiis ditata reperiatur, itemque antiquitatis laude, templi amplitudine, sacerdotum ibi Deo ministrantium probitate, et doctrina floreat, multum splendoris, et ornamenti ad ipsam accederet, ac divinus cultus, populique devotio majora incrementa susciperet, si ejusdem ecclesiae dignitates, et canonici novis decorationibus donentur; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in

Digitized by Google

praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus dignitatibus, et canonicis ecclesiae praedictae, ut ipsi collare violaceum, ac numisma cum flocculo serico ante pectus pendens, in cujus antica s. Michaelis Archangeli protectoris ipsius capituli, et s. Martialis ejusdem ecclesiae titularis effigies sint insculptae, in postica vero effigies exprimatur unius summi pontificis ad eorum libitum capitulariter designati tam intra ecclesiam, quam extra eam palam gestare, illisque uti libere, et licite possint et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, et dignitates atque canonicos praedictos desuper a quoquam impediri, molestari, vel perturbari nullatenus posse, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, ejusdem ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum in Arce Gandulphi die quarta octobris millesimo octingentesimo decimoquarto, pontificatus Nostri anno decimoquinto.

DLXXV.

Dat. die 2. nov. 1814. Anno XV.

Concessio vexilli favore legionis Hungaricae, quae pontifici urbem reverso inservit in custodia corporis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Nihil unquam apostolica Sedes antiquius habuit, quam testimonia praebere, et monumenta relinquere gratiae, et beneficentiae in eos, qui Romanos pontifices peculiari devotione sunt venerati, ac sincerae pietatis officiis prosecuti, ut per haec argumenta, et eorum foveatur religio, et caeterorum fides perficiatur, atque Ecclesiae Dei amplitudo exhinc ubique major accrescat.

§. 2. Quum itaque ad Tarum, quo nos vere proxime elapso Gallorum praefectus militum duxerat, fuissemus de manu ejus excepti a dilecto filio chiliarcho equite Adulpho barone de Probaska, qui tunc praeerat legioni Hungaricae, cui nomen comitis Radetzky num. V. quumque idem Adulphus Parmam laeto, splendidoque apparatu comitatus Nos esset, et binae cohortes legionis hujusmodi ad Nostram usque almam urbem itineris, ac corporis Nostri fideles custodes fuissent, Nos idcirco, qui post etiam quam Romam pervenimus tales cohortes apud Nos remanserunt, sedulaque earum opera per aliquot menses usi sumus, ut tandem de praestantis, piaeque nationis Hungaricae, ac potissimum legionis praedictae religione in Deum, pietate in Ecclesiam, ac observantia, et reverentia in Nos, qui tot in eis virtutum signa oculis Nostris, nostrique animi vera cum satisfactione conspeximus, memoria perennis existat, ac in aetates posteras nunquam peritura pertranseat, vexillum quo in una icon B. M. V. Dominae Hungariae ad cujus pedes Nos ipsi suppliciter orantes, in altera vero facie carissimi in Christo filii Nostri Francisci imperatoris, ac regis apostolici stemma spectantur eidem legioni dono dari, atque has in forma brevis literas Nostras, quae de dono hujusmodi indubitanter testentur, post Nostram memorati vexilli benedictionem expediri mandavimus. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda novembris millesimo octingentesimo decimoquarto, pontificatus nostri anno decimoquinto.

Tenor concessionis.

DLXXVI.

Dat. die 11. nov. 1814. Anno XV.

Ampliatio jurisdictionis episcopi Portuensis, et sanctae Rufinae.

Venerabili fratri Nostro Josepho episcopo Portuensi, et s. Rufinae S. R. E. cardinali ab Auria nuncupato.

Digitized by Google

Pius PP. VII.

Venerabilis frater noster
salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio et tenor concessionis.

§. 1. Ne jurisdictionis tibi competentis ratione ecclesiarum Portuensis, et s. Rufinae insimul unitarum, de quibus nuper tibi auctoritate apostolica provisum fuit, viribus dubitari umquam contingat super his, quae per te in urbe expedire contigerit, vel quae jam forsan expedita, reperiuntur providere, ac alias commoditatibus tuis consulere volentes, motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te Nobis super hoc porrectae petitionis instantiam, sed ex certa scientia Nostra, ac de apostolicae potestatis plenitudine, tibi ut in dicta urbe, et Romana curia omnimodam jurisdictionem, quam in Portuensi, et s. Rufinae ecclesiis, ac civitatibus, et dioecesibus de jure, usu, et consuetudine, aut alias ex indultis apostolicis habes, perinde ac si apud easdem ecclesias tuas, ac civitates, et dioeceses personaliter resideres, libere, et licite, ac in omnibus, et per omnia per te, vel alium, seu alios exercere possis, et valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium nullo modo extensa, seu ampliata sit, seu esse quomodolibet censeatur, sed data facultas dumtaxat illam exercendi de uno ad alium locum, ut illa eisdem modo et forma exerceatur, ut in urbe praedicta exercetur, si in dictis civitatibus Portuensi, et s. Rufinae resideres, et non alias, ita quod non liceat tibi, seu a te deputatis, vel deputandis carcerari facere in eadem urbe aliquem tibi subditum Portuensis, et s. Rufinae dioecesum, ac multo minus alium tibi non subditum, neque aliquam executionem facere personalem, realem, vel mixtam extra praedictas civitates, et dioeceses Portuensem, et s. Rufinae, quodque nec tu, nec auditor, et judex, seu alius a te ad praemissa pro tempore deputandum jurisdictionem praedictam in urbe, et ejus districtu extra dioecesim Portuensem, et s. Rufinae earumdem vigore praesentium alias quam, ut praefertur, quoquomodo exercere possis, nec possint respective sub nullitatis actorum poena, et excommunicationis ipso facto per auditorem, ac judicem, aliosque praedictos incurrendae, ac etiam privationis officii quoad notarium, nisi eaedem praesentes Nostrae prius apud acta notarii registratae fuerint, ac insuper omnia, et singula per te, sive tuum auditorem, aliosque per te forsan deputatos, vel pro tempore deputandos, in his autem ad eamdem jurisdictionem ratione praedictarum ecclesiarum, civitatum, et dioecesum pertinent, quaeque tam voluntariae, quam contentiosae fuerint jurisdictionis, ac poenitentialis fori, jam forsan, juxta tamen earumdem praesentium tenorem, et non alias, acta, gesta, decreta, et mandata, ac quae deinceps similiter juxta earumdem praesentium tenorem, et non alias decerni, ac mandari contigerit, sententiasque tam interlocutorias, aut definitivas, seu definitivarum vim habentes in quibuscumque causis tam praesentibus, quam futuris, ferendas, ac etiam jam forsan latas, rata, et firma, validaque et efficacia esse, et fore, et nullo umquam tempore de jurisdictionis, et potestatis defectu, seu nullitatis vitio impugnari, invalidari posse volumus, decernimus, et declaramus. Nos enim tibi, ac tuis officialibus, quoscumque in curia, et extra eam etiam per edictum publicum constito summario, et extrajudicialiter de non tuto accessu citandi, illisque, et quibusvis judicibus quavis dignitate, et praeeminentia ecclesiastica, vel saeculari in ipsa curia praefulgeant, et erga subditos tuos Portuenses, et s. Rufinae; nec in causis quae ad tuam omnimodam jurisdictionem alias pertinent se intromittant, aut immisceant, ad illas ac illa ad tuam jurisdictionem omnino remittant, etiam per simile edictum, et sub excommunicationis, aliisque ecclesiasticis censuris, et poenis etiam pecuniariis arbitrio tuo, et officialium tuorum imponendis, moderandis, et applicandis, inhibendo, et contradictores quoslibet, et rebelles per sententias, censuras, et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia, appellatione postposita compescendo, cogendo, et compellendo, ac irritum, et inane quidquid in contrarium per quoscumque factum, et attentatum est, vel fieri, seu attentari contigerit, decernendo, prout Nos sic per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac etiam S. R. E. cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari debere decernimus, aliaque omnia juxta praemissorum formam, et tenorem necessaria, et quomodo-

libet opportuna faciendi, exercendi, et exequendi plenam, liberam, et omnimodam facultatem, auctoritate et tenore praedictis concedimus, et impertimur, ac nihilominus ne etiam de viribus collationum, et provisionum per te in dicta urbe de quibusvis beneficiis Portuensis, et s. Rufinae ecclesiis, et civitatibus, et dioecesibus praedictis consistentium, et ad tuam collationem, provisionem, ac quamvis aliam dispositionem quomodolibet pertinentium pro tempore factarum dubitari, ac haesitari contingat tibi, ut ipsas collationes, nec non etiam commendas de regularibus, si quae sint, et alias quasvis dispositiones hujusmodi in dicta urbe, et in praemissis hae solitae residentiae personalis aedibus dato illarum apposita absque eo, quod propterea extra dictam urbem, seu aliquam ipsius portam te conferre tenearis, ac alias libere, et licite, valideque facere possis indulgemus, ipsasque collationes, provisiones, commendas, et alias dispositiones, sic per te faciendas, validas esse, et fore et illis quibus factae fuerint, etiam perinde ac si illas apud tuas ecclesias resideres, fecisses, et alias in omnibus, et per omnia suffragari debere similiter decernimus, et declaramus.

Derogatio contrariorum.

§ 2. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac cancellariae apostolicae regulis, nec non stylo, usibus, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis personis, et judicibus sub quavis forma concessis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die undecima novembris millesimo octingentesimo decimoquarto, pontificatus nostri anno decimoquinto.

Dat. die 18. nov. 1814. Anno XV.

DLXXVII.

Facultas regi catholico concessa amicabiliter componendi lites, et contentiones omnes, quae inter capitula, episcopos, aliasque personas ecclesiasticas oriri possent, ac milites ordinum s. Jacobi de Spatha, de Calatrava, de Alcantara, et B. V. de Montesa, ac de Conceptione ejusdem B. M. Virginis, ceu alias indulta fuerat Philippo II. et Philippo V., Carolo IV., aliisque regibus catholicis.

Carissimo in Christo filio nostro Ferdinando Hispaniarum regi catholico.

Pius PP. VII.

Carissime in Christo fili noster salutem et apostolicam benedictionem.

Tenor literarum apostolicarum expeditarum a Gregorio XIII. favore cl. me. Philippi Secundi.

§ 1. Dudum a felicis recordationis Gregorio pp. XIII. praedecessore Nostro emanarunt literae in simili forma brevis clarae memoriae Philippo II. dum vixit, Hispaniarum regi catholico directae tenoris sequentis videlicet — A tergo — Carissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi catholico — intus vero — Carissime in Christo fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. Controversiis, et litibus olim in Romana curia, et extra eam coram diversis judicibus ordinariis et delegatis inter archiepiscopos Toletanum et Hispalensem, ac episcopos Conchensem, Cordubensem, Cauriensem, Abulensem, Pacensem, Gadicensem et Oxomensem, eorumque capitula, et nonnullos alios ecclesiarum praelatos, et personas ecclesiasticas regnorum Hispaniae, ac priores milites, et alios fratres militiae s. Jacobi de Spatha sub regula s. Augustini, eorumque conventus super jure decimandi seu praestatione et solutione, quarumdam decimarum tam navalium, quam pecorum, et armentorum, rebusque aliis in actis causarum hujusmodi latius deductis, et illorum occasione pendentibus, aliis item, ut formidabatur, orituris, ut illae omnes amicabili concordia terminarentur felicis recordat. Clemens pp. VII. hortatu clarae memoriae Caroli V. Romanorum imperatoris Hispaniarum regis, et dictae militiae perpetui administratoris per Sedem apostolicam deputati genitoris tui per suas literas in forma brevis confectas eidem Carolo imperatori, regi, et administratori facultatem, et auctoritatem tribuit componendi, et concordandi lites, differentias, et controversias hujusmodi, seque inter partes praedictas interponendi, idipsumque postea piae memoriae Paulus pp. III. per alias suas similes literas illi commisit causas universas, et singulas praedictas ubicumque, quandocumque pendentes in eodem statu, quo pendebant ad suum beneplacitum, facta judicibus, et collitigantibus hujusmodi legitima intimatione, suspendendo, et ne durante hujusmodi beneplacito suo in

causis praedictis quidquam innovaretur, inhibendo, decernens partes ipsas ad observandum quidquid per illum concordatum, aut amicabiliter compositum foret, omnino teneri, ac irritum, et inane quidquid secus a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, et subsequenter ad tollendum dubium, et sub illis verbis generalibus, et alios praelatos, et personas ecclesiasticas, caeteri archiepiscopi, et episcopi regnorum praedictorum comprehenderentur, ipse Paulus praedecessor per alias suas literas causas praedictas non solum inter Toletanum, et Hispalensem archiepiscopos, ac Cordubensem, Conchensem, Cauriensem, Abulensem, Pacensem, Gadicensem et Oxomensem episcopos, illorumque capitula hujusmodi in dictis literis, ut praefertur specialiter nominatos, sed etiam Granatensem, Compostellanum et Valentinum archiepiscopos, nec non Pacensem, Burgensem, Carthaginensem, Giennensem, Malacitanum, Civitatensem, Salamantinum, Zamorensem, Seguntinum, Legionensem, Segobiensem, Albariziuensem, Calaguritanum et Pampilonensem episcopos, eorumque capitula, et quascumque personas ecclesiasticas in dictis regnis consistentes, ac ipsos priores, praeceptores, milites et fratres, eorumque conventus, tam super decimis, et aliis rebus praedictis in ipsis literis expressis, quam etiam super jurisdictione, nec non jurepatronatus, seu praesentandi personas idoneas dictae militiae ad vicarias, praeceptorias, et alia beneficia ecclesiastica ejusdem militiae; illaque administrandi, regendi, gubernandi, et visitandi tam in dicta curia, quam extra eam coram quibuscumque judicibus ordinariis, et delegatis, etiam in causarum palatii apostolici auditoribus, ac S. R. E. cardinalibus in quavis instantia quomodolibet pendentes dicto suo beneplacito durante suspendit, illasque eidem Carolo imperatori per eum componendas, et concordandas, ita quod in illis in omnibus et per omnia juxta tenorem primo dictarum suarum literarum procedere libere, et licite valeret, perinde ac si in ipsis literis singulis, archiepiscopi, episcopi, capitula, et aliae personae praedictae specialiter nominatae fuissent de novo concessit, ac commisit; sed ipso Carolo imperatore, ac rege his vix ceptis, aut imperfectis relictis de medio sublato, cum per similis memoriae Pium pp. IV. praedecessorem Nostrum accepto quod priores, milites, fratres, et clerici dictae militiae juxta privilegia eis a diversis Romanis pontificibus praedecessoribus suis concessa, nec non ipsius militiae consuetudines, usus, et stabilimenta ab immemorabili tempore ab eis observata integras decimas tam personales, et mixtas, quam etiam praediales intra terminos dictae militiae, extra vero personales, et mixtas, nec non praediales novalium praediorum suorum propriis manibus vel sumptibus cultorum exigere, et habere potuissent, et catenus exegissent in quibuscumque, et quorumcumque praelatorum provinciis, et dioecesibus, seu districtibus, ubi eosdem milites, et fratres etiam laicos habitare, vel domicilia habere aut praedictos fructus, ex quibus eosdem solvere tenentur acquirere, colligere, nutrire, depasci, levare et percipere contigeret; ipse Pius praedecess. animadvertens conducibile fore, ut hoc quoque negocium universum via compositionis, et concordiae hujusmodi terminaretur, et propterea volens non solum praedictas, sed etiam majores quae inter supradictos ortae, et suscitatae fuerant, et denuo nasci, oriri, et suscitari poterant lites, quaestiones, et differentias amputare, interim vero partes ipsas in possessionibus in quibus erant, manuteneri, et defendi; nihilque innovari debere; motu proprio, certaque scientia, et deliberatione suis omnes, et quascumque lites, causas, controversias, quaestiones, et differentias tam motas, quam quae moveri poterant in futurum ad se advocavit, et illas, decisionemque, et terminationem ipsarum suspendit, et tibi per recomponendas, et concordandas, ita quod in illis juxta praedictarum Pauli praedecessoris literarum continentiam, et tenorem, ac si illae tibi directae, et praesentatae fuissent in omnibus et per omnia ad suum, et Sedis apostolicae beneplacitum agere, et procedere libere, et licite valeres, commisit, et remisit, plenamque, et liberam licentiam et auctoritatem tibi concessit, prout in suis in eadem forma brevis confectis, et singulis aliis aliorum praedecessorum praedictorum literis plenius continetur. Cum autem sicut accepimus negocio praedicto a te susceptum ita effectum sit, ut inter multos praedictorum pax, et tranquillitas, diligentia, et industria tuis sit subsequuta, cumque etiam similes, et aliae diversae lites, et quaestiones inter

eosdem, et alios archiepiscopos et episcopos, eorumque capitula, nec non praelatos, et personas ecclesiasticas tam saeculares, quam regulares ex una, et dilectos filios magistros, priores, praeceptores, milites, et alios fratres militiarum de Calatrava, et Alcantara Cisterciensis ordinis, eorumque conventus partibus ex altera super solutione decimarum tam novalium, quam pecorum, et armentorum, nec non jurepatronatus administratione, caeterisque juribus et jurisdictionibus supradictis, rebusque aliis in actis causae, et causarum hujusmodi latius deductis, et illarum occasione tam in dicta curia, quam extra eam motae jam sint, et in futurum oriri formidentur. Nos cupientes has quoque lites, quaestiones, et differentias eadem opera, et industria tuis componi, atque concordari earum status, et merita, ac judicium, et collitigantium nomina, et cognomina, caeteraque de necessitate exprimenda praesentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, omnes, et quascumque lites, causas, quaestiones, et differentias tam motas, quam quae moveri poterunt in futurum inter has posteriores partes ad Nos avocamus, et illas, illarumque decisionem, et terminationem ad Nostrum, et dictae Sedis beneplacitum, ita tamen quod interim partes ipsae in possessione, in qua existunt manuteneri, et defendi debeant, nihilque immutari queat, factaque judicibus, et collitigantibus hujusmodi legitima intimatione praesentium auctoritate suspendimus, easque universas, et singulas tibi per te concordandas, et componendas, ita quod Nostro, et Sedis hujusmodi beneplacito durante tu in illis pro hujusmodi concordia, et amicabili compositione te interponere, agere, procedere libere, et licite valeas, committimus, et remittimus, ac plenam, et liberam licentiam, et facultatem, ac auctoritatem concedimus, decernentes partes ipsas ad observandum ea omnia quae in praemissis per majestatem tuam concordata, ac amicabiliter composita, et terminata fuerint omnino teneri, et ad id efficaciter obligatos fore, nec ab illis ullo umquam tempore resiliri posse, nec non irritum, et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus omnibus quae in singulis literis praedictis concessum est non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Tusculi sub annulo piscatoris die vigesima octobris millesimo quingentesimo octuaginta quatuor, pontificatus Nostri anno decimo tertio. « Caesar Glorierus ». Loco ✠ annuli piscatoris.

Extensio facultatum ipsarum favore Caroli regis indulta ab Innocentio XII.

§. 2. Et subinde pro parte clarae memoriae itidem Caroli earumdem Hispaniarum regis catholici piae mem. Innocentio pp. XII. pariter praedecessori Nostro exposito, quod ipse facultatibus eidem Philippo regi, ut praefertur concessis ad effectum componendi lites, et controversias, quae inter personas in praeinsertis literis persaepe oriri solebant pariformiter uti posse plurimum desiderabat. Idem Innocentius praedecessor eidem Carolo regi omnes, et singulas facultates memorato Philippo regi ab eodem Gregorio praedecessore concessas, sicut praemittitur, et attributas, ita ut idem Carolus rex ad effectum componendi lites, et controversias praedictas, tam tunc ortas, quam quae in posterum forsan oriri possent, uti libere, et licite valeret sub certis modo, et forma tunc expressis auctoritate apostolica concessit; et postmodum fel. rec. Clemens pp. XI. praedecessor quoque Noster similes facultates supradicto Philippo regi, ut praefertur, concessas clarae pariter memoriae Philippo V. memoratarum Hispaniarum regi catholico impertitus fuit.

Concessio facta a Benedicto XIV. favore Ferdinandi regis.

§. 3. Demum piae memoriae Benedictus pp. XIV. praedecessor itidem Noster easdem facultates clarae quoque memoriae Ferdinando dictarum Hispaniarum regi catholico concessit, et alias prout in eisdem Innocentii die XXIX. martii MDCXCIII., et Clementis die XVII. julii MDCCXVI., ac Benedicti praedecessorum praedictorum in pari forma brevi die decima septembris MDCCXLVI. expeditis literis, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius continetur.

Preces porrectae a rege Ferdinando VII. pro simili facultate consequendo.

§. 4. Dum autem sicut majestatis tuae nomine Nobis expositum fuit, tu qui s. Jacobi de Spatha, de Calatrava, de Alcantara, et b. M. de Montesa, ac de Conceptione ejusdem B. M. militiarum respective administrator perpetuus dicta auctoritate deputatus existis, facultatem componendi extrajudicialiter quascumque lites, et controversias inter fratres milites militiarum hujusmodi ex una, et episcopos, capitula, aliasque ecclesiasticas personas ex altera partibus orta, et pendentes, ac in futurum exorituras juxta indultum primodicto Philippo regi a memorato Gregorio praedecesso-

re, ut praefertur, concessum, tibi pariter a Nobis concedi plurimum desideres.

Tenor concessionis.

§. 5. Nos majestatis tuae votis hac in re quantum Nobis ex alto conceditur, favorabiliter annuere cupientes, supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac litium, et controversiarum hujusmodi status et merita, nominaque, et cognomina, ac qualitates judicum, et collitigantium, et aliae quaecumque etiam specificam, et individuam mentionem, et expressionem requirentia praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et specificatis habentes eidem majestati tuae omnes, et singulas facultates memoratis Philippo II. Carolo, Philippo V. et Ferdinando regibus a praedictis Gregorio, Innocentio, Clemente, et Benedicto praedecessoribus, sic ut praemittitur, concessas, et attributas, ita ut tu illis ad effectum componendi easdem controversias et lites tum nunc ortas, et pendentes, quam in futurum orituras, pariformiter uti, servata tamen in omnibus, et per omnia memoratarum literarum forma, et dispositione, libere pariter, et licite possis et valeas ad Nostrum, et Sedis apostolicae beneplacitum auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus litium pendentiis, aliisque praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non omnibus, et singulis illis, quae tam in praeinsertis Gregorii, quam in aliis memoratarum Innocentii, Clementis, et Benedicti praedecessorum literis concessae sunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima octava novembris millesimo octingentesimo decimoquarto, pontificatus Nostri anno decimoquinto.

Dat. die 22. nov. 1814. Anno XV.

DLXXVIII.

Applicatio legati pii missarum in augumentum ecclesiae parochialis sanctae Luciae de Magnoli dioecesis Florentinae.

Dilecto filio Cajetano Niccolini vicario capitulari Florentino, archiepiscopali ejus sede vacante, auctoritate apostolica deputato.

Pius PP. VII.

Dilecte fili salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis fecit nuper dilectus filius Joseph Juvenis parochus ecclesiae curatae s. Luciae de Magnoli Florentinae civitatis, seu dioecesis, quod ipse, postquam possessionem curatae ecclesiae hujusmodi alias canonice suscepit, eamdem ecclesiam valde, ut asserit, congruae dotis defectu laborare adinvenit, quum nihil aliud extet, de quo certo, ac tuto disponi possit, nisi scutata sex istius monetae pro quolibet mense cum onere tamen impendendi de proprio quidquid opus est ad alendum cappellanum curatum, clericum sacristiae, famulumque ecclesiae, tum etiam ad provisionem utensilium, rerumque caeterarum, quas ecclesia ipsa pro decora ejus conservatione requirit. Quumque erecta existat in eadem ecclesia quaedam cappellania, seu pium legatum, cujus administratio a suo fundatore relicta fuit parocho pro tempore pro tot celebratione missarum, quot possunt in anno celebrari juxta redditum fundi ad id assignati, qui redditus tamen scutata viginti quatuor in annum minime excedit, ideo exponens redditum hujusmodi in augmentum congruae parochialis applicari per Nos plurimum cupit, redacto, praefixoque missarum numero in viginti tantum missas singulis annis celebrandas sine cantu, et unam cum cantu pro anniversario testatoris. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur eumdem exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, tibi constito apud te prius de narratis, et quatenus tu id magis in Domino expedire censueris, praevia reductione missarum praedictae cappellaniae, seu legati pii ad missas tantum viginti sine cantu, et unam cum cantu juxta mentem fundatoris modo a parocho exponente, ac in posterum a parochis ejus suc-

Digitized by Google

cessoribus celebrandas quotannis, reliquum fructum, reddilumque ex memoratae cappellaniae, seu legati fundo provenientem, auctoritate Nostra apostolica applicandi, applicatumque in perpetuum pro augmento dotis supradictae parochialis ecclesiae pro tui conscientia, et prudentia decernendi, ac declarandi facultates necessarias, et opportunas eadem auctoritate tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus felicis recordationis Benedicti XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, nec non memoratae fundationis, etiam juramento, confirmatione apostolica, aut firmitate alia roborata, cui ad praemissorum effectum specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima secunda novembris millesimo octingentesimo decimoquarto, pontificatus Nostri anno decimoquinto.

DLXXIX.

Dat. die 22. nov. 1814. Anno XV.

Assignatio bonorum, ex quorum reddilu suppleri debeat expensis necessariis ad explendam quolibet anno expositionem sacratissimi sacramenti Eucharistiae in ecclesia parochiali sancti Petri de Celeiros dioecesis Bracarensis.

Dilecto filio vicario capitulari ecclesiae Bracarensis, metropolitana ejus sede vacante, legitime deputato.

Pius PP. VII.

Dilecte fili
salutem et apostolicam benedictionem.

Tenor concessionis.

§. 1. Exponi nuper fecerunt Nobis dilecti filii Joseph Alves Pinto Villar, ac Eleonora Maria Leocadia conjuges paraeciae s. Petri de Celeiros in districtu Villae Regalis istius Bracarensis dioecesis, quod ipsi cultum, ac devotionem erga augustissimum Eucharistiae sacramentum pro viribus suis promovere cupientes, se, suaque bona omnia obligare intendunt pro institutione perpetua fundi, de cujus redditu eruantur expensae, quae opus sint, ut quolibet in anno prima dominica mensis idem Sacramentum possit publice exponi in supradicta parochiali ecclesia cum triginta tamen cereis tantum, licet communiter ista in dioecesi pro expositione hujusmodi quadraginta soleant ubique accendi, ac etiam cum facultate administrandi tam per se ipsos, quam per suos successores in infinitum ea bona, quae ad hujusmodi effectum erunt nunc ab ipsis constituenda. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi, ac successoribus Nos opportune providere, ac benigne ut infra indulgere dignaremur.

Conditiones concessioni adnexae.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac singulares eorum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus hujusmodi inclinati, tibi per praesentes committimus, et mandamus, ut constito tibi prius de narratis, licentiam, et facultatem cujus vigore praedicti exponentes idoneum fundum de bonis suis pro memorata ss. Sacramenti expositione in praedicta parochiali ecclesia facienda singulis primis dominicis cujuscumque mensis assignare, fundique ipsius administrationem penes se, suosque in infinitum successores specialiter servare libere, ac licite possint, et valeant, auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium indulgeas, atque concedas.

Conditio concessioni adjecta.

§. 3. Ita tamen, ut eorum bona omnia, et singula pro securitate fundi ad id assignandi solemni instrumento in perpetuum maneant obligata, nec non in assignatione fundi praedicti habeatur etiam ratio pro ministris altaris, pro utensilibus ecclesiae, ac pro reliquis rebus, ac expensis ad hujusmodi expositiones requisitis, et consuetis, concesso tantum iisdem, ut loco quadraginta cereorum, possint exhibere solum triginta, derogando usui communi istius dioecesis, nec non constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesimasecunda novembris millesimo octingentesimo decimoquarto, pontificatus Nostri anno decimoquinto.

Digitized by Google

Dat. die 6. dec. 1814. Anno XV.

DLXXX.

Temporanea concessio fructuum omnium beneficiorum ecclesiasticorum vacantium in regno Sardiniae, erogandorum a rege Victorio Emmanueli in subsidium ecclesiasticorum ejusdem regni.

Carissimo in Christo filio Nostro Victorio Emmanueli Sardiniae regi illustri.

Pius PP. VII.

Carissime in Christo fili noster salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Ex parte majestatis tuae expositum Nobis nuper fuit, te, divina favente gratia, ad tuos continentales status tandem aliquando reversum illud in primis cogitasse, et velle, ut lethalibus vulneribus, quae superiorum temporum injuria, rebus quoque familiaribus mensarum episcopalium, et capitulorum cum cathedralium, tum collegiatarum ecclesiarum, ac seminariorum itidem episcopalium, aliarumque religiosarum institutionum illata sunt, validum, ac stabile remedium quam citissime adhibeatur; atque pro eo, quo flagras, semperque flagrasti religionis zelo, perspecto Nobis quidem, et probato, omnia in pristinum redigantur statum. Hoc tam necessarium, et salutare consilium a te bene, sapienterque susceptum vehementer in Domino commendamus, atque ad illud plane exequendum omnem operam, studium, laborem, et auctoritatem Nostram libentissimo sane animo collaturi sumus. Quoniam autem (sicut in eadem expositione additum erat) rem tantam aggredi non censes, neque eam celerius confici posse putas, nisi prius urgentissimis multorum ecclesiasticorum de Nostra sancta religione, et humana societate optime meritorum, curamque animarum habentium, et extrema ferme inopia laborantium virorum necessitatibus occurratur; Nobis propterea ejusdem majestatis tuae nomine humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur firmissima spe adducti, fore, ut res ecclesiasticae hujusmodi eversae in pristinum, quo citius fieri poterit, quemadmodum a primis praeclarisque verbis nobis declarasti per te, et Nos simul reducantur ordinem, eidem majestati tuae annuere volentes, et singulares personas, quibus praesentes Nostrae literae favent, excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, majestati tuae, ut donec, et quoad temporales res ecclesiasticae praedictae rationibus, et modis inter Nos ambos, et hanc apostolicam Sedem mox conciliandis, et statuendis recomponantur dumtaxat, et in tuis continentalibus dominiis tantum mensarum episcopalium, abbatiarum, dignitatum, canonicatuum, beneficiorum etiam residentiae vacantium, (illis tamen exceptis quae sunt de jurepatronatus) et quorumcumque aliorum bonorum ecclesiasticorum actuali possessore carentium ab ecclesiasticis quoque personis administratorum fructus etiam adhuc decursos, redditus, et proventus quoscumque ab ecclesiastico viro in dictis dominiis pro administratione bonorum hujusmodi vacantium facienda per Nos jam deputato percipere, et in subsidium personarum ecclesiasticarum indigentium, ac de religione benemeritarum, itemque in alios misericordiae, et charitatis usus dumtaxat pro tua prudentia, et conscientia erogare, atque impendere, expletis tamen omnibus, et singulis oneribus unicuique dictarum ecclesiasticarum institutionum respective adnexis, detractisque pecuniarum summis subministrandis novis episcopis rite eligendis tam pro impensis per ipsos in itinere ad hanc urbem Nostram, et aliis in eadem urbe de more faciendis, quam in suarum respective ecclesiarum possessione capienda, libere, et licite possis, et valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium quamcumque opportunam, et necessariam facultatem tribuimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, quorum interest, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus vel speciali-

Digitized by Google

bus constitutionibus et ordinationibus, nec non dictarum mensarum episcopalium, et ecclesiarum, et institutionum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Conditio concessioni adjectae.

§. 5. Caeterum ad arcendam suspicionem, quae in quorumdam praesertim animis facile suboriri posset, ne quis ex tuis ministris praedictos fructus in alios usus distrahat, volumus, et declaramus, ut uno saltem tibi bene viso episcopo, aut alio in ecclesiastica dignitate constituto viro morum integritate, abstinentia, et bona fama conspicuo in auxilium pro hujusmodi redditunm distributione facienda utaris. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die sexta decembris millesimo octingentesimo decimoquarto, pontificatus Nostri anno decimoquinto.

Dat. die 6. dec. 1814. Anno XV.

DLXXXI.

Concessio collaris violacei, et crucis parvae cum aurea catenula ante pectus gestandae pro canonicis ecclesiae cathedralis Pistoriensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ratio concessionis.

§. 1. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigia prementes decorationibus etiam externis interdum afficimus praeclaros illos ecclesiasticos viros, qui in templis magis conspicuis Altissimo famulantur, quique patientiae, firmitatis, et sincerae in Nos, et hanc apostolicam Sedem devotionis ne difficillimis quidem temporibus edere destiterunt.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque, sicut dilecti filii capitulum, dignitates, et canonici cathedralis ecclesiae Pistoriensis Nobis nuper exponi fecerunt, capitulum ipsum variis insigniis in sacris functionibus exercendis (ut asseritur) ornatum jam a felicis recordationis Clemente pp. XI. et Benedicto pp. XIV. praedecessoribus Nostris reperiatur, multum splendoris ad ipsum accederet, et divinus cultus, populique devotio majora incrementa susciperet, si nova aliqua decoratio etiam extra ecclesiam gestanda per Nos, et Sedem praedictam adderetur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur, attentis desuper relationibus venerabilis fratris Francisci episcopi Pistoriensis, et quo firmius, ac sine intermissione in imo cujusque pectore haereat « neminem esse posse Christi Domini discipulum, nisi crucem bajulaverit suam », ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis et pro tempore in perpetuum existentibus dignitatibus, et canonicis dictae cathedralis ecclesiae, ut ipsi collare violaceum ubique, parvam quoque crucem auream perexiguae catenulae simili adjunctam ante pectus appensam palam gestare libere et licite possint, et valeant, et quilibet eorum possit, et valeat, auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus, et indulgemus, dictosque dignitates, et canonicos desuper a quoquam impediri, et perturbari nullatenus posse, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictae cathedralis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die sexta

decembris millesimo octingentesimo decimoquarto, pontificatus Nostri anno decimoquinto.

DLXXXII.

Dat. die 9. dec. 1814. Anno XV.

Communicatio privilegiorum apostolicis missionariis, alias concessorum pro presbyteris de Oratorio congregationis sancti Philippi Nerii civitatis Limanae,

Dilecto filio Gregorio Antonio Tambino, et Lama presbytero congregationis de Oratorio nuncupatae s. Philippi Nerii Limanae civitatis.

Pius PP. VII.

Dilecte fili salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§. 1. Religionis zelus, vitae, ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, et virtutum merita, super quibus apud Nos fide dignis commendaris testimoniis Nos adducunt, ut te specialibus favoribus, et gratiis prosequamur liberales.

Expositio precum.

§. 2. Quum itaque sicut Nobis nuper exponi fecisti, tu qui, ut asseris, presbyter congregationis de Oratorio s. Philippi Nerii alumnus, et missionum, quae per alumnos ejusdem congregationis tam Limae, ejusque suburbiis, quam aliis in locis exercentur, praefectus a tuis superioribus constitutus existis, in Domini idcirco vineam sacris missionibus, et praedicationibus excolendam praecipue incumbas, et ad christianos populos majori erga ministerium tuum hujusmodi reverentia excitandos, uberioresque a laboribus tuis fructus colligendos, titulo missionarii apostolici tam pro te, quam pro consociis tuarum missionum condecorari cupias, humiliterque a nobis deposcas.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos te in laudabili opere hujusmodi confovere, ac specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus tuis inclinati, tibi, ut tam teipsum, quam tuos missionum socios, ac tempore missionum tuarum una tecum insimul laborantium missionarios apostolicos nominari; et nomine, ac titulo missionariorum apostolicorum, nec non gratiis, et privilegiis hujusmodi titulo adnexis uti, frui, et gaudere libere, et licite possitis, et valeatis ita tamen, ut ordinariis locorum ubicumque missiones, concionesque sacras concomitantes habueritis in omnibus, et per omnia tam tu, quam socii tui subjaceatis, nec ultra eas, quas iidem ordinarii vobis pro utroque foro tribuerint facultates, tam in missionum exercitio quam extra, vos unquam extendatis, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die nona decembris millesimo octingentesimo decimoquarto, pontificatus Nostri anno decimoquinto.

DLXXXIII.

Dat. die 10. dec. 1814. Anno XV.

Revocatio facultatum visitatori apostolico concessarum in regno Hispaniarum pro explenda reformatione ordinum religiosorum.

Dilecto filio Nostro Aloisio S. R. E. presbytero cardinali de Bourbon nuncupato metropolitanae ecclesiae Toletanae ex concessione, et dispensatione apostolica praesuli.

Pius PP. VII.

Dilecte fili Noster salutem et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Usu identidem venit in Christiana republica, ut quae ad rectam hominum disciplinam constitutae sunt regulae, sicut personarum, locorum, ac temporum conditioni valde initio viderentur congruere, ita postea aut pro novorum consideratione factorum, aut pro vi, et necessitate rerum, temperari, relaxari, ac aliter oporteret disponi.

Ratio, et tenor revocationis.

§. 2. Quum itaque sicut accepimus, efferati immanitas belli, ex quo nunc denique, miserante Deo, emersit Hispania, non modo isthic civiles, sed ecclesiasticos etiam ordines, ac potissimum regulares luctuose faedaverit; Nos dum miseram omnium paterne ingemiscimus sortem, ad regularia instituta, tum quia

bene semper de Ecclesia merita, tum quia speciali apostolicae Sedis moderamini reservata sollicitiori studio intenti, illud primum perspicimus animo, quod claustrales Hispaniarum viri suis undique sedibus deturbati, post longi temporis vitam, quam fere exleges duxerunt, acrioribus nunc ad universa ipsorum instauranda corpora remediis egeant, quam quae pro iisdem adhuc viventibus in communi, praesulumque sub virga manentibus ad suarum observantiam legum redigendis, opus esse putavimus. Quamobrem antequam quidpiam aliud de nova, uti par est statuamus visitatione, quam certe quemadmodum fore opus periculosae aleae plenum, ac odiorum quoque pro nationali praesertim Hispano, si eam assumpserit, forte non vacuum praevidemus, ita Nos a tua specialiter Nobis accepta, et tot simul principis, metropolitani, primatis, ac S. R. E. cardinalis insignibus cumulata persona molestiam, invidiamque omnem distinere maxime praeoptamus; priori visitationi, quam per apostolicas Nostras quarto idus septembris anno millesimo octingentesimo tertio in simili forma brevis expeditas literas circumspectioni tuae commisimus, auctoritate apostolica tenore praesentium finem imponimus, illamque cessasse, ac finitam omnino esse, et fuisse decernimus, et declaramus. Demum facultates, quibus te ad perficiendam visitationem illam eisdem literis exornavimus, et communivimus, omnes et singulas praesentibus revocantes et revocatas censentes, te ab illius onere, ac labore levatum volumus, liberumque, ac penitus absolutum: haud dubie confisi de caetero hanc, quae tuam praecipue respicit et quietem, et decus, deliberationem Nostram tibi ipsi pergratam futuram, teque acta visitationis a te hactenus gestae propediem ad Nos transmissurum.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Nos obstantibus praedictis literis Nostris, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decimasecunda decembris millesimo octingentesimo decimoquarto, pontificatus Nostri anno decimoquinto.

DLXXXIV.

Dat. die 16. dec. 1814. Anno XV.

Reservatio fructuum perpetui beneficii ecclesiastici erecti in ecclesia collegiata sanctae Mariae de Castello villae de Torres-Vedras dioecesis Lisbonensis favore fratrum de Azevedo Torres, et successorum.

Dilecto filio vicario capitulari ecclesiae Lisbonensis, illius patriarchali sede vacante, legitime deputato.

Dilecte fili
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Dignum esse arbitramur, ut eos specialibus gratiis prosequamur, quos virtutum meritis praeditos esse accepimus. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus prior ecclesiae matricis, et (ut asseritur) collegiatae ecclesiae s. Mariae de Castello villae de Torres Vedras istius Lisbonensis dioecesis, quod cum unum perpetuum ecclesiasticum beneficium personalem forsan residentiam requirens in dicta ecclesia de antiquo patronatus jure (ut etiam asseritur) regis fidelissimi erectum vacaverit, et vacet, ipse prior utpote donatarius hujusmodi regii jurispatronatus quemadmodum pariter adfirmatur, dilectum filium Josephum Joachimum Estevaens Salgado Vaz presbyterum Lisbonensis, seu alterius civitatis, vel dioecesis ad beneficium hujusmodi nominavit, seu nominare, et praesentare intendit, cum expressa tamen conditione consentiendi reservationi pensionis annuae praecipuae, et liberae ab omni onere, excepto tantum illo partis proportionalis decimae ecclesiae, ac anno « do morto » nuncupato super omnibus, et singulis dicti beneficii proventibus in summa scutatorum centum monetae Romanae favore dilecti filii Emmanuelis Josephi Delegado de Azevedo Torres clerici, seu scholaris ejusdem Lisbonensis, seu alterius civitatis vel dioecesis, ut ipse Emmanuel Altissimo in ecclesiastico statu famuletur, et quatenus ipse vel decedat, aut regularem, vel saecularem statum amplectatur, aut beneficium, seu aliam pensionem annuam scutorum centum dictae monetae excedentem obtineat, tunc in quolibet eventum cessationis pensionis hujusmodi eadem pensio scutorum centum eo ipso devoluta censeatur favore dilecti itidem filii Joannis Josephi de Azevedo Torres sui germani fratris, dummodo huic nullum canonicum ad id obstet impedimentum, ac caeteroquin aptus, et idoneus repe-

Digitized by Google

riatur. Quoniam autem id fieri nequit, sine speciali Nostro, et hujus apostolicae Sedis indulto, Nobis propterea memoratus prior humiliter supplicari fecit, ut sibi, aliisque supradictis personis in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur ipsum modernum priorem, dictosque Josephum Emmanuelem, et Joannem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, discretioni tuae, attento quod sedes patriarchalis Lisbonensis nunc vacat, per praesentes committimus, et mandamus, quatenus constito tibi prius de narratorum veritate, beneficium praedictum cum omnibus juribus, et pertinentiis suis eidem Josepho Joachim auctoritate nostra apostolica conferas, et adsignes, pensionemque praedictam super singulis ejusdem beneficii fructibus, et proventibus certis, et incertis per ipsum Josephum, ejusque in beneficio hujusmodi successores modo, et forma, et conditionibus supra expressis annuatim in terminis inter partes statutis, seu statuendis, datam tamen praesentium minime praecedentibus, nec alias, alioquin praesens reservatio nulla sit eo ipso, sub consuetis sententiis, censuris, et poenis constituas, et adsignes.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus felicis recordationis Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus; nec non, quatenus opus sit, dictae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque in contrarium quibuscumque, aut si Josepho Joachimo, et successoribus praedictis, vel quibusvis aliis conjunctim, seu divisim ab hac s. Sede fuerit indultum, quod ad solutionem alicujus pensionis minime teneatur, et ad id compelli, atque interdici, suspendi, seu excommunicari non possint per Nostras apostolicas literas non facientes expressam mentionem, ac de verbo ad verbum hujusmodi indulti. Caeterum per praesentes non intendimus praedictum juspatronatus in aliquo approbare. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decimasexta decembris millesimo octingentesimo decimoquarto, pontificatus Nostri anno decimoquinto.

DLXXXV.

Dat. die xx. dec. 1814. Anno XV.

Magistratui civitatis Anagninae indulgetur, ut in publicis functionibus praecedi possit a duobus accensibus, vulgo Mazzieri, quorum unus clavam, alter umbellam deferat.

Pius PP. VII

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Paterna, quam de Nostris, et hujus apostolicae Sedis in temporali quoque dominio subditis fovemus, et sollicitudo Nos movet, ut eorum votis, quantum cum Domino possumus eo libentius annuamus, quo firmior eorum in Nos, et Sedem eamdem fides, ac devotio apparet.

Expositio precum. §. 2. Cum itaque civitas Nostra Anagnina dilecto filio Nostro Romualdo S. R. E. diacono cardinali Braschio de Honestis apud Nos, dictamque Sedem protectore gaudeat, ac civitas ipsa inter alias nobilior escivitates, ex quibus fratres milites hospitalis s. Joannis Hierosolymitani recipi possunt, adscripta reperiatur, quippe quae antiquitatis laude, territorii amplitudine, sacrarum aedium splendore, religiosorum conventuum, numero, ac civium probitate floret, atque a remotissimis temporibus ita floruit, ut ex ejus gremio non modo quatuor sanctae virgines, et martyres, et beatus nuncupatus Andreas de Comitibus, verum etiam quatuor summi pontifices praedecessores Nostri pastorali zelo, et doctrina praestantes prodierint, ac demum quoque serva Dei Claudia De-Angelis (cujus admirabilem vitam vix typis editam libentissime legimus) ortum duxerit. Cumque magistratus habeat morum integritate, et prudentia pollentes.

Tenor concessionis. §. 3. Nos civitatem eamdem, ejusque communitatem, et homines specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque eccle-

Digitized by Google

siasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes supplicationibus hujusmodi inclinati, modernis, et pro tempore in perpetuum existentibus dictae civitatis Anagninae magistratibus, ut ipsi unum accensum vulgo « mazziere » cum clava, et alterum cum umbella publice secum gestare, illisque in publicis quibuscumque actibus, et functionibus uti libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus, dictosque magistratus desuper a quoquam impediri, molestari, aut perturbari nullatenus posse, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac ipsius civitatis, aliarumque civitatum status Nostri pontificii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesimatertia decembris, millesimo octingentesimo decimoquarto, pontificatus Nostri anno decimoquinto.

Dat. die 26. jan. 1815. Anno XV.

DLXXXVI.

Concessio coenobii nuncupati Beatae Mariae Virginis Gratiarum facta fratribus minoribus sancti Francisci de observantia, et applicatio bonorum praedicti coenobii favore seminarii episcopalis civitatis Manleani dioecesis Sabinensis.

Venerabili fratri Nostro Laurentio episcopo Sabinensi S. R. E. cardinali Litta nuncupato.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater Noster
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi nuper fecisti Nobis in civitate Manleanensi tuae istius Sabinensis dioecesis quoddam coenobium sub titulo Beatae Mariae Virginis Gratiarum, quod transactis temporibus ad dilectos filios fratres ordinis ejusdem Beatae Mariae Virginis de Mercede excalceatos nuncupatos spectabat, erectum extare, cujus in ecclesiam, ubi icon praelaudatae B. M. V. colitur, non solum cives, sed circumstantes etiam populi magno devotionis fervore compulsi, ac gratam miraculorum, et gratiarum memoriam recolentes certatim concurrunt. Ast dolentibus maxime publicis repraesentantibus memoratae civitatis, universisque illuc confluentibus, quod ob deficientiam praedictorum fratrum quorum ita exiguus est numerus, ut in dicto coenobio eos habitare impossibile sit, ecclesia pene deserta, populique spiritualibus auxiliis destituti adhuc remanent, tu pastorali tua sollicitudine solamen praebere cupiens, coenobium praedictum una cum ecclesia fratribus minoribus de observantia s. Francisci nuncupatis in perpetuum incolendum tradere, exigua vero bona ad memoratum coenobium spectantia, quae adhuc existunt, in utilitatem seminarii istius Sabinensis dioecesis, vel in supplementum congruae, quae alicui parocho praedictae tuae dioecesis deficiat, applicare aequum esse ducis. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur qui pastorum curam, et studium in suarum ecclesiarum promovendis bonis, quantum cum Domino possumus, adjuvare maximopere cupimus, te amplioribus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et singulares personas, quibus Nostrae praesentes literae favent, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi Nobis humiliter porrectis inclinati, circumspectioni tuae plenam, et amplam facultatem recensitum coenobium cum ecclesia illi adnexa a fratribus praedictis relictum in dicta civitate Manleanensi existens dilectis filiis ministro generali, et fratribus minoribus de observantia s. Francisci nuncupatis libenter, ut asseritur acceptantibus una cum horto aut hortis adnexis, exceptis tamen aliis bonis stabilibus tum ecclesiae, tum coenobio praedictis spectantibus, in perpetuum auctoritate Nostra apostolica concedendi, et assignandi.

Digitized by Google

Bona vero stabilia, jura, redditus, et proventus ad praesens existentes ejusdem coenobii seminario Sabinensi, vel alicui congruae parochiali tuae dioecesis ex parte vel in toto pro data tibi a Domino prudentia distribuendi, et applicandi in perpetuum, supportatis tamen oneribus iisdem bonis respective adnexis, eadem auctoritate tenore praesentium tribuimus et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, judicari et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac etiam praedicti ordinis fratrum B. M. V. de Mercede redemptionis captivorum excalceatorum statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decimasexta januarii millesimo octingentesimo decimoquinto, pontificatus Nostri anno decimoquinto.

Dat. die 16. jan. 1815. Anno XV.

DLXXXVII.

Repristinatio numeri magistratus Eugubini cum extensione durationis officii ad semestre.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii Philippus Ondedei, Ubaldus Magni, Ubaldus Paulucci, et Hieronymus Muscinelli publici civitatis Nostrae Eugubinae repraesentantes, quod cum octonarius diversarum classium numerus magistratum per ejusdem civitatis statutarias dispositiones antiquitus statutus, et retentus, successive ob idoneorum virorum penuriam per generalia istius civitatis comitia anno millesimo septingentesimo septuagesimo quarto 1774. habita ad quaternarium fuerit redactus, hac penuria cessata per similia comitia anno millesimo octingentesimo quinto 1805. congregata deliberatum fuit esse Nobis supplicandum pro prioris numeri magistratus hujusmodi repristinatione, ac simul pro extensione eorum officii durationis ad semestre, quoniam trimestralis duratio adhuc observata minus apta videbatur ad res publicas tractandas, atque conficiendas. Quamquam autem sicut in eadem expositione additum erat jam ex eo tempore preces Nobis desuper oblatae fuerint; tamen ob retardatas informationes, et ob superventas longissimas temporum calamitates inconfecta res remansit; Nobis propterea dicti repraesentantes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictos repraesentantes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, magistratuum numerum dictae Eugubinae civitatis, ad octo, ut antea ex civibus diversarum classium componendum, auctoritate apostolica tenore praesentium restituimus, et repristinamus, atque uniuscujusque magistraturae hujusmodi tempus ad sex menses tantum durandum fore decernimus, constituimus, et mandamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes ipsas praesentes literas, firmas, validas, et efficaces existere, et fore,

Digitized by Google

suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, dictisque repraesentantibus plenissime suffragari, ac ab omnibus ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari; sicque per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, ipsius civitatis Eugubinae etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter ac expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decimasexta januarii millesimo octingentesimo decimoquinto, pontificatus Nostri anno quintodecimo.

Dat. die 19. jan. 1815. Anno XV.

DLXXXVIII.

Subrogatio judicis in causis ecclesiasticis definiendis a metropolitano Strigoniensi.

Venerabili fratri
Stephano archiepiscopo Agriensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio, et tenor concessionis.

§. 1. Quoniam ob longam vacationem ecclesiae metropolitanae Strigoniensis, et ob grandaevam aetatem venerabilis fratris Ladislai archiepiscopi Colocensis nomine carissimi in Christo filii Nostri Francisci imperatoris Austriae, ac Hungariae regis apostolici, et Bohemiae regis illustris Nobis fuit expositum, quod multae catholicorum in Hungariae regno degentium causae vel de jure, vel ex legitimo privilegio ab iisdem metropolitano Strigoniensi, et archiepiscopo Colocensi in gradu appellationis cognosci solitae cum maximo subditorum suorum detrimento haereant indecisae, Nos, qui te supradicto imperatori Francisco gratum, et acceptum agnovimus, quique de tua fide, sapientia, doctrina, integritate, deque aliis virtutibus tuis plurimum in Domino debemus confidere, te a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, fraternitati tuae ad omnes, et singulas causas dumtaxat, quae in praesentiarum apud praefatarum Sedis metropolitanae Strigoniensis, et archiepiscopatus Colocensis ecclesiasticum respective forum legitimo quovis jure per Hungariam sint introductae in gradu appellationis tantum, servatis servandis cognoscendas, et definiendas auctoritate apostolica tenore praesentium plenam tribuimus facultatem, tibique in delegatione hujusmodi exercenda eamdem facultatem, et auctoritatem, quae ad pro tempore existentem archiepiscopum Strigonensiem, et ad praedictum Colocensem archiepiscopum legitime quomodolibet spectaret, ita ut tu quascumque jam introductas causas civiles, criminales, mixtas, et matrimoniales in dicto appellationis gradu cognoscere, audire, committere, fineque debito terminare, contra delinquentes prout juris fuerit procedere, eosque corrigere, mulctare, ac punire libere, ac licite possis, et valeas, prout quilibet ex antedictis archiepiscopis posset, et valeret, pro hac vice concedimus, et impertimur. Mandantes propterea venerabilibus fratribus in Hungaria existentibus episcopis, et dilectis filiis dignitatibus, et canonicis, aliisque dicti regni Christifidelibus, ad quos spectat, et quomodolibet spectabit, ut te in appellationis judicem a Nobis sic, ut praefertur, delegatum recipiant, et admittant, tibique in officio hujusmodi faveant, et obediant.

Derogatio contrariorum.

§. 2. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictarum Strigoniensis, et Colocensis, aliarumque prae-

fati regni ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decimanona januarii millesimo octingentesimo decimoquinto, pontificatus Nostri anno decimoquinto.

Dat. die 19. jan. 1815. Anno XV.

DLXXXIX.

Concessio missae Beatae Mariae Virginis nuncupatae « *del Miracolo* » pro ecclesia sancti Francisci civitatis Limanae.

Venerabili fratri archiepiscopo Limano.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Nomine dilectorum filiorum modernorum cappellani et siodaci cappellae sub titulo Nostrae Dominae vulgo «*del Miracolo*» adoptatae, seu adgregatae conventui magno nuncupato s. Francisci Limanae civitatis, quod ad augendam erga Deiparam devotionem, et cultum valde conferret, si sabbato sancto, in dicta cappella postquam divina officia in ecclesia metropolitana expleta fuerint; missa una votiva ejusdem Beatae Virginis celebraretur cum cantu, quemadmodum pro multis aliis istarum regionum ecclesiis id concessum fuisse asseritur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, quatenus constito tibi prius de narratorum veritate, una missa votiva, expletis officiis ut supra de B. Virgine etiam cum cantu per sacerdotem a te singulis annis eligendum in dicta cappella, servata in reliquis rubricarum generalium dispositione, celebrari possit, auctoritate Nostra apostolica, pro tuo arbitrio, et prudentia concedas, et indulgeas.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decimanona januarii millesimo octingentesimo decimoquinto, pontificatus Nostri anno decimoquinto. Derogatio contrariorum.

DXC.

Dat. die 26. jan. 1815. Anno XV.

Concessio facultatum pro superiore missionum Hollandiae ad effectum corrigendi nonnullos abusus irreptos in ecclesia, et capitulo cathedralis Mechliniensis in Belgio, aliisque dioecesibus ejusdem regni.

Dilecto filio Aloisio Ciamberlani presbytero protonotario apostolico, ac cubiculario Nostro secreto, et missionum Hollandiae vice superiori.

Pius PP. VII.

Dilecte fili,
salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Nihil sane molestius afferri potuit Nobis, quam quod nuper accepimus circa loca non solum in Mechliniensi, sed in aliis quoque Belgii dioecesibus existentia, ubi plures inolescere abusus fide dignis apud Nos testimoniis pro certo et comperto affirmatur. Ea itaque Nos, qua universum complectimur Domini gregem, pastorali sollicitudine isthuc quoque, ne radices zizania agat altiores, statim mentis Nostrae oculos intendentes, ac de te plurimum ob spectatam pietatem, doctrinam, prudentiam, aliasque eximias virtutes tuas apud Nos commendato, specialem in Domino Significat pontifex moleste accepisse inolescere abusus omnino eliminandos, illosque extollere praecipit omnibus adhibitis remediis.

fiduciam habentes, teque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, tibi facultates omnes necessarias, et opportunas etiam speciali mentione dignas, quorum vigore spiritualia negotia in illis locis pertractare, ac praesertim illas personas nimio fervore accensas, ac super opinionum varietate inter se discrepantes ad rectam uniusmodi cogitandi formam reducere, irreptos abusus reformare, collapsam disciplinam restituere, delinquentes coercere, contumaces poenis canonicis plectere.

Vetat archiepiscopo de Pradt Sedis possessionem concedere, et mandat subrogari alium vicarium in locum Forgeur, et Huleu jam electos.

§. 2. Insuper capitulo cathedralis Mechliniensis praedictae facere notum ex parte Nostra, atque vetare, ne archiepiscopum de Pradt absque nova, et ulteriori Nostra, et hujus s. Sedis dispositione in possessionem illius archiepiscopalis Sedis immittat; demum duobus vicariis generalibus Forgeur, et Huleu novum vicarium auctoritate apostolica constitutum in persona dilecti filii Lantschete, aut alterius ex canonicis praedictae cathedralis, si magis expedire censueris, substitueris, ac ea omnia, quae ad praedictorum locorum utilitatem, rectumque ordinem necessaria sunt statuere libere, ac licite possis, et valeas, auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium tribuimus, et impertimur; expresso tamen sub onere, ut Nos quamprimum de rebus a te perpetratis, deque remediis utilibus, et ad rerum praedictarum necessitates prudenter accomodatis, atque illico adhibitis fideliter facias certiores; ac tandem de iis omnibus, quae ad propositum, optatumque finem aptiora sint, ac in posterum peragenda, animum tuum Nobis libere aperias.

Derogatio contrariorum.

§. 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima sexta januarii millesimo octingentesimo decimoquinto, pontificatus Nostri anno decimoquinto.

DXCI.

Dat. die 27. jan. 1815. Anno XV.

Facultas subdelegandi presbyteros, qui benedicant sacras suppellectiles in dioecesi Burgensi, concessa archiepiscopo praedictae dioecesis.

Venerabili fratri
Emmanueli archiepiscopo Burgensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater
salutem et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecisti, quod, ut sacra ecclesiarum tuae dioecesis suppellectilia citius benedicantur, pro hujusmodi episcopalibus benedictionibus faciendis presbyteros subdelegare posse plurimum desideras. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur te specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae, ut ad tui vitam vicarium generalem pro tempore existentem, et canonicos ecclesiae metropolitanae praepositos, archipresbyteros, parochos, ecclesiarum rectores, vicarios foraneos, aliosque tibi benevisos tuae dioecesis sacerdotes in aliqua ecclesiastica dignitate constitutos pro benedictione sacrae supellectilis, in qua sacra unctio non adhibetur, subdelegare libere, et licite possis, et valeas, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et quamcumque tribuimus ad id opportunam, et necessariam facultatem.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima septima januarii millesimo octingentesimo decimoquinto, pontificatus Nostri anno decimoquinto.

DXCII.

Dat. die 14. feb. 1815. Anno XV.

Erectio clericorum regularium Societatis Jesu Ferentini in Hernicis.

Pius PP. VII.

Ad futuram rei memoriam.

Proœmium.

§. 1. Ea fuit superioribus temporibus omnium ecclesiasticarum, divinarumque rerum perturbatio, ac prope eversio, ut novis malis nova prorsus sint adhibenda remedia, prout melius in Domino expedire cognoscimus, atque a saniore civitatum Nostrarum parte exoramur.

Expositio precum.

§. 2. Exponi quidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii clerus, modernique magistratus civitatis Nostrae Ferentini, quod ob deficientiam praesertim idoneorum magistrorum, qui adolescentes in christiana disciplina, et humanis literis instituant, nonnulli errores ibi, et in aliis finitimis locis irrepere coeperunt; ideoque ad eos radicitus evellendos, itemque ad praecavendum, ne nova zizania in medio tritici suboriantur, nihil magis expedire putant, quam ut in dicta civitate collegium instituatur clericorum regularium renascentis Societatis Jesu.

Ratio concessionis.

§. 3. Quoniam vero, sicut in eadem expositione additum erat id fieri plane nequeat ex redditibus bonorum pro publicis gymnasiis sustinendis ibidem attributorum, qui redditus, annuam scutatorum ducentorum monetae Romanae summam non excedunt, idcirco ad tam salutare opus perficiendum, ecclesiam, et aedificia adnexa, et bona non alienata, quorum annui redditus scutorum circiter mille ejusdem monetae esse dicuntur, conventus sancti Francisci fratrum ordinis minorum ejusdem sancti Conventualium nuncupatorum in dicta civitate existentis pro collegio societatis praedictae ibidem instituendo per Nos, et hanc sanctam Sedem assignari atque in perpetuum attribui plurimum cupiunt, cum superstites ipsius conventus fratres in aliis ejusdem ordinis conventibus se recipere possint ob imminutum eorumdem fratrum numerum. Nobis propterea supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Erectio congregationis cum assignatione bonorum.

§. 4. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et singulares personas, quibus praesentes Nostrae literae favent, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium congregationis super reformatione deputatae, ad quos supplicem libellum hujusmodi remiseramus, consilio, ac de mandato ipsius congregationis, referente dilecto filio magistro Josepho Morozzo alterius congregationis venerabilium itidem fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. cardinalium negociis, et consultationibus episcoporum, et regularium praepositorum secretario, ecclesiam, et conventum praedictum s. Francisci, eorumque aedes ac omnia, et singula non alienata bona stabilia, et mobilia cum suis respectivis juribus, et pertinentiis universis, itemque cum adnexis oneribus missarum, et aliis, si quae fuerint, nec non alia stabilia bona quaecumque pro publicis scholis, et magistris in dicta civitate sustinendis adhuc fixata in dotationem, et pro dotatione collegii clericorum dictae Societatis Jesu ibidem instituendi, et quo citius fieri poterit aperiendi de apostolicae potestatis plenitudine tenore praesentium in perpetuum tribuimus, adsignamus, et transferimus, ea tamen conditione, ut etiamsi dictae societatis alumni illico post praesentium emanationem in dictam civitatem se conferant, ibique ecclesiae, et conventus, eorumque bonorum praedictorum possessionem juxta earumdem praesentium tenorem capiant, nihilominus bonis scholasticis memoratis ex eo die frui incipiant, quo publicas ibidem scholas ipsi aperient: quoad dictos fratres autem ratio imposterum habeatur in aequitatis linea, ut aliqua compensatio ipsis detur in aliis status Nostri pontificii locis, in quibus eorum conventus inopia laborent.

Clausulae sublata et decretum irritans.

§. 5. Decernentes has praesentes literas nullo umquam tempore infringi, aut ad terminos juris reduci, neque obreptionis, vel subreptionis vitio notari, etiam ex eo quod partes non fuerint auditae, seu citatae, sed semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, dictisque clericis regularibus Societatis Jesu plenissime suffragari, ac ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari: sicque in prae-

missis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non ecclesiae, conventus, et ordinis praefatorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decimaprima februarii millesimo octingentesimo decimoquinto, pontificatus Nostri anno decimoquinto.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX MATERIARUM

QUAE

IN PRIMA SEPTIMI HUJUS VOLUMINIS PARTE

CONTINENTUR

A

ABBAS

ADMINISTRATIO

ALLOCUTIO

Digitized by Google

ALTARE

APPLICATIO

APPROBATIO

B

BEATIFICATIO

BENEFICIUM

BONA

C

CANONICI

CANONIZATIO

Digitized by Google

CARDINALIS

CIVITAS

COMMUNITAS

COMMUTATIO

CONCESSIO

Digitized by Google

Digitized by Google

CONCLAVISTA

Digitized by Google

CONFIRMATIO

Digitized by Google

CONFRATERNITAS

CONGREGATIO

Digitized by Google

CONVENTIO

CURIA ROMANA

D

DAMNATIO

DAPIFER

DIGNITAS

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ELECTIO

ENCYCLICA

ERECTIO

Digitized by Google

F

FACULTAS

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

FESTIVITAS

FESTUM

FISCUS

FRUCTUS

G

GYMNASIUM

H

HOSPITALE

Digitized by Google

I

INCORPORATIO

INDULGENTIA

Digitized by Google

INDULTUM

J

JURISDICTIO

JUS NOMINANDI

JUS PRAESENTANDI

Digitized by Google

Digitized by Google

MONIALES

N

NUNDINAE

O

OFFICIUM

Digitized by Google

ONUS

P

PARAMENTA

PATRONUS

PENSIO

PERMUTATIO

PRIVILEGIUM

Digitized by Google

Digitized by Google

PROTECTOR

R

REFORMATIO

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SODALITIUM

STATUTUM

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

SUPPRESSIO

Digitized by Google

Digitized by Google

U

UNIO

UNIVERSITAS

Digitized by Google

INDEX RUBRICARUM

OMNIUM CONSTITUTIONUM

QUAE

IN PRIMA SEPTIMI HUJUS VOLUMINIS PARTE

CONTINENTUR

PII VII.

ANNO I.

Digitized by Google

ANNO II.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNO III.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNO IV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNO V.

Digitized by Google

ANNO VI.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNO VII.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNO VIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANNO IX.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX VOCABULORUM INITIALIUM

OMNIUM CONSTITUTIONUM

QUAE

IN PRIMA SEPTIMI HUJUS VOLUMINIS PARTE CONTINENTUR

A

C

Digitized by Google

D

E

Digitized by Google

F

G

H

Digitized by Google

I

J

L

M

N

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

610,163

H.G. 2022863

Digitized by Google

Digitized by Google

A. STADERINI
Legatoria
ROMA
Digitized by Google